SC.sup.21.Pl.2.

37
44 E
11
MAL 3023

Digitized by Google

Digitized by Google

BENEDICTO XIV.

PONT. OPT. MAX.

DOCTRINAM

DE SERVORUM DEI

BEATIFICATIONE

ET BEATORUM

CANONIZATIONE

REDACTAM

IN SYNOPSIM

EMMANUEL DE AZEVEDO

AUCTORI SUO, MAGISTRO, AC PATRONO

D. D. D.



ROMÆ MDCCLVII.

TYPIS GENEROSI SALOMONI BIBLIOPOLÆ
SUPERIORUM PERMISSU.

Digitized by Google

SSmo Dno Noſtro

BENEDICTO PAPÆ XIV.

PONT. OPT. MAX.

EMMANUEL DE AZEVEDO S. J.

ADmirandi Operis Tui, BEATISSIME PATER, *De Servorum Dei Beatificatione, & Sanctorum Canonizatione*, ante aliquot annos, me curante, una cum reliquis præſtantiſſimis Tuis Operibus editi, & publica ac celeberrima diſputatione poſtea propugnati, Synopſim hanc a doctiſſimis hominibus vehementer expetitam, & omnium ſtudiis magnopere profuturam, intra privatos parietes diutius continendam non cenſui. Eſt illa quidem nonnullorum ſane doctorum hominum opinio, magnis atque eximiis excellentium Scriptorum operibus minus bene per hujuſmodi epitomas conſuli, immo & officii valde ſolere: fieri enim, ut hæ tum impenſæ compendio, tum brevitatis lenocinio pleroſque alliciant; atque ita cariora illa atque longiora minus vulgo expetantur,

tantur,

Digitized by Google

tantur, ſenſimque obſoleſcant. Id equidem in aliis aliorum ſcriptis contingere poſſe confiteor: Tuis vero hujuſmodi contractio, ac brevitas non hominum faſtidium ullum aut contemtum affert, ſed ſtudium ac cupiditatem incendit. Ut limpidæ ac ſalubris aquæ venam forte quis nactus, ita ejus ſapore ac ſperata utilitate capitur, ut ſtatim de fonte ipſo cogitet, nec, niſi eo deprehenſo conquieſcat: ſic in hiſce ſcriptorum Tuorum tamquam rivulis plenos illos atque uberes fontes, unde tanta voluptas ac ſalubritas exiſtit, cupidiſſime homines requirunt. Abfui totum ferme triennium ab urbe Roma: quod mihi tempus in Italiæ Germaniæque peregrinatione magnam partem conſumtum eſt. Percrebuerat autem illud, neſcio quo pacto, inveniſſe me in conſpectu SANCTITATIS TUÆ gratiam; patuiſſe mihi ad Te certis ac ſtatis uniuſcujuſque hebdomadis diebus aditus, quos eoſdem, me Urbem relinquente, amicis quibuſdam meis, tamquam honoris felicitatiſque meæ, dum ego abeſſem, vicariis, Te annuente, fuiſſe patefactos: benevolentiam ſingularem, qua me præſentem complexus ſemper fueras, norant; incredibilem benignitatem, qua eumdem me & diſcedentem fueras proſequutus, & abſentem humaniſſimis ac crebris litteris dignarere, non ignorabant. Itaque incredibiles ad me concurſus hominum fiebant: a ſummis Principibus, ipſiſque adeo Civitatum Magiſtratibus colloquii, hoc eſt de Te Tuiſque rebus, ſtudiis præſertim ac ſcriptis, audiendi tamquam ab oculato recentique teſte, cognoſcendique cauſa evocabar. Cum ſeptem S. R. E. ampliſſimis Cardinalibus, cum aliquot Apoſtolicæ Sedis præſtantiſſimis Nunciis, cum plurimis Benedictinis Abbatibus, quorum eſt in Germania catholicæ religionis ſtudium acerrimum, ad eamque tum retinendam, tum propagandam ſingulare præſidium conſtitutum, diu multumque verſatus ſum. Non tamquam ex Urbe Romana,

meis

meis rebus ita poſcentibus, & privatam ob cauſam profectus, ſed veluti quidam e Tuis ædibus ex Tuoque propemodum convictu miſſus non a Te quidem, ſed de Te certe, publicus nuncius atque interpres ab omnibus excipiebar. Non illi ex me Romanarum rerum quidquam cognoſcere, ſed Tuarum nihil ignorare volebant: nec mea ulla ab iis aut ingenii, aut doctrinæ, aut ejuſmodi laudum, propter quas hominum congreſſus appeti conciliarique ſolent (quarum me expertem eſſe ſentio, nec illi non ſentiebant) facultas, ſed rerum Tuarum ſcientia ac teſtatior notitia expetebatur. Dici non poteſt, Beatissime Pater, quam multa de Te, quam ſedulo, quam amanter ex me ubique quæſita ſint. Sic intelligebam, magnam eſſe hominum Tui admirationem, benevolentiam, ac charitatem prope majorem. Acta Pontificatus Tui multa atque præclara proferebantur: divinæ animi Tui virtutes commemorabantur: ingenii doctrinæque Tuæ præſtantiſſima monumenta recenſebantur. In quo quidem non tam illud mihi mirum videbatur, ea ex me quæri, quæ non minus, quam mihi, nota iis eſſent, qui quærerent, quam jucundum erat, notarum pervulgatarumque rerum mentionem ita gratam accidere, ut tamquam de ignotis ignoratiſque doceri a me, ac commonefieri homines vellent. Jam verò, quæ ad eam diem ſcripta Tua edidiſſes, quam ſæpe, quibuſque in locis, quorumque opificum formis eſſent excuſſa, quæ nova abſolviſſes, ac prælo parata haberes, quæ tum ſcriberes, quæ mox ſcribere cogitares, de iis erat frequentiſſima, atque omnium jucundiſſima percunctatio. Animadvertebam autem, in hac tota inquiſitione, atque ſermone, mirari ſatis homines non poſſe, undenam Tibi, in tanta vitæ omnis Tuæ maximarum rerum occupatione tantum temporis ad legendum, ad commentandum, ad ſcribendum ſuppetere potuerit, quantum ad agenda,

quæ

quæ tam multa, tamque admiranda in Pontificatu Tuo iſto vere maximo geſſeris, exiguum eſſe videretur. Illud vero, niſi oculis ipſi ſuis quodammodo cernerent, nemini teſtificanti ſe credituros, ſæpe narrantes audiebam, Te, iſta tam longæva ætate cum ſis, qua reliquis mortalibus & agendi, & commentandi, naturæ quadam lege, facultas eripitur, uſque adeo ingenii mentiſque viribus vigere, ut & præclariſſimis ſummi Pontificatus actionibus, & doctiſſimis lucubrationibus Tuis non modo iis hominibus, qui nunc ſunt, verum etiam conſequenti omni poſteritati prodeſſe pergas.

Hæc Tu, Beatissime Pater, quibus tantam omnium mortalium admirationem tamque incredibilem amorem Tibi conciliaſti, dum præſtas, noſque, ut ea quamdiutiſſimè præſtare poſſis, optamus, idque a Deo immortali una omnium voce votiſque in id unum conſpirantibus petimus, patere, quæ Tua benignitas eſt, hanc à me ad Te præcellentiſſimi operis Tui Synopſim, publici juris factam, mitti, Tuoque nomine ſanctiſſimo inſcriptam in vulgus prodire: quo & ſtudiis hominum legendi Tua, iis ſæpius edendis ac veluti multiplicandis, ſatisfiat, & ego quam multa Tibi debeam, quamque ſim nomini majeſtatique Tuæ deditus atque devotus, hoc tibi opellæ meæ quantulum id cumque eſt, dedicans, aliqua ex parte intelligi poſſit. Pedes ſanctiſſimos Tuos humi provolutus deoſculor, mihique ut benedicas, Beatissime Pater, ſupplex oro.

IN-

INDEX CAPITUM

QUÆ IN HAC QUATUOR VOLUMINUM SYNOPSI CONTINENTUR.

LIBER PRIMUS.

CAP. I. DE ſuperſtitioſa Apotheoſi Gentilium. Pag. 1.
II. De Martyrum juxta antiquam Eccleſiæ diſciplinam differentiis, & eorum cultu. 2
III. De Collectione Actorum Martyrii, & eorum examine, & Eccleſiaſtico ſuper illis judicio. 3
IV. De Martyrum notitia ab una ad aliam Eccleſiam per Litteras Encyclicas tranſmiſſa. 4
V. De Confeſſoribus, & eorum cultu. 5
VI. De Eccleſiaſtico Judicio requiſito, antequam cultus religioſus Confeſſoribus exhiberetur. 5
VII. De interventu Auctoritatis Summi Pontificis in cultu decernendo erga Martyres, & Confeſſores. 6
VIII. De ejuſdem interventu auctoritatis. 7
IX. De Pontificiæ iterum auctoritatis in Beatificationis, & Canonizationis negotia interventu. 9
X. De Pontificia auctoritate extra Concilium, & de jure Beatificandi, & Canonizandi Summo tantum Romano Pontifici reſervato. 10
XI. De eodem privativo Jure juxta ſcribentium aſſertiones. 11
XII. De poteſtate canonizandi. 11
XIII. De Benefacto, ut aliquando Solemnia Canonizationis expleantur. 12
XIV. De Subjecto Canonizationum. 13
XV. De gravitate Cauſarum Canonizationis, & de his, quorum opera, & conſilio Summi Pontifices olim uſi ſunt in earum definitione. 15
XVI. De Sacrorum Rituum Congregatione. 15
XVII. De Protonotario, & Secretario ſacræ Congregationis, & de Rotæ Romanæ Auditoribus eidem Congregationi adſcriptis. 17
XVIII. De Fidei Promotore, & ejus Subpromotore. 18
XIX. De Notario, & archivi Inſpectore, Interpretibus proceſſuum, Procuratoribus, Advocatis, & Medicis, aliiſque Miniſtris Congregationis ſacrorum rituum. 19
XX. De diligentiis per Romanos Pontifices antiquiori tempore adhibitis in diſcuſſione cauſarum Beatificationis, & Canonizationis, & de ſerie Actorum, quæ eadem antiquiori tempore pertractabantur. 21
XXI. De Conſiſtoriis, quæ olim cogebantur pro definiendis cauſis Canonizationis. 22
XXII. De ſerie Actorum in cauſis Beatificationis, & Canonizationis juxta præſens Sedis Apoſtolicæ inſtitutum, et de diligentiis, quæ in eorum examine fiunt. 24
XXIII. De nonnullis ad inſtitutum Congregationis ſacrorum rituum ſpectantibus, quæ ante tempora ſanctæ memoriæ Clementis XI. vigebant. 26
XXIV. De ſolemnitate Beatificationis. 26
XXV. De tranſitu a Beatificatione ad Canonizationem. 27
XXVI. De ſerie Actorum in tranſitu a Beatificatione ad Canonizationem. 28
XXVII. De ſerie Actorum in cauſis Martyrum, quæ introducuntur poſt decreta Urbani VIII., et quæ procedunt per viam non cultus. 29
XXVIII. De Auctorum opinionibus quoad ſigna, & miracula in cauſis Martyrum. 30
XXIX. De Eccleſiaſtica diſciplina quoad miraculorum neceſſitatem in Martyrum cauſis. 32
XXX. De ſacræ Congregationis rituum conſuetudine quoad miraculorum neceſſitatem in cauſis Martyrum. 33
XXXI. De ſerie Actorum in cauſis ſive Confeſſorum, ſive Martyrum, quæ introducuntur poſt decreta Urbani VIII., & quæ procedunt per viam caſus excepti. 34
XXXII. De ſerie Actorum in cauſis ſive Confeſſorum ſive Martyrum, quæ introducuntur poſt decreta Urbani VIII. quæque procedunt per viam caſus excepti in tranſitu a Beatificatione æquipollenti ad formalem Canonizationem. 35
XXXIII. De ſerie Actorum in cauſis Beatificationis, & Canonizationis introductis ante decreta Urbani VIII, et quæ poſt eadem decreta reſumuntur, ſive ſint

Digitized by Google

ſint Confeſſorum, ſive Martyrum, ſive procedant per viam non cultus, ſive per viam caſus excepti. 37
XXXIV. De Conſiſtoriis privato, publico, et ſemipublico habendis pro abſolutione cauſarum Canonizationis. 38
XXXV De nonnullis aliis orationibus, quæ fiunt in publicis Conſiſtoriis a Conſiſtorialibus Advocatis. 40
XXXVI. De ſolemnitate Canonizationis. 41
XXXVII. De Actibus cultus ſervis Dei poſt Beatificationem deferendis. 47
XXXVIII. De actibus cultus Beatis poſt Canonizationem exhibendis. 48
XXXIX. De differentiis inter Beatificationem, et Canonizationem. 50
XL. In quo explicatur Sedis Apoſtolicæ permiſſio, quæ per Beatificationem habetur. 51
XLI. In quo nonnulla indicantur de Sedis Apoſtolicæ definitiva ſententia, quæ in Canonizatione profertur. 52
XLII. De Eccleſiaſtico judicio, quod in Beatificatione interponitur, utrum videlicet ſit infallibile, et ad Fidem Catholicam pertineat. 53
XLIII. De Eccleſiaſtico judicio, quod interponitur in Sanctorum Canonizatione, utrum ſit infallibile. 61
XLIV. In quo refelluntur oppoſita iis, quæ dicta ſunt in capite antecedenti. 62
XLV. An ſit de Fide Summum Pontificem errare non poſſe in Canonizatione Sanctorum; et an de Fide ſit, Canonizatum eſſe Sanctum. 64
XLVI. De expenſis, quæ fiunt tum in pertractandis cauſis Beatificationis, et Canonizationis, tum in ſolemnitate, hoc eſt cum in Beatorum, aut Sanctorum numerum aliqui Servi Dei, vel Beati referuntur. 66
CAP. ULT. De quibuſdam cautionibus neceſſariis ad cuſtodiam, et erogationem pecuniarum ex pia Fidelium largitate collectarum pro cauſis Beatificationis, et Canonizationis, deque nonnullis quæſtionibus ad hanc eamdem materiam pertinentibus. 72

LIBER SECUNDUS.

CAP. I. DE Ordinariorum facultate, atque auctoritate in conficiendis proceſſibus in cauſis Beatificationis Servorum Dei, et Canonizationis Beatorum. Pag. 75
II. De iis, qui veniunt appellatione Ordinariorum quoad confectionem proceſſuum in materia Beatificationis, et Canonizationis. 76
III. De antiquiori Sedis Apoſtolicæ conſuetudine circa proceſſus Ordinariorum. 78
IV. De viribus proceſſuum, qui fiunt ab Ordinariis. 79
V. De congruentia inter proceſſum ordinarium, et Apoſtolicum. 80
VI. De Ordinariorum proceſſuum ſingularitate, hoc eſt, an aliquando eorum ope tantum, et citra Apoſtolicum proceſſum deveniri poſſit ad Beatificationes, et Canonizationes. 82
VII. De non cultu, deque nonnullis ad ornatum materiæ de non cultu præmittendis. 83
VIII. De diligentiis adhibitis poſt reſervationem cauſarum Beatificationis, et Canonizationis Sedi Apoſtolicæ, ne cultus iis præſtaretur, qui eum minime merebantur. 84
IX. De moderatione cultus erga non Beatificatos, aut a Sede Apoſtolica Canonizatos. 85
X. De his, quæ geſta ſunt tempore Clementis VIII, et Pauli V. circa cultum exhibendum. 86
XI. De ſummi Pontificis Urbani VIII. decretis. 87
XII. De nonnullis explicationibus ad prædicta Urbani VIII. decreta, deque nonnullis quæſtionibus ad eorum funus et ſepulcra, qui Servorum Dei appellatione veniunt, pertinentibus. 89
XIII. De quæſtionibus aliis ad anniverſarium obitus Dei Servorum diem, eorumdemque Reliquias pertinentibus. 92
XIV. De quibuſdam aliis controverſiis quoad Imagines prædictorum Dei Servorum, necnon de actibus ſine ulla dubitatione ad publicum cultum deferendis, & ideo interdictis. 93
XV. De more ſpectante ad judicium ſuper non cultu in cauſis Beatificationis, et Canonizationis. 95
XVI. De pœnis ſtatutis adverſus violatores decretorum Urbani VIII. 97
XVII. De caſu excepto a decretis Urbani VIII. in genere. 97
XVIII. In quo antea dicta comprobantur exemplis. 99
XIX. De caſu excepto a decretis Urbani VIII. vel per communem Eccleſiæ conſenſum, vel per Patrum, virorumque Sanctorum ſcripta. 101
XX. De caſu excepto ex Indulto Pontificio. 103
XXI. De caſu excepto ex permiſſione Sacræ Congregationis, & de aliis, quæ communia ſunt tum caſui excepto ex Pontificiis indultis, tam caſui excepto ex dicta permiſſione. 105

XXII. De

XXII. *De caſu excepto ab Urbani VIII. decretis ex tempore immemorabili, & nominatim de tempore requiſito ad conſtituendum immemorabile.* 107
XXIII. *De modo probandi centenarium antiquum cultus, atque cæteris requiſitis ad conſtituendum caſum exceptum ex tempore immemorabili.* 108
XXIV. *De caſuum ab Urbani VIII. decretis exceptorum declaratione, prævio ſacrorum Congregationum, præſertim vero ſacrorum rituum conſilio hucuſque facta.* 109
XXV. De reviſione operum conſcriptorum a Dei Servis, de quorum Beatificatione, & Canonizatione tractatur. 127
XXVI. *Quænam ſint opera Servorum Dei revidenda, & approbanda.* 128
XXVII. *Quando, per quos, & quomodo fieri debeat operum reviſio.* 129
XXVIII. *De advertendis in eorum operum reviſione.* 131
XXIX. *Utrum doctrina, quæ cum ſcripta fuit, non erat cenſura digna, eſt autem, cum examinatur, progreſſum impediat ad ulteriora in cauſa Canonizationis.* 132
XXX. *In quo antecedentis capitis ſententia confirmatur exemplis cauſarum Canonizationis.* 133
XXXI. *In quo alia ad antecedentium comprobationem exponuntur deſumpta ex relationibus Reviſorum exhibitis Congregationi ſacrorum rituum.* 134
XXXII. *De notandis, & adnotandis per Reviſores ſuper viſionibus, revelationibus, & prophetiis.* 135
XXXIII. *An doctrina contra Fidem, vel Eccleſiæ regulas obſtet Beatificationi, & Canonizationi, ſi ante obitum a Dei Servo fuerit retractata, aut fuerit judicio Eccleſiæ ſubjecta, cum ſcripta fuit.* 136
XXXIV. De libris, *ſive operibus Servorum Dei, quæ reperiri non poſſunt, & de aliis, quæ eiſdem falſo aliquando adſcribuntur.* 138
XXXV. *De ſignatura Commiſſionis in genere.* 139
XXXVI. De ſignatura Commiſſionis *in cauſis, quæ poſt Urbani VIII. decreta introducuntur, & quæ procedunt per viam non cultus.* 140
XXXVII. De ſignatura Commiſſionis *in cauſis, quæ poſt Urbani VIII. decreto introducuntur, & quæ procedunt per viam caſus excepti.* 141
XXXVIII. *De Commiſſione, quæ dicitur Reaſſumptionis.* 142
XXXIX. *De ſubſtantia, et uſu, ſive praxi judicii in genere ſuper fama ſanctitatis, aut Martyrii.* 144
XL. *De Famæ probatione.* 145
XLI. *De his, quæ famæ ſanctitatis obſtare poſſunt.* 145
XLII. *In quo expoſita confirmantur exemplis cauſarum in ſacrorum rituum Congregatione peractarum.* 147
XLIII. *De validitate Proceſſuum, et ſignanter eorum, qui auctoritate ordinaria conficiuntur.* 148
XLIV. *De validitate proceſſuum, et ſignanter eorum, qui auctoritate Apoſtolica conficiuntur.* 150
XLV. *De his, quibus inſcribuntur* Litteræ remiſſoriales, et compulſoriales *pro conficiendis proceſſibus auctoritate Apoſtolica.* 151
XLVI. De exhibitione, *ſeu præſentatione Literarum remiſſorialium, et compulſorialium, et de his, qui ad earum executionem procedere poſſunt.* 152
XLVII. De his, *quæ fieri poſſunt, aut nequeunt a Judicibus* remiſſorialibus, *et de aliis perſonis, quæ ad conficiendos proceſſus requiruntur.* 154
XLVIII. *De Juramento a ſupradictis præſtando, atque Citatione, Inductione, et teſtium quoque Juramento.* 155
XLIX. *De Teſtium examine.* 157
L. *De aliis neceſſariis ad conſtructionem Proceſſus.* 160
LI. *De nonnullis aliis requiſitis in confectione nonnullorum proceſſuum, et de omnium proceſſuum apertione in Urbe facienda auctoritate ſacræ Congregationis.* 161
LII. *De proceſſu* compulſoriali, *et ejus validitate.* 162
LIII. *De nonnullis petitionibus, quæ aliquando ſacrorum rituum Congregationi exponuntur pro felici exitu cauſarum Beatificationis, et Canonizationis.* 163
CAP. ULT. *In quo aliæ petitiones Poſtulatorum proponuntur, et examinantur.* 164

LIBER TERTIUS.

CAP. I. *De teſtibus de auditu in cauſis antiquis Beatificationis, & Canonizationis.* 167
II. *De Teſtibus ſingularibus in cauſis Beatificationis, & Canonizationis.* 167
III. *De ſententia Congregationis ſacrorum rituum, & præſenti Sedis Apoſtolicæ praxi, quoad teſtes de auditu in cauſis Beatificationis, & Canonizationis ſuper examine virtutum, aut miraculorum in ſpecie.*

IV. De

IV. De *ſententia Congregationis ſacrorum rituum, et de præſenti Sedis Apoſtolicæ praxi quoad teſtes de auditu, cum agitur de miraculis; et quoad teſtes ſingulares, quando agitur de virtutibus, aut de miraculis in cauſis Beatificationis, et Canonizationis.* 171

V. De *numero teſtium in cauſis Beatificationis, et Canonizationis adhibendorum.* 172

VI. De *qualitate teſtium in cauſis Beatificationis, et Canonizationis adhibendorum.* 173

VII. De *Confeſſariis, et Medicis, quorum atteſtationes excipiuntur in judicio Beatificationis, et Canonizationis, et de nonnullis aliis rebus ad teſtes pertinentibus.* 175

VIII. De *hiſtoriis, quam ſcilicet probationem conſtituant in judicio Beatificationis, et Canonizationis.* 176

IX. *In quo nonnullæ explicantur, et reſolvuntur controverſiæ ad eamdem hiſtoriarum materiam pertinentes.* 178

X. *In quo aliæ explicantur, et reſolvuntur controverſiæ ad eamdem hiſtoriarum materiam pertinentes.* 179

XI. De *Martyrio, et primum de Perſecutore, ſeu Tyranno.* 182

XII. De *pœna a Perſecutore, ſeu Tyranno infligenda.* 185

XIII. De *cauſa Martyrii quoad Perſecutorem, ſeu Tyrannum.* 188

XIV. De *modo, quo probari poteſt, Perſecutorem, ſeu Tyrannum ex odio in Fidem motum fuiſſe ad mortem Martyri infligendam.* 190

XV. De *requiſitis in Martyre neceſſariis ante Martyrium.* 192

XVI. De *Martyrii deſiderio, ejus acceptione, ſpontanea ad ipſum oblatione, et fuga, urgente perſecutione.* 195

XVII. *De provocatione Tyranni.* 199

XVIII. De *Martyris repugnantia, ut mortem ſibi inferendam evadat; et de neceſſaria Martyri patientia, atque in Fide, ac voluntate moriendi pro Fide, conſtantia uſque ad obitum, nec non in ipſo obitu.* 203

XIX. De *cauſa Martyrii ex parte Martyris.* 206

XX. De *falſis Martyribus Hæreticorum, et Schiſmaticorum.* 209

XXI. De *Virtute heroica.* 213

XXII. *In quo proponuntur, et explicantur nonnullæ quæſtiones ad heroicitatem Virtutum pertinentes.* 216

XXIII. De *virtutibus Theologalibus Fide, Spe, et Caritate, et heroicitate uniuſcujuſque ex iiſdem.* 219

XXIV. De *virtutibus Cardinalibus, ſeu moralibus, Prudentia, Juſtitia, Fortitudine, Temperantia, & eorum annexis, & de heroicitate uniuſcujuſque ex ipſis.* 224

XXV. De *Oratione, et ejus ſpeciebus, & ejus neceſſitate in Dei Servis beatificandis, et canonizandis.* 232

XXVI. De *mentali Oratione, triplici vita, activa, contemplativa, et mixta; ſtatibus incipientium, proficientium, et perfectorum, et aliis nonnullis ad Orationem vocalem, et mentalem pertinentibus.* 234

XXVII. De *Sacramentorum frequentia, Pœnitentiæ videlicet, et Euchariſtiæ in Servis Dei beatificandis, et canonizandis requiſita.* 236

XXVIII. De *Carnis, et Corporis mortificatione.* 239

XXIX. De *modo adhibendo in carnis, & corporis mortificatione.* 241

XXX. De *inquiſitione ſuper ærumnis, & tribulationibus Servorum Dei, de quorum Beatificatione, & Canonizatione tractatur.* 243

XXXI. De *nonnullis peculiariter advertendis quoad dignitatum Eccleſiaſticarum adeptionem in cauſis Servorum Dei, qui eas, dum viverent, obtinuerunt.* 249

XXXII. De *nonnullis in cauſis Servorum Dei, qui ſummi Pontifices fuerunt, ſpecialiter advertendis poſt adeptum ſummum Pontificatum, et regimen univerſalis Eccleſiæ aſſumptum.* 252

XXXIII. De *nonnullis in cauſis Servorum Dei, qui fuerunt Cardinales S.R.E., advertendis poſt adeptam Cardinalatus dignitatem.* 255

XXXIV. De *iis, quæ in cauſis Servorum Dei, qui Epiſcopi fuerunt, advertenda ſunt poſt adeptam Epiſcopatus dignitatem.* 258

XXXV. De *nonnullis advertendis in cauſis Servorum Dei Eccleſiaſticorum in gradu inferiori conſtitutorum, et ſignanter Regularium, dum de eorum Beatificatione, et Canonizatione tractatur.* 263

XXXVI. De *advertendis in cauſis Laicorum, et præcipue eorum, qui Imperatores, Reges, aut ſupremi Principes fuerunt, dum de eorum virtutibus agitur in ſacrorum rituum Congregatione, Beatificationis, et Canonizationis gratia.* 267

XXXVII. De *advertendis in cauſis Virginum, Conjugatorum, Viduarum, atque Peregrinorum.* 270

XXXVIII. De *obitu Servorum Dei, de quorum*

Digitized by Google

quorum Beatificatione, & Canonizatione agitur. Pag. 272
XXXIX. *De ponderandis a Fidei Promotore, & a Conſultoribus ſacræ Congregationis, cum dubium proponitur, & diſputatur de virtutum heroicitate, & ſignanter de peccatis, quæ aliquando occurrunt in perſcrutanda ſerie vitæ Servorum Dei.* 275
XL. *De nota jactantiæ, & vanæ gloriæ de qua ſæpe diſputandum occurrit in examine virtutum Servorum Dei.* 278
XLI. *De nonnullis aliis rebus, de quibus in examine eorumdem Servorum Dei frequens ſe offert occaſio diſputandi; de nonnullis regulis adhibendis, ut tutum de geſtis a Dei Servis feratur judicium, & de quibuſdam extraordinariis actionibus, quæ a ſpeciali Dei impulſu factæ aſſeruntur.* 280
XLII. *De Gratia gratis data.* 284
XLIII. *De Sermone Sapientiæ, & de Sermone Scientiæ, Gratiis gratis datis.* 285
XLIV. *De Gratiis gratis datis, Fidei, ſanitatum, & operationis virtutum.* 287
XLV. *De Gratia gratis data Prophetiæ.* 288
XLVI. *In quo dicta in capite præcedenti confirmantur; & nonnullis, quæ proponi poſſunt, difficultatibus reſpondetur.* 290
XLVII. *De Gratia gratis data Prophetiæ, quod attinet ad cauſas Beatificationis, & Canonizationis.* 292
XLVIII. *De Gratiis gratis datis Diſcretionis Spirituum, Generum Linguarum, & Interpretationis Sermonum.* 294
XLIX. *De mentis Exceſſu, Ecſtaſi, & Raptu.* 296
L. *De Viſionibus, & Apparitionibus.* 300
LI. *De diſcernendis Viſionibus, & Apparitionibus.* 303
LII. *De Viſionibus, & Apparitionibus quoad cauſas Beatificationis, & Canonizationis.* 305
CAP. ULT. *De Revelationibus.* 307

LIBER QUARTUS
PARS PRIMA.

CAP. I. *De Miraculis, et Miraculorum gradibus.* 313
II. *De cauſa efficiente miraculorum.* 316
III. *De malis Angelis, Infidelibus, Hæreticis, et Antichriſto, et demum de Peccatoribus quoad miraculorum patrationem.* 319
IV. *De fine miraculorum, et de differentiis inter vera, et falſa miracula.* 324
V. *De miraculorum neceſſitate in cauſis Beatificationis, et Canonizationis.* 328
VI. *De miraculorum numero, et qualitate in cauſis Beatificationis, et Canonizationis requiſita.* 335
VII. *In quo dicta in capitibus præcedentibus confirmantur doctorum virorum ſcriptis e Galliis ad nos delatis.* 338
VIII. *De Divina mirabili ſanatione a morbis, et infirmitatibus.* 341
IX. *De Cæcorum illuminatione, quæ miraculo fit.* 347
X. *De conceſſis, aut reſtitutis loquela Mutis, et auditu Surdis per miraculum.* 350
XI. *De Divina admirabili ſanatione Claudorum, et aliquorum impotentium ad ambulandum, itemque Gibborum.* 352
XII. *De ſanatione Paralyticorum, quæ miraculo fit.* 354
XIII. *De admirabili Divina ſanatione Epilepticorum, et paſſione hyſterica laborantium.* 357
XIV. *De mirabili Divina ſanatione a Mania, et Hydrophobia.* 359
XV. *De Divina admirabili ſanatione ab Hydrope, ab Empyemate, et Hernia.* 361
XVI. *De liberatione a fluxu ſanguinis, et generatim ab hæmorrhagiis, et de vulnerum ſanatione, quæ miraculo fiunt.* 366
XVII. *De mirabili Divina ſanatione a Lepra, Cancro, Gangræna, aliiſque quibuſdam morbis.* 370
XVIII. *De ſanatione a febri, quando ſit miraculo adſcribenda.* 375
XIX. *De ſanationibus a variis infirmitatibus, quæ miraculo fiunt.* 381
XX. *De Partu, qui miraculo fit.* 386
XXI. *De revocatione Mortuorum ad vitam, ſeu de reſuſcitatione.* 390
XXII. *De miraculis negativis.* 395
XXIII. *De rerum multiplicatione, et rerum in alias res converſione.* 399
XXIV. *De miraculis reſpicientibus dominium in elementa, et irrationales creaturas, et plantas.* 400
XXV. *De quibuſdam miraculis, quæ in cælis, et in terra contingunt.* 402
XXVI. *De ſudore ſanguineo, et ſanguineis lacrymis a corpore, et oculis Servorum Dei manantibus, et de lumine, et ſplendore, quibus eorum facies aliquando refulget.* 405
XXVII. *De longa abſtinentia a cibo, et potu, an, et quomodo miraculo ſit adſcribenda.* 408

XXVIII. De

XXVIII. De quibuſdam ſpiritalibus miraculis. Pag. 410
XXIX. De ejectione Dæmonum a corporibus obſeſſis. 411
XXX. De Cadaverum incorruptione. 414
XXXI. De nonnullis Cadaverum qualitatibus, et de ſanguine, liquore, et odore, qui a cadaveribus manant, an miraculo ſint adſcribendi. 418
XXXII. De Beatorum, et Sanctorum apparitionibus, an inter miracula recenſeri poſſint. 423
Cap. Ult. De Imaginatione, et ejus viribus. 406

Pars Secunda.

CAP. I. De conceſſione Officii, et Miſſæ in honorem Beatorum Beatificatione propria, quæ formalis dicitur. 431
II. De nonnullis quæſtionibus, quæ fiunt a Doctoribus quoad ea, quæ in præcedenti capite dicta ſunt. 433
III. De conceſſione Officii, et Miſſæ in honorem Beatorum Beatificatione æquipollenti, et ſignanter per cultum immemorabilem. 433
IV. Iterum de eadem materia, et ſignanter de nonnullis difficultatibus ad eamdem pertinentibus examinatis in ſacrorum rituum Congregatione, et de conceſſione lectionum propriarum in honorem Beatorum Beatificatione æquipollenti. 435
V. De conceſſione Officii, et Miſſæ in honorem nonnullorum Beatorum, qui ſunt in antiqua cultus poſſeſſione, vel antiqua habent venerationis Indulta, licet in eorum cauſis numquam confectus fuerit proceſſus ſuper caſu excepto. 436
VI. De conceſſione Officii, et Miſſæ in honorem Sanctorum Canonizatorum. 438
VII. De aliis Officiorum conceſſionibus pro quibuſdam particularibus locis. 441
VIII. De aliis rurſum Officiorum conceſſionibus pro quibuſdam particularibus locis. 442
IX. De Officiorum conceſſione ex iiſdem titulis facta pro Eccleſia univerſali. 443
X. De conceſſione Officiorum propriorum. 446
XI. De Titulis Apoſtoli, aut Doctoris, quibus nonnulli Sancti appellantur in Divinis Officiis, aut in particularibus Eccleſiis, aut in Eccleſia univerſali. 451
XII. In quo alia addantur de Titulo Doctoris, alia autem exponantur de Titulo Martyris, et de Titulo Virginis. 453
XIII. De Breviario Romano, et ejus auctoritate, aliiſque nonnullis rebus, quæ ad Officia Divina pertinent. 455
XIV. De Electione Sanctorum in Patronos. 457
XV. De cultu Sanctis in Patronos electis exhibendo. 459
XVI. De Imminutione Feſtorum de præcepto. 460
XVII. De Martyrologio Romano. 464
XVIII. De nominum deſcriptione in Romano Martyrologio. 466
XIX. De Elogiis, quæ in Martyrologio Romano nominibus Sanctorum in eo deſcriptis addantur, et de nonnullis Decretis ſacræ Congregationis ad idem Martyrologium pertinentibus. 467
XX. De Nominum Sanctorum additione in Litaniis. 469
XXI. De ſacris Imaginibus, et nonnullis controverſiis ad eas pertinentibus. 473
XXII. De Translatione Corporum. 475
XXIII. De modo, quo fieri debeat Sanctorum Corporum Tranſlationes. 477
XXIV. De Identitate ſanctorum Corporum, et Reliquiarum. 479
XXV. De nonnullis quæſtionibus pertractatis in ſacrorum rituum Congregatione quoad Sanctorum Corporum identitatem. 480
XXVI. De loco, in quo ſancta Corpora, ſacræque Reliquiæ debeant conſervari, et de aliis ad Corpora, & Reliquias Sanctorum pertinentibus. 485
XXVII. De Sanctis Baptizatis. 488
XXVIII. De extractione, cuſtodia, et diſtributione ſanctorum Corporum, et Reliquiarum, quæ extrahuntur ex cœmeteriis Urbis, et de cultu illis debito. 490
XXIX. De cultu Sanctorum veteris Teſtamenti. 492
XXX. De Angelis, & eorum Cultu. 493
XXXI. Nonnulla miſcellanea in ſacrorum rituum Congregatione examinata, & vel approbata, vel reprobata. 495
Cap. Ult. De examine nonnullorum miraculorum, quod aliquando fit in ſacrorum rituum Congregatione ordinaria. 500

SYNO-



SYNOPSIS

TOTIUS OPERIS

DE

SERVORUM DEI BEATIFICATIONE,

ET

BEATORUM CANONIZATIONE.

LIBER PRIMUS.

CAPUT I.

De ſuperſtitioſa Apotheoſi Gentilium.

1 APotheoſis Gentilium, ſeu conſecratio, ſolemnis erat alicujus hominis inter Deos adſcriptio: ejus ritum Herodianus, & Dio fuse deſcribunt.

2 &c. Chriſti Domini Apotheoſim Tiberius Cæſar, cum ejuſdem acta, ac prodigiorum ejus narrationem a Pilato accepiſſet, apud Senatum tentavit, uti referunt Tertullianus, (*a*) Euſebius (*b*), aliique. Sed renuente Senatu, quod ante ipſius decretum Chriſti cultus diffuſus jam late fuiſſet, Tiberius adhuc in ſententia perſtitit, & Chriſtianorum accuſatores edicto coercuit.

9 Tentatam quoque Chriſti Apotheoſim ab Hadriano, & Alexandro Severo, ſcribit Lampridius (*c*), percrebuerat quippe fama miraculorum ejus, de quibus Joſephus Hebræus (*d*), aliique ſcripſerunt.

10 Cum hac Gentilium Apotheoſi convenire Sanctorum Canonizationem, ab eaque derivari contendunt Hære-

a In Apolog. c. 5.

b l. 2. hiſt. Eccl. c. 2.

c in Alex. Sever. c. 43.

d l. 18. anelq. c. 4.

Hæretici recentiores: ſed perperam.

11 Nam primo: Sanctorum Canonizatio ſolidæ, ſerioque perpenſæ aſſertioni multorum teſtium de heroicis geſtis, ac de miraculis innititur: Gentilium vero Apotheoſis ex vana unius teſtis relatione de recepto inter Cœlites conſecrando utplurimum conficiebatur, ut de Apotheoſibus Romuli, Octaviani, & Druſillæ, ſignificant Livius (*a*), Suetonius (*b*), Plutarchus (*c*), & Dio (*d*).

12 Secundo: apud Gentiles ſiebant Apotheoſes dumtaxat Imperatorum, utcumque impiorum, Fœminarumque Auguſtarum; neque enim ex *Divi* titulo, privatis quibuſdam attributo, eorumdem certo inferuntur Apotheoſes: Canonizationes vero de quocumque, & cujuſcumque conditionis homine peraguntur, habita ſolum ratione virtutum, ſeu mortis pro Chriſti Fide obitæ, & miraculorum.

13 Tertio: conſecratus in Apotheoſi, tamquam Deus habebatur: Canonizatus autem ab Eccleſia, tamquam ſervus, & amicus Dei colitur juxta S. Euſebium Emiſſenum (*e*), S. Auguſtinum (*f*), S. Cyrillum Alexandrinum (*g*), S. Cyprianum (*h*), alioſque, & uti ſtatuit Concilium Nicænum II. (*i*), itaut neque Angelis, neque B. Virgini Divinus cultus exhibeatur.

14 Hinc ortum habuit Theologorum doctrina de cultu *Latriæ*, *Civilis obſervantiæ*, *Duliæ*, & *Hyperduliæ*. Primus excellentiæ Divinæ reſpondet: ſecundus humanæ, poſitæ in virtutibus, & Dignitatibus humanis: tertius mediæ inter illas, nempe gratiæ, & gloriæ Sanctorum: quartus tandem Chriſti Humanitati, ac B. Virgini propter ſingularem ipſarum inter ſanctos excellentiam eſt tribuendus.

15 Latriam eſſe ſervitutem, ſoli Deo debitam, docet S. Auguſtinus (*k*). Adorationem vero diverſimode Deo, B. Virgini, ac Sanctis deberi explicat S. Joannes Damaſcenus (*l*): itaut Dei adoratio Latriam; Sanctorum, Du-

a l. 1.
b in vit. Oct. c. 101.
c in vit. Romul.
d l. 59. pag. 648.
e ſerm. de Rom. M. to. 6. bibl. PP. p. 671.
f l. 22. de civit. Dei c. 10.
g contra Jul. l. 6. to. 6 pag. 203.
h de exhort. Martyr. p. 526.
i act. 3. tom. 4. collect. Hard. col. 150.
k l. 10. de civit. Dei c. 1. & l. 20. contra Fauſt. c. 21. to. 8.
l orat. 3. de Imag. to. 1. p. 361.

liam ſignificet, uti oſtendunt Hadrianus, & Petrus de Wallenburch (*m*).

16 Sanctorum igitur Canonizatio in doctrina Catholica de Sanctorum cultu, invocatione, & interceſſione fundatur, & ab antiquiſſima oritur Eccleſiæ diſciplina, juxta quam colendi ſunt Sancti, qui non privatorum, ſed Eccleſiæ judicio fuerint approbati. Religioſo autem Sanctorum cultui ipſa ſacra Scriptura (*n*) ſuffragatur.

17 Non tamen frequens in ea occurrit mentio invocationis Sanctorum: in veteri quidem Teſtamento, ne populus Hebræus in Idololatriam prolaberetur: in novo autem, ne Gentiles, ad unius Dei Fidem recenter converſi, a vera religione, attenta mortuorum invocatione, alienarentur, quaſi Deos non abjicerent, ſed mutarent.

18 Falſis itaque Numinibus, eorumque feſtis nefariis ſummotis, per Canonizationes cultus Sanctorum, piæque eorum ſolemnitates, Theodoreto teſte (*o*), inducta fuere; Deorum vero fana in Martyrum templa converſa ſunt, ut tradit S. Gregorius (*p*).

m to. 2. de Fid. controverſ. 12
n Num. ca. 22. v. 31. Joſue c. 5. v. 13. 14. 15. 3. Reg. c. 18. v. 7. & 4. Reg. 2. & 4.
o Serm. 8. de Martyr. p. 607. t. 4.
p l. 2. Dial. c. 8. to. 2.

CAPUT II.

De Martyrum juxta antiquam Eccleſiæ diſciplinam differentiis, & eorum cultu.

1.2. Fidem Chriſtianam tempore perſequutionum derelinquentes, *Negatores*, *Lapſi*, *Blaſphemi* appellati fuerunt. Idolis cultum, ſacrificium, aut thus offerentes, *Idololatræ*, *Sacrificati*, *ac Thurificati*. Teſtantes coram Magiſtratibus, ſe Chriſtum non ſequi, aut relinquere, libello Judicibus exhibito, aut a Magiſtratibus obtento, *Libellatici* dicebantur.

3 Qui, relictis omnibus fugiebant, ne perſequutioni ſuccumberent; aut qui Chriſtum confeſſi a patria per Magiſtratus expellebantur, *Extorrium* nomen obtinuerunt, & a S. Cypriano (*q*) inter Martyres recenſentur.

q epiſt. 56. ad Tibarit.

4 Qui

4 Qui vero Chriſtum palam confitebantur, ſed ſoluta pecunia ſe a vexatione redimebant, libello ſecuritatis obtento; utcumque *libellatici* dicti fuerint, eiſque Tertullianus (*a*) lapſorum notam inuſſerit; a S. Petro Alexandrino (*b*) excuſantur.

a l. de fug. ad Fab. c. 12.

b Can. 12. to. 1. collect. Hard. col. 231.

5 &c. Pœnas demum, & mortem pro Chriſti Fide ſubeuntes, Profeſſorum, Confeſſorum, & Martyrum titulo inſigniti fuerunt. *Profeſſores* quidem, qui ſponte Martyrio ſe offerebant: fas enim eſt Chriſtianos ſponte actus Fidei exteriores opportune profiteri, licet inde Tyranni ſumpturi ſint occaſionem eos occidendi. *Confeſſores* quamquam nunc dicantur, qui poſt laudabilem vitam in pace quieſcunt; olim tamen ii erant, qui Chriſtum coram Fidei hoſtibus confeſſi, ac tormentis affecti, his ſuperſtites moriebantur; quare hoc nomen aliquando veris etiam Martyribus communicatum eſt, teſte Galeſino (*c*) cum aliis. *Martyres* tandem dicti ſunt, qui pro Fidei defenſione moriebantur, aut qui poſt atrociſſima tormenta in pace quieſcebant, ex S. Thoma (*d*) & ex pluribus monumentis apud Euſeb. (*e*)

c In not. ad ſuum Martyrol. 17. Kal. Februar. ad S. Felicem confeſſ.

d 2. 2. qu. 124. art. 4. ad 4.

e l. 5. hiſt. c. 2. p. 211.

8 &c. Martyres alii *deſignati*, alii *conſummati*, ſive *coronati*, & alii *vindicati* dicebantur. *Deſignati*, quibus mortis ſententia fuerat tantum notificata. *Conſummati*, ſeu *coronati*, qui tormentorum vi obierant. *Vindicati*, quibus Eccleſiaſtico judicio cultua fuerat delatus. De his Martyribus vindicatis intelligenda ſunt antiqua monumenta, cultum erga Martyres, eorumque reliquias præſeferentia, ut epiſtola Eccleſiæ Smyrnenſis (*f*) de cultu erga S. Polycarpum, Acta S. Ignatii Martyris (*g*), et his ſuffragantes Tertullianus (*h*), Cyprianus (*i*), aliique. Quare primis etiam Eccleſiæ ſæculis ad Eccleſiaſticam pertinuit diſciplinam, ut Martyres, non quidem privato, ſed publico Eccleſiæ judicio, approbati colerentur. Ideo Archidiaconus Cæcilianus apud Optatum Milevitanum (*k*) Lucillam reprehendit, quod ante communionem oſſa vel non Martyris, vel Martyris non vindicati oſcularetur.

f apud Euſeb. l. 4. hiſt. c. 15. pag. 170.

g ap. Ruinar. in Act. MM. p. 19.

h l. de anim. l. de reſur. carn. c. 43. & in ſcorp. c. 12.

i epiſt. 38.

k l. 1. adverſ. Parmen.

CAPUT III.

De Collectione Actorum Martyrii, & eorum examine, & Eccleſiaſtico ſuper illis judicio.

1 &c. Epiſcopalis ſollicitudo in colligendis ſinceris Martyrum Actis dignoſcitur ex Libro de Romanis Pontificibus: juxta quem S. Clemens Notarios ad id munus conſtituit: S. Fabianus Subdiaconos addidit, qui Notariis invigilarent: S. Anterus geſta Martyrum a Notariis exquiſivit, & in Eccleſia recondidit; ac propterea martyrio coronatus eſt. Ita Baronius, & Florentinus (*l*), aliique adverſus quoſdam Auctores ſentiunt ex eodem Libro, cujus auctoritatem a calumniis Hæreticorum vindicat Ciampinus (*m*). Hic Eccleſiæ Romanæ mos colligendi Acta Martyrum ad alias dimanavit Eccleſias: incertum tamen, utrum lege, an exemplo.

l In Præf. ad Martyrologia ab ipſis edita.

m in exam. libri Pontif. ſect. 12.

4. 5 Huc ſpectant Acta Proconſularia, continentia proceſſum condemnationis Martyrum, quæ vel Chriſtiani a Notariis Gentilibus ſoluta pecunia obtinebant, vel a Chriſtianis inter Gentiles Notariatum exercentibus conſignabantur; qui tamen a ſcribendis perſecutionum, & mortis edictis abſtinebant, ut de S. Geneſio Arelaten. habetur apud Ruinart (*n*). Item Acta, quæ Chriſtiani, Gentilibus ſe immiſcentes, dum Martyr Judici ſiſteretur, ſcribebant. In Martyrum feſtivitatibus eorum Acta legebantur; ſincera tamen, & a Catholicis probatiſque Auctoribus ſcripta, uti decrevit Gelaſius I. (*o*), & uti Hadrianus Pontifex (*p*) ad Carolum Magnum ſcripſit.

n In Act. pag. 473.

o apud Fontanin. poſt antiq. Horte pag. 324.

p apud Mabillon. in diſquiſ. de curſ. Gallic. §. 2. n. 10.

6 Actorum collectioni ſuccedebat examen, ut veri Martyres ſecernerentur, a falſis pro inani gloria, aut alio vitio interfectis, de quibus Tertullianus, & Cyprianus (*q*).

q epiſt. 6. ad Rogatian. epiſt. 4. ad Preſbyter. & Diac. epiſt. ad Antonian. & epiſt. ad Cornel. Papam.

Digitized by Google

7. 8 Examini ſuccedebat Judicium Eccleſiaſticum pro decernendo Martyribus cultu. Hoc Judicium ad unumquemque Epiſcopum in ſua Diœceſi pertinebat, ut notavit Bellarminus (a) cum aliis, ſed in Africana Eccleſia ad ſolum Primatem Carthaginenſem, & Altarium, aut Oratoriorum erectione ſuper Martyrum ſepulchra potiſſimum expleri conſuevit, ut innuit Prudentius (b), & ex pluribus monumentis eruitur. Hinc Joſeph Scaliger (c) ſcribit, *Martyrium* proprie eſſe Altare, cineribus Martyrum impoſitum, quod Latine *confeſſio* nuncupatur.

a de Sanct. beatific. l. 1. c. 8.

b Hymn. 5. de coron. apud Ruinart. in Act. MM. p. 335

c in animadverſ. ad Chron. Euſeb.

CAPUT IV.

De Martyrum notitia ab una ad aliam Eccleſiam per Litteras Encyclicas tranſmiſſa.

1. &c. Morem fuiſſe primis Eccleſiæ ſæculis, Acta, & nomina Martyrum ab una ad aliam Eccleſiam tranſmittendi, ut Martyrum cultus, Epiſcoporum conſenſu, ad ſingulas Eccleſias extenderetur, Eruditi unanimiter ſentiunt; id adhuc teſtantibus Eccleſiæ Smyrnenſis (d), aliarumque Eccleſiarum (e), & Epiſcoporum Litteris Encyclicis. Inde Tabulæ Eccleſiaſticæ, ſeu Faſti, & ex his Kalendaria, Martyrologia, & Paſſionalia ortum duxerunt.

4. &c. Ad Romanam quoque Eccleſiam, Romanumque Pontificem ejuſmodi epiſtolas tranſmiſſas fuiſſe, argumento ſunt Litteræ S. Cypriani ad Moyſen, alioſque Romanos Confeſſores in carceribus detentos. Id ex Epiſtola S. Ignatii Martyris ad Romanos (f); ex Actis S. Dionyſii Areopagitæ (g), & ex Epiſtola Martyrum Lugdunenſium ad Eleutherium Papam (h) nonnulli adſtruunt; ſed parum probabiliter. Certius ſtatuitur ex epiſtolis Pii Papæ I. apud Baronium (i).

8. &c. Idem valide conjicitur ex eo, quod Romana Eccleſia, ac Summi Pontifices alias Eccleſias de ſubeuntibus Romæ Martyrium certiores reddebant, ut innuit S. Cyprianus (k), & uti dignoſcitur ex ſcriptoribus, ac monumentis exteris, eoſdem Martyres, eorumque cultum celebrantibus. S. Felicitas memoratur in Martyrologio S. Hieronymi, & in antiquiſſimis Litaniis Anglicanis (l). S. Juſtinum, Romæ paſſum, laudat Tatianus Aſſyrius (m), cum aliis. SS. Laurentium, Hippolytum, & Agnetem celebrat inter alios Prudentius (n); a quo tamen tres Hippolytos in unum fuiſſe confuſos, inquit Baronius, ſed alii eum defendunt.

d apud Euſeb. l. 4. hiſt. c. 15. pag. 162.

e Eccleſ. Gothic. de Martyr. S. Sabæ apud Ruinart. p. 527.

f apud Ruinart. in Act. Martyr. p. 15.

g apud Sur. ad diem 9. Octobr.

h apud Euſeb. lib. 5. hiſt. c. 3. & 4.

i ad ann. 166.

k epiſt. 3.

12. 13 Suffragantur poſitiva argumenta. Acta enim S. Vigilii Epiſcopi Tridentini ad Summum Pontificem *de more* tranſmiſſa, ab eoque approbata dicuntur apud Bolland. (o). Et S. Gregorius Magnus (p) Eulogio Alexandrino, petenti Acta Martyrum, ab Euſebio Cæſarienſi collecta, reſpondit, hæc Romæ non inveniri, ſed in alio codice omnium pene Martyrum nomina collecta eſſe, eoſque in Miſſa quotidie memorari. De hoc Euſebiano opere diverſe ſentiunt Eruditi, ſed adhuc inventum non eſt. Ex prædictis tamen patet, Acta Martyrum ad Romanum Pontificem mitti conſueviſſe, ut iis perpenſis, vel cultus decerneretur, vel inductus approbaretur.

14. Huic S. Gregorii aſſertioni non obſtat, quod Kalendarium Bucherianum paucos Martyres exhibeat, unde Dodvvellus argumentum deſumpſit aſſerendi paucitatem Martyrum. Multitudinem enim Martyrum demonſtrat Euſebius (q) & pluribus probat Muratorius. (r) Præterea Kalendaria, particulares tantum Eccleſias, & Feſtivitates reſpicientia, differunt a Martyrologiis, univerſalem Eccleſiam ſpectantibus. Quare cum Kalendarium Bucherianum ad ſolam Romanam Eccleſiam pertinuerit, ut notavit Ruinart (s), bene cohæret aſſertio S. Gregorii de alio codice, omnes fere Martyres complectente.

15. Cæterum tranſmiſſionem Actorum Martyrum ad Summum Pontifi-

cem

l inter veter. analect. Mabill. pag. 68

m in orat. contra Gentes poſt opera S. Juſtini.

n l. 2. hym. 11. hymn. 14. de coron.

o ad 26. Jun. c. 2. n. 11.

p epiſt. 29. l. 8. indict. 1.

q l. 8. c. 6.

r tom. 2. anecdot. pag. 200.

s in præf. gener. in Act. Martyr. §. 2. n. 17.

Digitized by Google

cem comprobare videtur S. Gregorius Turonenſis (*a*) referens, Baſilicam ab Epiſcopo Lingonenſi ædificatam fuiſſe in honorem S. Benigni, & aliam ab alio Epiſcopo in honorem S. Patrocli, ſolum poſtquam eorum Acta ex Italia allata fuerant.

a l. 1. de glor. Martyr. c. 51. & 64.

CAPUT V.

De Confeſſoribus, & eorum cultu.

1. 2 Confeſſores, ideſt, qui poſt heroicarum virtutum exercitium in pace obierunt, a Patribus etiam antiquioribus laudantur, & a S. Iſidoro Hiſpalenſi (*b*) inter Martyres recenſentur.

b l. 7. origin. c. 11.

3. Quo præciſe tempore coli cœperint, incertum exiſtimat Bellarminus (*c*). Sed Innocentius III. (*d*), aliique plures, initium eorum cultus ad ſæculum quartum referunt. Nec obſtat, quod S. Gregorius Magnus (*e*) in Decreto de non velando pheretro, quo Romani Pontificis corpus ad ſepulchrum ducitur, meminerit dumtaxat cultûs Apoſtolorum, & Martyrum; nam in libris Dialogorum (*f*), Confeſſores quoque cultum jam obtinuiſſe ſignificat.

c l. 6. de Euchar. vel 2. de Miſſ. c. 2. n. 5. to. 3. contr. 3.

d l. 3. de Myſt. Miſſ. cap. 10.

e apud Labbè tom. 5. Conc. col. p. 1198. & 1199.

4. 5 Sane Hilarion, Ephrem, aliique Sancti in Oriente ex Sozomeno (*g*), Nyſſeno (*h*), & aliis; in Occidente vero S. Martinus Turonenſis ex vetuſtiſſimis Breviariis (*i*) Miſſali Mozarabico, aliiſque monumentis, & S. Hilarius Pictavienſis ex vetuſtiſſimo Francorum Miſſali religioſum ſæculo quarto cultum obtinuerunt.

f l. 1. c. 14. & l. 3. c. 15.

g l. 3. c. 14. & l. 8. c. 19.

h to. 2. pagin. 1028. & 1029.

6. In Canone quidem Miſſæ Romano, poſt B. Virginem, & Apoſtolos, memorantur Martyres, non autem Confeſſores. Sed hic Canon antiquior eſt ſæculo quarto, necdum Confeſſores coli cœperant, ut innuit Card. Bona (*k*). Juxta memoratum etiam ritum Mozarabum, preces, & ſacrificia oblata videntur pro quibuſdam, relatis in album Sanctorum. Ratio autem hujus rei eſt, quia Eccleſia eos nondum inter Sanctos recenſuerat. Alias tandem Eccleſiæ phraſes poſteriores, quæ Sacrificium pro Confeſſoribus offerri indicant, explicat Innocentius III. tamquam eorum honorem reſpicientes.

i apud Card. Bon. rer. litur. l. 2. c. 12. n. 3.

k l. 2. c. 12. n. 3.

7. Primam generalem conſtitutionem pro Confeſſorum cultu a Concilio Moguntino *an.* 813. latam fuiſſe exiſtimat Thomaſſinus (*l*). Sed Synodus Atrebatenſis *an.* 1025. (*m*) inter hæreticos recenſet eos, qui Confeſſoribus cultum negarent.

l de feſt. celebr. l. 1. c. 6. n. 11.

m tom. 13. ſpicileg. Acher. c. 11.

8. Nonnulli cultum Confeſſorum antiquiorem ſæculo quarto exiſtimant, antiquiſſimam erga B. Virginem Mariam, SS. Joannem Evangeliſtam, Lucam, & alios venerationem allegantes: incongrue tamen; nam B. Virgo, utpote mater Salvatoris, ante illud ſæculum ubique coli meruit. S. Joannem Evangeliſtam Martyribus accenſet Euſebius cum aliis antiquioribus. S. Lucas a Græcis, & Latinis Apoſtoli titulo decoratur. Apoſtolis autem ab Eccleſiæ initio cultus communi Eccleſiarum conſenſu delatus eſt. Antiquiorem pariter cultum inſinuare videntur Acta SS. Virginum Pudentianæ, & Praxedis, earumque patris Pudentis. At oppoſitum demonſtrat Papebrochius (*n*).

n to. 4. Maij pag. 299.

CAPUT VI.

De Eccleſiaſtico Judicio requiſito, antequam cultus religioſus Confeſſoribus exhiberetur.

1. Quemadmodum Martyribus, ita Confeſſoribus ante Eccleſiæ judicium religioſus cultus non eſt tributus. Quare S. Martinus Turonenſis (*o*) cuidam latroni, qui falſa vulgi opinione martyr habebatur, adhibitum cultum ſuſtulit.

o apud Sulp. Sev. in ejus vit. c. 11.

2. &c. Profecto Canonica jura ex Concilio Agrippinenſi apud Ivonem (*p*), ex Capitulari Caroli Magni, aliiſque monumentis, Servos Dei coli prohibent ante Eccleſiaſticum de eorum ſanctitate judicium. Idem probant corporum Joannis Abbatis Reomen-

p par. 3. Decr. c. 54.

menſis, aliorumque Confeſſorum elevationes, & translationes, in quibus initium cultus conſiſtebat, auctoritate Epiſcopali peractæ, quæ legi poſſunt apud Fontaninum (*a*). Accedit, quod Epiſcopi aliquando cultum erga nonnullos, tamquam Beatos Confeſſores, errore populi inductum ſuſtulerunt, ut S. Anſelmus (*b*), aliique Epiſcopi apud Lupum (*c*).

a In Differt. de S. Petro Urſeolo.

b epiſt. 51. l. 3.

c In not. ad IV. Concil. Rom. S. Leonis IX.

6. &c. Sicuti Martyrum, ita Confeſſorum res præclare geſtæ a probis viris deſcriptæ ſunt, ac poſteritati mandatæ; atque ab una ad alias Eccleſias tranſmiſſæ, ut eorum cultus propagaretur. Ad Sedem quoque Apoſtolicam delatæ fuerunt, cujus aliquando auctoritas interceſſit, ut aut cultùs introduceretur, aut introductus confirmaretur.

9. Cultum hunc publicum jure ſuo Epiſcopi in ſuis Diœceſibus Martyribus vindicatis, & Confeſſoribus approbatis decrevere. Hic tamen cultus melius dicitur Beatificatio, quam particularis Canonizatio: quippe intra unius diœceſis fines definiebatur. Hunc eumdem cultum, accedente aliorum Epiſcoporum approbatione, Summique Pontificis expreſſo, vel tacito conſenſu, Canonizationis rationem obtinuiſſe, docent Bellarminus (*d*), aliique.

d de SS. beatit. l. 1. c. 8.

CAPUT VII.

De interventu Auctoritatis Summi Pontificis in cultu decernendo erga Martyres, & Confeſſores.

1. 2 INterventum hunc ex pluribus Pontificiæ auctoritatis actibus a primis Eccleſiæ ſæculis ad Joannem XV. hic oſtendemus. Primus Actus reſpicit S. Vigilium Epiſcopum Tridentinum. Hic, ſpectato Siſinnii Diaconi, Martyrii Lectoris, & Alexandri Oſtiarii pro Fide certamine, eoſdem Beatis adnumeravit, erecta illorum nomine Eccleſia: mox literas ad S. Simplicianum Mediolanenſem Epiſcopum, & ad S. Joannem Chryſoſtomum de illorum paſſione cum eorumdem Reliquiarum parte miſit: tandem ultimo ſæculi IV. anno Martyr ipſe occubuit (*e*), & ejus Martyrii Acta, ad Summum Pontificem miſſa, confirmationis robur obtinuerunt.

e apud Bolland. ad 26. Jun.

3. &c. Secundus ſpectat S. Joannem Chryſoſtomum. Hunc Actum vir quidam doctus reponi poſſe putavit in epiſtola Innocentii I. (*f*) ad Arcadium Imperatorem, in qua S. Joannem ſortem cum Apoſtolis in regno Dei conſecutum fuiſſe pronunciat. Alii in eo conſtituunt, quod Pontifex audita ejus morte, illum *Eccleſiæ luminare*, ac *Fidei præconem* appellavit. Præterea detrectantibus Epiſcopis Orientalibus Chryſoſtomi nomen ſacris diptychis adſcribere, Alexander Patriarcha Antiochenus, ut in gratiam cum Innocentio rediret, nomen in ſacras tabulas retulit, cæteriſque, ut idem facerent, auctor fuit; idque præſtitum ſignificat S. Atticus Conſtantinopolitanus Antiſtes *epiſt.* ad Petrum, & Ædeſium Diaconos, apud Bolland. (*g*)

f apud Cardin. Bar. ad an. 407. n. 23.

g to. 1. Januar. ad diem 8. §. 7. n. 39.

6. Hæc tamen rem evincere non videntur. Initium ergo cultus judicio Eccleſiaſtico erga S. Joannem decreti reponendum videtur in translatione Reliquiarum ejus ad Eccleſiam Conſtantinopolitanam; quamquam huic translationi privatus cultus præceſſerat. Prædicta vero non obſtant: nam Innocentius, quamquam eum regnantem in cœlo dixerit, nullum tamen illi cultum decrevit: quæſtio autem Epiſcoporum erat de nomine ſacris diptychis inſcribendo, non inter palam Beatos, ſed inter Patres defunctos, ut eruitur ex epiſtola S. Cyrilli Alexandrini ad Atticum (*h*).

h to. 5. oper. par. 1. pag. 294.

7. Tertius Actus ad Bonifacium III. pertinet: is enim vitam S. Mauri Abbatis, a Fauſto Monacho ſcriptam, ſibique oblatam, auctoritate ſua roboravit (*i*).

i apud Leonē Oſtien. in Chronic. Caſſin. l. 1. c. 3. tom. 4. ſcript. rer. Ital. Murat.

8. 9 Quartus Zachariæ Pontifici tribuitur; cujus auctoritate Kiliani Epiſcopi, ac ſociorum ejus a Gosberto Fran-

Franconiæ Duce injuſte occiſorum corpora, a Bonifacio Archiepiſcopo Moguntino elevata de tumulo honorifice fuerunt, uti habetur in eorum Act. apud Mabillon. (a)

10. Quintum in Canonizatione S. Trudperti Martyris, a Stephano III. peracta aliqui conſtituunt. Verum hujus Canonizationis hiſtoriam inter fabulas rejiciunt Bollandiani (b). Quare certius hic Actus conſtituitur in elevatione corporis B. Othmari Abbatis, auctoritate Summi Pontificis celebrata (c).

11. Hadriano I. ſextus Actus tribuitur. Cum enim Offa Merciorum Rex, Romam profectus, S. Albani canonizationem, ac pro monaſterio in ejus honorem conſtituendo privilegia petiiſſet; Pontifex annuit, ut refert Matthæus Pariſius (d).

12. 13 Septimus eruitur ex epiſtola S. Ludgeri Epiſcopi Monaſterienſis (e); ex qua, petente Pipino Francorum Rege canonizationem Suuiberti, Stephanus III. aliquibus Epiſcopis virtutum, & miraculorum inquiſitionem commiſit: canonizationem vero Leo III. poſtea ſolemniter perfecit. Hanc tamen epiſtolam, licet multi cum Bellarmino (f) admittant, plures tamen cum Brovvero (g) tamquam apocrypham reſpuunt.

14 Octavum exhibet Troilus Malvetius (h) referens, Apollionem Eremitam Græcum a Nicolao I. fuiſſe canonizatum: ſed id apocryphum cenſet Rocca (i). Conſenſus quoque Hadriani II. in canonizationem S. Vvalburgis, cum non ſatis conſtet, non facit ad rem præſentem, ſicuti neque intentum evincit ejuſdem Hadriani II. epiſtola ad Concilium Tricaſſinum de Nicolao I. ſacris diptychis inſcribendo: obſtant enim ſuperius dicta.

15 Nonum Actum conſtituunt geſta Joannis VIII. Hic in Gallias profectus, Cabillone S. Agricolæ, aliiſque cultum decrevit, referente Girbaldo Cabillonenſis Urbis Epiſcopo illorum corporum inventionem. Eodemque Epiſcopo intercedente, ſeptem Cabillonenſes Epiſcopos; & unum Presbyterum inter Sanctos retulit, ut affirmat Sauſſajus (k), vel ſaltem eorum cultum probavit, ut cenſent Bollandiſtæ (l).

16. 17 Cultus S. Vvillibaldo Epiſcopo, auctoritate Leonis VII., uti nonnulli referunt (m), delatus: elevatio corporis S. Burckardi (n), permittente Benedicto VI.: auctoritas Joannis XIII. a Vomaro Abbate ad ampliorem cultum SS. Landoaldi, ac ſociorum (o) implorata, ultimos hujus ordinis Actus conſtituunt. Alii deſiderantur, quia forte in Synodis geſti, quorum Acta vix ſcribebantur.

a ſec. 2. par. 1. Act. SS. Ord. S. Bened. p. 993. n. 11.

b ad 17. Mart.

c apud Ekkerard. de caſibus S. Galli c. 1.

d in vita Offæ II. p. 28.

e apud Sur. 1. Mart. c. 2.

f l. 1. de SS. beatit. c. 8. n. 4. to. 2.

g in not. ad vit. S. Ludg. c. 32.

h de Canoniz. SS. dub. 4. n. 46

i de Canoniz. SS. c. 5.

k in Martyrol. Gallic. ad 20. Novembr.

l ad 30. April.

m apud Bolland. ad 7 Jul. §. 5. n. 43.

n apud Mabill. ſæc. 3. Act. SS. Ordin. S. Bened. par. 1.

o apud Bolland. to. 3. Mart. pag. 43.

CAPUT VIII.

De ejuſdem interventu auctoritatis.

1. &c. A Joanne XV. ad Alexandrum III., primus Actus ejuſmodi Pontificiæ auctoritatis interventus eidem Joanni XV. tribuitur. Hic in Concilio Lateranenſi B. Udalricum Auguſtæ Vindelicorum Epiſcopum, petente Luitolpho Auguſtæ Epiſcopo, Synodoque laudante, Sanctorum Catalogo adſcripſit (p). Secundus tribuitur Benedicto VIII. permittenti, ut in honorem Simeonis Monachi in Cœnobio Padolironenſi Eccleſia ædificaretur, & uti Sanctus coleretur, apud Mabill. (q)

4. Juxta S. Petrum Damiani *in vita S. Romualdi* (r), ſuper hujus corpus de licentia Sedis Apoſtolicæ altare erectum fuit quinquennio poſt ejus mortem, quæ ſi anno 1027. contigit, tertius hic Actus Joanni XX. erit adſcribendus: ſi anno 1037. Benedicto IX. Eidem Joanni XX. tribuenda eſt permiſſio erigendi altare ſuper corpus S. Bononii Abbatis Locedenſis ad Epiſcopi, & Cleri Vercellenſis petitionem.

5. 6 Quartum Actum inſinuat elevatio corporis Sancti Adelardi Abbatis Corbejenſis a Joanne XX. ſancita, & ſub Benedicto facta. Quintus eidem Benedicto tribuitur, qui ad pre-

ces

p in nova Cod. Canoniz. & apud Bolland. to. 2. Jul.

q ſæc. 6. Bened. par. 1. pag. 168.

r c. ult. to. 2. oper.

ces Popponis Trevirenſis Epiſcopi, tam ſuo, quam Cleri, & Populi nomine porrectas, Simeonem Syracuſanum, adhibito Fratrum conſilio, inter Sanctos, & in Martyrologium referri, ejuſque feſtum celebrari decrevit, apud Bolland. (*a*)

a to. 1. Jun. ad diem 1.

7. Sextus Actus reponendus eſt in S. Vviboradæ Canonizatione, quam Nortpertus S. Galli in Alemannia Abbas, Henrico Imperatore, ejuſque conjuge adminiculante, a Clemente II. impetravit, apud Bolland. (*b*)

b ad diem 2. Maji.

8. 9 S. Leo IX. in Synodo Romæ coacta permiſit, ut hiſtoria vitæ Sancti Deodati Epiſcopi Nivernienſis in Eccleſia Dei legeretur, apud Bolland. (c): Alia Romana Synodo laudante, B. Gerardum Tullenſem Epiſcopum inter Sanctos retulit. Præterea idem Pontifex Ven. Vvolfangum Ratiſponæ Antiſtitem e tumulo levavit, & corpus Ven. Erhardi tranſtulit, apud Mabill. (*d*): In Villa Tullenſi corpus S. Romani elevavit, annuitque, ut elevaretur corpus S. Bertini. Tandem S. Maximi, aliorumque inventionem Patavii canonizavit: & Romaricum, alioſque Sanctis adſcripſit, ut refert Ruerus (*e*). Certum illud eſt, S. Romarici Eccleſiam Vogeſi ab eodem Pontifice fuiſſe conſecratam.

c to. 3. Jun. ad diem 19.

d ſæcul. 5. Bened.

e 2. par. antiquit. Vogeſenſ. l. 4. c. 12.

10. Si hæ Leonis IX. res geſtæ pro uno Actu, nempe pro ſeptimo computentur, res geſtæ ab Alexandro II. octavum Actum conſtituent. Is itaque Theobaldum Eremitam canonizavit, ut putant Bollandiani (*f*). Arialdum SS. Martyrum Catalogo Mediolani adſcripſit; ipſoque Jubente, Petrus Burgenſis Epiſcopus B. Eneconi Abbati publicum detulit cultum, apud Bolland. (*g*)

f to. 5. Jun.

g to. Jan. ad diem 1.

11. Nonus Actus geſta Gregorii VII. complectitur. Ejus auctoritate corpus S. Paſchaſii Ratberti Abbatis translatum, & elevatum fuiſſe, dicit Baillet (*h*). S. Heribertus Archiepiſcopus Colonienſis ab eodem canonizatus creditur, quamvis alii id alteri Gregorio tribuant (*i*). Ejuſdem denique juſſu elevata fuiſſe corpora SS. Stephani Pannoniæ Regis, ac Gerardi Epiſcopi & Martyris, cenſet Baronius (*k*).

h in vita S. Paſchaſii.

i apud Bolland. ad diem 16. Mart.

k ad an. 1079.

12. 13 Urbanus II., cum in Concilio poſtularetur canonizatio Nicolai Peregrini Tranenſis, cauſam alteri ſe commiſiſſe reſpondit. Sub ipſo S. Godoleva Virgo, & Martyr Sanctorum catalogo adſcripta dicitur in ejuſdem Actis apud Bolland. (*l*). Pro canonizatione Guolgoſii reſpondit, miracula in hac re per teſtes de viſu comprobari debere. Mediolani vero Herlembardum SS. Martyribus, Attilanum Epiſcopum Confeſſoribus adjunxit, ex Martyrol. Rom. *ad 5. Oct.* Hæc decimum Actum: undecimum vero Paſchalis II. geſta conficiunt. Hic indulſit, nt celebraretur feſtum Petri Anagnini Epiſcopi, tamquam Sanctorum catalogo adſcripti; & Angilramnum Abbatem in SS. Confeſſorum canonem retulit apud Mabill. (*m*)

l to. 2. Jul.

m in ſæc. 4. Bened. par. 1.

14. Geſta Calliſti II. Actum duodecimum exhibent. Udalrico Conſtantienſi Epiſcopo, Sedem Apoſtolicam interpellanti, ut Conradum Antiſtitem inter Sanctos referret, *vitam in Concilio comprobandam*: ac *teſtes ſignorum, quæ per eum fiebant, adhibendos* eſſe reſpondit. Sub eodem Pontifice Concilium Bellovacenſe S. Arnulpho Epiſcopo Sneſſionenſi, Conone Legato Apoſtolico præſidente, cultum decrevit, uti habetur in Act. Concil. (*n*) Hugonem demum Cluniacenſem Abbatem Calliſtus ipſe canonizavit apud Bollandian. (*o*)

n to. 6. par. 2.

o to. 3. Apr.

15. 16. Innocentius II. in plenaria Synodo, Remis celebrata, Godehardum Hildensheimenſem Epiſcopum, cujus geſta ex Principum teſtimonio perſpecta habuerat, annuentibus omnibus, inter Sanctos retulit (*p*). Idem præſtitit erga S. Hugonem Epiſcopum Gratianopolitanum, habito Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, & Cardinalium conſilio: & erga Sturmium primum Abbatem Fuldenſem in Lateranen. œcumenico Concilio. Ex his de-

p ſæc. 6. Bened. par. 1.

Digitized by Google

decimus tertius coaleſcit Actus.

17. Demum Eugenius III. in epiſt. ad Egelbertum Epiſcopum, & Canonicos Bambergenſes, horum petitionibus ſatisfaciens, ex Archiepiſcoporum, & Epiſcoporum communicato conſilio, conſtituit, ut inter Sanctos Henrici Imperatoris memoria fieret. Epiſtola hæc extat in novo Bullario Rom. (a)

a to. 2.

CAPUT IX.

De Pontificiæ iterum auctoritatis in Beatificationis, & Canonizationis negotio interventu.

1. 2 AB initio Pontificatus Alexandri III. ad hæc uſque tempora interventus ejuſmodi perſeverat. Eduardum enim Angliæ Regem, Thomam Cantuarienſem, & Bernardum Abbatem idem Alexander Sanctis accenſuit. Harum Canonizationum Bullæ extant in Bullario Romano; nec non ejuſdem epiſtolæ, quibus plures Eccleſiæ Prælatos, Francorum Regem, pluresque Monachos de SS. Thomæ, & Bernardi Canonizatione admonuit, ut ad eorum cultum illos excitaret. Huic Pontifici nonnulli tribuunt Canonizationem Theobaldi Eremitæ: alii Alexandro II. Primus quoque, Innocentio III. teſte, indulſit, ut in honorem Guillelmi Eremitæ celebraretur Officium in dioeceſi Groſſetanenſi, cum ejuſdem Canonizationem Martinus Epiſcopus petiiſſet.

3. Guarinum inſuper Cardinalem, & Helenam Sueonam inter Sanctos retulit. Ex duobus Canutis Regibus, qui inter Sanctos numerantur apud Bolland. (b), junior, qui fuit Obotritorum Rex, ab Alexandro III. canonizatus dicitur; quamquam bulla non reperiatur: verum Legatos, & Oratores ad ipſum a Vvaldemaro Rege miſſos, Canonizationem impetraſſe, teſtantur Krantius (c), Iſaac Pontanus (d), aliique.

b to. 1. Januar. ad diem 7.

c l. 6. Daniæ c. 29.

d in rerum Danicarū hiſt. l. 6.

4. Adverſus Alexandrum III. quatuor Pſeudopontifices inſurrexerunt, ex quibus Paſchalis III. Carolum Magnum in Sanctorum canonem retulit, elevato ſolemniter Aquiſgrani illius corpore ex conſilio, & petitionibus Principum ſæcularium, & Eccleſiaſticorum. Inde factum eſt, ut in aliis particularibus Galliæ, Belgii, ac Germaniæ Eccleſiis Carolus coli cœperit. Jam vero ex hoc cultu a ſubſequentibus legitimis Pontificibus cognito, & per tolerantiam admiſſo, & ex longiſſima ejuſdem obſervantia, beatificatus dici jure poteſt, ut adnotavit Molanus (e) cum aliis.

e in natal. SS. Belgii.

5. 6 Lucius III. Alexandri ſucceſſor Brunonem Epiſcopum Signinum Sanctis adſcripſit, ut antiqua indicat, quæ Signiæ extat, inſcriptio. Clemens III. Othonem Epiſcopum Bambergenſem, Stephanum Auctorem Ordinis Grandimontenſis, & Malachiam Hiberniæ Epiſcopum inter SS. Confeſſores retulit, uti patet ex novo *Codice Canonizationum*.

7. Ex eodem codice Ubaldus, Bernuvardus in Saxonia Epiſcopus, Joannes Gualbertus, & Geraldus: ex Breviario Eccleſiæ Lemovicenſis apud Bolland. (f) Gaucherius Canonicus: & ex Tamajo (g) Rodeſindus ab eodem Cæleſtino III. canonizati deprebenduntur.

f to. 1. Apr.

g to. 2. Martyrol. Hiſpan.

8. Plurium Canonizationum ab Innocentio III. expletarum Conſtitutiones extant in Bullar. Rom., & codice Canoniz.: at aliquæ deſiderantur, ut Canonizationis Gilberti Fundatoris Ordinis Sempringhamenſis apud Bolland. (h), & Procopii Bohemi Abbatis apud Surium. (i)

h ad 4. Feb.

i ad 4. Jul.

9. Plures Beatorum Canonizationes peregit Honorius III. Robertum vero Ciſtercienſis ordinis Fundatorem Beatis adſcripſit, utque a Moliſmenſibus tamquam Sanctus coleretur, permiſit: apud Bolland. (k)

k to. 3. Apr.

10. Reliquarum Canonizationem a ſubſequentibus Pontificibus factarum Conſtitutiones extant in novo codice Canonizationum. Hic tamen notandum eſt, Canonizationem S. Birgittæ a Boniface IX. peractam fuiſſe tempore Schiſmatis, ideoque a Joanne XXIII.

in Concilio Conſtantienſi, inſtantibus Oratoribus Scotiæ, Daniæ, & Norvegiæ, innovatam, & a Martino V. *ad mentium, & conſcientiarum ſerenationem*, uti dicitur in ejus Conſtitutione, confirmatam fuiſſe; neque enim tunc conſtabat, quod nunc conſtat, Urbanum VI., & Bonifacium IX. legitimos fuiſſe Pontifices. Hinc Pius II. in Bulla Canonizationis S. Catharinæ Senenſis, Divino conſilio factum fuiſſe, ait, ut eadem tempore Schiſmatis non canonizaretur, ne ſcilicet cum Urbano VI. adhæſiſſet, obtrectationibus aliorum eſſet obnoxia.

11. Ex ultimis Canoniaationibus deerat Bulla Canonizationis S. Eliſabeth Reginæ Portugalliæ, quam Urbanus VIII. expleverat. Hanc tamen noviſſime expedivit Benedictus XIV. Ex prædictis colligitur, Beatificationis ritum ante Gregorium X. extitiſſe.

CAPUT X.

De Pontificia auctoritate extra Concilium, & de jure Beatificandi, & Canonizandi Summo tantum Romano Pontifici reſervato.

1. QUamvis Romani Pontificees, juxta ſuperius recenſita, nonnullas Canonizationes in Conciliis plenariis expleverint, & in iis Canonizandorum vitam, & miracula perpendenda eſſe nonnumquam reſponderint: plures tamen etiam iiſdem temporibus extra Concilium peregerunt. Quare indubia extra Concilium canonizandi poteſtate pollent.

2. Hæreſes etiam, licet aliquas in Concilils, pleraſque tamen extra Concilia Pontifices damnarunt. Siquæ autem ab Epiſcopis in particularibus Synodis damnatæ ſunt, earum damnationi auctoritatem ſuam, Duvallio (*a*), & Thomaſſino (*b*) teſtibus, iidem Pontifices adjecerunt.

a to. 2. in 2. 2. de poteſt. Eccl. par. 2. quæſtion. 2.

3. Jam vero, ut de jure beatificandi, & canoniaandi ſoli Romano Pontifici reſervato diſſeramus, nonnulla reſumenda ſunt ex iis, quæ ſuperius indicavimus. Alexander III. monitus ab Arnulpho Epiſcopo Lexovienſi Procuratorem Monaſterii Griſtani, in ebrietate occiſum, tamquam Martyrem coli, per Decretalem *Audivimus* cultum ſuſtulit, affirmans, *non licere illum pro Sancto abſque auctoritate Romanæ Eccleſiæ publice venerari.*

b differt. 4. in Synod. Gangren.

4. &c. Porro per hanc Decretalem novum jus conditum eſſe, per quod Sedi Apoſtolicæ privative reſervaretur facultas cultum Servis Dei decernendi, plures cum Bellarmino (*c*) ſentiunt. Verum alii ejuſmodi jus antiquius eſſe, & a memorata Decretali ſupponi exiſtimant. Certum illud eſt, potuiſſe olim Primates, Archiepiſcopos, & Epiſcopos in Provincia, aut Diœceſi Beatificationes, jure ſuo, peragere. Hæc autem juriſdictio, a Summi Pontificis auctoritate independens, uſque ad Alexandri III. tempora perſeveravit, uti ex pluribus Beatorum corporum elevationibus ſola Epiſcopali auctoritate factis apud Bolland. (*d*) & alios, eruitur.

c l. 1. de SS. Beatit. c. 8.

d to. 2. Jul.

8. Edita vero prædicta Decretali, Jus Canonizandi, & Beatificandi fuiſſe Romano Pontifici privative, quoad alios, reſervatum, ſubſecuta Eccleſiaſtica monumenta aperte declarant: licet fortaſſe quoad Beatificationem id non fuerit ab omnibus Epiſcopis obſervatum. Senſerunt quidem Theologi, & Canoniſtæ, per illam Decretalem univerſaliter prohiberi publicum cultum erga quemcumque Dei Servum, abſque Sedis Apoſtolicæ auctoritate; nihilominus Thomas Waldenſis facultatem indulgendi in diœceſi Beatificationis honores, Epiſcopis adhuc adjudicavit, cui ſuffragantur exempla apud Bolland., (*e*) & alios. At tandem Urbanus VIII. litem omnem diremit, omnia ad publicum Beatorum cultum pertinentia, Sedi Apoſtolicæ penitus reſervans.

e to. 3. Febr. to. 3. Apr. ad diem 26.

CA-

CAPUT XI.

De eodem privativo Jure juxta ſcribentium aſſertiones.

1. &c. AD ſolum Romanum Pontificem nunc Dei Servos Beatorum, & Sanctorum catalogo adſcribendi jus ita pertinere, ut id neque Sacrum Cardinalium Collegium, etiam Sede Apoſtolica vacante; neque Legatus de latere; neque Concilium provinciale, aut etiam generale, quamvis Sedes Apoſtolica vacet; neque alii quicumque præſtare valeant, affirmant Contelorus, Matta, Schiara, aliique plures de Canonizatione ſcribentes, & inſinuat etiam Clemens VI. *in epiſt.*, quam ad Patriarcham Armenum ſcripſit.

7 &c. Hujus privativi juris rationes tradit Gloſſa *in cap. Glorioſus, de Reliq. & vener. SS.*, quas communiter ſecuti ſunt Canoniſtæ, ac Theologi, & pluribus illuſtrarunt Cardinalis Bellarminus (*a*), Sanſſajus (*b*), Bollandiſtæ (*c*), aliique eruditiores Viri, ratione potiſſimum habita ſupremæ Summi Pontificis in Eccleſia univerſa anctoritatis.

10 Et ſane cum cauſas majores apud Sedem Apoſtolicam definiendas eſſe, Innocentius I. (*d*), S. Leo (*e*), S. Gregorius (*f*), aliique Patres affirmaverint; Cumque hæ ex rerum gravitate, vel ex dignitate perſonarum deſumantur, profecto inter ipſas numerandæ ſunt Canonizationes Sanctorum, quæ utpote totam Eccleſiam ſpectantes, ſolius proinde Romani Pontificis judicio ſunt reſervatæ.

11 Opponi qnidem poteſt, in Concilio Conſtantienſi S. Rochum beatificatum, aut canonizatum fuiſſe: propoſitam Beatificationem Petri de Lucemburgo, & expeditas literas Remiſſoriales pro inquiſitione ſuper vita, & miraculis Nicolai Lincopenſis, Brinulphi Scarenſis Epiſcoporum, & Ingridis Monialis: verum objecta facile diluuntur: nam S. Rochus jampridem cultum obtinuerat, & ſolum tunc per Conſtantienſem Urbem ejus imago ad avertendam luem ſolemniter delata fuit.

12 Cauſam vero Petri de Lucemburgo commiſerat quidem Clemens VII. Antipapa tribus ex ſua obedientia Cardinalibus. At mox proceſſum ſuper ejus virtutibus, ac miraculis confectum, Andreas de Borvil Conſtantiam detulit, & a Martino V. Beatificationem petiit, quam tamen Clemens VII. legitimus Pontifex explevit, uti conſtat ex ejuſdem Apoſtolicis literis apud Bolland. (*g*)

13 Quoad Nicolaum tandem, & duos reliquos, Patres Conſtantienſes quibuſdam de Concilio inquiſitionem ſuper eorum vita, & miraculis commiſerunt. Verum Martinus V. novam poſtmodum expedivir commiſſionem, in qua geſta antecedentia confirmavit. Refert etiam Theodoretus (*h*), Telemachum Monachum, Romæ, cum gladiatores compeſceret, occiſum, ab Honorio Imperatore Martyrum numero fuiſſe adſcriptum. At id intelligendum eſt, ut explicat Baronius (*i*), quod videlicet curaverit Honorius, ut is a Pontifice Martyrum numero adſcriberetur.

a de SS. beatit. l. 1. c. 8.

b in apologet. Theolog. de SS. cultu §. 9. poſt Martyrol. Gallic.

c in propyleo diſſert. 20.

d ad Victricium Rotomagen. epiſt. 2. apud Petrum Couſtant to. 1.

e tom. 1. epiſt. 4. c. 5.

f epiſt. 54. ad univerſos Regni Childeberti Epiſcopos lib. 5. to. 2. oper.

g to. 1. Jul.

h hiſt. Eccl. l. 5. c. 26.

i ad an. 395.

CAPUT XII.

De poteſtate canonizandi.

1. &c. HÆC poteſtas in utilitate Sanctos invocandi fundatur, fatente ipſo Dallæo hæretico, (*k*) ad cultum, & invocationem Sanctorum neceſſariam eſſe eorumdem Canonizationem. Hanc invocationem vetus Teſtamentum non ſemel inſinuat; imo Deus ipſe 4. *Reg.* eam ſibi acceptam, ac piam, & utilem eſſe profitetur. Cohæret novum teſtamentum *Apoc.* 1. 5. & 8., & S. Petrus *epiſt.* 2. poſt obitum interceſſionem apud Deum promittit. Sane primorum ſæculorum Patres Irenæus (*l*), Origenes (*m*), Cypria-

k l. 3. c. 21.

l l. 5. contra hæreſ. c. 19. n. 1.

m l. 8. contr. Celſ. n. 34.

Cyprianus (*a*), aliique, Sanctorum apud Deum interceſſionem extollunt: proinde de invocatione non eſt ambigendum.

a in epiſt. 57. ad Cornel.

5. 6 His fundamentis prælibatis, poteſtatem canonizandi ex ſacris etiam Literis demonſtrari Auctores contendunt. Nam *Eccleſiaſtici* 44. præcipitur, ut *laudentur viri glorioſi: eorum ſapientiam narrent populi, & laudem nuntiet Eccleſia*. In hoc præcepto fundamenta inter Sanctos referendi viros virtutibus, & miraculis inſignes, adeoque poteſtatis canonizandi, ſtatuta videntur, ut innuitur in Bulla Canoniz. S. Franciſcæ Rom., & in Brevi Beatif. S. Franciſci Saleſii. Immo in eo textu ſubſtantialia Canonizationis requiſita contineri, Canoniſtæ ſentiunt. Eamdem poteſtatem ex Apoſtolo *ad Hebr.* 13., *& ad Rom.* 12. alii deducunt, eamque Eccleſiæ relictam fuiſſe ſuadent Theologi congruentiſſimis rationibus, quas in unum congeſſit Dominicus a Sanctiſſima Trinitate (*b*).

b cap. 18. in bibliot. max. Pont. pag. 491. to. 10.

7. 8 Poteſtatem hanc irrident Hæretici, Pontificem Divina ſibi uſurpare criminantes. Sed perperam; neque enim eſſentiale Beatorum gaudium augeri poſſe Catholici ſentiunt, ſed ſolum accidentale, quod Beati de omnibus habent, quæ in Dei honorem fiunt, & de iis maxime, in quibus de eorum gloria gratias Deo agimus, uti docet S. Thomas (*c*). Quare Pontifices in Canonizatione gaudii eſſentialis augmentum ſibi nullatenus aſſerunt, ſed ſolum præviis exquiſitiſſimis diligentiis declarant, colendos in Eccleſia eſſe Servos Dei virtutibus, ac miraculis præfulgentes, & cum Chriſto in Cœlo triumphantes, ut explicat Sauſſajus (*d*).

c in 4. ſent. diſtinct. 12. qu. 2. art. 1.

d in cital. apol. §. 9.

CAPUT XIII

De Benefacto, ut aliquando Solemnia Canonizationis expleantur.

1 &c. QUÆ canonizandi poteſtatem, ea Canonizationum etiam utilitatem, & congruentiam probant. Et primo quidem Deus in Sanctis ſuis laudatur, & colitur. Secundo decet, ut qui Sanctus eſt apud ipſum, Sanctus quoque ab hominibus habeatur. Tertio in Beatificationibus, & Canonizationibus non modo exaltatur Eccleſia, verum etiam ejus hoſtes confunduntur, uti plures Canonizationum Bullæ teſtantur.

4 &c. Quarto expedit, ut apud Deum interceſſores noſtri multiplicentur. Quinto valde prodeſt nova ſemper habere virtutum, quas imitemur, exempla, uti notat S. Gregorius (*e*), cum aliis, & uti paſſim legitur in Bullis Canonizationum. Demum in Beatificationibus, & Canonizationibus magna adeſt ſpiritualis lætitiæ materia, ut in Bulla Canoniz. S. Hyacinthi affirmatur.

e l. 2. moral. cap. 10. to. 1.

8 &c. In ſolemni Canonizationum ſententia tres a Pontifice cauſæ finales exprimuntur: *SS^mæ Trinitatis honor, Catholicæ Fidei exaltatio, & Chriſtianæ Religionis augmentum*. In SS. Canonizatione honoratur Trinitas, cum quidquid laudabile, & meritorium Sancti geſſerunt, gratiæ divinæ beneficio peractum ſit. Exaltatur fides, cum vera ſanctitas, & miracula innoteſcant, quibus aliæ ſectæ carent: unde fit, ut ſectarii ad veram Fidem convertantur, ſicuti de Naamane Syro (*f*), aliiſque in ſacris Literis perhibetur. Augetur Religio, cum per Sanctorum multiplicationem eorum quoque cultus augeatur, eorumque virtutes, ac miracula eluceſcant, & ſic Fidelium devotio creſcat, ut exhibet formula ſententiæ Canonizationis, ac pluribus exornat S. Bernardus (*g*).

f l. 4. Reg. c. 5.

g in Serm. in Vigil. SS. Apoſt. Petri, & Pauli volum. 2.

11 Quamquam autem Canonizationum uſum nonnulli damnare audeant, majorem veterum Sanctorum excellentiam, aut interceſſionis ſufficientiam, vel eorum cultus diminutionem, aut Canonizationum ex frequentia contemptibilitatem cauſantes: vel quia tandem nonnulli Servi Dei, Canonizatis præſtantiores, non Canonizentur: immerito tamen id faciunt.

12. 13 Nam

12. 13 Nam quantacumque fuerit veterum Sanctorum excellentia, Chriſtus tamen noſtris etiam temporibus ſine teſtimonio ſe non reliquit, adeoque expedit novas Canonizationes fieri, ut propinquiora habeantur virtutum exempla, & interceſſores noſtri multiplicentur apud Deum, ut explicant Gaufridus (*a*), Chryſoſtomus (*b*), aliique, & ut exponitur in præf. ad paſſion. SS. Perpetuæ, & Felicitatis apud Ruinart. (*c*)

a in Prologo ad vitam S. Petri Tarentaſii apud Bolland. ad 8. Maji t. 2.

14 At enim, ut Deus preces noſtras exaudiat, veterum ſufficit interceſſio Sanctorum. Ratio hæc nimis probat: probat enim, ne veteres quidem Sanctos canonizari oportuiſſe, cum ſola B. Virginis, & Apoſtolorum interceſſio ſufficeret. Verum cum Deus, juxta S. Auguſtinum (*d*) quæcumque, quomodocumque voluerit, concedat: hinc & ſuperiores, & minores Sancti invocandi a nobis ſunt, ut pluribus rationibus ſuadet S. Thomas. (*e*)

b orat. in SS. Juvent. & Max. t. 2.

c pag. 80.

d . to. 2. in epiſt. 78. alias 137.

e in 4. diſt. 45. quæſt. 3. artic. 2. ad 2. & 2. 2. qu. 3. ar. 11. ad 4.

15. Neque vero novis Canonizationibus cultus veterum Sanctorum minuitur, cum horum celebritates eadem, qua prius, ſolemnitate peragantur, & ſingulorum templa ſuperſint ornatiſſima.

16 Contemptibilitatem autem, quam ex frequentia Canonizationum oriri ajunt, excludit earumdem paucitas, quæ facile ex reſponſis Alexandri III., & Innocentii VIII., nec non ex Canonizationum elencho colligi poteſt. Quod ſi plures Beati nunc ſimul canonizantur, id fit ad ſumptus vitandos, ad Canonizationis ſolemnitatem requiſitos. Quod autem nonnulli grandioris meriti non canonizentur, id ad Divinam diſpenſationem refert S. Antoninus. (*f*)

f Summ. hiſt. par. 3. tit. 23. c. 14.

17 Ciſtercienſium pariter, & Carthuſianorum exemplum objici poſſet, quorum primi Alumnum ſuum virtutibus, & miraculis clarum canonizandum proponere noluerunt: ex ſecundis vero nullus ferme eſt Sanctorum canoni adſcriptus. At his tum rationes prædictæ, tum aliarum Religionum exempla opponuntur. S. Benedicti Ordinem S. Berno reformavit, & Cluniacenſem Congregationem ſtatuit; ſed mox regulari diſciplina iterum deficiente, Robertus Monachus, S. Benedicti regula exacte reſtituta, Ciſtercienſes inſtituit, ex quibus Robertus ipſe ab Honorio III. Beatus declaratus eſt, Alberico ſucceſſori cultus alicubi permiſſus, Bernardus Sanctis adnumeratus, & Petrus a Caſtro Novo apud Ciſtercienſes Gallos ut Martyr colitur.

18 Carthuſianus vero Ordo, teſte Garnefelt, plures ſanctitate celebres protulit, ex quibus Nicolaus Albergatus inter Beatos, Hugo, olim Carthuſiæ Anglicanæ Prior, & Bruno Ordinis Fundator inter Sanctos relati ſunt. Ratio autem, cur pauci ex ſolitariorum Ordinibus canonizentur, hæc eſſe videtur, quia probatio virtutum heroicarum, multis teſtibus innixa, & ad Canonizationem neceſſaria, in iis difficulter haberi poteſt.

CAPUT XIV.

De Subjecto Canonizationum.

1 TUM Martyres, qui miraculis poſt obitum fulgent; tum ii, qui virtutibus in vita, & miraculis poſt mortem coruſcant, ſubjectum ſunt Canonizationis, uti declarat Innocentius III. *in Bulla Canonizationis S. Homoboni.*

2 Solvendæ nunc ſunt quæſtiones aliquæ ab Auctoribus hic agitari ſolitæ. Prima eſt, an Sancti veteris Teſtamenti canonizari poſſint a Pontifice? Negant multi cum S. Antonino (*g*); affirmat Contelor. (*h*) cum aliis. Quæſtio tamen inutilis eſt. Abſonum enim, & quodammodo inutile videtur, quos Deus Sanctos in Scripturis manifeſtavit, tales per Pontificis ſententiam declarari.

g in Summ.

h de Canoniz. SS. c. 10. n. 11.

3. 4 Secunda eſt: an pueri poſt Baptiſmum fluminis, ſed ante uſum rationis decedentes, Canonizationis ſubjectum eſſe poſſint? Negative reſpon-

ſpondendum eſt ob defectum heroicarum virtntum, juxta Malvet. (*a*), alioſque plurimos. Affirmative vero reſpondendum videtur, ſi in odium Chriſti, ejuſque Fidei occidantur, uti probant Guyet *de feſt. propr. SS.* (*b*) & alii, exemplo Innocentium ab Herode interfectorum, quos ab antiquo tempore ut Martyres colit Eccleſia, cui quidem alia ſuffragantur exempla. Celebratur quippe feſtum trium puerorum, qui cum S. Babyla Martyres effecti ſunt, de quibus loquitur S. Joannes Chryſoſt. (*c*). Simeon etiam puer Tridentinus, a Judæis in odium Chriſti occiſus, ſtatim poſt obitum ut Martyr coli cœptus eſt. Hunc quidem cultum Sixtus IV. interdixit; ſed illum mox probatis probandis Sixtus V. Diœceſi Tridentinæ conceſſit, & Gregorii XIII. auctoritate Simeonis pueri nomen in Martyrologio Romano deſcriptum eſt. Aliorum puerorum Martyrum cultum referunt Bolland. (*d*), & Guyet (*e*), ſed de eorum Actis, aut de obitus tempore apud ipſos non conſtat. In eodem Martyrol. Romano ad 24. *Oct.* fit commemoratio S. Aretæ, & Sociorum Martyrum, inter quos filius erat annorum quinque.

5 Verum quidquid ſit ſpeculative; dubitatur ſane, an ſimiles pueri poſſint eſſe practice ſubjectum Canonizationis, cum nullum eorum Canonizationis occurrat exemplum. Nam Socios S. Babylæ ex *Actis* apud Bolland. patet uſu rationis præditos fuiſſe. Simeon æquivalenter beatificatus potius, quam canonizatus dicendus eſt. Ex deſcriptione S. Aretæ, & Sociorum in Martyrol. non infertur canonizatio. Coluntur tandem Innocentes ab Herode occiſi, quia primi pro Chriſto mortui ſunt.

6 &c. Tertia quæſtio eſt: an poſſint canonizari ii, quorum animæ in Purgatorio adhuc torquentur? Negative reſpondit Chriſtianus Lupus (*f*), eo quod eorum interceſſione miracula non fiant. Relationem autem B. Petri Dam. (*g*) de S. Severino Epiſcopo Coloniensi, Purgatorii pœna affecto, cenſet apocrypham. Quod vero refert S. Gregorius (*h*), Paſchaſium Diaconum viſum igne torqueri, licet miraculis poſt obitum claruerit, non obſtare, ait, cum non fuerit canonizatus. Præterea pro Canonizato non oratur, bene vero pro animabus Purgatorii: Canonizatis tribuitur honor erectionis Altarium, & celebrationis Miſſarum, ac Officiorum; ſecus animabus Purgatorii. Tandem Canonizati intercedunt pro nobis apud Deum; animæ vero Purgatorii noſtris potius indigent orationibus, ut docent multi cum S. Thoma (*i*).

9. 10 Eos quoque, qui aliquando Purgatorium ſuſtinuerunt, canonizandos non eſſe nonnulli cenſent, arbitrati, Canonizationis ſubjectum eſſe tantum Juſtos, qui ſtatim poſt obitum in paradiſum recipiuntur. Alii vero hanc doctrinam, ut nimis rigidam, rejiciunt. Enimvero & nimis rigidus eſſet, qui Canonizatione indignum putaret hominem lapſum in veniale; & nimis laxus, qui canonizandum diceret hominem lapſum in mortale, ſi Eccleſiæ de neutrius ſatisfactione conſtaret.

11. 12 Quarta eſt: an viventes canonizari poſſint? Communis eſt ſententia negativa, niſi forte, ut quidam addunt, Deus Pontifici revelaret, aliquem eſſe prædeſtinatum. Pro cujus additionis probatione ajunt, B. M. Virgini adhuc viventi ædificatas fuiſſe Eccleſias: imo ipſam, & S. Joannem Evangeliſtam, ſicuti & Eliam mortuos numquam fuiſſe. Quæſtio quidem inutilis: agitur enim hîc de ſubjecto Canonizationis per vias ordinarias, & dependenter a probationibus. De Eccleſiis Virgini viventi dicatis alibi agetur. Ipſam vero (quidquid ſcripſerit S. Epiphanius) & S. Joannem Evangeliſtam (quidquid Græci poſt Schiſma, aliique ſenſerint) obiiſſe, ſemper exiſtimavit Eccleſia, & teſtatur Tertullianus. (*k*)

13. 14 Eliam, & Henoch adhuc

vivere

a de Canoniz. Sanct. ad tertium dub. n. 63.

b l. 2. c. 7. quæſt. 15.

c homil. in honorem SS. Juvent. & Max. to. 2. pag. 578.

d ad 24. Mart.

e ad eamdem diem.

f in not. ad IV. Concil. Rom. to. 3. pag. 572.

g lib. 2. epiſtolarum pag. 112.

h lib. 4. dial. c. 40 to. 2. oper

i in 4. diſt. 15. quæſt. 4. art. 5. quæſtiunc. 2. ad 2. & 2. 2. qu. 8. ar. 11.

k lib. de anima c. 50

vivere cum Antichriſto pugnaturos, teſtantur Scriptura, & Patres. Eliæ quidem fit mentio in Martyrol. Rom., & colitur potiſſimum a Carmelitis: ſed hæc Canonizationi viventium non ſuffragantur: Eccleſia enim celebrat feſtum Eliæ non ut Beati, ſed ut rapti, ut oſtendit a Lapide (*a*), vel quia, licet viſione beatifica non fruatur, perſeverantiæ, & confirmationis in gratia dono præditus eſt; & præterea in hiſtoria Machab. pro populo oraſſe dicitur, unde poterat, ut interceſſor, invocari. An aliquis canonizari poſſit ad ordinem Apoſtolorum, inquirendum ſupereſt; ſed id alibi exponetur.

a in Geneſ. c. 5. v. 24.

CAPUT XV.

De gravitate Cauſarum Canonizationis, & de his, quorum opera, & conſilio Summi Pontifices olim uſi ſunt in earum definitione.

1 &c. GRavitatem harum cauſarum in Diplomatibus, & bullis extulerunt Cæleſtinus III., Innocentius III., aliique Pontifices, eas *Divini potius judicii, quam humani opus* appellantes, & in iis Eccleſiam Romanam *cauta diligentia*, ac *magna maturitate* procedere conſueviſſe, ac procedendum eſſe affirmantes.

10 Pro iis definiendis Romani Pontifices uſi ſunt, & utuntur opera Cardinalium S.R.E., eorumque conſilium, de honeſtate, requirere debent, juxta S. Antoninum (*b*), & alios.

b 3. par. tit. 22. c. 5. §. 5.

11. 12 Ante inſtitutam Congregationem rituum pleraſque Canonizationes iidem Pontifices peregerunt in Synodis particularibus, vel generalibus, vel paullo ante has, utentes opera, & conſilio Patrum Concilii. Alias peregerunt extra Concilium, Cardinalium, Archiepiſcoporum, & Epiſcoporum ad id vocatorum opera, & conſilio adhibitis, ut in pluribus Canonizationum bullis teſtantur Alexander III., Cæleſtinus III., aliique Pontifices.

13. 14 Antequam hæ cauſæ in Conſiſtorio Pontificis proponerentur, earum proceſſus nonnullis Rotæ Auditoribus, aut probis, doctiſque viris examinandi committebantur, ut eruitur ex monumento Canonizationis Laurentii Dublinenſis, edito a Guillelmo Beſſin. (*c*), & clarius ex Cardinali Oſtien. (*d*), aliiſque Auctoribus, & monumentis.

15 &c. Examini Auditorum Rotæ ſuperadditum fuit examen unius Cardinalis a Pontifice electi, uti eruitur ex prædicto monumento, & vita S. Staniſlai Epiſcopi apud Bollandian. (*e*) Progreſſu temporis loco unius tres Cardinales ſubrogati fuerunt, unus Epiſcopus, alter Presbyter, tertius Diaconus, qui præter Rotæ Auditores rem totam perpenderent, teſte Bonifacio VIII. in concione ante Canonizationem S. Ludovici Galliæ Regis. His omnibus acceſſit examen in Conſiſtorio, Papa, Cardinalibus, & Epiſcopis præſentibus, & aliquando exquiſita fuerunt ſuffragia Theologorum, vel Canoniſtarum, uti eruitur ex quibuſdam Canonizationum bullis. Et quamvis conſilii Cardinalium, & memoratorum examinum mentio nulla fiat in bullis Canonizationum SS. Theobaldi, Hugonis, & Laurentii Dublinenſis: tamen eum in aliis bullis Pontificum, qui eaſdem Canonizationes expleverunt, illa expreſſa fuerint; idcirco etiam in iis interveniſſe cenſendum eſt.

c in Concilii provinciæ Rotomagen. par. 2. pag. 47.

d in comment. ad cap. Audivimus de Reliq. & vener. SS.

e ad 7. Maji to. 2.

CAPUT XVI.

De Sacrorum Rituum Congregatione.

1 &c. INter quindecim a Sixto V. in Urbe inſtitutas Cardinalium Congregationes quinta eſt Sacrorum Rituum, cui cauſarum Beatificationis, Canonizationis, & cultus Sanctorum, antequam ad Conſiſtorium coram Papa deferantur, curam commiſit. Idem tamen Pontifex cauſam S. Didaci, quem canonizavit, nec'

insti-

inſtitutæ Congregationi, quia forte Cardinales pro illa nondum deſignaverat, nec tribus de more, ſed octo Cardinalibus delegavit, uti habetur in Actis Canonizationis (*a*). Poſt hanc Canonizationem Congregatio rituum harum cauſarum cognitionem aſſumpſit, ac pro ea plura a ſummis Pontificibus edita ſunt decreta.

a apud Peniam l. 3. c. 10.

4 Hæc Congregatio vel eſt *ordinaria*, vel *antepræparatoria*, vel *præparatoria*, vel *generalis*, vel *particularis*. *Ordinaria* in palatio Apoſtolico quolibet ſaltem menſe cogenda eſſet. Interveniunt Cardinales, aliique officiales, & in ea agitur de Beatificationibus, & Canonizationibus, de præcedentiis, & ſimilibus, ſolique Cardinales ſuffragium ferunt. Alia ſpecies Congregationis *ordinariæ* cœpit ſub Benedicto XIV., cui præter alios Pontifex intervenit. In diſcuſſione cauſarum Beatificationis, & Canonizationis aliquod interdum excitatur dubium peculiaris indaginis: idcirco Pontifex, auditis Cardinalium ſuffragiis, reſolutionem differt, quam poſtea, re bene perpenſa, & invocato Dei auxilio profert, ut laudatus Benedictus in cauſis Ven. Joannis de Britto, & Joannæ Franciſcæ Fremiot de Chantal egregie præſtitit.

5. 6 *Antepræparatoria* in ædibus Cardinalis Relatoris cauſæ cogitur. Interveniunt Conſultores, & Magiſtri cæremoniarum, ac primi dumtaxat ſuffragium ferunt: diſcutitur unica cauſa: inſtituta eſt poſt Decreta Urbani VIII., & Innocentii XI., ut Relator inſtruatur. *Præparatoria* in palatio Apoſtolico ad libitum Relatoris cogitur. Interveniunt Cardinales, Conſultores, ac Magiſtri cæremoniarum, ſolis Conſultoribus ſuffragium ferentibus, ut Cardinales inſtruantur. Unica cauſa expenditur de dubio, ſive virtutum, ſive martyrii, ſive miraculorum.

7 &c. *Generalis* coram Pontifice cogitur. Conſultores primum, mox Cardinales ſuffragium ſuper dubiis præſtant. Juxta Decreta Urbani ter quolibet anno cogenda eſſet, & tres, aut quatuor cauſæ proponi in ea poſſunt. Quod ſi aliqua Cardinalium ſuffragia deſint, in prima ordinaria ſupplentur, & Secretarius cuncta Pontifici referre debet. Nunc vero bis cogi, & in unaquaque vix una cauſa diſcuti poteſt, vel ad ſummum duæ, ſi in una propoſitum ſit dubium: an, approbatis virtutibus, & miraculis, tuto procedi poſſit ad Beatificationem, aut Canonizationem: in altera proponatur dubium de virtutibus, aut martyrio, vel miraculis. *Particularis* eſt, cui de mandato Pontificis aliqui Cardinales, & Conſultores, ab eodem eligendi, cum Secretario, & Promotore Fidei interveniunt.

12 &c. Cardinales Congregationis rituum, ejuſque Præfectus a Pontifice eliguntur. Olim cauſarum *Relatores*, ſeu *Ponentes* Congregatio deſignabat, nunc ſummus Pontifex ex decreto Alexandri VII. eos ſtatuit. Relator proceſſus auctoritate ordinaria facti, confirmari ſolet in Relatorem cauſæ poſt proceſſus, auctoritate Apoſtolica confectos, ut conſtat ex cauſa ſervæ Dei Solomeæ Reginæ Galaciæ. Præterea juxta Sixti V. Conſtitutionem interveniunt Conſultores, a Pontifice ex cœtu Præſulum Curiæ, & Clero ſæculari, ac regulari delecti: nonnulli tamen, ratione alicujus muneris, vel dignitatis ſunt Conſultores nati. Ex Conſultoribus regularibus aliquis ſemper extitit ex Ordinibus Prædicatorum, Minorum Obſervantium, & Societatis Jeſu. Benedictus XIII. (*b*) unum ex Ordine Minorum Conventualium, alterum Barnabitarum, alium Servorum B. M. Virginis perpetuo addidit. Conſultores eamdem Servi Dei, de cujus cauſa agatur, Religionem profeſſi, Congregationi ſuper eadem cauſa intereſſe nequeunt ex decreto Clementis XII. (*c*), exceptis perſonis in dignitate Epiſcopali conſtitutis, & Magiſtro ſacri Palatii.

b in litter. Apoſt. in forma Brevis 7. Aug. & 1. Oct. 1725. & 8. Aug. 1726.

c 11. Maji 1733.

15. 16 Cardinales, & Conſultores

Acta

Acta in his cauſis exhibita legere tenentur: verbales informationes audire: ad Congregationes ſtatutis diebus accedere, & ſuffragium ferre: inviolabile ſervare ſecretum ſub pœna excommunicationis Pontifici reſervatæ: ac manifeſtare, num voce, an ſcripto cauſæ ſibi commendatæ ſint. Cuncta hæc exprimuntur in formula juramenti ab iiſdem emittendi; quo quidem juramento non ſolum generales, ſed etiam reliquas Congregationes com-

a loc. cit.

prehendi ſtatuit Clemens XII. (a)

17. 18. Ad perpendendas ſcripturas cauſarum Cardinales duorum familiarium, Auditores Rotæ unius opera uti poſſunt, dummodo & iſti juramentum emittant juxta decreta Urbani VIII. Secretarius Congregationis duorum familiarium auxilio pariter uti poteſt ex decretis ejuſdem Congrega-

b 18. Jan. 1653. & 10. Jan. 1654.

tionis (b). Nullius adjutorio uti poſſunt Conſultores, niſi facultate a Pontifice impetrata. Horum tamen, & cæterorum adjutores eſſe nequeunt Advocati, Procuratores, ſeu Poſtulatores cauſarum, juxta Clementis XII. decretum eit. Magiſtri cæremoniarum Congregationibus intervenientes, juramentum, ut alii, emittere debent ex decreto edito 31. *Jun.* 1632.

19 Verbales informationes Procuratorum, & Advocatorum non ſunt ſuperfluæ, nec oppoſitiones in iis excitatæ obſtant juramento de ſervando ſecreto, ut patet exemplo Auditorii ſacræ Rotæ. Neque enim eæ oppoſitiones ſenſum Congregationis, aut arguentis aperiunt.

20 &c. Conſultores ſuffragium dare debent juxta ordinem perſcriptum in generali Congregatione coram Ale-

c 19. Febr. 1658.

xandro VII. (c) tam ſuper dubio virtutum, quam miraculorum. Iidem, & Cardinales abſentes ſuffragium ſcriptum ad Fidei Promotorem, vel Secretarium, aut aliquem Cardinalem, tranſmittere poſſunt, ac debent in Congregatione legendum, ut conſtat exem-

d 7. Dec. 1735.

plis, & decreto Clementis XII. (d). Conſultores in Congregationibus antepræparatoria, & præparatoria ſuffragium ſedentes præſtant; ſtantes vero in generali coram Papa: & exeunt ex aula, cum Cardinales ſuffragium præſtituri ſunt, juxta decreta Urbani VIII.

CAPUT XVII.

De Protonotario, & Secretario ſacræ Congregationis, & de Rotæ Romanæ Auditoribus eidem Congregationi adſcriptis.

1 &c. SEcretarius in cauſis Canonizationis olim erat ex collegio Protonotariorum Apoſtolicorum, ut habetur ex Actis *SS. Didaci* (e), *& Raymundi* (f), a Penia

e l. 3. c. 11.

editis. Olim quoque Protonotarii adnotabant decreta Conſiſtorii: nunc,

f l. 3. c. 26.

ad ejus Secretarium hac cura delata, unus ex Protonotariis Participantibus aſſumitur, qui præter munus Conſultoris Congregationis, alia peculiaria peragit; ac præcipue in conficiendis in Urbe auctoritate Apoſtolica proceſſibus pro cauſis Sanctorum, intervenit examini teſtium, in quo Notarius ei ſubjectus eſt: immo examen non eſſet authenticum, niſi ab eo ſubſcriptum, ex decretis generalibus Urbani VIII. Annuente Pontifice, ſupplet etiam vices Secretarii Congregationis, quando hic abeſt. Protonotarium olim eligebat Congregatio, & abſenti alium ſubſtituebat: nunc illum eligit Pontifex ex collegio Protonotariorum; & ſi hic abſit, alium ex eodem collegio aſſumit, ut ſæpe factum eſt.

4. 5 Secretarius eſt etiam Conſultor Congregationis. Præterea ad Cardinales, & Conſultores notitiam Congregationis habendæ, & dubii tractandi in folio obſignato tranſmittere: Decreta Congregationis adnotare, & Papæ referre: literas ejuſdem Congregationis exarare, ac ſubſcribere, aliaque hujuſmodi peragere tenetur. Eligitur a ſummo Pontifice ex cœtu Præſulum: alternis hebdomadis Papam

adire poteſt: in publicis Conſiſtoriis locum aſſignatum habet: congruum etiam eſſet, ut charactere Epiſcopali decoraretur:

6 &c. Quod ad Auditores Rotæ ſpectat, etiam poſt inſtitutam rituum Congregationem mos perſtitit iiſdem committendi cauſas Canonizationis diſcutiendas. Tribus utplurimum ex ipſis a Congregatione, vel a Pontifice nominatis ejuſmodi cauſæ committebantur. Iiſdem dabatur juriſdictio per commiſſionem a Pontifice ſignatam, & expeditam poſt factam in Congregatione relationem proceſſuum; auctoritate ordinaria, vel Apoſtolica in genere confectorum, vel poſtquam Congregatio ſuper validitate proceſſuum in ſpecie pronnntiaverat, ut conſtat ex pluribus cauſis ab anno 1604. ad 1631. Paulus V. autem, licet aliud antiquiori uſui conformius videretur, juſſit, ut Congregatio, habita extrajudiciali informatione, Pontifici referret, cauſam eſſe in tali ſtatu, ut poſſet Auditoribus committi, qui informationes ubique reciperent, & examinarent.

9 &c. Eorum in his labor, & ſtudium ex plurimarum Canonizationum Actis, conventibuſque in iis habitis, dignoſcuntur. In dubiis ſuper virtutibus, Theologorum; ſuper miraculis, Medicorum conſilium exquirebant, ut conſtat ex poſitione cauſæ S. Aloyſii. Unus ex ipſis relationem cauſæ componebat, quæ ab omnibus ſubſcripta, Pontifici, & Congregationi exhibebatur. Relationis tot exemplaria, cura Poſtulatorum, conficiebantur, quot erant Cardinales, aliique adſcripti Congregationi, ac per Secretarium authentica reddebantur, utque perſpecta haberentur relationis fundamenta, tranſmittebatur ad eoſdem ſummarium proceſſuum. Si Auditorum ſenſui conſonabat judicium Congregationis, cauſa deferebatur ad Conſiſtorium: ſi ſecus, ut aliquando contigit, ea ulterius non progrediebatur. Cuncta plene teſtantur Penia *in vita S. Raymundi*
a l.3. c.30. *de Pennaf.* (a), aliique.

12. 13 Ex his patet, Auditorum Rotæ examen adhuc poſt inſtitutam Congregationem rituum viguiſſe; immo poſt Decreta etiam Urbani VIII. perduraſſe, ex iiſdem decretis, aliiſque monumentis eruitur. Ceſſavit autem ſub Innocentio X., itaut nunc tres antiquiores ſolum Auditores Congregationi, dumtaxat ut Conſultores, interveniant.

CAPUT XVIII.

De Fidei Promotore, & ejus Subpromotore.

1. 2 PRomotor, juxta ipſius Breve impreſſum in decretis generalibus, conſultus fert ſuffragium in Congregationibus. Præterea eidem communicandi ſunt proceſſus cauſarum, aliæque ſcripturæ: debet excitare difficultates: citandus eſt in quolibet proceſſu; nam vel per ſe, vel per Subpromotorem quibuſcumque Actibus intervenit: Pontificem, & Cardinales adit, ut, ſi opus fuerit, oretenus informet. Ante decreta Urbani VIII. nil contra perſpicua ſanctitatis argumenta proponebat; poſtea fere ſemper ſuper dubiis præcipuis difficultates excitavit, quæ in ſcriptis pro commodiori examine, vi eorumdem decretorum, exponendæ ſunt: ſi hæ ex reſponſionibus Advocatorum, tollantur, veritatem, ut Conſultor, fateri debet, exemplo Advocati Fiſcalis, & Commiſſarii Cameræ Apoſtolicæ, necnon Advocati Fiſcalis, & Advocati reorum in tribunali Inquiſitionis. Immo mandante Pontifice, aut Congregatione, ſenſum ſuum, licet cauſæ propitium, non ex munere, ſed ex obedientia, pro veritate exponere, ac ſcribere tenetur, ut in quibuſdam cauſis præſtitit.

3 &c. Eligitur a Summo Pontifice ex Advocatis Conſiſtorialibus, uti habetur in regeſtis Congregationis (b). b an.1631.
Ex iiſdem etiam eligitur Fiſci Advocatus, & hic olim erat etiam Promotor fol.131.
Fidei;

Fidei; ſed pluribus de cauſis, ponderatis ab Auditoribus Rotæ *in relat. S. Hyacinthi Poloni*, hæc duo officia viſa ſunt ſeparanda, & ſeparavit Clemens XI., uti colligitur ex ejus literis in forma Brevis expeditis 7. *Aprilis* 1708.

7. &c. Munus Promotoris Fidei non viguiſſe ſæculo decimoquarto, eruitur ex Ægidio Bellamera *de Reliq. & vener. SS.* Ejus mentio primum, quod ſciamus, fit in Brevi Leonis X. pro cauſa S. Laurentii Juſtiniani: tum in remiſſoria expedita a Clemente VII. in cauſa S. Jacobi de Marchia apud Raynaldum (*a*), ſubinde in quibuſdam
a ad ann. 1525. n. 103.
Clementis VIII. bullis Canonizationum, in quibus citatus dicitur Fiſci Procurator, qui in regeſtis Congregationis rituum (*b*) aliquando in Fidei
b ann. 1609. 1620. 1621.
Promotorem deputatus comperitur.

10 Ex his apparet, munus Promotoris Fidei ante decreta Urbani VIII. delatum fuiſſe utplurimum Advocato Fiſcali, non tamen per modum generalis commiſſionis in omnibus cauſis. Officium itaque Promotoris, qui in ſingulis cauſis Beatificationis, & Canonizationis, tamquam pars formalis, citandus ſit, ab Urbano VIII. inſtitutum eſt, a Clemente XI. ab officio Advocati Fiſci ſejunctum, & a Clemente XII. iterum unitum (*c*): ſeparatum tamen adhuc remanet vi litterarum Clementis XI., quamquam unibile etiam ſit, ſi Pontifici expedire videatur.
c per litt. Apoſt. 29. Mart. 1734.

11 &c. Promotor habet in Urbe Subpromotorem. Hic jurare debet de ſervando ſecreto: proceſſus expendere, & in compendium redigere, ad concordandum factum ſuper dubiis comparere, aliaque nomine Promotoris, prout huic viſum fuerit, peragere poteſt, ut habetur in Brevi Promotoris. Nihilominus Promotor non eximitur ab accurata proceſſuum reviſione, & ſi quid obſtans reperiatur, Subpromotoris eſt obſtantium ſummarium conficere pro comprobandis oppoſitionibus Promotoris, juxta decreta Innocentii XI. A Promotore eligitur Subpromotor, ejuſque arbitrio removeri, vel alius ſubſtitui poteſt, ut conſtat exemplis. Ad proceſſus auctoritate Apoſtolica extra Urbem conficiendos Promotor eligit Subpromotorem in loco proceſſus, præſtita ſimul facultate Judicibus delegatis alium eligendi, ſi id illis expedire videatur. Si locus non valde diſtet, idoneum Subpromotorem poteſt ab Urbe mittere.

15 Aliquando ſuper officio Promotoris, & Subpromotoris quæſtiones ortæ ſunt. In cauſa S. Aloyſii Gonzagæ Congregatio Promotori, qui tunc erat Benedictus XIV., mandavit, ut perpenſis documentis, cauſæ ſtatum referret. Longam cauſæ narrationem exaravit, cui, & documentis Poſtulatorum ſubſcripſit. Sed Cardinalis cauſæ Relator de validitate hujus ſubſcriptionis dubium propoſuit, quaſi ea ad Subpromotorem pertineret vi decretorum Innocentii XI. (*d*) d §. 11.
Promotor, ne ſuo officio præjudicium inferretur, Pontificem adiit, expoſuitque, Subpromotorem vi Brevis Promotoris omnia hujus arbitrio agere; ideoque Pontifex geſta Promotoris valida eſſe declaravit.

CAPUT XIX.

De Notario, & archivi Inſpectore, Interpretibus proceſſuum, Procuratoribus, Advocatis, & Medicis, aliiſque Miniſtris Congregationis ſacrorum rituum.

1 &c. HÆC inſtar aliarum Congregationum habet ſuum peculiarem Notarium, cujus officium cum officiis Notariorum ſacræ Rotæ, vel Cardinalis Vicarii non eſt umquam juſtas ob cauſas unitum, licet de uniendo actum fuerit. Olim eligebatur a Congregatione; nunc illum Pontifex nominat, nominatum Secretarius Congregationi ſignificat, ſignificatum Congregatio eligit. Electus debet emittere juramentum de

C 2 officio

Digitized by Google

officio fideliter exercendo, & taxatione emolumentorum ſervandæ: nunc die Congregationem præcedenti ſolet adire Secretarium, & Fidei Promotorem, ut intelligat, an ejus opera indigeant. Omnes Congregationis cauſæ ad ipſum, privative, pertinent ex decreto *6. Julii 1715.* At Cardinalis Vicarius in conficiendis in Urbe auctoritate Apoſtolica proceſſibus Beatificationis, & Canonizationis alio Notario uti poteſt, cum procedat ut delegatus.

6 &c. Notarius eſt ſimul Archivi Congregationis Inſpector: archivo huic Urbanus VIII. locum aſſignavit in palatio Vaticano, & in eo cuſtodiri debent authentici proceſſus cauſarum SS., eorumque interpretationes, ſeorſum ab aliis ſcripturis, nec inde removeri poſſunt, niſi de mandato Cardinalis Relatoris, vel Promotoris Fidei. Claves loci ſcripturarum a Protonotario retinentur, apud quem, & Secretarium, ac Promotorem aſſervandum eſt proceſſuum inventarium, cujus etiam exemplar in archivo retineri debet: in fine cujuslibet anni inventaria cum proceſſibus conferenda ſunt, ut
a 9.5. & 6. deſumitur ex decretis Innocentii XI. (a) Poſt hæc decreta proceſſus in archivo exiſtentes non commodantur amplius Procuratoribus, & Poſtulatoribus: & ſiqui apud hos crediti reperiuntur, non recipiuntur a Notario in archivum, niſi a Promotore recognoſcantur, ut reſpondit Congregatio 22. *Apr. 1684.*

10 Ex dictis Innocentii decretis pro conſcriptis extaro idiomate proceſſibus, Cardinalis Relator Interpretem, citato, & audito Promotore Fidei, eligere, ac virum probum ad interpretationem recognoſcendam ſecreto aſſumere debet, & ab utroque juramentum de fidelitate exigere. Interpres ſubſtantialiter errans arbitrio Congregationis punitur.

11 &c. Scripturæ ad Beatificationes, & Canonizationes ſpectantes non leguntur in Congregatione, niſi a Procuratore ſubſcriptæ, ex decreto 31. *Auguſti 1680.* Procuratores in his cauſis eſſe debent, privative, ex collegio palatii Apoſtolici, niſi Pontifex, vel, eo probante, Congregatio aliis facultatem impertiatur. Unuſquiſque Procurator quatuor tantum cauſas tueri poteſt ex decreto Innocentii, & Congregationis (*b*): quod tamen, juſtis de cauſis, non eſt more receptum. In quocumque cauſæ ſtatu Procurator mutari poteſt ex legitima ratione, & ex Ponentis licentia, ſed alter ex eodem collegio eſt ſubrogandus. Ad tuendam autem amoti æſtimationem admitti poteſt examen æquitatis cauſæ, juxta juris diſpoſitiones.

b 26. Novemb. 1678. 10. Dec. 1721.

15. 16 Advocatis Conſiſtorialibus, ob illuſtres hujus collegii qualitates, & munera, collata eſt prærogativa ſcribendi in jure pro his cauſis, cum etiam in Conſiſtoriis pro Beatificationibus, & Canonizationibus ſoli exorent. At cum hi ſæpe aliis curis diſtineantur, Congregatio conſuevit approbare duodecim alios Curiæ Advocatos, quorum quilibet ſex tantum cauſas patrocinari poteſt ex decretis Innocentii XI., quamquam & id de more non obſervetur.

17 Medici Phyſici, Chirurgi, & Mathematici quoad miracula, & alia, ſi opus fuerit, a Congregatione conſuluntur. Si enim Poſtulatores pro miraculi comprobatione ſcripturas Medicorum exhibeant, Cardinalis Relator ex officio alium Medicum ſecreto, ac prævio juramento de veritate dicenda eligit, qui pro veritate ſcribat, juxta decreta Innocentii XI.; quod quidem etiam antea in uſu erat, ut ex pluribus cauſis deſumitur.

18 &c. Scripturæ in cauſis SS. olim ante abſolutam cauſam typis imprimi non poterant ex decretis Urbani VIII. ſed id Alexander VII. alio decreto conceſſit. Verum ſexaginta dumtaxat exemplaria, niſi plura Secretarius Congregationis deſideret, excudi poſſunt. Non exigitur pro impreſſione facultas Viceſgerentis, aut Magiſtri ſacri palatii, immo pro animadverſionibus Promotoris Fidei ſufficit hujus ſubſcriptio.

At

At ſcripturas Procuratorum, & Advocatorum Subpromotor ante impreſſionem examinare debet, & ex decretis Innocentii XI. cum proceſſibus conferre, & in ſingulis foliis ſe ſubſcribere cum atteſtatione reviſionis. Impreſſæ publicari nequeunt, ſub graviſſimis pœnis, ante iteratam Subpromotoris recognitionem, collationem cum manuſcriptis, & ſubſcriptionem in fine, quam ſequitur ſubſcriptio Secretarii Congregationis, & ſigilli obſignatio: majorem tamen fidem non faciunt, quam manuſcriptæ. Earum impreſſio pertinet ad typographum Cameralem, ſi taxationem ſtatutam obſervare velit; aliter conceditur aliis Urbis typographis. Extra Urbem prohibita eſt ſub iiſdem pœnis, quæ ſtatutæ ſunt adverſus imprimentes ſine Ordinariorum approbatione libros de geſtis defunctorum cum fama ſanctitatis, Typographi quoque Cameralis eſt imprimere Martyrologium Rom., Officia SS., & conceſſionis decreta, aliis ubicumque excluſis, niſi facultas accedat Inquiſitorum hæreticæ pravitatis, vel Ordinariorum, non concedenda, niſi habito decreto Congregationis, aut exemplari Cameralis typographi anthentico, juxta decreta Congregationis die 11. *Auguſti* 1691.

24 Poſtulatores a promoventibus cauſas SS. eliguntur, & in Romana Curia degunt, plura pro cauſis ſibi commiſſis adimplentes. Conſultoribus Congregationis hoc munus ſuſcipere nunc interdictum eſt ex decreto Clementis XII. die 11. *Martii* 1733.

CAPUT XX.

De diligentiis per Romanos Pontifices antiquiori tempore adhibitis in diſcuſſione cauſarum Beatificationis, & Canonizationis, & de ſerie Actorum, quæ eædem antiquiori tempore pertractabantur.

1 &c. SUmma in hujuſmodi cauſarum diſcuſſione Pontificum diligentia ex antiquioribus, quas non ſemper Beatificatio præcedebat, Canonizationibus aperte deſumitur. SS. Udalricum, Gerardum Tullenſem Epiſcopum, alioſque in Conciliis canonizarunt Joannes XV., S. Leo IX., aliique Pontifices, perpenſis ſemper diligenter vita, & miraculis, quorum teſtes erant viri fide digni, ut dicitur in diplomatibus, aliiſque monumentis.

7 &c. Series Actorum in his cauſis, poſtquam Pontifices extra Concilia illas examinare cœperunt, refertur in Ordine Rom. Card. Cajetani apud Mabillon. (*a*); & ab aliis, quorum hæc ſumma eſt: Pontifex ad iteratas inſtanter virorum gravium preces rem in Conſiſtorio ſecreto proponere conſuevit, aut aliquibus Epiſcopis, aut optimis, integriſque viris committere, ut inquirerent ſuper fama ſanctitatis, & miraculorum in genere: eorum relatione accepta, rem iterum in Conſiſtorio ſecreto proponebat, iiſdemque, aut aliis mandabat, ut inquirerent ſuper fama, vita, & miraculis in ſpecie, ac individuo. Hac inquiſitione tranſmiſſa, & in Curia Romana a viris prudentibus expenſa, atque approbata, Papa in Conſiſtorio ſecreto primum, deinde in publico agebat de Canonizatione, ſtatutoque die ad illam procedebat. Huic ſummæ, ex Actis Canonizationum SS. Didaci (*b*), & Raymundi (*c*) apud Peniam deſumptæ, ſi addantur, quæ a tribus Cardinalibus, ut ſupra, peragebantur, ſatis innoteſcit ordo, olim a S. Sede in his cauſis pertractandis, & definiendis adhibitus: ſed & opportunum videtur alia quædam hic referre.

a muſ. Ital. to. 2.

b l. 3. c. 2.

c l. 3. c. 1.

10 &c. Gregorius IX. in cauſa S. Eliſabeth, & aliorum mandavit, ut teſtes ſedulo examinarentur de cauſa ſcientiæ, ac de omnibus rerum, quas teſtabantur, circumſtantiis: ut Divinum præſidium imploraretur: ut viri prudentes, docti, & pii advocarentur, qui teſtium examini adeſſent, uti patet ex epiſtolis apud Raynaldum (*d*), & Waddingum (*e*): In cauſis SS. Antonii, & Franciſci Cardinalibus

d ad an. 1233. n. 54.

e to. 1. annal. fol. 445 & 549.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

libus adverſantibus multum detulit, apud Bolland. (*a*), & Surium (*b*). Hanc ipſam diligentiam adhibitam teſtatur Galeſinius *in Actis S. Didaci* (*c*), affirmans, cauſam S. Stanislai ab Innocentio IV. commiſſam fuiſſe Cardinali, qui ejus *Canonizationem valde admodum impediebat*. Verum ex Joanne Longino apud Bolland. (*d*) alteri Cardinali commiſſa fuit cauſa, & ſolum difficultates excitavit Reginaldus Cardinalis adverſarius, qui tandem miraculo motus, ipſe quoque Canonizationi expediendæ favit. Præterea Innocentius IV. in eadem cauſa S. Stanislai Jacobum Velletrenſem Minoritam in Poloniam miſit, ut Acta authentica exploraret, teſtes iterum excuteret, aliaque perageret, quæ legi poſſunt in ipſius epiſt. apud Raynaldum (*e*). Clemens IV. vero Canonizationem S. Heduvigis, utcumque eidem Cardinales ſuffragarentur, tandiu diſtulit, donec novo miraculo ad illam conficiendam adductus eſt, teſte Longino (*f*).

13 &c. B. Gregorius X. in cauſa S. Ludovici Galliarum Regis, antequam quidquam ageret, totius vitæ ſeriem ab ejus Confeſſario per litteras exquiſivit. Magnam item Actorum molem in eadem cauſa conſtructam fuiſſe Pontificum diligentia, teſtatus eſt Bonifacius VIII. In concione, quam in Conſiſtorio habuit, & quæ typis impreſſa eſt apud Raynald. (*g*). Alia plura deduci poſſent ex novo Canonizationum codice: adducta tamen ſatis oſtendunt Romanorum Pontificum diligentiam ad veritatem in his cauſis, omni ſemota fraude, aſſequendam.

16 &c. Quod ſpectat ad Beatificationes, aſſeruerunt nonnulli, ſummos Pontifices olim Dei Servis aliquem cultum nimis facile indulſiſſe, addita ſolum clauſula, quod ii non cenſerentur canonizati, uti appoſita fuit a Clemente VII. in literis Apoſtolicis (*h*) pro cultu Servi Dei, nunc Sancti Hyacinthi. Revera tamen numquam ejuſmodi cultum, etiam ante inſtitutam Congregationem rituum, niſi cauſa cognita, indulſerunt. Sane Beatificationes nonnullas per ſe, alias per delegatos expleverunt. Innocentius IV. Petrum Gonzalez, vulgo S. Telmum, beatificavit, teſte Bzovio (*i*); modus tamen ignoratur, deficientibus bulla, ac monumentis contemporaneis. Plures ab aliis Pontificibus beatificatos referunt Bollandiani (*k*), & alii, præcedentibus tamen ſemper, exacteque perpenſis authenticis documentis de eorum vita, & miraculis. Idem præſtitum eſt ab eorum Delegatis. Rudeſindum in Hiſpania Hyacinthus Cardinalis, & Sedis Apoſtolicæ Legatus: Notkerum Epiſcopus Conſtantienſis ex commiſſione Julii II.: alios alii Pontificum Delegati inter Beatos retulerunt, cultumque in eorum honorem decreverunt, apud Bolland. (*l*), & alios, comprobatis tamen prius per multorum teſtium examen virtutibus, & miraculis, additaque aliquando clauſula ſuperius memorata.

a ad 13. Junii.
b c. 1. to. 5. ad 4. Oct.
c par. 3. c. 6.
d ad 7. Maji.
e ad ann. 1252. n. 8.
f to. 1. hiſt. Polon. l. 7. col. 781.
g ad ann. 1272. n. 59.
h 1. Febr. 1527. & 15. Jun. 1530.
i ad ann. 1246. n. 3.
k to. 1. Maji pag. 536. to. 2. Jan. p. 1070. & 1076. to. 3. Mart. p. 245 & to. 1. Apr. p. 165.
l to. 1. Mart. pag. 118. to. 3. Febr. p. 160 to. 1. Apr. p. 380.

CAPUT XXI.

De Conſiſtoriis, quæ olim cogebantur pro definiendis cauſis Canonizationis.

1. 2 DUplex erat Conſiſtorium. Unum, in quod ſoli Cardinales; alterum, in quod, præter ipſos, Archiepiſcopi, Epiſcopi, & Præſules, apud Sedem Apoſtolicam degentes, conveniebant. In primo examinabatur cauſa mature perpenſa a Cappellanis Papæ; qui a Cardinalibus requirebat, an procedendum eſſet ad Canonizationem; ſi id viſum fuiſſet, definitio inter Cardinales ſecreto cuſtodiebatur, teſte Oſtienſi (*m*). Legebantur etiam in eo depoſitiones teſtium ſuper virtutibus, & miraculis, & agebatur de ſufficientia probationum, ut habetur in Ordine Rom. Card. Cajetani (*n*), aliiſque monumentis: Cardinales quoque deputati cauſæ merita exponebant, ut legitur in *bulla*

Cano-

m in cap. Audivimus de Reliq. & vener. SS. n. 5.
n apud Mabillon. muſ. Ital. to. 2. p. 419.

Digitized by Google

Canoniz. SS. Bernardini, & Catharinæ Sen., idque pro regula ſtatutum videtur in libro cæremoniarum ſub nomine Chriſtophori Marcelli Archiepiſcopi Corcyrenſis edito, ſed revera ab Auguſtino Patritio Piccolomineo Epiſcopo Pientino compoſito.

3 &c. In altero Conſiſtorio Pontifex acta cauſæ exponebat: mox Epiſcopi ſuffragia ferebant, ut deſcribit Auctor carminum de Canoniz. S. Petri Cæleſt. apud Bolland. (*a*). At ſubſecutis temporibus, ſeptem, aut octo Præſules eligi conſueverunt, qui ſeriem cauſæ perorando exponerent, ut eruitur ex cit. Ord. Rom., ubi etiam incipiendæ perorationis modus deſcribitur. Ob difficultatem omnia hæc in uno Conſiſtorio peragendi, ſuperadditum fuit tertium, in quo ſuffragia Cardinalium, & Epiſcoporum Papa exquirebat, ſicuti tot Præſulum perorationibus ſubſtituta fuit oratio unius Advocati Conſiſtorialis de Actis cauſæ, ut refert Penia *in vita S. Raymundi* (*b*), & uti habetur ex antiquioribus monumentis. Hujus orationis, in ſecundo Conſiſtorio habitæ, ſummam, juſtis de cauſis Advocatus Conſiſtorialis in tertio Conſiſtorio repetebat, teſte Volaterrano in Canoniz. S. Bonavent. apud Raynald. (*c*), cui alia monumenta conſentiunt. Præterea Pontifex de ſtatu, ac meritis cauſæ loquebatur. Auditores vero Rotæ, ac præſertim cauſæ Commiſſarii intererant, ut difficultatibus ſatisfacerent, ex cit. lib. cærem., & aliis.

a ad 19. Maji to. 4. p. 478.

b l. 3. in obſer. ad c. 36.

c ad ann. 1482. n. 46.

10 &c. Cuncta hæc antiquam Romanorum Pontificum diligentiam reſpiciunt in Beatificationibus, & Canonizationibus peragendis. Refellendæ nunc ſunt nonnullæ aſſertiones, quæ adverſari videntur. Ferunt, Joannem XXII. ſe obtuliſſe paratum ad canonizandum unum ex Ordine Prædicatorum, quem Ordinis proceres obtuliſſent, juxta epiſtolam Petri de Palude Vicarii Ordinis ad Jacobum Aragoniæ &c. Regem, quæ edita eſt a Penia in vita S. Raymundi de Pennafort (*d*). Verumtamen ex hac epiſtola canonizandus præfertur vir, qui fuiſſet virtutibus, & miraculis inſignis, nec examen excluditur. Immo ex multis illius Ordinis, qui erant Canonizatione digni, non B. Raymundum ab Ordine oblatum, ſed Thomam de Aquino Pontifex in album Sanctorum retulit.

d l. 3. c. 13.

13 &c. Ferunt inſuper, Cardinalem Beſſarionem aſſeruiſſe, de antiquis Sanctis ſe dubitare, cum quoſdam ſuo tempore canonizatos videret, quorum vitam ipſe, in eorum cauſis ſuffragium ferens, improbaverat. Verum effatum hoc non extat in ejus operibus; & illud Guillelmus de Bellai, & Joannes Bodinus, nullo innixi idoneo teſtimonio, vulgarunt. Et Guillelmus quidem, præter alia, de quibus merito accuſatur, de Canonizatione male ſenſit: Joannes vero ipſam Chriſtianam Religionem male accepit, adeout vel ſine ulla Religione, vel Judæum nonnulli exiſtiment mortuum: neutri proinde fides habenda. Accedit huc, quod plures, cum Beſſario eſſet Cardinalis, fuere canonizati, conſentientibus, ut dicitur in bull. Canoniz., unanimiter Cardinalibus; adeoque etiam Beſſarione. Solum in bull. Canoniz. S. Nicolai de Tolent. unanimis hic aſſenſus non aſſeritur, ſed neque excluditur: immo ex innocentia vitæ S. Nicolai, cui accedit præclarum S. Antonini teſtimonium, & ex magno miraculorum numero, ingenti teſtium multitudine comprobato, & in publico Conſiſtorio relato, etiam Beſſarionis aſſenſus deduci poteſt. Demum ex prodigio ſanguinis ex ejus brachio interdum manantis, Beſſarionis dictum, quatenus fuiſſet prolatum, ſatis refelleretur, & a cordatis viris Beſſario ipſe temeritatis merito argueretur; cum in Congregationibus quiſque poſſit ſenſum ſuum libere aperire, non tamen adverſantem reliquorum deliberationem dictis convellere, præcipue in hac re, in qua Cardinales ſunt Conſultores, Papa eſt Judex, & quæ divina

vina potius, quam humana cenſenda eſt.

CAPUT XXII.

De ſerie Actorum in cauſis Beatificationis, & Canonizationis juxta præſens Sedis Apoſtolicæ inſtitutum, & de diligentiis, quæ in eorum examine fiunt.

1 &c. Actorum ſeries juxta præſentem Sedis Apoſtolicæ conſuetudinem paucis hic exponitur; de quibus tamen ſingillatim, ac fuſius agemus alibi. Interim hæ cauſæ vel ſunt Confeſſorum, vel Martyrum: vel ante, vel poſt Urbani VIII. decreta introductæ: vel per viam non cultus, vel caſus excepti. In cauſis Confeſſorum poſt Decreta introductis per viam non cultus Sedes Apoſtolica non inquirit, niſi poſt probatam famam virtutum, & miraculorum, probatumque non cultum. Ordinarius unum proceſſum ſuper virtutibus, & miraculis in genere, alterum ſuper non cultu auctoritate ſua conficit; ac ſuper obedientia decretis Urbani, adeoque de cultu publico non exhibito ſententiam profert: quam ſi omittat, Congregatio mandat, ut proferat prout de jure. Verum hodie poteſt Ordinarius ſecundum proceſſum omittere; nam hic, ſignata commiſſione, conficitur auctoritate Apoſtolica, & Congregatio ſuper obedientia decretis Urbani pronuntiat.

4 &c. Proceſſus hi ad Urbem delati, a Secretario Congregationis traduntur Notario. Poſtulatores a Congregatione Ordinaria petunt, ut aperiantur: apertio autem fit (citato Fidei Promotore, & adductis teſtibus pro illorum recognitione) coram Cardinali Congregationis rituum Præfecto, juxta decretum 3. *Decemb.* 1650. Inde Cardinali cauſæ Relatore delegato a Pontifice, electiſque vel a Cardinali Relatore, vel a Cardinali Præfecto proceſſuum Interprete, ac, ſi opus ſit, Reviſore; ante alia revidenda ſunt opera Servi Dei, ſi adſint. Operibus approbatis, poſt decem a traditis proceſſibus annos fit locus *ſignaturæ Commiſſionis*, qua ſignata (non autem quando ſolum petita eſt) Sedes Apoſtolica manus appoſuiſſe dicitur, & Ordinarius nil amplius poteſt.

7 &c. *Signatura Commiſſionis* aperit viam ad conficiendos proceſſus Apoſtolicos. Quocirca fit auctoritate Apoſtolica proceſſus ſuper non cultu, & ſuper eodem Delegatus fert ſententiam, ſi Ordinarius hæc omiſerit. Omnia tranſmittuntur ad Urbem: proceſſus, ut ſupra, aperitur, ſed coram Protonotario, juxta decreta Urbani VIII. Approbato a Congregatione ordinaria judicio ſive Ordinarii, ſive Delegati ſuper non cultu, Poſtulatores ab eadem petunt *literas remiſſoriales* ad proceſſum ſuper fama ſanctitatis, & miraculorum in genere. Hæ litteræ tribus Epiſcopis cum clauſula, ut duo ſaltem procedant, inſcribuntur, & ſolum pro dicto proceſſu ſuper non cultu, ſi ab Ordinario omiſſus fuerit, diriguntur ad unum. Fama rite probata, & in Congregatione ordinaria approbata, expediuntur novæ *litteræ* ad proceſſum ſuper virtutibus, & miraculis in ſpecie. His proceſſibus, ut dictum eſt, tranſmiſſis, & apertis, eorumque validitate in Congregatione ordinaria approbata, prius virtutes, inde miracula examinantur. Juxta Decreta tamen Urbani VIII., quibus in hac parte numquam derogatum intelligitur, niſi in reſcripto Pontificis expreſſum fuerit, dubium virtutum ſolum diſcuti poteſt poſt elapſos ab obitu Servi Dei quinquaginta annos. Proponitur autem hoc dubium primo in Congregatione antepræparatoria, ſecundo in præparatoria, tertio in generali, eoque favorabiliter abſoluto, agitur ſimiliter de miraculis. Duo miracula approbata requiruntur pro Beatificatione, licet nonnullæ expletæ fuerint, appro-

approbatis pluribus, quam duobus. Benedictus tamen XIV. ſtatuit, quatuor requiri, ſi virtutes probatæ fuerint per teſtes de auditu, aliiſque probationibus ſubſidiariis.

11 &c. In Congregatione generali coram Pontifice proponuntur ſolum dubia præcipua, nempe de virtutibus, & miraculis, minora in ordinaria reſolvuntur; reſolutio per Secretarium Pontifici refertur, ac robore caret, niſi ab ipſo confirmetur. Sentiunt communiter Scriptores, Pontificem in arduis, uti ſunt hæ cauſæ, teneri ex honeſtate aliorum conſilia exquirere. Quocirca ſi dubiorum minus principalium reſolutioni pluralitas ſuffragiorum faverit, & rationes Pontifici placuerint, prudenter is poteſt, uti mos eſt, reſolutionem confirmare. Sed difficultas eſt quoad dubia præcipua, virtutum ſcilicet, & miraculorum, utrum concordia ſuffragiorum omnium ex honeſtate ſit neceſſaria, an major tantum pars pro prudenti approbatione requiratur. Pontifex enim non aperit animum in Congregatione, ſed actis de more gratiis Cardinalibus pro labore, & ſuffragiis latis, precibus, ac ſtudio veritatem aſſequi curat. Aliquandò hanc approbationem præceſſit unanimis ſuffragantium conſenſus, cum ſcilicet pauci eſſent Congregationi rituum adſcripti: nunc, cum eorum numerus excreverit, difficulter unanimis hic conſenſus reperitur, niſi, dum, approbatis virtutibus, aut Martyrio, ac miraculis, proponitur dubium, an procedi poſſit ad Beatificationem. Nonnulli majorem partem ſufficere aſſerunt, addentes eam præſumi graviorem, & ita ſervari in Congregatione Inquiſitionis, immo & in Conciliis generalibus: ut de Tridentino teſtatur Card. Pallavicinus (a). Alii duarum ſaltem ex tribus partibus Conſultorum, & omnium fere Cardinalium Congregationis rituum conſenſum exigunt. Tutior, & uſui Sedis Apoſtolicæ conformior ſententia eſt, duas ex tribus partibus in unam individuam rem convenientes requiri, & ſufficere, præcipue ſi, judicio Pontificis, adſint peritiores, & aptiores. Non autem ſatis eſſe majorem partem colligitur ex materiæ gravitate; ſic in electione ſummi Pontificis duæ ex tribus partibus Electorum nunc requiruntur. Nec urget exemplum Congregationis Inquiſitionis, & Conciliorum generalium, quia in illis agitur de cauſis neceſſario definiendis, quales non ſunt cauſæ Sanctorum. Uniformitas eſt fere impoſſibilis ob ingeniorum varietatem, & Suffragatorum multitudinem: igitur neceſſariæ ſunt duæ ex tribus partibus, juxta inſtitutum, & conſuetudinem ſanctæ Sedis, præcipue ſi adſint aptiores, & peritiores, quia de Jure Canonico non tam pluralitas, quam præſtantia Suffragatorum eſſe videtur opportuna, juxta text. in *cap. Eccleſia 57. de Elect.*

21 &c. Pontifex mentem ſuam ſuper virtutum, aut miraculorum approbatione aperturus, Secretarium Congregationis, & Fidei Promotorem advocat; quorum primus decretum edere debet. Approbatis tum virtutibus, tum miraculis, cogitur ultima Congregatio generalis, ac proponitur dubium, an tuto procedi poſſit ad Beatificationem. Auditis novis ſuffragiis Pontifex animum non exprimit, ſed ad aſtantium preces iterum recurrit, ac divinam opem implorat: demum Secretario, & Fidei Promotore iterum accitis, ſi ita cenſuerit, mentem de Beatificatione peragenda aperit; ſolemnitatis diem ſtatuit, ac Secretario Brevium mandat, ut conſuetas litteras Apoſtolicas expediat; ut colligitur ex duobus decretis (b) in cauſa tunc Servi Dei Joannis Franciſci Regis. Hæc Sedis Apoſtolicæ conſuetudo optima eſt, nec ab ea recedendum videtur. Auctorem habet Clementem XI., cujus doctrinam, diligentiam, eruditionem, aliaque ornamenta cum in rebus cæteris, tum maxime in Divinis; & ſignanter in his, Benedictus XIV. munere Promotoris

D Fidei

(a) in hiſt. Conc. Trident. l. 16. c. 4. n. 19.

(b) 28. Apr. 1715. & 7. Maji 1716.

Fidei ab eo decoratus, cum pluribus aliis teſtari poteſt, licet aliquando poſt ejus obitum ſacræ Congregationis inſtitutum fuerit paululum immutatum. Unica ſub eodem Clemente Beatificatio S. Joannis Franciſci Regis abſoluta eſt; & quamvis actum non fuiſſet in Congregatione rituum de locis, in quibus Miſſa, & Officium in honorem beatificandi celebrarentur, Pontifex id ſupplevit in litteris Apoſtolicis, quas ſuper beatificatione compoſuit. Olim de his in eadem Congregatione agebatur, ſed Pontifex, aut Secretarius Brevium ſupplere poſſunt, cum ab uſu plerumque pendeat.

CAPUT XXIII.

De nonnullis ad inſtitutum Congregationis Sacrorum rituum ſpectantibus, quæ ante tempora ſanctæ memoriæ Clementis XI. vigebant.

1 &c. OLim abſolutis judicio quoad virtutes, & Congregationibus præparatoriis quoad miracula, de his proponebatur dubium in Congregatione generali coram Pontifice. Conſultores primum, hiſque ex aula egreſſis, Cardinales ſuffragabantur. Pontifex deinde ferebat judicium; ſi approbaſſet, vocatis iterum Conſultoribus, Cardinalis cauſæ Relator approbationem narrabat, ac proponebat, an procedendum eſſet ad Beatificationem: Conſultoribus, & Cardinalibus ſuffragantibus, Pontifex ſuſpendebat judicium, ut opem Divinam, indictis, fuſiſque precibus, imploraret. Hæc deſumuntur ex Actis Beatificationis S. Franciſci Saleſii a Cappello collectis, & ex decreto ſub Clemente X. in cauſa Beatific. S. Franciſci Solani (*a*).

a 25. Septemb. 1674.

3 &c. Aliquando dubium de progreſſu ad Beatificationem, non in generali coram Pontifice, ſed in ordinaria Congregatione, accitis juſſu Papæ Conſultoribus, propoſitum fuit: eo affirmanter reſoluto, ac reſolutione narrata Pontifici, hic diſtulit approbationem, divinam opem imploraturus, ut colligitur ex decreto edito in cauſa S. Roſæ Limanæ (*b*). Approbatio autem diverſimode olim præſtita fuit. Poſtquam enim Congregatio cenſuerat progredi poſſe ad Beatificationem, Miſſamque, & Officium in honorem beatificandi certa die in determinatis locis celebrari, aliquando Pontifex poſt effuſas preces per diſtincta decreta eadem die edita, & ſenſum Congregationis approbavit, & diem Beatificationis peragendæ deſignavit, ut in cauſa Beatific. S. Roſæ de Lima, & aliorum: interdum diverſis diebus eadem diſtincta decreta edidit, ut in Beatificatione B. Franciſci Solani, & aliorum: nonnunquam Secretario Congregationis, & Promotori Fidei mandavit, ut Congregationem de Beatificatione abſolvenda certiorem redderent: poſt hæc in Congregatione ordinaria actum fuit de locis, in quibus Miſſa, & Officium in honorem beatificandi celebrarentur, ut in Beatific. Servi Dei Thuribii. Ex quibus omnibus apparet, aptius eſſe inſtitutum Clementis XI. ſuperius expoſitum.

b 21. Dec. 1667.

CAPUT XXIV.

De ſolemnitate Beatificationis.

1 &c. ANte Pontificatum Alexandri VII. nulla Beatificationis ſolemnitas in baſilica Vaticana celebrabatur, ſed abſoluta cauſa, Brevique expedito, & Poſtulatoribus tradito, alibi feſtum agebatur, ut colligitur præcipue ex Actis Beatificationis S. Andreæ Avellini, a Caggiano collectis. Verum Alexander, juſtis de cauſis, deſcriptis a Dominico Cappello in Actis S. Franciſci Saleſii, ſtatuit, ut primæ Beatificationis ſolemnia in prædicta baſilica celebrarentur. Hæc ſolemnitas conſiſtit in publicatione Indulgentiæ eo die in baſilica ab utriuſque ſexus Fidelibus confeſſis, & ſacra Communione refectis obtinendæ: in præſen-

præſentia Cardinalium, & Conſultorum Congregationis rituum, & Cleri baſilicæ: in exhibitione, & lectione Brevis Apoſtolici: in cantu hymni *Te Deum*: in detectione, & veneratione imaginum Servi Dei: in recitatione collectæ: thuris oblatione imagini Beati: celebratione Miſſæ: demum in acceſſu Pontificis poſt Veſperas ad colendam Beati imaginem. Poſtulatores curant, ut Notarius Congregationis rituum conficiat publicum de hac ſolemnitate inſtrumentum.

5 &c. Prima ſolemnis Beatificatio, quæ facta ſit in baſilica Vaticana, fuit S. Franciſci Saleſii (*a*), quam deinde aliæ plures ſubſecutæ ſunt: quarumdam autem iſtarum beatificationum Brevia in codice Canonizationum condito ab Archiepiſcopo Ancyrano deſiderantur, ideoque in appendicibus hujus operis dabuntur.

a 8. Januar. 1662.

14. 15 Peractis in baſilica Vaticana celebrationis ſolemniis, aliquando prima celebritas alicui determinatæ eccleſiæ ex gratia ſpeciali privative conceſſa eſt, ut ex pluribus decretis eruitur. Præterea in Beatificationum Brevibus conceditur, ut primo anno, inchoando a dato Brevis, celebretur feſtum cum Officio, & Miſſa in Eccleſiis talium, ac talium locorum, die ab Ordinariis ſtatuenda, & intra ſex menſes ab iiſdem præmonenda. Pro remotiſſimis vero regionibus annus computatur a die, quo illuc Breve pervenit. Aliquando ex gratia annus pro feſto, extra Urbem celebrando, prorogatus eſt, ut pro feſto Beatificationis Martyrum Gorcomienſium. Interdum ex gratia ſpeciali hoc feſtum ampliatum fuit ad alia loca, ultra ea, quæ deſignata fuerunt in Brevi, ut petente Carolo II. Hiſpaniarum Rege cum aliis, pro feſto Beatificationis B. Thuribii conceſſit Innocentius XI. (*b*)

b 27. Sept. 1679.

CAPUT XXV.

De tranſitu a Beatificatione ad Canonizationem.

1 &c. IN cauſis Confeſſorum per viam non cultus poſt decreta Urbani VIII. introductis, nova poſt Beatificationem miracula ſuperveniant, examinentur, & approbentur oportet, ut Canonizatio obtineatur. In decretis Urbani VIII. hæc miracula referenda ſolum dicuntur a Cardinali Ponente; adeoque neceſſitas ſeveri examinis novorum miraculorum deſumenda eſt ex ſubſecuta obſervantia, & ex decreto Clementis IX. (*c*) Utraque decreta præſcribunt, ut quæ cultum præceſſerunt, a Ponente ſolum referantur; idque merito ſtatuitur ad tollendam conſuetudinem revocandi iterum ad trutinam, quæ tam exacte ante Beatificationem diſcuſſa fuerant; quod ſicuti ſuperfluum videtur, ita neceſſarium cenſendum eſt, ut nova miracula accedant, & expendantur, ut cultus in Beatificatione permiſſus, per Canonizationem ad univerſam Eccleſiam præceptive extendatur.

c 10. Sept. 1668.

6 &c. Profecto examinata iterum fuiſſe in prædicto tranſitu a Beatificatione ad Canonizationem, quæ ante Beatificationem fuerant diſcuſſa, colligitur ex pluribus Canonizationum bullis, & decretis. Præterea in primo ex duobus tomis Actorum S. Tereſiæ, extantibus in Conventu S. Annæ de Urbe Carmelitarum Diſcalceatorum, habentur commiſſiones Pontificum, ut Congregatio inquireret in virtutes in genere, & in ſpecie: Congregationis geſta: Cardinalium ab ipſa delegatorum, & Auditorum Rotæ relationes ſuper validitate proceſſuum, ac ſuper veritate virtutum, & miraculorum: poſt hæc peracta fuit Beatificatio per limitatam Officii, & Miſſæ conceſſionem. In ſecundo tomo inter cætera exponitur, quod, novis peti-

tionibus pro Canonizatione ſupervenientibus, examinata fuerunt in tribus Congregationibus validitas proceſſuum, ſanctitas vitæ, & miracula: quibus favorabiliter reſolutis, Canonizatio abſoluta fuit.

12. 13 Ex his manifeſte colligitur prædicta iterata diſcuſſio olim adhibita. Cum autem aliquando in decretis Congregationis, & Litteris Apoſtolicis Beatificationum, poſt approbationem virtutum, & miraculorum, appoſita fuerit clauſula, poſſe Pontificem procedere ad Canonizationem, ipſum vero interim indulgere, ut Dei Servus coli poſſit tamquam Beatus, & conſequenter Poſtulatores ſine novis poſt Beatificationem miraculis Canonizationem petierint: id tamen non obtinuerunt, cum clauſula illa appoſita dicatur ad limitatum cultum tutius indulgendum, ut innuit Phœbeus in compendio Actorum S. Franciſci Saleſii. Addi poſſet, appoſitam fuiſſe illam clauſulam, quia de jure nihil ultra requireretur ad Canonizationem, ſed ex inſtituto Sedis Apoſtolicæ nova adhuc miracula accedere debent. Verum ut omnis ambigendi occaſio auferretur, Clemens XI. in Brevi Beatificationis Joannis Franciſci Regis ab ea conſulto abſtinuit, nec amplius apponenda videtur, uti appoſita non fuit in Brevibus Beatificationum ſub Benedicto XIII. & Clemente XII.

CAPUT XXVI.

De ſerie Actorum in tranſitu a Beatificatione ad Canonizationem.

1 POſtulatores, auditis novis miraculis a Beato patratis, Congregationem ordinariam pro *ſignatura commiſſionis reaſſumptionis*, & pro *litteris remiſſorialibus* ad proceſſus auctoritate Apoſtolica ſuper illis conficiendos, ſuppliciter precantur. In his proceſſibus conſtruendis, tradendis, & aperiendis ſervantur, quæ ſupra de aliis notata ſunt. Eorum validitas in eadem Congregatione, miracula vero in antepræparatoria, præparatoria, & generali coram Pontifice diſcutiuntur; inde in eadem generali diſputatur dubium, an *approbatis miraculis tuto deveniri poſſit ad Canonizationem*. Duo miracula, etiamſi tertii generis, quidquid alii abſque fundamento dixerint, ſufficiunt, nec Benedictus XIV. in ſuo decreto 22. Aprilis 1741. ſupra cit. quidquam quoad hoc immutavit.

2 &c. Juxta antiquiorem uſum aliquando hoc dubium ſimul cum dubio de miraculis in una Congregatione, uti pro Beatificatione ſupra dictum eſt, diſcuſſum fuit; idque eruitur ex nonnullis Canonizationum Actis: cum hoc tamen diſcrimine, quod ſuper dubio, *an procedendum eſſet ad Beatificationem*, non conſtat, ſuffragia Conſultorum, & Cardinalium fuiſſe umquam tradita Secretario, reponenda inter Acta Congregationis; bene vero ſuper dubio de progreſſu ad Canonizationem, ut colligitur ex quibuſdam Canonizationum Actis. Rurſum, juxta ſuperius expoſita de Beatificatione, idem dubium aliquando propoſitum fuit in Congregatione, abſente Pontifice, cui tamen Secretarius ſuffragia Cardinalium, & Conſultorum retulit, ut eruitur ex decreto (*a*) in cauſa S.Franciſci Borgiæ. Immo ante decreta Urbani VIII. aliquando Cardinalis Congregationis Præfectus vel in Conſiſtorio, vel extra Conſiſtorium Pontifici exponebat, cauſam ita eſſe diſcuſſam, ut ad Canonizationem procedi poſſet, uti patet ex Actis S. Caroli (*b*) a Grattarola collectis. Interdum etiam id præſtiterunt Cardinales Congregationis, teſte Penia *in vita S. Raymundi de Pennafort* (*c*). Sed Clemens XI. ſemper in duabus Congregationibus generalibus illa duo dubia ſeorſim proponi voluit, reſolutionem ſemper differens, Divinam opem ſuis, aliorumque precibus implora-

a 21. Jan. 1670.

b c. 43.

c l. 3. c. 34.

ploraturus, ut ex quibuſdam Canonizationum decretis deſumitur; & hic ordo optimus eſſe, ac retinendus videtur. Nunc etiam conſervantur tantum inter Acta Congregationis rituum ſuffragia a Cardinalibus, & Epiſcopis in Conſiſtorio lata: ſuffragia vero Cardinalium, & Conſultorum ſuper progreſſu ad Beatificationem non amplius committuntur Secretario conſervanda, ſed ſolum eorum nomina, & ſenſus in regeſtis adnotantur, quod juſtis de cauſis ſatis eſſe videtur.

7 &c. At ſive in una, ſive in duplici Congregatione duo illa dubia expendantur, Pontifices tandem voluntatem ſuam ſuper Canonizatione per decretum manifeſtare debent, quod diverſimode tamen edi conſuevit. Aliquando enim Pontifices juſſerunt, expediri decretum Congregationis ſuper utroque dubio. Clemens XI., accitis Secretario Congregationis, & Fidei Promotore, approbationem miraculorum manifeſtabat, quod ſolum Secretarius in regeſtis Congregationis adnotabat. Habita deinde alia Congregatione ſuper progreſſu ad Canonizationem, ſi favorabilem Congregationis reſolutionem approbare voluiſſet, iiſdem Secretario, & Promotore accitis, edebatur decretum de approbatis miraculis, & de progreſſu ad Canonizationem, ut deſumitur ex quatuor cauſarum Canonizationis decretis, & ex decreto (a) in cauſa B. Staniſlai Koſtkæ. Sed aptior ordo eſſet, ſi per duo decreta utrumque ſeorſim approbaretur. Nec obſtat contraria antiqua conſuetudo; ideo enim per unicum decretum prædicta approbabantur, quia in unica Congregatione de iiſdem ſimul agebatur. At introducta ſub laudato Clemente duplicis Congregationis conſuetudine, ut dictum eſt, congruum videtur, ut duabus Congregationibus duo decreta correſpondeant, juxta morem ſub eodem Clemente pro Beatificationibus introductum, & in pluribus cauſis ſervatum.

(a) 19. Maji 1713.

CAPUT XXVII.

De ſerie Actorum in cauſis Martyrum, quæ introducuntur poſt decreta Urbani VIII., & quæ procedunt per viam non cultus.

1. 2 HÆC ſeries æquiparatur ordini ſuperius expoſito cauſarum Confeſſorum; niſi quod in cauſis Martyrum, poſita opinione, quod etiam in his requirantur miracula, ſeu ſigna, fit proceſſus auctoritate ordinaria ſuper fama, non virtutum, ſed Martyrii, cauſæ Martyrii, & miraculorum, ſeu ſignorum; expedit tamen, ut aliqua inſerantur de virtutibus, cum ſic facilius pronuntiari poſſit de Martyrio. Fieri etiam debet proceſſus ordinarius, vel Apoſtolicus ſuper non cultu. A novo proceſſu Apoſtolico ſuper prædicta fama Pontifices ſolvere conſueverunt.

3. 4 Poſt hæc diſputatur dubium, *an conſtet de Martyrio, & ejus cauſa*, ſicut in cauſis Confeſſorum, *an conſtet de virtutibus*. Notandum tamen primo, quod in cauſis Confeſſorum publicatur decretum de approbatione virtutum ante diſcuſſionem miraculorum: at in cauſis Martyrum nonnulli putant, vel ſuſpendendam eſſe reſolutionem ſuper Martyrio, & cauſa Martyrii uſque ad miraculorum approbationem, eo quod ex ea reſolutione cenſeatur approbata perſeverantia finalis in Fide, & Caritate, ideoque inutilis ſit diſcuſſio miraculorum; vel adnotandam in regeſtis Congregationis, ut mox una cum approbatione miraculorum publicetur. Veruntamen ſive ſolum in regeſtis notetur, ſive publicetur (utrumque enim aliquando factum eſt), cavendum omnino a tali reſolutionis ſuſpenſione: hæc enim & cederet in detrimentum cauſarum, cum interim mutari poſſent Conſultores, & uſui ſacræ Congregationis adverſaretur. Neque proinde ſuperflua erit

erit poſterior diſputatio de miraculis, ſeu ſignis: ſicuti enim Eccleſia in cauſis Confeſſorum certitudinem ſanctitatis exigit ex teſtimonio virtutum, & miraculorum; ita in cauſis Martyrum veritatem Martyrii deſumere intendit tum ex teſtibus de Martyrio, tum ex aliis miracula teſtantibus.

5 &c. Notandum ſecundo: in cauſis Confeſſorum prius omnino reſolvi debet dubium de virtutibus, poſtea de miraculis, ut conſtat ex decreto (a) in cauſa B. Hyacinthæ de Mareſcottis. Nec juvat obtrudere, quod aliquando ad reſolvendum dubium virtutum ob difficultates, ex probationum defectu, vel ex actuum qualitate occurrentes, opus ſit miracula diſcutere, præſertim cum Card. de Lauræa ſenſerit (b), perfici poſſe Canonizationem, ſtantibus miraculis, licet non conſtet de virtutibus: item quod ita res ſe habuerit in cauſa S. Joannis a Cruce. Etenim deficientibus probationibus virtutum, reſpondendum eſt, de iis non conſtare: qualitas actuum ex contextu vitæ dignoſci poterit: effatum Cardinalis de Lauræa rejicitur, ſicuti illud aliorum dictum, quod ſufficiant ſolæ virtutes: in cauſa tandem S. Joannis a Cruce judicatum fuit conſtare de virtutibus: non fuit tamen publicatum decretum antequam quidam libri examinarentur.

a 6. Dec. 1712.

b in 3. ſent. to. 4. diſp. 20. de mirac. art. 25. §. 4. n. 1119.

8. 9 In cauſis vero Martyrum una cum dubio de Martyrio, & cauſa Martyrii, agitur de ſignis, ſeu miraculis, ut conſtat ex reſcripto (c) in cauſa Ignatii Azevedo, & aliorum. Cohærenter ad hæc Benedictus XIV. Secretario Congregationis petenti, ut in cauſa Ven. Pauli Buralis Card. de Aretio, ſuſpenſa reſolutione virtutum, miracula expenderentur, reſpondit, prius omnino de virtutibus, poſtea de miraculis eſſe agendum, nec eſſe iſta duo complicanda. Hinc in examine virtutum proponi nequeunt miracula, etiamſi non proponantur tamquam approbanda, ſed ſolum ut ſuffragatori ſuum efformare de virtutibus judicium poſſint: quod in cauſa Servi Dei Franciſci Caraccioli factum eſſe male contenditur. Expleto judicio ſuper Martyrio, ejus cauſa, & ſignis, ſeu miraculis, proponitur in Congregatione generali dubium, *an tuto deveniri poſſit ad Beatificationem*. Pro hac duo miracula requiruntur, & ſufficiunt ex decreto Clementis XI. edito (d) in cauſa B. Joannis de Prado; ex qua, & ex aliis cauſis conſtat, Beatificationem anteire debere Canonizationem, quæ perficienda non eſt, niſi novis ſignis, ſeu miraculis ſupervenientibus, eorumque duobus approbatis.

c 7. Januar. 1671.

d 29. Nov. 1712.

CAPUT XXVIII.

De Auctorum opinionibus quoad ſigna, & miracula in cauſis Martyrum.

1 &c. Auguſtinus Triumphus (e), Chriſtianus Lupus (f), aliique plures in Martyrum Canonizationibus excludunt miraculorum neceſſitatem. Admittunt alii cum Oſtienſi (g), & Molano (h). Fortunatus Scacchus (i) mediam init viam, neceſſitatem hanc rejiciens in Canonizatione Martyrum ſolemni judicii forma occiſorum; quod ſic conſtet Eccleſiæ de ultimo actu voluntatis mortem acceptantis pro Chriſto: exigit tamen pro Martyribus, non ſervata ea forma occiſis; cum in his de ejuſmodi actu non conſtet. Caſtellinus (k) cum aliis docet, non requiri, ſed ſolum utilia eſſe miracula, ſi evidenter conſtet cauſa Martyrii: eſſe autem neceſſaria, ſi hæc evidentia non habeatur. Alii cum Conteloro (l) ſententiam, miracula excludentem rejiciunt, niſi Martyrium cum aliquo prodigio, aut ſigno fuerit conjunctum. Nonnulli apud Baldellum (m) miracula requiſiverunt in Martyribus, nec dignitate, nec vitæ ſanctitate inſignibus; ſecus ſi viventes iiſdem præfulſerunt. His aſſentiri videtur Bordonus (n). Alii non pro Beatificatione, ſed pro Canoni-

e de poteſt. Eccl. quæſt. 16. art. 13.

f to. 3. ad Synod. gener. & provinc. ad 4. Conc. Roman. ſub Leone IX. pag. 570.

g in ſumm. tit. de Reliq. & vener. SS. n. 4.

h in nat. SS. Belgii ad 4. Apr.

i in opere MS. de Confeſ. & Mart. ſect. 10. c. 2.

k de inquiſ. mir. in Martyr. Canoniz. concluſ. 5. pag. 50. & 141.

l de Canoniz. SS. c. 21. n. 11.

m Theol. mor. to. 2. l. 3. diſp. 14. n. 18.

n de mir. med. 4. n. 17.

nonizatione Martyrum neceſſaria eſſe miracula aſſirmarunt.

8 &c. Hæc quæſtio reſolvenda eſt ex Eccleſiæ, & Sedis Apoſtolicæ diſciplina, de qua cap. ſeq. Interim duæ ultimæ ſententiæ videntur prorſus improbabiles: Chriſtus enim ſine ullo diſcrimine omnibus pro ipſo morientibus beatitudinem promiſit, ut advertit Baldellus (a). Præterea in his cauſis primum Beatificatio, mox Canonizatio perficienda eſt: miracula antem requiruntur, ut de Martyrio conſtet, ejuſque cauſa, de quibus ante Beatificationem agitur. Rejiciendæ pariter ſunt opiniones reliquæ, tum quæ diſtinguit inter Martyres ſervata, vel non ſervata judicii forma, tum quæ utilitatem dumtaxat in miraculis agnoſcit: tum quæ ſigna ſolum requirit. Profecto Gregorius IX. in bull. Canoniz. S. Antonii Patavini (b) pro Confeſſorum ſanctitate perſeverantiam finalem ſuffieere ait quoad Eccleſiam triumphantem; virtutes vero, & miracula præterea requiri quoad Eccleſiam militantem. Idem ſentit ante ipſum Alexander III. in cauſa S. Thomæ Cantuarien. (c) Martyris, inquiens, pro Eccleſia triumphante glorioſam ſatis eſſe paſſionem, pro militante vero miracula exigi, ut certa ſit de glorioſa Martyris paſſione. Quapropter ſicut in Confeſſoribus, licet, ſervata judicii forma, de virtutibus conſtet, miracula tamen nedum utilia, ſed neceſſaria ſnnt, idem de Martyribus dicendum eſt; ideoque prædictæ ſententiæ non ſunt retinendæ, uti bene monet Hurtado (d).

12 &c. Quoad opinionem requirentem prodigia, vel ſigna, difficulter hæc a veris miraculis diſtingui poſſe notat Baldellus (e). Si enim miraculum eſt, quod naturæ vires vel quoad ſnbſtantiam facti, vel quoad ſubjectum, in quo ſit, vel quoad modum faciendi ſuperat; ſignum dici poterit, quod ex plurium circumſtantiarum concurſu admirationem excitat, quamvis earum nulla ſive conjunctim, ſive ſeorſum accepta naturæ vires excedat, ut cum in exercitu Marci Aurelii legio Chriſtiana pluvias, & fulmina e cælo ſuis deduxit precibus, quod in Chriſtianæ Religionis auctoritatem vertit Euſebius cum aliis. Similia memorantur in vitis Sanctorum, quæ non ita facile a naturæ viribus abjudicari poterunt. De his loquitur Silveſter Petraſancta (f). Verum enimvero vix inter ſigna, & miracula diſcrimen reperiri poteſt. Si enim ex pluribus circumſtantiis, neque conjunctim, neqne ſeorſim naturæ vires excedentibus, ſignum ſupra naturam non infertur, juxta Abulenſem (g): & ſi gratia, & ſanctitas ex effectibus mere naturalibus dignoſci nequeunt, ut docet D. Thomas (h): ad rem vero præſentem ſignum naturæ vires debet excedere; jam tale ſignum referendum erit ad miraculum tertii generis, quod videlicet ſaltem quoad modum habilitatem naturæ ſuperat. Cum autem miracula hujuſmodi in Sanctorum cauſis ſufficiant, nullum erit inter ſignum, ac miraculum diſcrimen. Et ſane ſuperius memorati effectus ad miracula tertii generis referuntur, teſte D. Thoma (i). Suffragantur huic opinioni alii Scriptores, & Conſultores Congregationis rituum, vel nullum, vel ſolum quoad effectum differentiam inter prædicta dignoſcentes. Neque obſtat, quod in ſacrorum rituum Congregatione in cauſis Martyrum dubium proponatur, *an conſtet de miraculis, ſeu ſignis*; cum tamen in cauſis Confeſſorum dicatur ſolum, *an conſtet de miraculis*. Nam mens Congregationis non ex dubiis in ea propoſitis, ſed ex ejus decretis, ac reſolutionibus, a Pontifice confirmatis, deſumenda eſt. Sciendum tamen, cauſas Martyrum a Rotæ Auditoribus olim diſcuti conſueviſſe, qui arbitrabantur, miracula in iis non eſſe neceſſaria, ſed ſigna utcumque ſufficere inſolita, & mirabilia. Delato autem ad Congregationem rituum examine Rotalis relationis, proponi cœpit dubium complexivum miraculorum, & ſigno-

a loc. cit.

b in nov. cod. Canoniz. pag. 65 & in nov. Bull. Rom. to. 3. pag. 272.

c in nov. cod. Canoniz. pag. 17

d de vero Mart. reſol. 44. §. 3.

e loc. cit.

f In thaum. ver. Relig. tom. 1. in prolog. §. 19 pag. 11.

g in cap. 7. Iſaiæ pag. 5.

h 2. 2. q. 178 ar. 1.

i par. 1. quæ 105. ar. 8.

ſignorum; neque adhuc Congregatio dubium mutavit, tum quia nondum decrevit, neceſſaria eſſe miracula in cauſis Martyrum, tum quia ex dictis miracula dicuntur etiam ſigna, & ita in Evangelio, & in quibuſdam Canonizationum bullis appellantur; tum demum quia particula *ſeu* modo *disjunctivam*, modo *copulativam*, modo *declarativam*, & *expoſitivam* orationem importat.

CAPUT XXIX.

De Eccleſiaſtica diſciplina quoad miraculorum neceſſitatem in Martyrum cauſis.

1. 2 IN Martyrum cauſis virtutes etiam aliquando ſpectatæ fuerunt, uti colligitur ex epiſtola encyclica Eccleſiæ Smyrnenſis de Martyrio S. Polycarpi apud Euſebium (*a*), ex bull. Canoniz. SS. Thomæ Cantuarien., ac Petri Martyris, & ex aliis monumentis. Neque tamen inde inferri valet neceſſitas inquirendi in virtutes, ut quis pro Martyre habeatur, uti bene monet Card. Bellarminus (*b*) cum aliis. Ceteris enim exemplis prætermiſſis, SS. Jacobus interciſus, Caſtus, & Æmilius tamquam Martyres habiti ſunt, & habentur in Eccleſia, licet prius lapſi fuerint. De iis S. Cyprianus (*c*), S. Auguſtinus (*d*), aliique loquuntur.

3 &c. De ſignis quoque, & miraculis in Martyrum vindicatione olim ratio habebatur, ut ex cit. epiſtola Smyrnenſi, & ex plurium Sanctorum Actis apud Ruinart., alioſque eruitur; neque enim abjicienda ſunt Acta, in quibus plura Martyrum miracula exponuntur, uti oſtendit Honoratus a S. Maria (*e*). Hinc tamen non inferenda eſt miraculorum neceſſitas, ut quis inter Martyres recenſeatur; nam Primates, & Epiſcopi Martyrium dumtaxat, ejuſque cauſam in admittendis Martyribus attendebant; & S. Eulogius Martyr Archiepiſcopus Toletanus (*f*) Cordnbenſes Martyres adverſus obtrectatores egregie vindicat, licet miraculis non coruſcaſſent; quod non præſtitiſſet, ſi tunc miracula pro recipiendis Martyribus exigi conſueviſſent.

a l. 4. c. 15.

b l. 1. de indulg. c. 2. n. 9.

c l. de lapſ. col. 377.

d ſerm. 285 par. 2. to. 5. oper.

e in animadverſ. ſuper uſu crit. to. 4. diſſert. 4. ar. 3.

f to. 15. Biblioth. PP. pag. 243.

6 &c. Argumentum itaque ad tempus illud refertur, quo Sanctorum cauſæ Sedi Apoſtolicæ ſunt reſervatæ. Ac primo occurrit S. Canuti junioris Daniæ Regis, & Martyris Canonizatio ſub Alexandro III. Verum deficientibus litteris Apoſtolicis, tuto aſſeri nequit, pro ejus Canonizatione miracula fuiſſe requiſita. Intervenerunt hæc tamen in Canonizatione S. Thomæ Cantuarienſis. Hunc enim poſt Martyrium miraculis floruiſſe teſtatur Radulphus de Diceto (*g*) cum aliis. De ejus quidem Martyrio, & cauſa martyrii diſſenſerunt Magiſtri Pariſienſes ob defectum miraculorum, ſed de his ab Apoſtolicis in Anglia Legatis juridice certior factus Alexander III. illum inter Martyres retulit, ſecutus in hoc Clementem II., qui ante prædictam reſervationem Wiboradam Virginem, & Martyrem, diſcuſſis miraculis, canonizavit, teſte Burkardo Monacho S. Galli apud Mabillon. (*h*), & alios. Accedunt, quæ contigerunt in cauſa B. Petri de Caſtronovo Monachi Ciſtercienſis Legati Apoſtolici, & contra Albigenſes Fidei Inquiſitoris, qui temporibus Innocentii III. interfectus eſt. Publice hic colitur in quibuſdam locis, teſte Baillet. (*i*). Ejus mortem deſcribit Petrus Vallium-Sarnaii Monachus Ciſtercien. (*k*); miracula ſimul referens, adeout cultus dicendus ſit delatus poſt approbationem Martyrii, ejuſque cauſæ, & miraculorum. Neque obſtat, quod Innocentius III. in epiſtolis ad Archiepiſcopum Narbonenſem, & alios, eum Martyrem, nondum patratis miraculis, declaraverit: ibi enim Martyrium tantum approbat, cultum vero neque permittit, neque præcipit. Rurſum in proceſſu constructo juſſu Honorii III. pro cultu deferendo B. Joanni primum Mantuano, deinde Vicentino Epiſcopo, qui pro Eccle-

g inter hiſtoriæ Anglic. ſcript. Tvvyſden to. 1. pag. 557.

h ſec. 6. Bened. par. 1.

i ad 5. Mart.

k to. 7. biblioth. Ciſterc.

Eccleſiæ libertate Martyrium paſſus eſt, plura miracula ad ejus interceſſionem patrata referuntur apud Bolland. (*a*).

a ad 16. Mart.

10 &c. Quinto loco miraculorum diſcuſſionem, & approbationem in Martyrum cauſis plene declarant bullæ Canoniz. SS. Petri Martyris ex Ordine Prædicatorum, & Stanislai Epiſcopi Cracovienſis, quas peregit Innocentius IV., & de quibus diſſeruerunt nonnulli eruditi. Occurrit ſexto Breve Alexandri IV., quo poſt maturum Martyrii, & miraculorum examen conceſſus eſt cultus quadraginta novem Martyrum Ordinis Prædicatorum in Eccleſia S. Mariæ de Sàndomiria, ubi pro Chriſti Fide occiſi fuerant. Septima occurrit cauſa Catalani Fabri, & Paſchalis Ordinis Minorum, qui Martyres dicebantur. Hanc Joannes XXII. commiſit Epiſcopo Valentino, cui inter cætera præſcripſit, ut in miracula inquireret. Occurrit octavo Martyrium S. Wernheri a Judæis crudeliſſime interempti. Colitur in quibuſdam locis, ſed ſine Officio, & Miſſa. In proceſſu, qui adhuc extat, & ſub Martino V. confectus fuit, Legatus Apoſtolicus non tam in Martyrium, ejuſque cauſam, quam in miracula inquiſivit, apud Bolland. (*b*). Nono: Angelus Carmelita Martyr a Pio II. inter Beatos relatus eſt, ſed poſt patrata miracula, apud eoſdem (*c*).

b ad 19. Apr.

c to. 2. Maji pag. 57.

15. 16 Decimo: Berardus, & Socii Martyres ex Ordine Minorum a Sixto IV. Beatis adnumerati ſunt. In eorum autem cauſa examinata fuiſſe miracula oſtendunt Litteræ Apoſtolicæ. Demum Danielis, & aliorum ſex ejuſdem Ordinis, qui apud Septam in Mauritania Tingitana ob Evangelii prædicationem Martyrium ſunt conſecuti, cultus cœpit a miraculis, quæ patrata ſunt, cum eorum corpora in Hiſpaniam transferrentur: cultum hunc Leo X. poſtea approbavit. Porro miracula, licet non in Brevi Pontificio, ſed in aliis authenticis monumentis referantur; patrata tamen fuiſſe ante dictum Breve, conſtat ex lib. conformitatum (*d*).

d par. 2. pag. 87.

CAPUT XXX.

De ſacræ Congregationis rituum conſuetudine quoad miraculorum neceſſitatem in cauſis Martyrum.

1 Prima ex his cauſis, expeditis in Congregatione rituum, fuit viginti ſex Martyrum Japonenſium. Eam de more tres Rotæ Auditores diſcuſſerunt, miraculorum neceſſitatem in relatione excludentes: plura tamen mirabilia propoſuerunt, inter quæ unum eſſe verum miraculum dixerunt. Congregatio ad ulteriora proceſſit, quia de Martyrio, & miraculis eidem conſtiterat, ut colligitur ex ejus decreto (*e*), & Brevi Beatificationis apud Bolland. (*f*).

e 3. Jul. 1627.

f to. 1. Febr. pag. 740.

2. 3 Secundam quoque cauſam B. Joſaphat Martyris Pollocenſis Rotæ Auditores examinarunt, contendentes iterum in ſua relatione miracula non eſſe neceſſaria, immo corrigendum Oſtienſem (*g*) ſtantem pro eorum neceſſitate: nonnulla tamen miracula retulerunt tamquam patrata in comprobationem Martyrii. Cauſa ad Congregationem delata, approbatoque Martyrio, Secretarius dubium excitavit ſuper miraculorum neceſſitate, quod Congregatio juſſit examinari in abſtracto: diſſentientibus Conſultoribus, opinioni, miracula requirenti, tamquam tutiori, & S. Sedis conſuetudini conformi adhæſit, ut conſtat ex ejus decreto (*h*), & Brevi Beatificationis edito ab Urbano VIII., quod extat in Bullar. Rom. (*i*).

g in ſum. lib. 3. de Reliq. & vener. SS.

h 13. Sept. 1642.

i to. 5. bull. 304.

4 &c. Sublato relationum Rotalium more, occurrit tertia cauſa B. Petri de Arbues. Promotor Fidei animadverſiones edidit cum apparatu ad materiam Beatificationis, & Canoniz., in quo teſtatus eſt uſum requirendi miracula etiam in cauſis Martyrum; ideoque approbato Martyrio, ejuſque cauſa, diſcuſſa fuerunt miracula, quemadmodum & in quarta cauſa Martyrum Gorcomienſium factum eſt,

ut ex decretis Congregationis (*a*), & Brevibus Beatificationum eruitur. De quinta cauſa B. Joannis de Prado dictum eſt ſuperius. Sexta cauſa S. Joannis Nepomuceni proceſſit per viam caſus excepti: attamen etiam in ipſa, reſoluto dubio ſuper Martyrio, & ejus cauſa, miracula perpenſa fuere. In ſeptima S. Fidelis a Sigmaringa, ante ejus Beatificationem reſolutum fuit dubium complexivum Martyrii, cauſæ Martyrii, & miraculorum.

a 12. Decemb. 1661. & 25. Sept. 1663. & 1674.

9. 10 Ex his monumentis patet, numquam fuiſſe a Sede Apoſtolica formaliter beatificatos, aut canonizatos Martyres, niſi accedentibus miraculis, & hic mos retinendus videtur, licet nondum editum fuerit decretum de eorum neceſſitate. Durum id aliquibus videtur, vel quia cauſæ Martyrum facilius expediuntur, uti communiter Doctores docent, vel quia Martyrium ſupplet vicem Baptiſmi, & eſt per ſe proxima Beatitudinis cauſa, vel quia antiquitus ad Martyrum Canonizationem non requirerentur miracula, ſine quibus de omnibus Martyrii requiſitis tum ex parte inferentis, tum ex parte acceptantis mortem conſtare poteſt. Fatentur tamen & iſti, tutiorem eſſe ſententiam, quæ miracula requirit; quare non eſt ab ea recedendum, tum ut occurratur Hæreticorum calumniis, tum ut judicii ſecuritati conſulatur. Enimvero faciliorem expeditionem in cauſis Martyrum ſuppeditat, non excluſio miraculorum, ſed quæſtio de ſola morte, ejuſque circumſtantiis. Antiquitus tanta non erat hominum malitia, & idcirco Martyrum cauſæ ſine miraculis expediebantur. Tandem ut Martyrium Baptiſmi vices ſuppleat, habere debet veri Martyrii requiſita: de his autem, ut certior fiat, non immerito miracula exigit Eccleſia. Sicuti ergo in cauſis non Martyrum, licet probata ſatis ſit vitæ ſanctitas, miracula tamen adhuc requirit, ne in re tanti momenti diligentiam ullam pro ſecuritate omittat, præſertim cum ii in occulto deficere potuerint; eadem ratione & in cauſis Martyrum miracula ſunt exigenda, ſub certa ſpe futurum, ut in utriſque Deus non ſit miracula patraturus ad eorum interceſſionem, quorum vita, aut mors accepta eidem non fuerit, ut docent SS. Thomas (*b*), & Gregorius (*c*).

b 2. 2. queſt. 178. ar. 2.

c l. 3. dial. c. 6. tom. 2. oper.

CAPUT XXXI.

De ſerie Actorum in cauſis ſive Confeſſorum, ſive Martyrum, quæ introducuntur poſt decreta Urbani VIII., & quæ procedunt per viam caſus excepti.

1 &c. URbanus VIII. prohibens publicum cultum non beatificatis, aut canonizatis a Sede Apoſtolica, excepit eos, qui anteriorem cultum vel per tempus immemorabile, vel ex Apoſtolicis indultis, vel ex Sacræ Congregationis permiſſione, vel per Patrum, virorumque Sanctorum ſcripta obtinuiſſent. Si alicujus ex his cauſa Canonizationis inſtituatur, fit ab Ordinario proceſſus ſuper fama virtutum, & miraculorum, ſi ſit Confeſſor; vel ſuper fama Martyrii, & ſignorum, ſeu miraculorum, ſi Martyr: & alter proceſſus fit ſuper caſu excepto a decretis Urbani: ſi hic proceſſus ab Ordinario omittatur, fit auctoritate Apoſtolica poſt ſignatam commiſſionem. Proceſſibus ad Congregationem tranſmiſſis, & modo ſuperius expoſito apertis, quin expectetur decennium, proponitur in Congregatione ordinaria dubium, *an ſit ſignanda commiſſio introductionis*, quo favorabiliter reſoluto, diſcutitur, *an ſit confirmanda ſententia ordinarii, vel delegati ſuper caſu excepto a decretis Urbani*: oportet enim, ut ii hanc ſententiam proferant; aliter iis mandat Congregatio, ut proferant, veluti ex ejus decretis (*d*) colligitur. Si hæc ſententia fuerit favorabilis, & a Congregatione confirmata, hujuſque reſponſum a Pontifice approbetur, Servus Dei proculdubio dicitur æquipollenter Beatificatus.

d 23. Mart. 1669. in cauſ. B. Chuneg. & 29. Dec. 1674. in cauſ. B. Oldegarii.

5 &c.

5 &c. Nulla ſolemnitas in hac Beatificatione peragitur, cum hæc non comprehendatur in decreto Alexandrino ſupra adducto: ſolum ii, quorum intereſt, poſſunt Deo gratias agere, tamquam pro obtento ſpirituali beneficio. Plures antem hujuſmodi Beatificationes a temporibus Urbani VIII. ad Pontificatum Benedicti XIV. expeditæ numerantur, ſcilicet B. Columbæ Reatinæ; BB. Bernardi Ptolemæi, Niçolai Flue, Bernardini de Feltro; B. Ferdinandi III. Caſtellæ Regis; B. Margaritæ de Sabaudia; BB. Petri Paſchaſii, Ludovicæ Albertoniæ, Jacobi de Mevania, Salomeæ Reginæ Alieiæ, Oldegarii Epiſeopi; BB. Joannis Cantii, Amedei Ducis Sabaudiæ, Simonis de Lipnica, Petri Armengol, Antonii a Stronconio; B. Chunegundis Reginæ; BB. Mariæ de Socos, Joannæ filiæ Alphonſi Regis Luſitaniæ, Humilianæ de Circulis, Helenæ Enſelminæ, Zitæ, Mariæ de Capite, Auguſtini Dalmatæ, Jacobi Illyrici; BB. Joannis, & Petri Ord. Min. Martyrum, Tereſiæ, & Sanciæ, Luciæ de Narnia, Salvatoris ab Horta, Ceslai Odrovantii, Liberati de Lauro, Gregorii Papæ X., Alexii Falconerii, Seraphini de Aſculo, Humilitatis Abbatiſſæ; BB. Dalmatii, atque Andreæ de Comitibus; BB. ſex Fundatorum Ord. Servorum B. M. V., Serapionis Martyris; B. Joannis de Dukla, Benedicti Papæ XI., Michelinæ, Ritæ de Caſſia, Claræ de Montefalco, Joannis Angeli Porro; BB. Coletæ, Stephanæ de Quinzanis, Alvari de Corduba, Petri Gonzalez, Gerii a Morte Sancto, Benedicti a S. Philadelphio, Franciſci Patritii, Nicolai Albergati, & Pacifici a Ceredano.

CAPUT XXXII.

De ſerie Actorum in cauſis ſive Confeſſorum, ſive Martyrum, quæ introducuntur poſt decreta Urbani VIII. quæque procedunt per viam caſus excepti, in tranſitu a Beatificatione æquipollenti ad formalem Canonizationem.

1 PRO hoc tranſitu, obtenta facultate, ne fiat proceſſus Apoſtolicus in genere, proponendum eſt dubium ſuper virtutibus, vel ſuper Martyrio, ejuſque cauſa, juxta diverſitatem cauſarum. Hoc judicio favorabiliter expleto, proponitur dubium ſuper miraculis, aut ſignis, poſt indultam venerationem patratis. Duobus ſaltem approbatis expenditur dubium, *an tuto procedi poſſit ad Canonizationem*.

2 &c. Aliquibus nimis laxus, aliis nimis rigidus hic procedendi ordo viſus eſt. Nimis laxus, quia in cauſis, procedentibus per viam non cultus, quatuor miracula, duo, ſcilicet, ante, & duo poſt Beatificationem pro Canonizatione requiruntur; in his vero duo ſufficiunt. Hac difficultate a Promotoribus Fidei in pluribus cauſis excitata, atque diſcuſſa, Congregatio generalis ſufficientiam duorum miraculorum ſemper admiſit, ut conſtat ex ejus decretis (a). Cum enim *in cap. Venerabili de teſt.* dicitur inquirendum eſſe ſuper miraculis; pluralis locutio in binario numero vera eſt, juxta textum *in cap.* 40. *de reg. jur. in 6.* Suffragantur Contelor. (b), Rotæ Auditores in pluribus relat., & alii plures. Verumtamen Benedictus XIV. (c) decrevit, quatuor miracula, quæ per teſtes de viſu probentur, eſſe neceſſaria ad ſolemnem Canonizationem, quando probatæ ſunt virtutes, aut Martyrium per ſubſidiarias probationes.

6 &c. Nimium rigorem alii conſtituunt in neceſſitate diſcutiendi dubium

a 13. Jul. 1679. in cauſ. S. Joan. de Capiſtr. 17. Maji 1707. in cauſ. S. Catharinæ, & 13. Nov. 1714. in cauſ. S. Stanisl.

b de Canoniz. SS. c. 20. n. 9.

c 23. Apr. 1741.

bium ſuper virtutibus, vel Martyrio poſt approbatum caſum exceptum. Cum enim caſus exceptus conſtituatur aliquando in Apoſtolicis litteris concedentibus in honorem Servi Dei Officium, & Miſſam, aut ejus nominis in Romano Martyrologio deſcriptionem, etiam ex ſacræ Congregationis conſilio; virtutes autem in formali diſcuſſione poſſint non approbari, jam non ſine modica abſurditate diceretur, non conſtare de eorum virtutibus, qui ejuſmodi cultum obtinuerunt. Addunt, virtutes in his cauſis examinari tantum poſſe dependenter a probationibus ſubſidiariis, adeoque non poſſe reſponderi, *conſtare* de ipſis: ſiquidem vox hæc *conſtare* probationes apertiſſimas expoſcit. Accedit, quod Clemens IX. per decretum editum anno 1668. examinari ſolum juſſit ea, quæ poſt indultam venerationem ſupervenerunt; antecedentia vero tantum referri voluit: quare non antecedentes virtutes, ſed miracula cultus indultum ſubſequentia, ſunt expendenda, idque comprobant decreta Canoniz. SS. Philippi Benitii, & Laurentii Juſtiniani, cujus quidem cauſa proceſſit per viam caſus excepti.

9 &c. Verumtamen ut Sedis Apoſtolicæ conſuetudo, ejuſque fundamenta hac in re clareſcant, advertendum eſt, interdum publicum cultum permiſſum, aut conceſſum fuiſſe, ac permitti, & concedi, prævia gravi fama virtutum, vel Martyrii, & miraculorum, ſeu ſignorum, quin juridicum præceſſerit examen, dependens a proceſſibus ſuper virtutibus, & miraculis, aut ſuper Martyrio, & ſignis: aliquando vero ejuſmodi conceſſioni anteiviſſe prædictorum diſcuſſionem, & approbationem. Jam vero in cauſis ſecundi generis nunc expenduntur ſolum, quæ indultæ venerationi ſupervenerunt: in cauſis vero primi generis, non obſtantibus ampliſſimis venerationis indultis, ſemper virtutes, aut Martyrium, & reliqua fuere perpenſa, ut conſtat ex cauſis SS. Hyacinthi, Raymundi, & aliorum, juxta relationes Auditorum Rotæ, quæ adhuc extant, & regeſta ſacræ Congregationis: cum hoc tamen diſcrimine, quod aliquando examen hoc abſolutum fuit per modum dubii formalis, *an conſtet &c.*, ut in cauſis SS. Joannis de Capiſtrano, Catharinæ de Bononia, & aliorum: nonnumquam per modum juridicæ relationis, dependentis a proceſſibus, ut in cauſis SS. Joannis a S. Facundo, & Stanislai Koſtkæ: aliquando in Congregatione particulari, ut in cauſis SS. Catharinæ de Bononia, Joannis Nepomuceni, & aliorum: interdum in Congregationibus antepræparatoriis, præparatoriis, & generalibus, ut in cauſis SS. Joannis de Capiſtrano, & Peregrini Latioſi. Paucis: ſi declarationem caſus excepti a decretis Urbani non præceſſit formale examen, uti non potuit præcedere in cauſis, quæ poſt illa decreta introducuntur, de quibus in præſenti agitur, ſemper in tranſitu a Beatificatione æquipollenti ad Canonizationem expendendæ ſunt aliquo ex prædictis modis virtutes in cauſis Confeſſorum, Martyrium vero, ejuſque cauſa in cauſis Martyrum.

16 &c. Supereſt, ut diluantur prædictæ oppoſitiones. Igitur quod ad periculum ſpectat, ne approbata reprobentur, dico non admitti caſum exceptum, niſi ſtante fama virtutum, vel Martyrii, & miraculorum, vel ſignorum, quod ſatis eſt ad publici cultus permiſſionem. Porro ſi Poſtulatores ad Canonizationem procedere velint, quæ cultum præceptivum ſignificat ad Eccleſiam univerſam extenſum, proponere debent dubium ſuper virtutibus, aut martyrio, quin tamen periculum adſit reprobationis; non enim virtutes, aut Martyrium approbata antea fuerunt, ſed eorum dumtaxat fama; quæ quidem permanet, etiamſi illa non approbentur, idque ſufficit pro cultu permiſſo, quamvis de iis in individuo non conſtet pro cultu præceptivo. Quoad aliud,

 non

non poſſe videlicet reſponderi, *conſtare de virtutibus, aut Martyrio*, ſciendum eſt, in cauſis per viam caſus excepti reſponderi, *ita conſtare &c. ut deveniri poſſit ad diſcuſſionem miraculorum, ſeu ſignorum*, ut eruitur ex cauſis SS. Peregrini Latioſi, Joannis Nepomuceni, & aliorum: hic autem reſcribendi modus periculum reprobationis approbatorum evertit omnino. Decretum autem Clementis IX. excludit dumtaxat iteratum examen eorum, quæ ante Beatificationem diſcuſſa fuerant: at hinc non infertur excludendum eſſe examen hujuſmodi poſt Beatificationem æquipollentem, ſi ante eam non fuerit inſtitutum. Ita in pluribus cauſis hoc decretum explicarunt Promotores Fidei, & ſacra Rituum Congregatio auctoritate ſua, uſuque comprobavit. Neque obſtant exempla SS. Philippi Benitii, & Laurentii Juſtiniani, cum in iis ante Indultorum conceſſionem virtutes diſcuſſæ, & approbatæ fuerint, ut in cauſa S. Laurentii oſtendit Promotor Fidei, pro veritate juſſu Congregationis ſcribens. Idem contigit in cauſa S. Aloyſii Gonzagæ. Item approbato cultu immemorabili ſeptem BB. Fundatorum Ordinis B. M. V., conceſſiſque in eorum honorem Officio, & Miſſa, eorumque nominibus in Martyrologio deſcriptis, editum
(a) 13. Jan. 1742. eſt (a) contra expectationem Poſtulatorum, in Congregatione ordinaria coram Benedicto XIV. decretum, ut ante miraculorum diſcuſſionem juridica fieret relatio virtutum, communicanda Fidei Promotori, quæ ſane formali virtutum examini æquipollet.

CAPUT XXXIII.

De ſerie Actorum in cauſis Beatificationis, & Canonizationis introductis ante decreta Urbani VIII., & quæ poſt eadem decreta reſumuntur, ſive ſint Confeſſorum, ſive Martyrum, ſive procedant per viam non cultus, ſive per viam caſus excepti.

1 &c. HÆC ſeries incipit a *commiſſione reaſſumptiva*, impetranda a Rituum Congregatione ordinaria, & confirmanda a ſummo Pontifice. Reſumpta cauſa, expediuntur *litteræ remiſſoriales* ad conficiendum Apoſtolicum proceſſum ſuper non cultu, vel ſuper caſu excepto, juxta cauſarum qualitatem. Confecto hoc proceſſu, prolataque a delegato Judice ſententia, agitur de ejus validitate in Congregatione ordinaria, qua admiſſa, conſtruendus eſſet proceſſus auctoritate Apoſtolica ſuper fama virtutum, aut Martyrii, & miraculorum, ſed hoc judicium poſt decreta Urbani omitti conſuevit. Perfecto judicio ſuper non cultu, aut ſuper caſu excepto, ſi cauſa procedat per viam non cultus, agitur in Congregatione ordinaria de proceſſuum validitate, qua admiſſa, diſputatur in antepræparatoria, præparatoria, & generali dubium de virtutibus, aut de Martyrio, inde de miraculis; eorumque duobus approbatis, proceditur ad Beatificationem; & novis ſupervenientibus, ad Canonizationem. Si vero cauſa procedat per viam caſus excepti, expleto judicio ſuper obedientia decretis Urbani VIII., agendum eſt de virtutibus, aut Martyrio, vel in Congregatione particulari, vel in antepræparatoria, præparatoria, & generali, in quibus poſtea diſcutiuntur etiam miracula, & ſi eorum duo, poſt indultam venerationem patrata, approbentur, proceditur ad Beatificationem.

7 &c. Difficultas eſt, an de validitate proceſſuum, virtutibus, Martyrio,

rio, ac miraculis agendum ſit, reſumpta cauſa, ſi aute decreta Urbani ſuper his pronuntiatum fuerit. Huic tamen difficultati ſic reſpondendum eſt. Si Congregatio rituum, approbata proceſſuum validitate, commiſit Auditoribus Rotæ, ut reliqua cognoſcant, aut ſi commiſit ipſam cognitionem validitatis, confirmavitque judicium Rotale validitatem approbans, de ea non eſt amplius agendum; ſecus, ſi Rotale judicium non confirmavit. Item ſi Congregatio ante Urbani decreta rationem habuit de virtutibus, aut Martyrio dependenter a ſolo proceſſu ordinario, conficiendus eſt, reſumpta cauſa, proceſſus auctoritate Apoſtolica, & dependenter ab utroque de illis agendum eſt, ut contigit in cauſa S. Peregrini Latioſi. Si vero de iis actum fuiſſet dependenter ab utroque proceſſu, ſed remiſſa inſpectione ad Rotæ Auditorium, hujus favorabile Judicium Congregatio non approbaſſet, tunc de iiſdem iterum agendum eſt, ut in cauſa B. Hieronymi Æmiliani, aliorumque contigit; ſecus vero dicendum, ſi judicium Rotale approbatum fuit, ut in cauſis B. Gregorii X., & S. Aloyſii Gonzagæ. Idem cum proportione dicendum eſt de miraculis, dummodo in cauſis per viam caſus excepti ſecuta fuerint poſt indultam venerationem, ut colligitur ex cauſa S. Thomæ de Villanova, & aliorum. Quod quidem ſedulo advertendum eſt, cum forte ex hujus cognitionis defectu expeditio cauſæ S. Jacobi de Marchia tamdiu protracta fuerit. Quando autem miracula poſt indultam venerationem ſecuta dicantur, alibi adnotabitur: Interim

15 &c. Sentiunt communiter Scriptores, neceſſaria eſſe pro Canonizatione miracula poſt obitum patrata; addunt tamen, non eſſe inutilia ea, quæ patrata ſunt in vita, ſi concurrant alia poſt obitum; & ſane de illis ratio habetur in bull. Canoniz. SS. Udalrici, Petri Epiſcopi Anagnini, & aliorum. Verum diſtinguenda eſt Canonizatio a Beatificatione; cum enim in tranſitu a quacumque Beatificatione ad Canonizationem agetur de miraculis, poſt indultam venerationem ſecutis, tota hæc controverſia redigenda eſt ad formalem Beatificationem in cauſis per viam non cultus. In hoc ergo judicio diſcuti quidem, & approbari poterunt miracula patrata in vita; at non ſufficiunt, ſed duo poſt obitum ſecuta, & approbata requiruntur, uti colligi poſſe videtur ex decreto edito in cauſa S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis. Sed & ſufficere videtur, ut unum in vita, alterum poſt mortem patratum ſit, juxta decretum Congregationis editum (*a*) pro Beatificatione S. Alphonſi Thuribii. *a 13. Jun. 1679.*

CAPUT XXXIV.

De Conſiſtoriis privato, publico, & ſemipublico habendis pro abſolutione cauſarum Canonizationis.

1. 2 EDito decreto de tuto progreſſu ad Canonizationem, non ſtatim, ſed poſt deliberationem Pontificis de illa peragenda, advocantur ab eodem Cardinales, & Epiſcopi ad conſilium. Hæc autem deliberatio ſolum ſumi conſuevit poſt iteratas populorum, & Principum petitiones, ac pro temporum opportunitate. Ex qua quidem dilatione aliquando fit, ut, editis ab uno Pontifice decretis de progreſſu ad Canonizationem, hanc peragant ſucceſſores, quin tamen geſta anteceſſoris iterum examinent. Ejuſmodi deliberatione poſita, vocantur ad conſilium, & ſuffragium præſtandum omnes in Urbe degentes Cardinales, Patriarchæ, Archiepiſcopi, Epiſcopi, etiam Titulares, & Orientales, cum Eccleſia Romana communicantes. Invitantur præterea Epiſcopi, quacumque de cauſa ad Urbem accedentes, quin etiam Secretarius Congregationis Concilii Tridentini vocat per litteras encyclicas Epiſcopos intra centeſimum ab Urbe lapidem.

3. 4 Ini-

3. 4 Initium excipiendi ſuffragia deſumitur a Conſiſtorio ſecreto, ſolis intervenientibus Cardinalibus, a quibus inquiritur, an deveniendum ſit ad Canonizationem, ac ſinguli ſenſum ſuum aperiunt per verbum *placet*, aut *non placet*. Ut merita cauſarum perſpecta Cardinales haberent, olim Cardinalis Præfectus Congregationis rituum legebat relationem vitæ, miraculorum, & actorum Canonizationis: aliquando loco relationis editum fuit totius cauſæ ſummarium: nunc Secretarius Congregationis rituum, eoque impedito, Promotor Fidei componit prædictorum compendium. In hujus Conſiſtorii intimatione notificatur unicuique Cardinali, quid in eo agendum ſit, & ad unumquemque tranſmittitur memoratum compendium. In Conſiſtorio Pontifex Cardinales alloquitur, eoſque conſulit de Canonizatione habenda. Cardinalis Præfectus breviſſimam totius cauſæ relationem legit: tum Pontifex interrogat, an ipſis placeat, ut ad Canonizationem procedatur: Cardinales gradatim aſſurgentes aperto capite reſpondent *placet*, vel *non*. Hic ordo ſervatur ſive una, ſive plures ſint cauſæ.

5 &c. Secreto Conſiſtorio ſuccedit publicum, ad quod per intimationem vocantur Cardinales, ac cæteri, quos acciri ſolemne eſt. Omnibus ad hoc patet aditus. Advocatus Conſiſtorialis longa oratione vitam, & miracula canonizandi, petitioneſque pro Canonizatione ſupplicantium exponit. Poſt hanc Promotor Fidei nullam emittit proteſtationem, neque debet, cum omnia rite impleta ſint. Abſoluta oratione, Præſul, qui eſt a Secretis Brevium ad Principes, reſpondit nomine Pontificis, & dicit, Sanctitatem ſuam hortari omnes, ut piis operibus, ac precibus Divinum implorent auxilium, ac præterea velle in proximo Conſiſtorio andire Cardinalium, & Epiſcoporum ſenſum. Si plures ſimul canonizandi ſint, plura habentur publica Conſiſtoria.

9 &c. Ultimum Conſiſtorium dicitur ſemipublicum, quia etiam Epiſcopi in eo facultatem habent ferendi ſuffragium. Hoc non ſuperflue requiritur, cum Cardinalium in Conſiſtorio ſecreto placitum de progreſſu ad Canonizationem intelligendum ſit de exquirendis Præſulum ſuffragiis, prout quædam bullæ Canoniz., aliaque monumenta innuunt. Huic Conſiſtorio publicæ preces ad opem Divinam implorandam præmittuntur: vocantur per intimationem Cardinales, Patriarchæ, Archiepiſcopi, & Epiſcopi, Romæ degentes, & admonentur, ut ferant ſuper Canonizatione ſententiam, quam ſubſcriptam unuſquiſque tradet Secretario Congregationis rituum. Vocantur quoque Protonotarii Apoſtolici, duo antiquiores Auditores Rotæ, Secretarius prædictus Congregationis rituum, & Procurator Fiſcalis Cameræ; Clemens XI. voluit, ut præter morem arceſſeretur etiam Promotor Fidei. Ad Patriarchas, & reliquos ſuffragium laturos tranſmittitur antedictum compendium. Hoc Conſiſtorium incipit ab allocutione Pontificis exquirentis ſententias de Canonizatione peragenda. In uno, eodemque Conſiſtorio ſuffragia præſtiterunt Cardinales, & Epiſcopi in Canoniz. S. Didaci, teſte Galeſino in ejuſdem Canoniz. Act. (a) [a par. 3. c. 12.], licet quæſtio fuerit, an id fieri deberet. Primi Cardinales, inde Epiſcopi ſuffragium præſtant: abſentes ex legitimo impedimento tranſmittunt ſuffragium ad Secretarium Congregationis. Poſt hæc Pontifex ſe aliorum orationibus commendat, diemque peragendæ Canonizationis ſtatuit: Procurator Fiſci orat Protonotarios, ut publica inſtrumenta de ſententiis Cardinalium, aliorumque, ac de Pontificia oratione, & deliberatione conficiant: Protonotariorum antiquiſſimus in teſtes vocat ſtantes tunc juxta thronum Pontificium. Auditores Rotæ, & Protonotarii ſententiam non tulerunt in Canoniz. S. Didaci, teſte Penia in ejuſdem

Cano-

Digitized by Google

Canoniz. Act. (*a*), licet Galeſinus (*b*) oppoſitum referat.

a l.3. c.15.
b loc. cit.
c ſect.6.c.1.

13 &c. Ex lib. Cærem. Archiepiſcopi Corcyrenſis (*c*) olim etiam Abbates vocabantur ad hoc Conſiſtorium, ut ſententiam ferrent; ſed hæc prærogativa Abbatum, qui non ſint Cardinales, ceſſaſſe videtur ſub Gregorio XIII. Numerum antiquorum Abbatum, & nomina Abbatiarum Urbis deſcribit P. Caſimirus Romanus *in hiſt. Eccl. & Convent. S. Mariæ in Aracæli* (*d*). Solus Leo X. in Canoniz. S. Franciſci de Paula requiſivit etiam ſuffragia Pœnitentiariorum. Cardinales ſingillatim ſurgentes ſententias ferre incipiunt aperto capite, ſed mox tecto ſedentes proſequuntur, Patriarchæ autem interim, Archiepiſcopi, & Epiſcopi tecto capite ſedent; ſtant vero, cum Papa loquitur, & ſtant etiam, ſtatim ac primus Patriarcha ſententiam fert, donec Epiſcoporum ultimus ſententiam compleverit, ſicuti ante, ac poſt ſuffragium genuflectunt. Nec amplius viget inter Epiſcopos, & Protonotarios quæſtio de primatu, quem Pius II. primis adjudicavit. Sedent itaque Epiſcopi in his Conſiſtoriis, & in Capella Pontificia, ſtant autem in Congregationibus coram Pontifice, ſi tamquam Conſultores interveniant, niſi Pontifex permittat, ut ſedeant, uti in Congregationibus de auxiliis Clemens VIII. permiſit Gregorio de Valentia. Denum quot ſunt canonizandi, tot Conſiſtoria ſemipublica coguntur, cum in uno ſuffragia pro omnibus excipi nequeant.

d c.2. pag. 9. & ſeqq.

CAPUT XXXV.

De nonnullis aliis orationibus, quæ fiunt in publicis Conſiſtoriis a Conſiſtorialibus Advocatis.

1. 2 IN unoquoque publico Conſiſtorio unus ex Advocatis Conſiſtorialibus orationem habet de rebus geſtis alicujus Servi Dei, licet non proxime beatificandi, aut canonizandi: narratis operibus exorat pro Beatificatione, vel Canonizatione. Promotor Fidei inſtat, ut expoſitorum ab Advocato veritas oſtendatur, aut ſi oſtenſa, & approbata ſit a Congregatione rituum, non procedatur ad Beatificationem, aut Canonizationem, niſi ſervatis ſervandis. Reſpondet Pontifex: *Congregatio audiat, & referat*; Secretarius vero cuncta in regeſtis adnotat. Hujuſmodi orationes decent majeſtatem harum cauſarum, non ſunt tamen abſolute neceſſariæ.

3 &c. Memorantur hæ orationes in decretis Generalibus Urbani VIII. Olim enim Advocati Conſiſtoriales orationes de rebus profanis, plerumque de confictis criminibus in Conſiſtorio declamabant. Quare Urbanus, re in Conſiſtorio ſecreto plene diſcuſſa, decrevit, ut ſublatis ejuſmodi declamationibus, iidem Advocati cauſas Servorum Dei perorarent. Præſcriptus fuit perorandi modus, ut, ſcilicet, Secretarius Congregationis rituum cauſam tractandam Advocato aſſignet; Advocatus vero per octo ſaltem dies ante propoſitionem in Conſiſtorio ipſammet tradat Secretario corrigendam, ſi opus fuerit; de miraculis agat ſolum in genere; exponat autem ſeriem vitæ Servi Dei, famam ſanctitatis, devotionem populorum, & inſtantias Principum, & gloriam militantis Eccleſiæ in Beatificationibus. Decretum pariter fuit, ut Procuratores cauſarum honoraria præſtarent, ut Advocatus proponens habeat in manibus commiſſionem in forma ſignandi: demum ut Promotor Fidei, qui eſſe debet de Collegio Conſiſtorialium, immunis eſſet ab his cauſis proponendis. Omnia hæc obſervantur, niſi quod honoraria Advocato peroranti præſtantur a Curia Criminali Gubernatoris Urbis: nec amplius idem perorans tenet in manibus dictam commiſſionem.

18 Pertinet igitur ad Conſiſtoriales Advocatos habere has orationes, uti eas habuerunt etiam ſub Sixto V. in

Digitized by Google

in cauſa S. Bertrandi, & ſub Clemente VIII. in cauſa S. Caroli Borromæi, quamvis alii clariſſimi viri illas habere curaſſent.

CAPUT XXXVI.

De ſolemnitate Canonizationis.

1 ABſolutis Conſiſtoriis, Pontifex in ultimo ex illis manifeſtat diem a ſe ſtatutam peragendæ Canonizationis, pro cujus ſolemnitate diſtincte exponenda, ſit

§. I.

De Civitate, in qua fieri debet Canonizatio.

2 PLurimæ Canonizationes Romæ expletæ numerantur: multæ tamen etiam in aliis Civitatibus, in quibus Pontifices degebant, ut B. Antonii Luſitani, Dominici, & aliorum, peractæ ſunt.

§. II.

De loco, ſeu templo, in quo ſolemnitas Canonizationis expletur.

3 IN aula Concilii publicabatur decretum Canonizationis, quando hæc in eo fiebat. At Innocentius IV. decretum Canoniz. B. Petri. Martyris in platea templi FF. Prædicatorum, & B. Stanislai in templo ipſo, in quo ſolemnitatem explebat, inter Miſſarum ſolemnia ambonem conſcendens emiſit. Ab eo tempore invaluit conſuetudo peragendi in templo Canonizationes. Romæ omnes peractæ ſunt in baſilica Vaticana, teſtibus Panvinio (a), Galeſinio (b), & aliis, & teſte ipſa S. Sedis obſervantia, juxta quam & antiquis, & mediis, & recentioribus temporibus Sanctorum Canonizationes in eadem Baſilica perfici conſueverunt, paucis tamen exceptis; nam Bonifacius IX. ægritudinis cauſa S. Birgittam in Capella ſacri Palatii apud S. Petrum: Benedictus XIII. S. Joannem Nepomucenum in Baſilica Lateranenſi canonizarunt, in qua pariter Servum Dei, nunc S. Fidelem a Sigmaringa idem Benedictus beatificavit. Cum tamen hic Pontifex alias Canonizationes, & Beatificationes in Vaticana expleverit, huic baſilicæ competit jus ex conſuetudine deſcendens, ut Canonizationes in ea peragantur: cui minime officiunt Canonizatio S. Vincentii a Paulo, & aliorum, & Beatificatio Servi Dei, nunc S. Joſephi a Leoniſſa in Lateranenſi a Clemente XII. ob valetudinem tuendam expletæ. Ad hæc valde confert baſilicæ Vaticanæ præſtantia: in ea enim Imperatores de manu Pontificis diadema receperunt: Reges coronati ſunt: præcipua noſtræ Religionis myſteria, Romanæ Apoſtolicæ Sedis, & Pontificiæ juriſdictionis actus celebrati ſunt, aliaque multa, de quibus Tiberius Alpharanus in opere MS. de ſtructura hujus baſilicæ, qui addit, Canonizationes Sanctorum in ea perpetuo fieri conſueviſſe; quam conſuetudinem Benedictus XIV. ſua Conſtitutione firmavit. Reponunt nonnulli, in lib. cærem. Roman. Eccl. (c) deſcribi ritum Canonizationis, nec memorari baſilicam Vaticanam; ſed id fundamento caret. Rurſum quaſdam Canonizationes in aliis Urbis Baſilicis peractas fuiſſe, ex datis bullarum colligi dicunt. Sed perperam: nam data ſolum probat, bullas fuiſſe apud illas Baſilicas a Pontifice ſubſcriptas, non Canonizationes in iiſdem expletas, ut conſtat ex bulla Canoniz. S. Joannis Nepomuc. Aliæ Canonizationes referuntur Romæ, non tamen in baſilica Vaticana celebratæ: ſed hæ in Conſiſtorio, vel in Conciliis habitæ ſunt; hic autem agitur de Canonizationibus poſt Innocentium IV. in Urbe factis, & in Eccleſiis.

a tract. de præſtant. baſil. Vatic.

b in Act. Canoniz. S. Didaci par. 3. c. 13.

c l. 1. ſect. 6. c. 1.

§. III.

De diebus, quibus peragitur ſolemnitas Canonizationum, & de pluribus Sanctis unica ſolemnitate canonizandis.

4 DIes a Pontificis arbitrio pendet, juxta declarationem editam ſub Leone X. Plures ſimul canonizari poſſe reſpondit Congregatio rituum ſub Gregorio XV., quod hic, aliique Pontifices uſu confirmarunt. Plures tamen ſeorſim Canonizationes Benedictus XIII., aliique celebrarunt, quin metuerint anilem fabellam a clariſſimis Scriptoribus impugnatam, & experientia falſam compertam, quod Papæ, ſcilicet, celebrata aliqua Canonizatione, mors immineat.

§. IV.

De ordine, quo Sancti nominari debent, quando plures ſimul canonizantur.

5 &c. SI plures Beatorum cauſæ jam abſolutæ ſint, ii omnes ſimul canonizantur, juxta decretum Congregationis rituum (a). In his nominandis ſub Gregorio XV. ſervatus eſt ordo antiquitatis; ſed ſub Clemente X. in Canonizatione SS. Cajetani, Franciſci Borgiæ, Philippi Benitii, Ludovici Bertrandi, & Roſæ ordo hierarchicus ſervatus eſt, ut ſcilicet prius exprimerentur nomina eorum, qui fuerant de Clero Sæculari, ſervato inter hos antiquitatis ordine; poſtea qui fuerant de Clero Regulari, eodem ordine retento, juxta ſententiam Card. de Luca (b), quam amplexa fuit Congregatio rituum (c), & quam, licet reclamarent Patres Ordinum Prædicatorum, & Servorum B.M.Virginis, retinuit (d), ſine præjudicio tamen præcedentiæ eorumdem Ordinum. Hæc ſanctio fundatur in congruentia, per quam in Eccleſia militanti Clerici Sæculares præcedunt Regularibus, licet antiquioribus, ut cit. Card. de Luca oſtendit. His decretis robur addidit Clemens XII. per aliud decretum 17. Apr. 1737. Orto enim dubio occaſione Canonizationis S. Vincentii a Paulo, aliorumque ſimul Canonizatorum, quis ex Canonizandis prænominandus eſſet, Congregatio particularis ab eodem Pontifice deputata (e), ſtatuit, ſervandum ſemper impoſterum ordinem hierarchicum; ſi vero inter Canonizandos fuerit Fundator alicujus Inſtituti a S. Sede approbati, hunc eſſe cæteris ejuſdem ſtatus, licet præmortuis, præferendum; quod quidem decretum idem Pontifex confirmavit. Verumtamen ſi Fundator non fuiſſet Sacerdos, bene vero alii, iſti præferendi videntur, quemadmodum SS. Joannes de Capiſtrano, & Joannes a S. Facundo Sacerdotes, ſimul cum S. Joanne de Deo, Ordinis Fratrum infirmis in hoſpitalibus inſervientium Fundatore, ſed non Sacerdote, canonizati, huic prælati fuerunt.

a 3. Januar. 1622.

b diſcurſ. 40. miſcell. Eccl.

c 29. Nov. 1670.

d 24. Jan. 1691.

e 16. Apr. 1733.

§. V.

De Indulgentiis, quas ſummi Pontifices elargiri conſueverunt occaſione ſolemnis Canonizationis.

9 LEo III. in epiſt. de Canoniz. S. Svviberti Indulgentias obtuliſſe dicitur; ſed cum hæc epiſtola a pluribus apocrypha habeatur, primus Indulgentias elargitus in Canonizationibus creditur Honorius III. Ampliores ſubinde aſſignarunt alii Pontifices apud Bollandianos. Nunc plenariam concedunt intervenientibus ſolemnitati Canonizationis, qui confeſſi, & ſacra Communione refecti ſint, vel id intra hebdomadam facere proponant: ſeptem vero annorum, ac totidem quadragenarum viſitantibus canonizatorum ſepulchra natali eorum die.

§. VI.

Digitized by Google

§. VI.

De Proceſſione, quæ fit in ſolemni Canonizatione.

10 HAnc proceſſionem nonnulli Scriptorea memorant peractam ante, alii poſt Canonizationem. Ejus magnificentiam, & ordinem Galeſinius, aliique in Act. SS. adamuſſim deſcribunt. Nunc a proceſſioue incipit Canonizatio; candelæ diſtribuuntur Officialibus Curiæ, Præſulibus, Epiſcopis, & Cardinalibus. In Canonizatione S. Stanislai Cracovienſis diſtributæ fuerunt omnibus pręſentibus, quod non amplius ſervatum eſt ob confuſionis periculum: geſtatur in proceſſione vexillum exhibens imaginem canonizandi, & plura geſtantur, ſi plures canonizentur. Huic geſtandi vexilli uſui initium dedit vexillum, quod in Canoniz. ejuſdem S. Stanislai ab Angelis delatum apparuit, ut advertit Papebrochius (*a*), non vero delatiò vexilli S. Rochi facta in Urbe Conſtantienſi tempore Concilii Conſtantienſis, ut alii exiſtimarunt. Olim in ſacra rituum Congregatione præſcribebatur forma pingendi Beatum in vexillis. Plura eſſe debent vexilla pro unoquoque canonizando, quorum unum remanet penſile in baſilica Vaticana ad perpetuam rei memoriam: alterum, expleta Canonizatione, tranſfertur ſolemni proceſſione ad Eccleſiam, in qua primum canonizati feſtum celebratur. Hæc ſecunda proceſſio deſcribitur a Chiappono in Act. Canoniz. Modus vero tradendi vexillum, quod eſt proceſſionaliter deferendum, exponitur in Cæremoniali baſilicæ Vaticanæ, compoſito a Michaele Angelo Matthæjo ejuſdem baſilicæ Canonico. In Canonizatione a Clemente XII. peracta, idem Pontifex medicorum conſilio proceſſioni non interfuit, ſed ejus loco Cardinalis Rufus, utpote antiquior inter Cardinales Epiſcopos præſentes, qui etiam poſtmodum ſolemnem Miſſam celebravit.

a ad 11. Maji to. 2.

§. VII.

De ſolemnis Canonizationis actu juxta ritum antiquiorem.

11 &c. SOlemnem hunc actum Card. Oſtienſis *in cap. Audivimus de Rel. & ven. SS.* deſcribens, ait: fieri flexis genibus orationem, cani hymnum *Veni Sancte Spiritus*, aut alium: Papam mox ab oratione ſurgentem definire, illum, de quo agitur eſſe Sanctum, & uti Sanctum eſſe venerandum, ejuſque feſtum eſſe colendum: tandem cani *Te Deum laudamus*. Similia verſibus deſcripta referuntur de Canoniz. S. Petri Cæleſtini apud Bolland. (*b*), & in Ordine Rom. Card. Cajetani apud Mabill. (*c*), ubi additur, Papam, ſi velit, elargiri indulgentias; poſt hymnum *Te Deum*, recitare orationem de canonizato; tandem a Cardinali Diacono in confeſſione mentionem fieri immediate poſt Apoſtolos de eodem Sancto canonizato, poſt quam confeſſionem Papa facit abſolutionem, & dat more conſueto benedictionem, mentionem faciendo de Sancto Canonizato. Eadem verba in aliis monumentis reperiuntur.

b ad 19. Maji.

c muſ. Ital. to. 2.

§. VIII.

De nonnullis aliis juxta ritum antiquiorem Canonizationis ad ejuſdem actum pertinentibus.

15 &c. IN ipſo Canonizationis actu aliquando recitata fuerunt miracula, interceſſione canonizandi patrata, ut colligitur ex Canonizatione S. Laurentii Archiepiſcopi Dublinenſia apud Beſſin. (*d*), & ex aliis Canonizationibus apud Wadingum (e), & Bolland. (*f*). Præterea occaſione Canonizationis Pontifices canonizandorum corpora elevari juſſerunt; immo ipſimet elevarunt, ſi corpora erant, ubi Canonizatio celebrabatur, ut conſtat ex bull. Canoniz. SS. Ge-

d collect. Concil. Rotomag. par. 2. pag. 47.

e annal. Minor. to. 2. pag. 180.

f ad 19. Maji to. 4.

SS. Gerardi Epiſcopi Tullen., Franciſci Aſſiſien., & aliorum. Corpus S. Franciſci, ſic elevatum, per aliquod tempus, ſaltem Principibus viris, conſpiciendum patuit, ſed a Sixto IV., hortante S. Jacobo de Piceno, anno 1486. reconditum eſt. Alia ad hunc antiquiorem ritum ſpectantia, alibi dabuntur.

§. IX.

De ſolemni actu Canonizationis juxta recentiorem, & præſentem ritum.

18 &c. JUxta præſentem ritum Pontifex, qui ſolemni memoratæ proceſſioni intereſt, baſilicam Vaticanam ingreſſus, in Solio ſedens excipit ad obedientiam Cardinales, Epiſcopos, Abbates, & Pœnitentiarios. Poſt hæc Advocatus Conſiſtorialis cum Procuratore delegato ad imum Solii gradum ab uno ex cæremoniarum Magiſtris ductus, Canonizationem nomine Procuratoris ter petit. Ad duas primas petitiones Secretarius Brevium ad Principes reſpondet pro Pontifice, fundendas eſſe preces ad implorandum Divinum adjutorium, ideoque poſt primam canuntur Litaniæ SS., poſt ſecundam hymnus *Veni Creator Spiritus*. Ad tertiam aperit mentem Pontificis de peragenda Canonizatione, & Pontifex ſententiam profert, qua definit, Beatum eſſe Sanctorum catalogo adſcribendum. Sententiam hanc excipit Advocatus nomine Procuratoris, actiſque gratiis, petit litteras Apoſtolicas ſuper Canonizatione, cui Pontifex reſpondet: decernimus. Tum Advocatus Protonotarios, & Notarios rogat, ut unum, aut plura inſtrumenta ad perpetuam memoriam conficiant, eorumque antiquior in teſtes vocat ſtantes in area Solii Pontificii. Canitur tandem hymnus *Te Deum*, & mentio fit canonizati in oratione, confeſſione, & benedictione. Solemnis hic ritus ex multis Canonizationibus a Sixti IV. tempore factis eruitur. In formula ſententiæ Canonizationis edita a Clemente XI., aliiſque Pontificibus ante ipſum, non memorantur Miſſa, & Officium in honorem canonizatorum. At Officium exprimitur in formula, quæ extat in lib. cærem. Archiepiſcopi Corcyren., & qua Sixtus V., Clemens VIII., & Urbanus VIII. uſi ſunt. Juxta Ordinem Rom. Card. Cajetani apud Mabillon. Papa olim in Conſiſtorio ſecreto committebat duobus Cardinalibus, ut componerent lectiones, & alia pro Officio canonizandi. Verum cum, licet in ſententia, aut bulla Canoniz. decernatur Officium; requiratur tamen novum Congregationis rituum decretum, a Pontifice approbandum, ut in Eccleſia univerſali recitetur; aptior proinde eſſe videtur formula, in qua illud omittatur.

§. X.

De Miſſa a ſummo Pontifice celebranda in ſolemni Canonizatione Sanctorum.

23 &c. PLura antiquiora monumenta omnino ſilent de Miſſa occaſione Canonizationis a Pontifice celebrata. Ex his Phœbeus olim Congregationis rituum Secretarius oſtendit, non ex neceſſitate, ſed ex decentia celebrandam eſſe a Pontificibus Miſſam in Canonizationibus. Suffragatur Panvinius (a), affirmans celebrare ſolere aliquem ex Cardinalibus, quando Pontifex eſt impeditus, uti contigit in Canoniz. SS. Petri de Alcantara, Laurentii Juſtiniani, & aliorum. Quod ſi Pontifex impeditus non ſit, congruum omnino eſt, ut ipſe celebret. Nam Alexander III., qui novum Canonizationis ordinem induxit, Miſſam celebravit in Canoniz. S. Thomæ Cantuarien., Clemens V. in Canoniz. S. Petri Cæleſtini, & Bonifacius IX. omiſſam ob infirmitatem in Canoniz. S. Birgittæ, ſequenti die in baſi-

(a) de præſtant. baſil. Vatic. l. 6. c. 18.

baſilica Vaticana celebravit cum conſuetis in Canonizatione cæremoniis. His accedunt Card. Oſtienſis *in cap. Audivimus*, Ordo Rom. Card. Cajetani, liber cærem. editus ſub Leone X., aliaque monumenta, in quibus mentio fit de ſolemni Miſſa a Pontifice celebranda in Canonizatione Sanctorum, ac tandem ſubſequentium Pontificum conſuetudo. His addendum, quod quotieſcumque Pontifex in baſilica Vaticana Miſſam cantat, Card. baſilicæ Archipresbyter cum duobus Canonicis Sacrario præfectis *presbyterium*, ſeu vigintiquinque denarios ſigno veterum Pontificum ſignatos ei offert pro *Miſſa bene cantata*. In Canoniz. S. Didaci novum altare ligneum conſtructum eſt impoſito minori lapideo portatili, ut Sixtus V. in eo celebraret. Lapideum Canonici S. Petri, quibus ex conſuetudine relinquendum erat, Oratori Catholici Regis donarunt, ut illud ad eumdem Catholicum Regem tranſmitteret, ac propterea Pontifex illud Indulgentiis ditavit, & facultatem conceſſit quibuſdam ſacris viris, ut in eo celebrare poſſent. Clemens XII. in Canonizatione, quam peregit, neque Miſſam impeditus celebravit, neque celebratæ a Cardinali Ruffo interfuit: reliqua tamen de more rite explevit.

§. XI.

De Oblationibus, quæ fiunt in Miſſa, quæ celebratur occaſione Canonizationis.

28 &c. Sive Pontifex, ſive Cardinalis Miſſam celebret, poſt expletam Canonizationem ſemper fiunt oblationes, & Indulgentiæ in ea conceduntur. Harum oblationum ritum deſcribit Angelus Rocca *tract. de Canoniz. SS.* (a), juxta quem tres Cardinales Congregationis rituum, qui in Canonizatione olim Judices fuerunt, unus ſcilicet Epiſcopus, alter Presbyter, tertius Diaconus, & ſimul Oratores Canonizationis, vel iſtorum loco alii Cardinales a Papa electi, in Miſſæ Offertorio cereos, panes auratos, & argentatos, parvos cados auratos, & argentatos vino plenos, turtures, columbas, aviculaſque diverſas vivas in caniſtellis depictis incluſas offerebant. Nunc totidem ejuſdem Congregationis Cardinales, in dictis Ordinibus conſtituti, reſpective eliguntur ad oblationes præſtandas, quot ſunt canonizandi. Deficientibus Cardinalibus Epiſcopis ſubſtituuntur Cardinales Presbyteri, ut contigit ſub Clemente XI. Iſtarum oblationum ſignificationem expoſuit Rocca cit. cum aliis: earumdem vero apparatus, & comitatus deſcribuntur in Actis præteritarum Canonizationum: hujus autem ritus antiquitatem tradunt Ordo Rom. Petri Amelii apud Mabillon. cit., & Ordo Canoniz. SS. anni 1494. in collect. Concil. Britan., in quo additur, columbos offerri, ex quibus unus ſaltem evolare poſſet, ac memoratur vexillum Promotoris Canoniz. deferendum ante Offertorium. Demum oblationis ordo deſcribitur in lib. cærem. Archiepiſcopi Corcyren., ſed reticetur columbus prædictus qui evolare poſſit. Poſt eadem tempora Magiſter cæremoniarum conſuevit in oblatione abſcindere reticulum quaſilli, aviculas continentis, quæ ſtatim evolabant, ut legitur in Act. S. Didaci, & aliorum; ac de hac abſciſſione ſilent Acta S. Raymundi, aliorumque, & omiſſa fuit in Canoniz. ſub Clemente XI., cum nullum repræſentet myſterium, nec in lib. cærem. præſcribatur. Omiſſa pariter eſt ſub Clemente XII., cui oblationes conſuetæ factæ ſunt, dum canebatur *Te Deum*, cum ipſe nec Miſſam celebrare, nec celebrandæ intereſſe potuerit.

(a) to. 1. oper. pag. 143.

Digitized by Google

§. XII.

De Oblatione turturum, columbarum, & avium omiſſa a ſanctæ memoriæ Benedicto XIII. in Canonizationibus ab eo factis.

35 HAnc turturum, columbarum, & avium oblationem omiſſam fuiſſe, tamquam Eccleſiæ diſciplinæ minime conſonam, refert Fontaninus in codice Canoniz. Profecto ex Eccleſiæ monumentis in Miſſa offerri ſolum dicuntur panis, vinum, & cera. Panem fermentatum conſecrandum antiquitus oblatum contendit Sirmondus (*a*), quem ſequitur Card. Bona (*b*). Contra fermentatum in uſus Sacerdotum, & pauperum; azymum vero in conſecrationem oblatum exiſtimant Mabillon., aliique. Hic mos viguit, donec pecunia pro celebratione, & applicatione Sacrificii præſtari cœpit: ſuperſunt tamen aliqua veſtigia in Miſſa, dum conſecrantur Epiſcopi, & benedicuntur Abbates, & Abbatiſſæ, & in Metropolitana Mediolanenſi, teſte Macro (*c*). His monumentis innixus Benedictus XIII. prædictam oblationem in Canonizationibus reſpuit, addens, proſcriptam fuiſſe can. 3. Apoſt., quin eum a propoſito dimoveret oblatio lactis, & mellis, permiſſa in Concilio Carthaginien. anni 397. quamvis vetita in can. Apoſt. Ea enim ſpecialiter die Paſchæ benedicebantur, infundenda infantibus recens baptizandis. Attamen Clemens XII. eaſdem turturum, columbarum, & avium oblationes reſtituit.

a diſq. de Azym.

b rer. liturgic. l. 1. c. 23

c vocab. Eccl. v. Oblatio.

§. XIII.

De ſummi Pontificis panegyrica oratione in honorem Beati inter Sanctos referendi.

36. 37 POntifices in Canonizatione concionem habere conſuevisse, teſtantur Oſtienſis *in cap. Audivimus*, Ordo Rom. Card. Cajetani, aliique Auctores: habitas exhibent monumenta, & bullæ Canoniz. SS. Petri Cæleſtini, Thomæ Aquinatis, & aliorum. Poſtquam autem Secretarius Brevium ad Principes conſuevit Advocato Conſiſtoriali, pro Canonizatione ſupplicanti, reſpondere, Pontifices utplurimum concionem omiſerunt; ſed Clemens XI. laudabilem hunc concionandi morem in Miſſa occaſione Canonizationis retinuit.

§. XIV.

De Bulla Canonizationis.

38 PRolata Canonizationis poſtrema ſententia, Pontifex, Advocato Conſiſtoriali inſtante, decernit bullæ expeditionem. Ante hanc olim non poterat celebrari feſtum Canonizationis, ut colligitur ex decreto Congregationis rituum 5. *Auguſti* 1665. in cauſa S. Franciſci Saleſii. Si Pontifex præmoriatur, aliquis ex ſucceſſoribus bullam proprio nomine expedit, Canonizatione, & geſtis anteceſſoris memoratis. Primus id præſtitiſſe creditur Gregorius XI., quem alii ſubinde ſecuti ſunt. In bulla exponuntur vita, miracula, & cætera judicialiter acta; quæ tamen Honorius III. in bulla Canoniz. B. Willelmi Bituricen. Archiep. omiſit, quia nota, & multiplicia. Ab Honorii more receſſerunt alii Pontifices, præter Benedictum XIII., qui bullarum brevitati ſtuduit, ne ea, quæ forte in bulla omitterentur, falſa dicerentur. Alias præterea litteras Pontifices ad totius Eccleſiæ, vel unius nationis Præſules, vel ad aliquem Religioſorum cœtum; vel ad nonnullos Principes ſcripſerunt, Canonizationem indicentes, & ad cultum canonizati excitantes, quæ extant collectæ in codice Canoniz.

CA-

CAPUT XXXVII.

De Actibus cultus ſervis Dei poſt Beatificationem deferendis.

1 &c. UT in hoc recte procedatur, prius agendum eſt de titulis SERVUS DEI, VENERABILIS DEI SERVUS, BEATUS, SANCTUS. Primum titulum aliquando Abbatibus attributum, vel potius Abbates in eo comprehenſos fuiſſe, deſumitur ex Synodo Sueſſionenſi anni 744. interprete Petro de Marca (a) Græci eumdem tribuunt unicuique baptizando in forma baptiſmi, Latinis minime contradicentibus, cum eam nec Eugenius IV. in Armenorum inſtructione, nec Concilium Londinenſe an.1556. reprobaverint. Quidquid de his ſit, titulus *Servi Dei* juxta conſuetudinemCongregationis rituum tribuitur dumtaxat iis, de quorum Beatificatione agitur, eoque appellantur in omnibus, & in omnium ſcripturis, & decretis ad cauſam pertinentibus. Imo citra læſionem Decretorum Urbani VIII. omnes, qui cum ſanctitatis laude decedunt, ſic appellantur in inſcriptione imaginum, & in vita typis impreſſa. Addere hic libet, eos præcipue dictos fuiſſe in veteri, & novo Teſtamento *Servos Dei*, qui eximiis virtutibus floruerunt, ut Moyſes 2. Eſdræ 9.& alii alibi, quibus conſonat *homil.*1. S. Joannis Cryſ. *in epiſt.ad Rom.*in ea verba *Paulus Servus Jeſu Chriſti*. His addi poteſt, quod licet ſoli Romano Pontifici jure debeatur titulus *Univerſalis Epiſcopi*, juxta *dictatum S. Gregorii VII. can.*2., ob modeſtiam tamen S. Gregorius Magnus pro ſe, & ſucceſſoribus induxit titulum *Servus Servorum Dei*, eorum ſcilicet, qui Fide, & moribus Deo inſerviunt, de quibus S. Auguſtinus in *Pſal.*99.

a de concord. Sacerd.& Imper. l.6. c. 34. n.3.

4 &c. *Venerabilis Dei Servus* dicitur is, cujus fama ſanctitatis judicialiter probata ſit, ut notavit Blaſius a Purificatione. Tales ſtricte ſunt juxta conſuetudinemCongregationis rituum ii, in quorum cauſis ſignata eſt commiſſio introductionis. Lato tamen modo hoc titulo aliquando decorati fuerunt in hiſtoriis, etiam Romæ impreſſis, plerique cum ſanctitatis laude defuncti, præſertim Epiſcopi, aut Sacerdotes, licet eorum cauſæ non fuerint introductæ, ut innuit Card.Baronius ad an.731. ſuper hoc titulo Bedæ attributo. Ita ſane Beda vocatur in Martyrol. Rom. (b), ſed & ſanctum dici ex Ilduino, & Mariano Scoto vult idem Baronius *in notis*, aniles fabellas de titulo *Venerabilis* Bedæ collato rejiciens cum Trithemio (c): plaudentibus Bollandianis (d), aliiſque. Aliquando *Venerabiles* cognominati ſunt Summi Pontifices, ut in Synodis Rom. ſub Hilario, & Bonifacio II. Interdum Epiſcopi, ut in collatione prima Carthaginenſi Catholicorum cum Donatiſtis. Aliquando Principes Catholici, ut in epiſt. Hadriani I. adverſus Elipandum. Nonnunquam Martyres vindicati, ut in Conſtitutione Marciani Imperatoris, qua revocavit aliam Conſtitutionem Theodoſii, qui Conciliabulum Epheſinum ſub Dioſcoro, & damnationem S. Flaviani approbaverat. Aliquando Noſocomia, & ſimilia, leges, reſpublica, & ſenectus. Sed hic agitur de titulo *Venerabilis* juxta conſuetudinem Congregationis rituum.

b ad 27. Maii.

c l.2. de vir. illuſtr. Ord. S. Bened.

d ad 27. Maii to.6. pag.718.

7 Tituli *Beati*, & *Sancti*, aliquando promiſcue adhibentur, ut ſæpe fit erga Deiparam Virginem. In Martyrologiis, & codice Carolino Petrus Apoſtolus, & alii appellantur *Beati*. Verumtamen ex S. Sedis, & Congregationis rituum conſuetudine *Beatus* dicitur, qui formaliter, vel æquipollenter beatificatus eſt. *Sanctus* autem, qui alterutro modo canonizatus eſt. Deus in ſcripturis dicitur *Sanctus*, & *Sanctus Sanctorum*, habet enim ſanctitatem eſſentialem, & a ſe, creaturæ vero defectibilem, & participatam. Chriſtus quoque dicitur *Sanctus Sanctorum*, & ut Deus ex modo dictis, & ut homo, tum quia conceptus eſt de Spiri-

tu

Digitized by Google

tu Sancto, tum propter unionem hypoſtaticam, tum ob alias rationes. *Sanctos* ſæpe nominant Chriſtianos Apoſtolus, & S.Lucas. Demum *Sancti* vocari poſſunt omnes in gratia morientes: ſed in præſenti ita nominantur ii, quos ſanctitate in vita, & miraculis poſt obitum fulgentes Eccleſia cultu dignos judicavit. De *Divi* nomine nil additur, utpote profano, quodque Card.Bellarminus in recognitione ſuorum librorum reprobavit.

8 &c. His explicatis, aptiſſima regula videtur, ut Beatis antiquiſſimum immemorabilem cultum poſſidentibus illi actus cultus exhibeantur, quos ab immemorabili, ſciente, & tolerante Ordinario, vel Sede Apoſtolica, obtinuerunt: Beatificatis vero ex Indulto Congregationis rituum, aut Pontificis, adhibeantur actus in Indulto deſignati. Exemplis id clarius fiet. Quærunt ſcribentes de his rebus, quo tempore Beatificationes a Romanis Pontificibus fieri cœptæ ſint. Si quæſtio ſit de Beatificationibus, ideſt de cultu ab Epiſcopis in ſuis diœceſibus decreto in honorem alicujus Servi Dei, implorata tamen ſummi Pontificis auctoritate pro confirmatione, repetenda ſunt ſuperius dicta de interventu Pontificiæ auctoritatis in cultu decernendo. Si reſpiciat Beatificationes poſt reſervatam privative Sedi Apoſtolicæ harum cauſarum cognitionem, & deciſionem, initium illud, quidquid alii ſenſerint, referendum videtur ad tempora Alexandri III. Ad id enim valde confert cultus ab eo conceſſus erga B. Guillelmum a Malavalle. Alias ſubinde Beatificationes expleverunt Succeſſores, in quibus diverſas cultus ſpecies indulſerunt, ut ſcilicet ageretur Beati feſtum, vel fieret ejus commemoratio in Divinis Officiis, & ſimilia juxta Pontificis placitum. Sic Honorius III. permiſit Moliſmenſibus, ut in ſua Eccleſia ſuffragia Roberti Abbatis Moliſmenſis Fundatoris Ord. Ciſterc. implorarent; Gregorius X., ut corpus B.Lucheſii proceſſionaliter deferri poſſet: quibus ſuffragantur alia aliorum Pontificum indulta pro aliis Beatis. Quapropter uſus debet eſſe conceſſionibus conformis, & non amplior, ut ſit legitimus. Idque confirmatur decreto Congregationis rituum 5. *Octob.* 1652., quo cavetur, ne quis cujuſcumque Ordinis, & Inſtituti verbales Indultorum limites præſertim in celebrandis Miſſis, & Officio cum Octavis excedere poſſit. Die 19. Februar. 1658. coram Alexandro VII. ſtatutum fuit, Beatis non poſſe tribui titulum *Sancti*, eorumque capita radiolis, non diademate ornari debere. Demum idem Alexander 27. Septembr. 1659. cuncta ad cultum Beatorum pertinentia diſtinctius decrevit, cujus decreta Congregatio 17. Apr. 1660. explicavit.

CAPUT XXXVIII.

De actibus cultus Beatis poſt Canonizationem exhibendis.

1 SEptem numerantur hujuſmodi actus. Primus: Canonizati adſcribuntur catalogo SS., ideſt, præcipitur, ut habeantur, & dicantur publicè Sancti. Secundus: invocantur in publicis Eccleſiæ precibus; neque pro eis orare licet. Quocirca ſi aliquando pro ſanctis preces offerri videantur, intelligendum eſt, ut Fideles eos glorificent in terris, & imitentur, de quibus Innocentius III. *in cap. Cum Martha*, & Renaudotius (*a*). Tertius: Templa in eorum memoriam eriguntur. Quartus: Miſſa in eorum honorem offertur, & Officium publice in Eccleſiis cantatur, ut eruitur ex Conciliis Chalcedon., & Trident. Quintus: dies feſti in eorum anniverſariis aguntur. Sextus: eorum imagines cum radiis, & diademate in ſignum gloriæ pinguntur. Septimus: eorum reliquiæ publice honorantur. De his Card.Bellarminus (*b*) & alii.

2 Catalogum Sanctorum nonnulli putant eſſe Romanum Martyrologium; ſed rectius in corde, & mente Eccleſiæ

a Liturg. Orient. to. 1. pag. 505. & 528.

b to. 2. l. 2. de SS. Beat. c. 7.

ſiæ illum conſtituit Bivarius *in comment. ad Chron. M. Maximi* (a), ut ſcilicet ſit numerus Sanctorum, quos ipſa Eccleſia univerſis Fidelibus colendos proponit.

a In S. Joan. Erem. §. 4.

3 &c. Quod ad Miſſam, & Officium ſpectat, hodie de omnibus fere Canonizatis celebrantur in determinatis locis, cum nunc Canonizationem ſemper præcedat Beatificatio, & in Brevibus Beatificationis formalis ſemper, æquipollentis vero fere ſemper ea concedantur; non tamen in Eccleſia univerſali, niſi ſummus Pontifex per decretum a ſententia, & bulla Canoniz. diſtinctum præcipiat, vel indulgeat. In quibuſdam quidem Canoniz. bullis nulla fit Officii mentio, ut ſunt bull. Canoniz. SS. Udalrici, Petri Epiſcopi Anagnini, & aliorum. In quibuſdam permittitur, ut SS. Tereſiæ, Philippi Nerii, & aliorum. In aliis Miſſa, & Officium pro Eccleſia univerſali præcipiuntur, eæque ſunt SS. Bennonis, Antonini, & aliorum. Nihilominus, ut ea in Eccleſia univerſa executionem obtineant, prædictum novum decretum omnino requiritur, ut reſpondit Congregatio rituum apud Gavantum (b), & adnotarunt Paſqualig. (c), & Lezana (d), quibus cohæret conſuetudo, & obſervantia apud eumdem Paſqualig. Hinc licet in bull. Canoniz. S. Bennonis Miſſa, & Officium præcipiantur, nondum tamen in praxim deducta ſunt, deficiente ſecundario decreto. Celebrantur vero in honorem SS. Antonini, Didaci, & aliorum, eo quod ejuſmodi decretum acceſſerit. In bull. Canonia. SS. Pii V., & aliorum Miſſa, & Officium omiſſa ſunt, inſtante Benedicto XIV. tunc Fidei Promotore, ne imperitis errandi occaſio præberetur.

b commen. ad rub. Br. Rom. ſec. 2. c. 2. n. 30.

c de Sacriſ. novæ leg. to. 5. q. 268. n. 5.

d tom. 4. conſult. 2. n. 5. & 6.

8 &c. Poſt hæc quæritur, an præceptum de colendo Canonizato, Miſſaque, & Officio in ejus honorem celebrandis Eccleſiam Orientalem cum Occidentali comprehendat. Pro hujus reſolutione præmittendum videtur; aliquam inter utramque Eccleſiam, etiam ante ſchiſma Græcorum, fuiſſe differentiam in ſacra Liturgia: præcipue in Divinis Officiis recitandis, & Sacramentis adminiſtrandis, uti oſtendunt Areudius (e), Allatius (f), aliique. Præterea ſummi Pontifices curarunt, ut Græci ad unitatem redeuntes abjicerent errores, & Sedi Apoſtolicæ ſubderentur, ſervatis tamen eorum ritibus, & conſuetudinibus, quæ neque periculum animarum inducerent, neque honeſtati Eccleſiaſticæ derogarent. Sic retenta ſemper fuit antiqua eorum conſuetudo in Miſſis, & Officiis celebrandis: quod contigit etiam quoad ritum Syriacum Maronitarum, & in repetitis unionibus Armeniorum, Copticorum, Abyſſinorum, Neſtorianorum, & Chaldæorum, ut ex pluribus Pontificum Conſtitutionibus, aliiſque monumentis dignoſcitur. Immo Benedictus XIII. Synodum provincialem Rhutenorum habitam Zamoſcæ anno 1720. confirmavit, intactis Anteceſſorum Conſtitutionibus, & Conciliorum generalium decretis ſuper Græcorum ritibus. Demum Pontifices, etſi improbaverint conſuetudinem, ut Græci latino ritu, latini græco Miſſam, & Officium peragerent; voluerunt tamen, ut Orientales ſervatis ſervandis ſacra facerent in urbe juxta eorum ritum; nam Clemens VIII. Epiſcopum Græcum Catholicum in Urbe admiſit, ut Græcos Epiſcopis Latinis Italiæ ſubjectos ordinaret: Officia, & Miſſæ in Eccleſiis Collegiorum Græci, & Maronitarum publice celebrantur: & Benedictus XIII. conſtituit, ut in aliis Urbis Eccleſiis Sacerdotes Orientales ad celebrandas Miſſas ſine licentia Cardinalis Urbis Vicarii non admitterentur.

e de concord. Eccl. Or. & Occid. in 7. Sacram. adm.

f de Eccl. Occ. & Or. perp. conſenſ.

14. 15 His præmiſſis, diſtinguendum eſt præceptum de colendis ſanctis a præcepto de Miſſa, & Officio in eorum honorem celebrandis. Cumque primum ad Fidem pertineat juxta nonnullos, ejuſque violatio juxta omnes induceret periculum animarum, aut ſaltem derogaret Eccleſiaſticæ hone-

ſtati, & cum inſuper Romanus Pontifex ſit caput utriuſque Eccleſiæ; hinc fit, ut Orientales æque, ac Occidentales quemcumque ab eo canonizatum, tamquam Sanctum venerari teneantur. Non tamen Miſſam, & Officium in ejus honorem peragere, niſi Pontifices id expreſſe præceperint, juxta definitionem relatam apud Verricellum *de Apoſt. Miſſion.* (*a*). Neque ad id ſufficiunt verba univerſalia; nam in Miſſalibus, & Breviariis pro eorum uſu in Urbe editis præſcribuntur Miſſæ, & Officia præcipue in honorem Sanctorum, quos ante ſchiſma colebant, omiſſis ſanctis poſtea canonizatis. Non obſtant decretum Eugenii IV. in unione Armenorum, & inſtructio Clementis VIII. de obſervandis Latinorum feſtis. Primus enim ſolum præſcripſit, ut Armeni ſe conformarent Eccleſiæ univerſali, quoad dies quarumdam ſolemnitatum. Secundus vero mandat, ut Græci in diœceſibus Latinis viventes Miſſam audiant, & ab operibus ſervilibus in Latinorum feſtis abſtineant.

a queſt. 83. & 84.

CAPUT XXXIX.

De differentiis inter Beatificationem, & Canonizationem.

1. 2. NOnnulli utramque promiſcue ſumi poſſe putant. Alii Canonizationem diſtinguentes in univerſalem, & particularem, Beatificationem appellant particularem Canonizationem. Alii volunt eſſe abſolute, vel ſaltem particulariter canonizatos, quotquot judicio Epiſcopali juxta antiquam diſciplinam cultum obtinuerunt.

3 Verumtamen, attenta antiquiori diſciplina, hæc differentia conſiſtebat in Epiſcopi præcepto de cultu coarctato ad propriam diœceſim, & tunc erat Beatificatio, & in ejus extenſione ad univerſam Eccleſiam, accedente Romani Pontificis tacito, vel expreſſo conſenſu, & erat Canonizatio.

4 &c. Difficilius ſtatui poteſt diſcrimen poſt delatum ad Sedem Apoſtolicam Beatificationis, & Canonizationis judicium. In primis Beatificatio numquam dicenda videtur particularis Canonizatio, nam Pontifices in pluribus Beatificationum Brevibus clauſulas appoſuerunt, quibus omnis Canonizatio excluditur. Inde tradunt Doctores, ſummum Pontificem per Beatificationem permittere alicui Dei ſervo determinatum cultum in quibuſdam locis, donec canonizetur: ita Scacch. *de notis, & ſign. ſanct.* (*b*), & alii, per Canonizationem vero definire, eumdem colendum eſſe in univerſa Eccleſia: ita Innocentius *in cap. Audivimus*, Oſtien. & alii. Hinc Beatificationem a Canonizatione per id differre docent, quod prima ſit actus præparatorius, importet cultum permiſſum, & hunc coarctatum ad determinatum locum: ſecunda vero ſit actus extremus, importet cultum præceptum, & ad univerſam Eccleſiam extenſum. Ita Gonzal *in cap Audivimus* Contelor. (*c*), aliique plures. P. Matthæuc. *in pract. ad cauſ. Beatif. & Canoniz.* (*d*) contendit, cultum etiam in Beatificatione præcipi, exceptiſque Miſſa, & Officio, extendi ad univerſam Eccleſiam, ſed ei reſpondet P. Memmius *in tract. de rit. Canoniz. SS.* Verumtamen ex litteris Apoſtolicis prædicta differentia tutius ſtatui poterit.

b ſect. 11. Col. p. 826.

c de Canoniz. SS. r. 2. n. 5. & ſeqq.

d quæſt. proem. cap. un. n. 7. & ſeqq.

8 &c. Itaque regulariter per Beatificationem cultus dumtaxat permittitur, ut conſtat ex Brevibus Beatificationum Joannis Boni, Philippi Benitii, & aliorum plurium. Aliquando tamen præceptus eſt. Nam Alexander III. juſſit, celebrari Officium in diœceſi Groſſetanenſi in honorem B. Guillelmi a Malavalle, idque confirmavit Innocentius III. Similia præſtiterunt Leo X. erga B. Hoſannam pro civitate, & territorio Mantuano: Clemens IX. erga B. Roſam Limanam, dum hanc in principalem Limæ, & Peruvii patronam elegit: & Clemens X., cum eamdem totius Americæ, Philippina-

pinarum, ac Indiarum; & B. Stanislaum Koſtkam Poloniæ, Lituaniæ, & adjunctarum provinciarum patronos principaliores renunciaverit. Cultus quoque Beatorum ad aliquem determinatum locum in omnibus fere Beatificationum Brevibus coarctatur, aliquando tamen ad totam Eccleſiam ampliatus fuit, ut B. Joannis Boni ex conceſſione Sixti IV., & B. Roſæ Limanæ ex Indulto Clementis X. At ex iiſdem Apoſtolicis Litteris ſatis patet, Canonizationem eſſe ſummi Pontificis definitivam ſententiam, qua cultum præcipit, ut ex omnibus Canonizationum bullis colligitur. Quod ſi in nonnullis antiquioribus habeantur verba hortativa, adduntur tamen & præcipientia, ut in illis SS. Geraldi, Chunegundis, & aliorum. Demum in Canonizatione cultus ad univerſam Eccleſiam revera extenditur, ut omnes Canonizationum bullæ oſtendunt; & licet nonnullæ particularibus perſonis inſcriptæ ſint, cultus tamen in iis non coarctatur, ſed de peracta Canonizatione, quam forte petierant, certiores redduntur, ut canonizati precibus ſe fidentius commendarent. Ceterum cultum in Canonizationibus præcipi clariſſime demonſtrat ſententia, quam Pontifex tam ſolemniter profert in Canonizatione.

12 &c. Cum igitur Beatificatio regulariter ſit cultus permiſſio, aliquando autem præceptum, limitatum tamen, & directum ad futuram definitivam ſententiam; & cultus Beatorum ſit regulariter reſtrictus ad determinatum locum; aliquando vero ad univerſam Eccleſiam extenſus, ſed mere permiſſive: Canonizatio autem ſit ſummi Pontificis ſententia ultimo definitiva, qua cultus in univerſa Eccleſia præcipitur, in hac utique ſententia conſtituenda eſt differentia inter Beatificationem, & Canonizationem.

CAPUT XL.

In quo explicatur Sedis Apoſtolicæ permiſſio, quæ per Beatificationem habetur.

1 PErmiſſio alia eſt approbans, & competit Beatificationi formali, & æquipollenti; alia ſuſpendens, cum nempe Sedes Apoſtolica cultum, quem alicui in particulari loco ab antiquo exhiberi cognovit, non removet, explicite tamen, vel implicite proteſtatur, ſe non approbare, ideoque ex hac permiſſione difficulter Beatificatio producitur.

2. 3 Id exemplis cultus Luciferi Calaritani, & cultus Raymundi Lulli illuſtrabitur. Primus pluribus pro Fide Catholica geſtis, exilium ſuſtinuit, & Confeſſoris nomen obtinuit. Solutus ab exilio Paulinum presbyterum in Epiſcopum Antiochiæ conſecravit, ut diſſenſiones componeret, ſed potius auctæ fuerunt. Hoc S. Euſebius Vercellenſis neque approbavit, neque publice improbavit, ſed Lucifer ab ejus communione diſceſſit, & incertum adhuc, an ad graviora proceſſerit. Eum Eccleſiæ ſenſui ſemper adhæſiſſe referunt Socrates, & Sozomenus; at defeciſſe tradunt Sulpitius Severus, SS. Ambroſius, & Auguſtinus: Beatum autem appellat S. Hieronymus. Demum in civitate Calaritana inventa eſt Eccleſia ſubterranea S. Lucifero dicata, inventum quoque ejus corpus cum ſanctitatis indiciis, & miracula ad ejus ſanctitatem patefaciendam patrata referuntur apud Bolland. (a), & Spondanum ad an. 362. Nihilominus hæc alteri Lucifero adjudicant Natalis Alexander (b), & Baillet (c). Alii putant a Schiſmaticis Luciferianis cultum adhibitum fuiſſe prædicto Lucifero, & continuatum poſt ſchiſma, revixiſſe vero inventa prædicta Eccleſia. Hæc tamen pro legitimo cultu non ſufficiunt, cum ejus nomen non ſit inſertum in Romanum Martyrologium.

a ad 20. Maii to. 5.

b ſec. 4. c. 3. an. 13.

c In vit. Lucif. ad 20. Maii.

Præterea de Luciferi ſanctitate, & cultu turbas excitarunt Archiepiſcopi Turritanus, & Calaritanus, primus ſcilicet contra Luciferum, ſecundus pro Lucifero ſtetit; & huic adhæſerunt Bollandiani (*a*). Porro ſi, ut iidem dicunt, Congregatio Inquiſitionis Romanæ ſilentium cauſæ impoſuiſſet, cultumque in eo ſtatu, in quo erat, ſervaſſet, ſufficiens pro Beatificatione adeſſet Sanctæ Sedis ſcientia, tolerantia, & permiſſio. Verum ſimultatibus inter prædictos Archiepiſcopos ſuper Luciferi cultu exortis, & ad Inquiſitionem primum Hiſpanicam, inde ad Sedem Apoſtolicam delatis, Urbanus VIII., re mature diſcuſſa in Inquiſitionis Romane tribunali, & attentis potiſſimum ſcandalis, quæ ex dicta diſputatione derivabantur (*b*), omnem prohibuit de ea re diſputationem, ſed proteſtatus eſt, ſe non intendere quidquam ſeu pro ſanctitate, ſeu contra ſanctitatem Luciferi declarare, ſed eam manere velle in ſtatu, in quo reperiebatur. Hæc autem non videtur ſufficiens tolerantia, & permiſſio, qualis pro Beatificatione requiritur, præſertim, quia poſtea (*c*) declaravit, non licere quomodocumque Miſſam, & Officium in honorem Luciferi celebrari, neque licere ejus imaginem colendam exponere.

a ad 20. Maii 10.5.

b 20. Jun 1641.

c 17. Octobris 1647.

4 Raymundi Lulli Martyrium ei a Saracenis inflictum, ejus corporis delationem ad inſulas Baleares, & cultum, quem ibi obtinet, memorat Arturus ad 23. Julii. Sed ut inter Beatos recenſendus ſit, non ſufficit publici cultus antiquitatem, ac ſcientiam, & tolerantiam Epiſcoporum demonſtrare, ſi tali cultui Sedes Apoſtolica adverſari videatur. Enimvero Gregorius XI. ducentos articulos Librorum Lulli errore, & hæreſi manifeſte infectos ſolemniter damnavit, teſte Nicolao Eymerico *in direct. Inquiſit.* (*d*); ubi refert Gregorii bullam. Nec juvat aſſerere, bullam fuiſſe ab Eymerico confictam, aut errores alterius Raymundi Lulli de Tarraga ab eodem Gregorio damnatos, huic Raymundo Lullo falſo fuiſſe adſcriptos. Primum enim non patiuntur geſta, & merita Eymerici, & quamvis nunc in regeſtis Pontificiis bulla forte non adſit, quia deperdita, dum Sedes Apoſtolica Avenione ad Urbem translata fuit; invenitur tamen in pluribus authenticis monumentis. Secundum excludunt Conſtitutiones Apoſtolicæ, utrumque Raymundum in damnationibus aperte diſtinguentes. Præterea notæ ſunt definitiones Congregationum Indicis, & Inquiſitionis de operibus Raymundi Lulli apud Card. Albitium *in tract. de inconſt. in Fide* (*e*). Pugnant quidem pro Lulli ſanctitate nonnulli eruditi; ſed & alii adverſantur. Quapropter Petrus Franciſcus de Rubeis olim Fidei Promotor P. Provinciali Belgii Ord. Præd. reſpondit, eum ſanctum, aut Martyrem non eſſe dicendum. Itaque Raymundus Lullus inter Beatificatos non eſt recenſendus.

d part. 2. qu. 9. & 26.

e c. 40. a n. 145. ad n. 152.

CAPUT XLI.

In quo nonnulla indicantur de Sedis Apoſtolicæ definitiva ſententia, quæ in Canonizatione profertur.

1 POſt delatas ad Sedem Apoſtolicam Canonizationum cauſas, introducta eſt quædam æquipollens Canonizatio, per quam Pontifex omiſſis formali ſententia definitiva, judicialibus proceſſibus, conſuetiſque cæremoniis, ſuperius expoſitis, jubet, aliquem Dei ſervum, qui in antiqua cultus poſſeſſione eſt, & de cujus heroicis virtutibus, aut martyrio, & miraculis conſtans eſt gravium Hiſtoricorum aſſertio, accedente etiam continuata miraculorum fama, jubet, inquam, in univerſa Eccleſia per Officii, ac Miſſæ celebrationem coli. Rem per exempla exponere peropportunum duco.

§.I.

§. I.

De S. Romualdo.

2 &c. ANno quinto poſt ejus obitum Sedes Apoſtolica Monachis conceſſit, ut altare ſuper illius corpus erigerent, uti narrat S. Damianus (*a*). Indultum tamen hujuſmodi diligenter conquiſitum nullibi repertum eſt. Canonizatum cenſet Baronius (*b*) ex illa altaris erectione, & ex epiſt. ejuſdem S. Damiani *ad Henricum Archiep. Raven.*, in qua inter ſanctos Romualdus Camerinenſis recenſetur. Sed quidquid ſit, an S. Damianus loquatur de S. Romualdo, de quo in præſenti, qui Camers certe non fuit; ſane altaris erectio Beatificationem potius importat, cum verba conceſſionis neque præceptum præſeferant, neque univerſam Eccleſiam reſpiciant, ut eruitur ex S. Damiano *lib. 6. epiſt. 30. ad Theuzonem*. Præterea initio ſæculi XVI. ejus cultus intra Monachos, & Eremitas Camaldulenſes coercebatur. Verum paulo poſt Clemens VIII., judicialem ordinem, reliquaſque ceremonias omittens, ſtantibus virtutibus, continuato cultu, & miraculis, eum æquipollenter canonizavit, cum de conſilio Congregationis rituum præceperit; ut ubique ejus Officium recitaretur, translato feſto a 19. Junii, qua obiit, ad 7. Febr., qua corpus translatum eſt, cum 19. Junii SS. Gervaſii, & Protaſii feſtum occurrat.

a in vit. S. Rom. cap. ult.

b ad ann. 1027. n. 13.

§. II.

De S. Norberto.

5 SAnctus Norbertus Ordinis Præmonſtraten. Inſtitutor, & Epiſcopus Magdeburgen. obiit anno 1134. Admirabilem ejus vitam ſcripſit Hugo Præmonſtratenſis, vel alius ejuſdem juſſu. An adhuc canonizatus ſit, neſcire ſe fatetur Surius. Aſſerit Caſtellinus (*c*), ſed ignorari ait, a quo Pontifice. Ab Innocentio III. inter Sanctos adſcriptum putat Le Paige (*d*), ſed deficientibus diplomate, & Auctoribus fide dignis, de rei veritate merito dubitant Bollandiani *ad 6. Junii*. A Gregorio XIII. canonizatum aſſerit Miræus (*e*); ſed cum Gregorius in diplomate virtutes quidem, & miracula recenſuerit, ſolum tamen Ordini Præmonſtratenſi Officium in ejus honorem conceſſerit, hæc Beatificatio potius, quam Canonizatio dicitur. Quapropter ab Urbano VIII. æquipollenter canonizatus dicendus eſt, cum ejus feſtum de præcepto inſeruerit Breviario, & Miſſali Romano, & a Clemente X., qui (*f*) Officium ſub ritu duplici in tota Eccleſia inſtar aliorum Fundatorum Ordinum Regularium recitari præcepit.

c de certit. glor. SS. pag. 441.

d lib. 2. bibliot. Præmonſt. par. 2. c. 43.

e in chron. Præmonſt. ad an. 1582.

f 7. Sept. 1672.

§. III.

De S. Brunone.

6. 7 SAnctus Bruno Ord. Carthuſianorum Fundator, cujus vita, ex aliis Scriptoribus deſumpta, extat apud Surium *ad 6. Octob.*, obiit anno 1101. A Leone X. canonizatum illum refert Baronius *in not. ad Martyrol.* (*g*). Verum Leo X. ſolum prædicto Ordini feſtum, & Officium conceſſit, quæ mox Gregorius XV. pro univerſa Eccleſia ad libitum in Miſſali, & Breviario Romano de conſilio Congregationis rituum repoſuit, uti deſumitur ex authenticis documentis ex archivo majoris Carthuſiæ Gratianopolitanæ erutis. Verius ergo a Clemente X. æquipollenter canonizatus videtur, cum ſtantibus tanti viri meritis, miraculis, prædictoque cultu (*h*), Officium in univerſa Eccleſia ſub ritu duplici recitari decrevit.

g ad 6. Octobris.

h 14. Martii 1674.

§. IV.

§. IV.

De S. Petro Nolaſco.

8. 9 SAnctus Petrus Nolaſco Fundator Ord. B. Mariæ de Mercede obiit anno 1256. A Benedicto XII., ſeu XIII. illegitimo Pontifice canonizatum putant nonnulli: at hujuſce rei nullum extat documentum; alii ab Urbano VIII., ſed hic ſolum (a) Ordini permiſit feſtum cum Officio, & Miſſa de communi Conf. non Pont. Igitur ab Alexandro VII., concurrentibus ſolitis circumſtantiis, æquipollenter canonizatus eſt. Hujus enim Pontificis auctoritate, prævio conſilio Congregationis rituum (b), nomen in Martyrologio, Officium cum lectionibus propriis, & Miſſa in Breviario, & in Miſſali Rom. pro univerſa Eccleſia de præcepto repoſita fuere ſub ritu ſemiduplici, quem deinde ad duplicem elevavit Clemens X. (c). Huc vetuſtum ſpectat monumentum pertinens ad cultum S. Petri, videlicet compendium proceſſus ab Ordinario poſt Sancti obitum ſuper ejus ſanctitate conſtructi, quod inventum, & exhibitum fuit, cum de Officii conceſſione ageretur; juridice autem recognitum eſt anno 1721. coram Ordinario Barcinonenſi. Hujus exemplar authenticum ſervatur in Conventu S. Hadriani de Urbe.

a 11. Octobr. 1628.

b ann. 1655

c 23. Jul. 1672.

§. V.

De S. Raymundo Nonnato.

10 SAnctus Raymundus Nonnatus, qui Habitu Ordinis B. Mariæ de Mercede a S. Petro Nolaſco, & Cardinalitia dignitate a Gregorio IX. inſignitus fuit, obiit anno 1240. Ferunt ejus Canonizationem fuiſſe a prædicto illegitimo Pontifice Benedicto XII., ſeu XIII. peractam, approbatam vero a Concilio Conſtantienſi, & a legitimis Pontificibus non revocatam. At dicendum eſt, eum æquipollenter canonizatum fuiſſe, cum poſt particularia Urbani VIII. (d), & Alexandri VII. (e) indulta de Officio, & Miſſa in ejus honorem celebrandis, inſertumque ejus nomen in Martyrologium Rom., Clemens IX. eadem ſub ritu ſemiduplici ad libitum ad univerſam Eccleſiam propagavit, & Innocentius XI. (f) ſub duplici præcepit.

d an. 1626

e 20. Oct. 1655.

f 10. Mart. 1681.

§. VI.

De SS. Joanne de Matha, & Felice de Valois.

11. 12 HOS Ordinis SS. Trinitatis Redempt. Capt. Fundatores ab Urbano IV. in Sanctorum album relatos tradunt Ferrarius Gallus in chron., & alii. Antonius Lupianus Zapata examinatus in proceſſu ſuper cultu immemorabili, ſe vidiſſe proceſſum affirmavit, in quo teſtis aſſerebat, authenticam Canonizationis bullam legiſſe. Hæc tamen numquam inventa eſt; Lupianum vero inſignem fuiſſe in pluribus impoſtorem, oſtendunt Card. de Aguirre (g), aliique. Neque aſſertionem probaſſe videtur Ordo SS. Trinitatis, dum Canonizationis cauſam introduxit: conſtructo enim de more proceſſu ſuper immemorabili eorum cultu, Cardinalis Urbis Vicarius (h) ſententiam protulit ſuper caſu excepto, & cultu immemorabili, quem ſane præſeferebant antiquiſſima Breviaria: ac proinde eorum nomina in Martyrologio Rom. (i) deſcripta fuerunt. Poſt hæc ſæpe conceſſa fuere Officium, & Miſſa ſub ritu duplici ad libitum, donec tandem Innocentius XII. eos æquipollenter canonizavit, elevando ritum a duplici ad libitum ad duplicem de præcepto in univerſa Eccleſia, uti eruitur ex decreto Congregationis rituum 19. Maji 1694.

g Tom. 1. Conc. Hiſpan. diſſ. 9. & tom. 2. diſſ. 3.

h 30. Jul. 1665.

i ann. 1670.

§. VII.

§. VII.

De S. Margarita Scotorum Regina.

13 OBiit hæc anno 1093. Ab Innocentio IV. canonizata dicitur, fortaſſe quia ſub eodem Pontifice in ejus corporis translatione miraculum inſigne contigit, videndum apud Raynaldum *ad ann.* 1242. Sed hinc formalis Canonizatio erui nequit, uti conſtat ex geſtis ſub Innocentio VIII. pro ejuſdem S. Margaritæ Canonizatione apud Raynaldum (*a*). Quare æquipollenter canonizata eſt. Fuit namque primum ejus nomen in Martyrologio Rom. deſcriptum, & feſtum a 10. Junii ad 8. Julii translatum, quo ſub ritu ſemiduplici ad libitum Officium in univerſa Eccleſia recitabatur: poſtea Innocentius XII. (*b*) Miſſam cum Officio ſub eodem ritu celebrari in tota Eccleſia juſſit, & feſtum 10. Junii reſtituit.

a ad ann. 1487.

b 15. Sept. 1692.

§. VIII.

De S. Stephano Hungariæ Rege.

14 SAncti Stephani Hungariæ Regis nomen in Martyrologio Rom. deſcriptum erat ad 20. Auguſti. In ejus vita a Cartuitio Epiſcopo ſcripta, & a Surio (*c*) edita, dicitur illius corpus elevatum fuiſſe ſummi Pontificis auctoritate: incertum tamen eſt, num id Beatificationem, an Canonizationem importaverit. Eum itaque æquipollenter canonizavit Innocentius XI., qui (*d*), petente Leopoldo Imperatore, juſſit, ejus Officium, quod ſub ritu ſimplici in Eccleſia univerſali recitabatur, ſub ſemiduplici fieri 2. Septembr. in memoriam victoriæ in expugnatione Budæ a Chriſtianis contra Turcas obtentæ.

c to. 4. ad eamd. diem

d 29. Nov. 1686.

§. IX.

De S. Wenceslao Duce Bohemiæ.

15 MOrtuus hic eſt anno 929. Eius nomen in Martyrologio extat ad 28. Septemb. De ejus Martyrio, miraculis, & vita plura habentur apud Baronium *in notis*, & alios. Æquipollens Canonizatio cœpit ſub Clemente X., qui (*e*) ad ejuſdem Leopoldi preces indulſit, ut in Eccleſia univerſali ejus Officium ſemiduplex ad libitum recitaretur, & in Breviario apponeretur; tum ad preces Epiſcopi Pragæ orationem, & lectiones proprias, in Congregatione rituum probatas, admiſit. Sed cum ritus ad libitum non importet æquipollentem Canonizationem, hanc idcirco perfecit Benedictus XIII., qui 14. Martii 1729. ſtatuit, ut S. Wenceslaus cum Officio ſemiduplici de præcepto in univerſa Eccleſia coleretur.

e 26. Jul. 1670.

§. X.

De S. Gregorio VII.

16. 17 OBiit S. Gregorius VII. anno 1085., & ejus vita a Paulo Bernriedenſi ſcripta, extat apud Bolland. *ad* 25. *Maji.* Miraculis ante, & poſt obitum claruiſſe illum referunt Scafnaburgenſis *ad ann.* 1077., Ordericus Vitalis (*f*), & alii. Confeſſorem, & Martyrem appellat Hugo Flaviniacenſis *in chron.* apud Labbe (*g*). Abuſibus Principum ſæcularium quoad Eccleſiaſtica dominia, ſive *inveſtituras*, evulſis: ſimonia extirpata: cælibatu Clericorum reſtituto, multorum invidiam, & calumnias ſuſtinuit. Pro ipſo tamen præclaras apologias S. Anſelmus Lucenſis Epiſcopus (*h*), Gretſerus (*i*), aliique ediderunt.

18 &c. Antiquitatem cultus S. Gregorii deſumunt Bollandiani ex eo, quod Anaſtaſius IV. poſt 60. annos a Gre-

f par. 2. Hiſtor. Eccl. l. 8. pag. 673

g To. 1 Biblior. Mſs. pag. 232.

h Biblior. Pont. to. 4.

i To. 7. Op. in exam. myſt. Pleſſ. pag. 318.

Gregorii obitu in abſide Sacelli S. Nicolai, a Calliſto II. in Urbe conſtructi, eumdem cum aliorum Sanctorum inſignibus depingi juſſerit. Hoc Sacellum in antiquo Lateranenſi Patriarchio, licet in Pœnitentiariorum Collegium commutato, adhuc remanet cum altari, in cujus abſide pictura extat, repræſentans in parte ſuperiori imagines B. Virginis Filium in ſinu gerentis, duorum Angelorum circumſtantium, Pontificum Calliſti II., & Anaſtaſii IV., necnon SS. Silveſtri, & Anaſtaſii. In parte vero inferiori imagines Crucifixi, SS. Dominici, & Franciſci, ac SS. Pontificum Leonis III., Urbani II., Paſchalis II., Gelaſii II., Gregorii II., Alexandri II., Gregorii VII., & Victoris III. hinc inde diſpoſitas, & pontificalibus veſtibus, mitra, ac diademate orbiculato, ac titulo *Sancti* ornatas. Olim aderat imago S. Nicolai Myrenſis Epiſcopi, & loco SS. Leonis III., & Gregorii II. erant imagines SS. Leonis Magni, & Gregorii Magni, eodem modo ornatæ, teſtibus Panvinio, Severano (a), aliiſque. Ex hac itaque tabula initium cultus S. Gregorii VII. ad Anaſtaſium IV. referendum eſſe conſtat. In ea quippe Calliſtus II. Sacelli ædificator, & Anaſtaſius IV. inſtaurator apparent ad pedes B. Virginis provoluti, ut in antiquis muſivis Eccleſiarum Urbis conſpiciuntur imagines Pontificum, qui dictas Eccleſias ædificaverant, vel inſtauraverant, quorum exempla referunt Ciampinus (b), & alii. Eorum capita diademate quadrato ornata ſunt, ſicuti viventes Pontifices pingi ſolebant, teſte Turrigio (c), cum aliis. Aliorum vero Pontificum capita diadema circulatum ornat, ſanctitatis, & cultus Eccleſiaſtici argumentum, juxta Interpretes ſacræ Scripturæ, & alios. Idem de Urbano V. refert Turrigius cit. Hic Pontifex tranſlato ejus corpore ab Eccleſia Avenionenſi ad monaſterium S. Victoris Maſſilienſis, miraculis claruiſſe dicitur, ejuſque Canonizationem Waldemarus Daniæ Rex a Gregorio XI, Carolus Gallisrum, & Ludovicus Siciliæ Reges a Clemente VII. Pſeudopontifice petierunt. Hic ad quoſdam ſuæ obedientiæ Præſules litteras dedit, ut proceſſum ſuper ejuſdem virtutibus, & miraculis conficerent, quæ ſi cum aliis monumentis, & Scriptoribus conjungantur, Urbani ſanctitatem, & miracula plurimum commendant. Porro teſtatur Philippus Bonarrotius (d), morem pingendi orbiculatam coronam circa Angelorum capita cœpiſſe initio ſæculi V., receptum ubique fuiſſe in fine VI., & poſt VII. ad Sanctorum imagines fuiſſe productum.

a de ſept. Urb. Eccl.

b de ædif. a Conſtant. conſtr. cap. 4. tab. 23. & in veter. monim. to. 2. cap. 13. tab. 38.

c in not. ad hiſt. mart. S. Theod.

d in obſer. ad fragm. ant. vaſ. vitr. tab. 9. fig. 1. & 2.

23 Quod ad alios ſpectat in prædicta tabula deſcriptos, Alexander II. ſanctimonia, & doctrina inſignis, ut eum laudant Bertoldus (e), & Guillelmus Pictavienſis (f), electus eſt anno 1061. Ejus ante mortem miracula deſcribit Leo Oſtienſis (g). Plura vero tum de miraculis, tum de ſanctitate congerit Pagi junior *in ipſius vita*.

24 Anno 1086. electus eſt Victor III., de cujus morte male ſentit Hugo Abbas Flaviniacenſis apud Labbe cit., nulla tamen eidem habenda eſt fides, cum Hugoni Archiepiſcopo Lugdunenſi Victoris adverſario adhæſerit. Inſidiis Henrici Imperatoris veneno in calicem, dum Sacrum celebraret, injecto, extinctum fuiſſe Victorem referunt Trithemius (h), & Ptolemæus Lucenſis apud Murator. (i), ac propterea illum nonnulli Martyrem appellarunt. Ejus virtutes extollit Petrus Diaconus *de viris illuſtribus Cœnob. Caſſin.* (k), ſicuti etiam ejus memoriam recolunt faſti Benedictini 16. Septemb. Sacra ejus oſſa ad Sacellum B. Berthari in Eccleſia Caſſinenſi tranſlata fuerunt anno 1515. Officium vero cum lectionibus propriis a Congregatione rituum approbatis celebratur in monaſterio Caſſinenſi, & alibi.

e in Chron. Conſtant. ad an. 1061.

f int. Script. hiſt. Norm. Duchem. part. 1. pag. 197.

g lib. 3. c. 36

h in Chron. Mon. Hirſaug. ad an. 1087.

i Inter Script. rer. Ital. to. 11. col. 1078.

k cap. 18.

25 Victori III. ſucceſſit Urbanus II. anno 1087. Beati titulo inſignitur in quibuſdam Martyrologiis, & ſacris Faſtis.

ſtia. Notiſſima ſunt ejus geſta pro tuenda Eccleſiæ libertate, belloque in Saracenos pro recuperandis Hieroſolymis indicto.

26 &c. Urbano ſucceſſit Paſchalis II. electus anno 1099. Pontificatum invitus ſuſcepit, ejuſque electionem prænovit Albertus Epiſcopus Alatrinus, teſte Pandulpho Piſano (a). Alias de illius Pontificatu revelationes refert Baronius *ad ann.* 1100. eventu comprobatas. Henricus IV. Imperator Romam veniens, Paſchalem cum Epiſcopis, Cardinalibus, aliiſque ex omni ordine, ac ætate in vincula conjecit, exigens pro eorum libertate privilegium dandi *inveſtituram* dominiorum Eccleſiaſticorum, quod a Gregorio VII., aliiſque damnatum fuerat. Paſchalis ad mortem potius ſe paratum oſtendit; ſed captivorum lacrymis, ac periculo motus, Henrico annuit, ut Epiſcopos, atque Abbates annulo, ac virga in poſſeſſionem mitteret, & hi mox ab Archiepiſcopo, cui ſubeſſent, conſecrarentur, dummodo electio eſſet libera, & *inveſtitura* ſine ſimonia expleretur, juxta Baronium *ad ann.* 1111. De his diverſa fuit ſententia. Ivo (b) Paſchalem defendit; cujus defenſioni favent appoſitæ conditiones, cum propterea Gregorius privilegium illud damnaverit, apud S. Anſelmum Lucenſem cit. Alii cum Guidone Viennenſi Metropolita privilegium, & concedentem hæreſi notarunt. Sed Ivo hæreticum dumtaxat exiſtimat Laicum, qui per ejuſmodi inveſtituram putet, ſe tribuere ſpiritualem poteſtatem. Sane ſi hæreſis eſſet, Gregorius, aliique Pontifices non ſolum in Occidentali, ſed etiam in Orientali Eccleſia, ubi vigebat, damnaſſent. Paſchalis interim culpam ſuam ingenue agnoſcebat, teſte Orderico ſuperius cit.: ad Pontificatum deponendum ſe paratum exhibuit: conceſſum privilegium abolevit, aliaque pœnitentiæ, & inſignium operum ſigna uſque ad obitum præſetulit, apud Sigonium (c), & alios, ut proinde in tabula Lateranenſi ejus imago recte collocari potuerit.

a in ejus vit. inter Script. rer. Ital. to. 3.

b epiſt. 238.

c de regn. Ital. l. 10.

30 Huic ſucceſſit Gelaſius II. anno 1118. Magna pro Dei Eccleſia ſuſtinuit, a Schiſmaticis dire vexatus, teſte Pandulpho in ejus vita. Perſecutiones fugiens in Galliam ſe recepit, ubi Synodo collecta, Eccleſiæ proſpexit; tandem Cluniaci in virtutum exercitio ſanctiſſime obiit, ejuſque mentio habetur in pluribus Martyrologiis: imago quoque in Eccleſia Montis Caſſini cum diademate orbiculato, & titulo *Sancti* depicta eſt. Actum aliquando fuit de concedendis Officio, & Miſſa in ejus honorem Capitulis Lateranenſi, & S. Mariæ in Coſmedin, necnon Ordini S. Benedicti, ſed petitio numquam fuit in ſacra Congregatione propoſita ob mutationem Procuratorum.

31. 32 Nihil addendum videtur de SS. Leone, & Gregorio Magno, nihil de SS. Silveſtro, & Anaſtaſio, quorum omnium imagines in eadem tabula apparebant: notiſſima enim eſt ſanctitas, & ampliſſimus cultus SS. Leonis, Gregorii, & Silveſtri; Anaſtaſium quoque Sanctum exhibent Martyrologium Rom. (d), Beda, aliique. Ex dictis de Alexandro II., Victore III., Urbano II., Paſchali II., & Gelaſio II. non debet inferri, eos inter Sanctos, & Canonizatos eſſe recenſendos. Neque enim ſimplex *Sancti* denominatio, neque imago in loco ſacro cum conſuetis Sanctorum ornamentis depicta, deficiente approbatione, vel definitione ſummi Pontificis de ſanctitate, & cultu in univerſa Eccleſia, ſufficiunt, ut quis inter Sanctos, & Canonizatos recenſeatur, ſed ſolum inter eos, quibus aliquis cultus in determinato loco permittitur; cum neque Calliſtus II., & Anaſtaſius IV. ejuſmodi imagines collocaſſent, neque eas remanere paſſi fuiſſent ſucceſſores, niſi cultum aliquem iiſdem indulgere intendiſſent. Porro hujuſmodi cultus, niſi augeatur, non conſtituit Canonizationem formalem, aut

d ad 27. Apr.

Digitized by Google

æquipollentem. Quare æquipollentem Canonizationem ſortitus eſt Gregorius VII., cum poſt inſertum ejus nomen in Martyrologium Rom., particulareſque Officii proprii conceſſiones, & extenſionea, tandem Benedictus XIII Officium, & Miſſam in Breviario, & Miſſali Rom. apponi, & ab omnibus, qui ad Horaa canonicas tenentur, ſub ritu duplici celebrari juſſit. Sacellum, & pictura prædicta tempore primæ editionis operum Benedicti XIV. erant, uti expoſitum eſt, ſed cum ſub Clemente XII. diruta fuerint una cum Triclinio Lateranenſi, idem Benedictus in ſecunda editione apographum picturæ ære expreſſum appoſuit. Poſt hæc Triclinium, & picturam reſtituit, uti exhibet inſcriptio ibi poſita, & in tertia operum editione diligentius picturam deſcripſit, licet non ſit exacte expreſſa, uti erat antiquitus. Eam olim exhibuerunt Conſtantinus Cajetanus (a), & Julius Lucenti (b), ſed diverſimode ob diverſas picturæ inſtaurationes, uti advertit Creſcimbenius (c). Neuter tamen illam omnino, uti erat, exhibuit, quare antiquus illius ſtatus ex Grimaldo apud Floravantem Martinellum (d) melius dignoſcitur. Ex quo monumento Gelaſium II. ut Sanctum habendum eſſe defendit Creſcimbenius; idemque dicendum de S. Gregorio VII., cum ejus effigies in ejuſmodi loco cum diademate orbiculato depicta videatur.

a poſt comment. in Gelaſ. vit.

b de Epiſc. Ital.

c in lib. inſcripto: *Stato della Baſil. di S. M. in Coſmedin* a pag. 207.

d in Rom. ex Ethn. Sacr. pag. 380.

§. XI.

De S. Gertrude Islebien. Virgine.

33 &c. QUO anno Sancta Gertrudis obierit, non ſatis conſtat. Nonnulli obiiſſe volunt anno 1290., alii anno 1300. In Officio mortua dicitur anno 1292. Si conſtarent, quæ refert Vincentius Bondius in epiſtola, quam præmiſit Sanctæ revelationibus, ea antiquior eſſet Alexandro III. Hujus Sanctæ revelationes alteri Gertrudi Nivellenſi adjudicare viſus eſt Martinus del Rio (e), in boc ſingularis. Judicium male ſonans de iis tulit Oudin, in hoc plane temerarius.

e diſq. mag. l. 4. c. 1. q. 3. ſect. 4.

38 &c. Primum ei cultum contulit Sedes Apoſtolica an. 1606., cum Monialibus S. Joannis Evangeliſtæ civitatis Licienſis Officium per decretum Congregationia rituum indulſit, quod ſubinde aliis Monachis, & Monialibus conceſſum eſt. De eadem in Martyrologium Roman. inſerenda actum eſt ann. 1677. Congregatio rituum an. 1678. decrevit, ut apponeretur abſque elogio, ſed poſtea additum eſt hoc elogium, quod *dono revelationum claruerit*. Demum Clemens XII. (f) inſtante Poloniæ Rege, qui & Dux Saxoniæ, Officium, & Miſſam de S. Gertrude ſub ritu duplici, ſervatis rubricis, ubique 17. Novembris celebrari indulſit, & in Breviario, ac Miſſali Rom. imprimi juſſit. Ne autem antiquiſſimum S. Gregorii Thaumaturgi feſtum eadem die occurrens immerito traſponeretur, ex decreto Congregationis rituum (g) a Pontifice approbato feſtum S. Gertrudis diei 15. Novembris conſignatum eſt.

f 20. Jun. 1738.

g 9. Mart. 1739.

CAPUT XLII.

De Eccleſiaſtico judicio, quod in Beatificatione interponitur, utrum videlicet ſit infallibile, *& ad Fidem Catholicam pertinens.*

1 &c. SUmmum Pontificem in Beatificatione non errare, pie credendum eſſe putant Gonzalea *in cap. Audivimus*, Scacch. (h), & alii, ſed citra Fidem. Bordonus (i) vero, Lezana (k), & alii ad Fidem pertinere exiſtimant. Amicus contra (l), Arriaga (m), aliique id a Fide abſtrahunt; ita tamen certum autumant, ut oppoſitum ſit temerarium, ſcandaloſum, & errori proximum. Demum Joannes a S. Thoma (n) docet, Pontificem *ſpeculative ex vi Beatificationis præ-*

h de not. & ſign. ſanct. ſect. 1. c. 8.

i de Canoniz. SS. cōtrov. 13. n. 16.

k conſult. 1. n. 59.

l curſ. Theol. tom. 4. diſp. 7. ſect. 4. n. 98.

m curſ. Theol. tc. 5 diſp. 9. ſec. 6.

n in 2. 2. diſp. 9. ar. 2.

præciſe errare poſſe, non tamen *practice*, adeoque temerarium, & ſcandaloſum fore, qui cultum Beatificato exhibendum negaret, ſi totius, vel majoris partis Eccleſiæ aſſenſus accederet, & miracula Beatitatem confirmarent; Sed hæc opinio modo laudatis Auctoribus diſplicet. Nonnulli etiam, ſpectatis variis Beatificandi modis, affirmant, graviori cenſura plectendos eſſe aſſerentes poſſibilitatem erroris de Beatificatis ex conceſſione Apoſtolica cum Officio, & Miſſa, id tamen non eſſe de Fide, nec Fidei proximum juxta Gravinam (*a*).

a de præſcrip. Cath. 2. partis to. 4. dub. 1. in append. pag. 368.

6. 7 Hæc ſunt ſcriptorum placita. Verumtamen, quod ſpectat ad antiquiorem ritum, cum olim cultus ab Epiſcopis decretus, eſſet tantum Beatificatio, difficulter immunis ab errore aſſeri poteſt; oppoſitum enim, & Eccleſiæ ſenſus, quæ nullum particularis Epiſcopi judicium habuit pro infallibili, & hiſtoriæ docent. Et ſane refert Sulpitius Severus in vita S. Martini, quoſdam Epiſcopos erexiſſe altare cuidam tamquam Martyri, quem tamen S. Martinus latronem fuiſſe ob ſcelera percuſſum deprehendit, ideoque falſum cultum ſuſtulit. Cohærent, quæ narrat Socrates (*b*) de Cyrillo, qui Ammonium Monachum interfectum ob crimen in ſeditione patratum, Martyrem appellari juſſit, quod tamen modeſtiores Chriſtiani non approbarunt.

b hiſt. Eccl. l. 7. c. 14.

8. &c. Delato poſtea ad Sedem Apoſtolicam privativo beatificandi jure, duplex eſt Beatificatio. Formalis, in qua Pontifex admiſſis virtutibus, vel Martyrio, & ſignis, ſeu miraculis, indulget, ut Dei Servus appelletur *Beatus*, & in determinato loco, ut plurimum Officio, & Miſſa, colatur. Alia æquipollens, in qua admiſſa prædictorum fama, confirmat Ordinarii, vel delegati ſententiam, approbantem præſtitum cultum. Probabile videtur, Judicium Pontificis in æquipollenti non eſſe infallibile, nec ad Fidem pertinere; innititur enim famæ, antiquitati, & plerumque Indultis extrajudicialiter latis: & eſt tantum permiſſivum, non extremum. Præterea ſi antea non fuiſſent approbatæ virtutes, aut Martyrium, diſcutienda eſſent poſtea reſpectu Canonizationis, adeoque poſſent non approbari: rurſum Pontifices confirmantes per litteras Apoſtolicas reſponſum Congregationis ſuper Beatificatione æquipollenti, ſolent apponere clauſulam, qua Congregationi facultatem ſervant ab ea recedendi, ut conſtat ex pluribus Brevibus, qua quidem clauſula videntur agnoviſſe, ejuſmodi judicium non eſſe *infallibile*. Attamen licet non hæreſim, temeritatis tamen notam incurreret, qui errorem in hoc adſtrueret, aut cultum approbatum rejiceret. Gravius eſt Beatificationis formalis judicium, cum in hoc ex proceſſibus conſtare debeat de virtutibus, vel Martyrio, de ſignis, ſeu miraculis, neque in literis Apoſtolicis ſervetur jus Congregationis, adeoque ſine temeritate, aut graviori cenſura non poteſt tale judicium dici erroneum, aut cultus in eo permiſſus impugnari; non tamen certo *infallibile*, aut de Fide affirmari poteſt, cum non ſit præcipiens, nec extremum, & cultus, in eo permiſſus, plerumque ſit reſtrictus. Multo minus, cum fere uſque ad tempora Clementis IX. in tranſitu ad Canonizationem conſueverint iterum diſcuti, quæ ante Beatificationem fuerant approbata, & etiam nunc in Congregatione generali proponatur dubium, *an tuto deveniri poſſit ad Canonizationem*, & de tota cauſa agatur in Conſiſtoriis, quæ cum ſubſtantiam judicii reſpiciant, infallibilitatem, aut certitudinem Fidei excludere videntur, ut oſtendunt Maurus (*c*), & Ricciolius (*d*). Præterea cum in Congregatione Ordinaria ageretur, an deinceps in honorem Beatificatorum concedendæ eſſent lectiones propriæ, negarunt nonnulli, eo quod Beatificatio eſſet revocabilis: aſſirmarunt alii, etſi hoc judicium non eſſet infallibile, neque de Fide.

c tom. 5. Theol. l. 7. q. 140. n. 17.

d de immun. ab err. in Canoniz. SS. l. 1. c. 6. n. 8.

11 Objiciunt, qui putant, hoc judicium eſſe *infallibile*, & de Fide: In Canonizatione *infallibilitas* a Scriptoribus admittitur, cumque de Beatificatione ſileant, de utraque idem ſentire videntur. Præterea, Pontifex ſæpiſſime indulget Miſſam in honorem Beatificati; quare, excluſa infallibilitate, errare poſſet reſpectu totius Eccleſiæ, cum hujus nomine Miſſa offeratur. Rurſum percipi nequit, quomodo Pontifex in Beatificatione non ſibi proponat, Beatificandum regnare cum Chriſto. Item damnatus, excluſa infallibilitate, loco juſti poſſet coli etiam in tota Eccleſia, cum unuſquiſque poſſit publice venerari Beatum. Demum, ſi Papa eſt infallibilis in approbando Inſtituto Regulari, multo magis eſſe debet in Beatificatione.

12 Verumtamen, omiſſo primo argumento (quidquid enim Auctores non aſſerunt, non eſt ipſis tribuendum) omiſſo pariter alio de cultu Beatorum ad univerſam Eccleſiam extenſo, nam revera eſt reſtrictus: cætera infringuntur ex eo, quod judicium Papæ in Beatificatione eſt dumtaxat permiſſivum, ad quod ſufficit moralis certitudo; adeoque non urget Inſtituti Religioſi approbatio, cum per hanc Papa definiat, regulam perfectioni Evangelicæ non repugnare.

13 &c. Id comprobatur ex conceſſionibus, quibus Pontifices ſolvunt matrimonia rata, & continentiam profeſſioni monaſticæ annexam, nec tamen de Fide eſt, eis competere hanc poteſtatem: adverſantur enim graves Theologi, quin ulli Pontificiæ definitioni refragentur, cum prædicta ſint ſola permiſſio, pro qua ſufficit ſententia moraliter certa, favens Pontificiæ poteſtati, ut advertit Card. Capiſucchius (*a*). Hinc etſi Pontifex teneat Beatum regnare cum Chriſto, non tamen id de Fide certum eſſe definit, ut ex Conſtitutione Sixti IV. (qua feſtum, & alia concedit in honorem Conceptionis B. M. Virginis) docet P. Seraphinus a Porrecta *in 3. par. D. Tho.* (*b*) ad ea enim prudenter agenda ſufficit moralis certitudo, ut oſtendunt Theophilus Raynaud. (*c*), & Natalis Alexand. (*d*). Sane ſuper cultu B. Virginis, ut conceptæ ſine peccato originali, plures ſunt Pontificum Conſtitutiones, quibus accedit communis Fidelium ſenſus, teſte Petavio (*e*), ſed deficiente adhuc abſoluta definitione, cultus, & alia non probant, de fide certam eſſe conceptionem Virginis ſine peccato originali. Utitur præterea Theophilus exemplo feſti Aſſumptionis B. V. Mariæ, quam corpore, & anima in cœlos aſſumptam prædicant Gregorius Turonenſis, & alii Patres, quibus accedunt theologicæ rationes, ex Deiparæ prærogativis deſumptæ. Quin immo Eccleſia celebrat hoc feſtum, & in eo homilias Patrum ſuffragantium legendas tradit. Nec tamen inter articulos Fidei numeratur, cum nondum prodierit Eccleſiæ definitio, uti docent Dominicus Soto (*f*), & Canus (*g*); neque cultus definitionem importat. Hinc infert Theophilus, cultum Canonizatis, & Beatificatis Apoſtolica auctoritate exhibitum non importare ſanctitatis certitudinem de Fide, ſed moralem, cujus aſſertio quoad Beatificatos retinenda videtur, cum de his deſit definitiva ſententia, & cultus ſit limitatus, ut explicat Dominicus a SS. Trinitate *in tractat. de Summo Pont.* (*h*)

a controv. 11. §. 3.

b qu. 27. ar. 2.

c oper. to. 7 de retinen. do tit. Immac. Concept. B. V. §. 8.

d hiſt. Eccl. ſæc. 2. diſſ. 16. §. 21.

e to. 6. Theol. dogm. l. 14. c. 2. n. 20.

f in 4. ſent. diſt. 43. q. 2. ar. 1.

g de loc. Theol. l. 12. c. 10.

h tom. 10. bibl. Pont. pag. 496.

17 Demum, quod ad Miſſam ſpectat in honorem Beati, notum eſt, eam offerri quidem nomine Eccleſiæ, ſed cum offeratur Deo in honorem Beati, recte poteſt in hujus honorem offerri, licet beatitas ſit ſolum certa moraliter. Putarunt ſane nonnulli Canoniſtæ, Beatificatum a Canonizato differre ex eo, quod in ſecundi, non in primi honorem Officium, & Miſſa celebrentur; Et forte ideo plures Pontifices eadem in honorem Beati concedentes proteſtati ſunt, ſe non propterea intendere Beatum ipſum canonizare, ſed opinio, & clauſula ejuſ-

Digitized by Google

ejuſmodi ab aula receſſerunt, & merito, cum ex Officii, & Miſſæ conceſſione non inferatur Canonizatio, adeoque neque *infallibile* ſanctitatis judicium. Sane in Canonizatione æquipollenti ſæpiſſime prædicta conceduntur ante virtutum, aut Martyrii, & ſignorum, ſeu miraculorum diſcuſſionem; nec tamen in ea adſtrui poteſt *infallibile* ſanctitatis judicium, cum adhuc pendeat judicium ſuper ſubſtantialibus ſanctitatis: adeoque prædictorum conceſſio in honorem Beati ſatis inniti poteſt morali Sanctitatis certitudine.

CAPUT XLIII.

De Eccleſiaſtico judicio, quod interponitur in Sanctorum Canonizatione, utrum ſit infallibile.

1 HÆc controverſia partim differt, & partim convenit cum illa celebri controverſia de Romani Pontificis *infallibilitate* in doctrina Fidei, & morum independenter ab Eccleſiæ conſenſu, itaut hæreticus ſit, qui rebus ab eo tamquam de Fide definitis adverſetur. Nonnulli infallibilitatem Pontifici in prædictis tribuentes abjudicant in Canonizatione. Alii *infallibilitatem* admittunt in Conciliis generalibus, ſed cum Pontificem in Canonizatione infallibilem eſſe negent, potiſſimum quia fallibili hominum teſtimonio nititur, negare coguntur id etiam de Conciliis, cum etiam in his facta Canonizatio ſimili teſtimonio nitatur, uti eſt apud Almainum (*a*). Verum tamen eſt, quod admittentes, vel negantes Pontifici *infallibilitatem* in reliquis, idem de Canonizatione ſentire poſſunt.

2. 3 Hinc quærendum prius, an judicium Pontificis *infallibile* ſit in Canonizatione, inde an ſit de Fide. Utrumque aſſeruit Sixtus V. in ultimo Conſiſtorio pro Canonizatione S. Didaci, ut recte Galeſinius (*b*), ſed quia dici poteſt eum locutum eſſe, ut Doctorem privatum; aliorum ſententiæ ſunt referendæ. Infallibilitatem in Canonizatione Pontifici negare videtur Gloſſa *in cap. unic. de Reliq., & vener. SS. in 6.*, quam ſequuntur Innocentius (*c*), Oſtien. (*d*), & alii, quibus adnumeratur Auguſtinus Triumphus (*e*), aſſerens Pontificem in Canonizatione non mentiri, nec ſimulare; & conſequenter admittere videtur poſſe falſum definire, ut advertit Ceparius (*f*).

4 &c. Duce vero S. Thoma, quodl. lib. 9. quæſt. 7. Pontificiam in Canonizatione infallibilitatem propugnant plurimi Canoniſtæ, ac Theologi Thomiſtæ, & Scotiſtæ, ac Neoterici. Primum hujus ſententiæ fundamentum eſt, quod Pontifex non poteſt univerſam Eccleſiam in errorem inducere in rebus morum, quod contingeret, ſi in Canonizatione eſſet fallibilis, ut argumentantur S. Thomas, & Canus (*g*). Id autem locum non habet in Beatificatione, cum hæc univerſam Eccleſiam non reſpiciat, neque præceptum importet cum extremo ſupremi Legiſlatoris judicio conjunctum. Secundum fundamentum ſitum eſt in directione Spiritus Sancti, ac ſpeciali Divina providentia. Tertium in Fidei profeſſione, quam importat cultus Sanctis delatus, uti reponit laudatus D. Thomas. Nec valet dicere, in hac Fidei profeſſione poſſe errorem contingere, ſicuti poteſt circa objecta materialia aliarum virtutum, quarum actus in Deum relati, ſunt quædam Fidei obteſtationes juxta D. Tho. 2. 2. *quæſt.* 124. Nam idem S. Doctor in cultu SS. exigit, ut Eccleſia profiteatur, tamquam *ſpeculative* verum, Canonizatum eſſe in gloria, quæ *ſpeculativa* veritas non ſemper requiritur ex parte objecti materialis in aliis Fidei obteſtationibus. Etenim plures ſunt piæ Fidei gradus. Quædam ita Religioni congruunt, ut Fides de iis poſſit eſſe, & non eſſe: alia ita, ut ſine culpabili arrogantia negari nequeant, &

in

a In expoſ. circa deciſ. M. G. Occam ſuper poteſt. ſum. Pont. q. 1. c. 16.

b in Act. ejuſd. par 3 c. 32.

c in cap. 1. n. 4.

d Ibid. n. 10.

e de poteſt. Eccl. q. 14. ar. 4.

f in direct. Canoniz. c. 6.

g de loc. Theol. l. 5. c. 5. concl. 3

in his duobus gradibus ſufficit practicæ veritatis ratio, congruentia videlicet cum præſcriptione prudentis rationis. Summus tamen adhuc gradus eſt, ad quem referuntur, quæ Eccleſia certiſſime tenenda decrevit, uti ſunt, quæ Pontifex definitivo judicio pro totius Eccleſiæ regimine declaravit, & hujuſmodi eſt Canonizatio. Hunc vero gradum indicat S. Tho. *loc. cit.*

14 Quartum fundamentum conſtituunt error aliquando repertus in cultu, qui judicio particularium Epiſcoporum pſeudobeatis exhibitus eſt, & immunitas ab hoc errore in omnibus Canonizationibus per Romanos Pontifices hucuſque expletis; unde a poſteriori Pontificia infertur infallibilitas, juxta Ceparium cit., & alios. Quod quidem non infirmatur ex eo, quod errores aliqui in Martyrologium Rom. irrepſerint; nam ſiqui fuerunt, aut ſunt, non de Canonizatis, aut Beatificatis a Romanis Pontificibus, ſed de aliis deprehenduntur. Cæterum deſcriptio in Martyrologio nondum importat Canonizationem formalem, aut *æquipollentem*.

CAPUT XLIV.

In quo repelluntur oppoſita iis, quæ dicta ſunt in capite antecedenti.

1 &c. A Ratione, ab auctoritate, & a geſtis Romanorum Pontificum oppoſitiones deſumuntur. A ratione quidem, cum Pontifici citra revelationem, perſpecta eſſe nequeat hominis canonizandi caritas: ſicuti qui eleemoſynas, preces, & ſimilia opera peregit, nequit certo ſcire, ſe eſſe in gratia. Confirmatur, quia hæc communia ſunt bonis, & malis: miracula ſanctitatem certo non ſignificant: teſtes ſunt fallibiles: neque eſt jus, ſed factum, quod canonizandus virtutibus, & miraculis claruerit. Neque prodeſt perfugium ad Spiritus Sancti auxilium; ſi enim in Canonizatione non deficiat, hoc Papæ judicium erit ex Cathedra, adeoque de Fide, quod a defenſoribus *infallibilitatis* non facile admittitur. Verumtamen, his etiam admiſſis, adhuc ſubſiſtit controverſa *infallibilitas*. Papa enim diligentem in virtutes, & miracula inquiſitionem Canonizationi præmittit, & miracula poſt obitum Canonizandi patrata potiſſimum attendit; nec falli poteſt in rebus connexis cum Fide, & moribus, univerſam Eccleſiam ſpectantibus, uti eſt Canonizatio, juxta Ricciolium ſuperius cit., alioſque. Tandem oppoſitiones has omnes ſubmovet Divina providentia, & Spiritus Sancti præſentia, qui Pontificem in re adeo gravi ab errore ſervat, ut docet D. Tho. ſupra laudatus, aliique cum ipſo: quam quidem Spiritus Sancti præſentiam luculenter teſtatur Benedictus XIV. pro eo tempore, quo Fidei Promotorem agebat. Quoad ultimum objectum de definitione ex Cathedra; aſſertores *infallibilitatis*, negantes, de Fide eſſe, hunc, aut illum canonizatum eſſe in gloria, dicunt, Pontificem canonizantem utique ex Cathedra definire, illique Spiritum Sanctum aſſiſtere: definitiones tamen Fidei ſolum eſſe de iis, quæ in Sacra Scriptura, aut Apoſtolicis traditionibus antea continebantur; uti non eſt, hunc, aut illum eſſe Sanctum, quod propterea de Fide, ſaltem proxime, non eſſe concludunt.

5.6 Opponitur deinde auctoritas Gloſſæ *in cap. unic. de Reliq.*, *& Vener. SS. in 6.* Accedit textus *in cap. Sicut de teſt.*, *& atteſt.*, *& in cap. A nobis 28. de ſent. excom.*, nec non effatum S. Auguſtini; *Multorum corpora venerantur in terris, quorum animæ cruciantur in inferis*. Verum a Gloſſa in hoc eſt recedendum. Citati textus reſpiciunt facta particularia, haud connexa cum Fide, aut moribus univerſam Eccleſiam ſpectantibus, & in iis Papa errare poteſt, ut docet D. Tho. cit. Effatum S. Auguſtini, ſi ejus ſit, alii de ſepulchris Gentilium,

alii

alii de honorificis epitaphiis reproborum, Bellarminus (*a*) de Martyribus Hæreticorum, Covarruvias (*b*) de ſuppoſititiis Sanctorum Reliquiis explicant.

a to. 1. controv. l. 2. de SS. beatit. c. 9.

b to. 2. var. reſol. l. 1. c. 10. n. 13.

7 &c. Quoad geſta Romanorum Pontificum, primo opponitur eos aliquando aliis commiſiſſe definitionem Canonizationis; unde ſe in hoc minime *infallibiles* agnoviſſe videntur. Sane Alphonſus de Caſtro (*c*), aliique poſt ipſum docent, non poſſe a Pontifice definitionem cauſæ Canonizationis alteri committi, cum infallibilitas a dignitate Pontificali ſit inſeparabilis. Sed ut recte procedatur, perpendendum eſt, an unquam hæc delegatio facta ſit; & quatenus facta, quid inde inferatur. Huc non ſpectant Beatificationum cauſæ, nam de canonizatione ſolum loquimur. Neque huc etiam ſpectat Canonizatio B. Eneconis, de qua *ſupra cap.* 8. diſſeruimus. Petrus enim Epiſcopus Burgenſis cultum quidem eidem Eneconi ſolemniter detulit, ſed in executionem Canonizationis, ab Alexandro II. decretæ. Hujuſmodi eſt etiam Actus Clementis III. erga B. Stephanum Ordinis Grandimontenſis Auctorem. Examinanda itaque occurrunt Acta Benedicti VIII. erga B. Simeonem Eremitam in cœnobio Padolironenſi: Urbani II. erga B. Nicolaum Peregrinum Tranenſem: & Clementis III. erga B. Othonem Epiſcopum Bambergenſem. Hæ enim cauſæ ab his Pontificibus commiſſæ aliis fuiſſe dicuntur.

c tract. de juſt. Hæret. penit. to. 2. c. 6. col. 45.

11. 12 Verum a Benedicto VIII. canonizatum Simeonem Eremitam referunt Arnoldus Wion *in ligno vitæ* (*d*), & Benedictus Bacchinus *in hiſt. monaſterii Padoliron.* (*e*), quibus ſi fides adhibenda ſit, definitio Canonizationis nec Bonifacio Marchioni, illam petenti, neque alteri a Pontifice commiſſa dignoſcitur. Sed hujus Canonizationis nullum exhibetur idoneum monumentum, quare Beatificatus potius quam canonizatus Simeon fuiſſe videtur a Benedicto VIII., uti probat Scacchus (*f*), cum Pontifex ſolum conceſſerit, ut Eccleſia ædificaretur, & in ea Simeonis corpus collocaretur. Verum ne Beatificationem quidem ipſam fuiſſe Marchionis arbitrio commiſſam, conſtat ex epiſtola S. Leonis IX. ad Epiſcopum Mutinenſem apud Wion. cit.

d par. 2. l. 3. pag. 238.

e l. 1. pag. 31.

f de not. & ſign. ſanct. ſect. 10. c. 5. pag. 813.

13. 14 B. Nicolai Canonizationem in Concilio Romano ſub Urbano II. petiit Biſantius junior Archiepiſcopus Tranenſis. Pontifex ei cauſam commiſit; quare videtur petitioni Canonizationis annuere noluiſſe, ſed Archiepiſcopi dumtaxat juriſdictionem excitaſſe, ut juxta illius temporis morem ad Beatificationem procederet. Id ex eo ſuadetur, quod Biſantius eccleſiam tantum in Nicolai honorem ædificavit, neque ejus cultum extra diœceſim auctoritate Apoſtolica dilatavit, uti ex Urbani diplomate eruitur apud Amandum. Accedit, quod Urbanus Godolevam Virginem canonizavit, & petentibus Canonizationem Gulgoſii, reſpondit, requiri teſtes de miraculis, & Synodi aſſenſum. Incredibile igitur videtur, alteri interea Nicolai Canonizationem commiſiſſe.

15 Quod ad B. Othonem attinet, Clemens III. Epiſcopis Merſeburgenſi, & Eiſtettenſi commiſit, ut in vitam, & miracula inquirerent, & ſi nihil obſtaret, Canonizatum auctoritate Apoſtolica promulgarent. Quare promulgatio ſolum Canonizationis commiſſa eſt, ut oſtendit Ricciolius (*g*), & uti conſentiunt epiſtolæ Clementis ad Bambergenſes, & Monacus Ebbo in lectionibus poſt vitam S. Othonis apud Bolland. *ad* 2. *Jul. to.* 1.

g in oper. chr. l. 5. c. 6. n. 1.

16 Hinc colligitur, Summos Pontifices numquam commiſiſſe Epiſcopis definitionem cauſarum Canonizationis. At, licet commiſiſſent, non proinde eorum *infallibilitas* in Sanctorum canonizatione infirmaretur: neque enim firmum, & infallibile judicium Commiſſariorum fuiſſet, niſi accedente tacita, vel expreſſa Pontificis confirmatione; quod etiam de Conciliis genera-

ralibus docet Canus (*a*), cum aliis. Sic Beatificationes ab Epiſcopis factæ antiquitus ad Canonizationem deveniebant per cultus extenſionem ad univerſam Eccleſiam, accedente tacito ſaltem Romanorum Pontificum conſenſu.

a de loc. Theol. l. 5. c. 5.

17. 18 Expendendum nunc ſupereſt, an expoſitæ infallibilitati officiat proteſtatio Pontificum relata *in lib. cærem. Archiep. Corcyr.*, eos ſcilicet *non intendere per Canonizationem quidquam agere contra Fidem, aut Eccleſiam Catholicam, ſive honorem Dei*. Affirmat Albertus Fabricius heterodoxus (*b*): adhæret Natalis Alexander (*c*), & Launojus (*d*), quem bene caſtigat Auctor *tract. de libert. Eccl. Gallic.* (*e*)

b bibliogr. antiq. c. 8. n. 25.

c diſſ. 27. ſæc. iv.

19. 20 Ad hanc oppoſitionem refellendam negant alii hanc proteſtationem umquam fuiſſe a Pontificibus emiſſam; ſed oppoſitum vere colligitur ex *Ordine Rom.* Petri Amelii, ex *cit. lib. cærem.*, & ex *diariis* Paridis de Craſſis. Alii illam introductam putant, cum Pontifices per vim ad Canonizationes adigerentur: ſed hæc vis nullibi deprehenditur. Alii adhibitam cenſent a Pontificibus timidæ conſcientiæ, & propriam poteſtatem ignorantibus; at hoc imperceptibile videtur. Alii omiſſam dicunt poſt introductas exquiſitas ante Canonizationem diligentias, & probationes; ſed diligentiæ ſemper juxta temporum circumſtantias fuerunt adhibitæ. Præterea Canonizationis judicium non fallibili hominum teſtimonio, ſed Spiritus Sancti præſentiæ ex D. Tho. cit. innititur. His omiſſis, dictæ proteſtationis, quæ aliquando a Pontifice facta eſt, hic eſſe rectus ſenſus videtur, ut ſcilicet Pontifex proteſtetur, ſe non decernere, impendendum eſſe Sanctis cultum Deo debitum: & tunc hæc proteſtatio ſimilis eſt proteſtationi ſeptimæ Synodi quoad cultum imaginum, ut indicant Card. Petra *in not. ad Conſt. 1. Alexand. III.*, & bulla Canoniz. S. Udalrici. Aliam explicationem ſuppeditant Oſtienſis (*f*), aliique Scriptores, & aliqua monumenta, Pontificem ſcilicet per illam proteſtationem a Deo petere immunitatem ab errore, quæ oratio *infallibilitatem* non extenuat, oportet enim petere Spiritus Sancti afflatum, cui infallibilitas nititur. Neque dedecet a Deo id petere, quod ab eo præſtandum ſcimus: adeſt enim Chriſti exemplum, qui ſe clarificari petiit *Joan. 17.* uti docent S. Tho. 3. *par.* (*g*), S. Gregorius *lib. 1. dial c. 8.*, & alii. Conſueverunt poſtea Pontifices ab hac proteſtatione abſtinere, tum ne ignorantibus eſſet offendiculi occaſio, tum quia ad impetrandum Divinum lumen alias preces fundunt, & indicunt.

d to. 5. l. 1. epiſt. 5. l. 3. epiſt. 1. & 7. l. 6. epiſt. 14.

e l. 3. c. 11. n. 9.

f in cap. Audivimus de Rel. & ven. SS. n. 5.

g q. 83. ar. 4 ad 7.

21 Sed licet talis proteſtatio ita explicetur, ut intendat Pontifex, ſe nolle errorem in Eccleſiam inducere, non proinde controverſam infallibilitatem eliminat. Nam Pontifices propriam imbecillitatem, & ut privatæ perſonæ, ſecluſa Spiritus Sancti præſentia, fallibilitatem humiliter dicta proteſtatione oſtendebant. Verumtamen non conditionatam proteſtationi inhærentes, ſed abſolutam de canonizati ſanctitate ſententiam emittebant, Spiritus Sancti præſentiæ fidentes, quæ in hac re infallibilitatem conſtituit, juxta doctrinam S. Tho. cit. Ex his ergo explicationibus patet, proteſtationem infallibilitati non obeſſe, ſicuti neque ex ſimili proteſtatione infertur, errare poſſe generale Concilium, ut refellens cit. Launojum docet Petitdidier (*h*): neque ex eo, quod ad avertendos errores preces in eo fundantur; Non eſt itaque Pontifici tribuendum erroris periculum, etiamſi allata proteſtatio de precibus intelligatur.

h de Pap. Infallib. c. 25. §. 13.

CAPUT LXV.

An ſit de Fide Summum Pontificem errare non poſſe in Canonizatione Sanctorum; & an de Fide ſit, Canonizatum eſſe Sanctum.

1 &c. NEgant Joannes a S. Thoma *in 2. 2. diſp. 9. ar. 2.*, Theophilus Raynaudus *in heterocl. ſpiritual.*

Digitized by Google

ritual. ſect. 3. punct. 1. to. 15., aliique plures magni nominis Auctores. Affirmant Verricellus *in quæſt. moral., & legal. tract. 8. qu. 24.*, Ricciolius cit., & alii non inferioris notæ Doctores.

22. 23 Prima ſententia nititur auctoritati D. Thomæ docentis (*a*) Canonizationem eſſe quid medium inter res Fidei, & particulares: Fidem initi Divinis revelationibus factis Apoſtolis, & Prophetis, & ſimilia; ex quibus concludunt hujus ſententiæ patroni, infallibilitatem Papæ in Canonizatione, & ſanctitatem canonizati pertinere ad Fidem ſolum *reductive*; cum Canonizati gloria neque revelata ſit, neque in ſcripturis, aut traditione contineatur: adeoque negantem non eſſe formaliter hæreticum, ſed Theologica cenſura dignum. Concordat Textus *in cap. ſuper quibuſdam de ſign.*, & alibi. Addunt, non poſſe inter dogmata Fidei ab Eccleſia reponi, quæ nec implicite, nec virtualiter revelata ſunt, uti non eſt revelata alicujus hominis particularis ſanctitas: adhuc tamen cultum Canonizato impune negari non poſſe, ſicuti negari nequit hoſtiæ ad venerationem expoſitæ, licet de Fide non ſit eſſe conſecratam. Item, non omnia, quæ a Summo Pontifice, affiante Spiritu Sancto, declarata ſunt in materia Fidei, ita eſſe Fidei articulos, ut, licet infallibilia ſint, hæreſim incurrat, qui eorum aliquid neget, uti conſtat de propoſitionibus damnatis; hæreticus enim ille eſt, qui Fidem profeſſus pertinacem habet errorem, veritati certo Catholicæ oppoſitum. Hinc ſicuti eadem propoſitio in materis dogmatis, aut morum a Pontifice definita non ſemper eſt de Fide, licet ſemper ſit *infallibilis*: ita cum *infallibilitate* Pontificia componi poteſt ſententia negans, hunc, aut illum Canonizatum eſſe revera Sanctum.

a quodl. 9. quæſt. 7. ar. 16.

24 &c. Oppoſitæ vero ſententiæ fundamenta ſtatuunt ejuſdem patroni in eo, quod hæreticus eſſet, qui aſſereret, Pontificem errare poſſe in condendis legibus toti Eccleſiæ communibus, cujuſmodi eſſe Canonizationem contendunt. Addunt, Pontificem, & Eccleſiam definire poſſe tamquam Fide tenendum, quod ex una præmiſſa de Fide, & ex altera moraliter evidenti infertur: De Fide vero eſſe, ſalvum fore, qui uſque in finem in bono perſeveraverit: hanc autem perſeverantiam de canonizando moraliter evidentem eſſe ex proceſſibus; adeoque definiri potuiſſe, tamquam de Fide, illum eſſe Sanctum. Fatentur quidem, non eſſe objectum Fidei, quod ſaltem implicite non eſt revelatum, ſed delineatas dicunt in Sacris Scripturis qualitates ſalvandorum, & ita Deum implicite revelaſſe ſalvandos: quare Pontificem, ajunt, poſitis diligentiis, & probationibus virtutum, & miraculorum alicujus Servi Dei, ex illuminatione Spiritus Sancti *infallibiliter* cognoſcere illum eſſe ex iis, quos Deus regnaturos revelavit, ut docet Card. de Lauræa (*b*). Sed cum definitiva ſententia de his nondum prodierit, pluresque Doctores Catholici oppoſitum ſentiant, fatentur non fore hæreticum formalem, qui diceret, de Fide non eſſe, Papam in Canonizatione eſſe infallibilem, aut ab eo canonizatum eſſe Sanctum.

b in 3. ſent. tr. 3. diſp. 6. ar. 3.

27 Utraque opinio in ſua probabilitate relinquenda videtur, donec Sedes Apoſtolica de hac re judicium proferat. De Fide quidem eſt, colendos eſſe Sanctos, eorumque Reliquias, ex decretis Conciliorum Generalium: definitiva etiam, & infallibilis eſt Canonizationis ſententia, univerſamque ſpectat Eccleſiam: præterea Concilium Conſtantien. damnavit Wicleffi errorem, qui docebat damnatos eſſe SS. Auguſtinum, Benedictum, & Bernardum; & in bulla Canoniz. B. Udalrici excommunicatio contra refragantes Canonizationi impoſita eſt, quæ quidem pœna Hæreticorum propria eſſe videtur. Omnia hæc affirmativæ ſententiæ favent. Verum ante Sedis Apoſtolicæ judicium non vi-

detur hæreſis nota contrariæ inurenda ſententiæ; præſertim cum *infallibilitatis* aſſertores cum prædictis Auctoribus de Sanctorum, & Reliquiarum cultu conſentiant, & Papæ ſententiæ obtemperandum fateantur, ſolum autem negent de Fide eſſe, hunc, aut illum eſſe Sanctum, hanc, aut illam Reliquiam eſſe colendam: hæreſim vero Wicleffi in cauſas, quas pro errore adducit, refundant; & excommunicatio tandem ob propoſitiones male ſonantes, blaſphemas, & ſimiles infligi poſſit, ut conſtat ex bulla *Unigenitus*.

28 Demum, ſi non hæreticus, ſaltem gravi cenſuræ, graviſſimiſque pœnis obnoxius eſt, qui aſſerere audeat, Pontificem in aliqua Canonizatione erraſſe, aut aliquem Canonizatum non eſſe dulia colendum, uti aſſentiuntur, qui docent, id non eſſe de Fide.

CAPUT XLVI.

De expenſis, quæ fiunt tum in pertractandis cauſis Beatificationis, & Canonizationis, tum in ſolemnitate, hoc eſt cum in Beatorum, aut Sanctorum numerum aliqui Servi Dei, vel Beati referuntur.

1 &c. PONtificium ærarium ſuperfluis redundare divitiis ex toto orbe Chriſtiano conflatis contra Pontificis decentiam, utpote in nepotes ditandos plerumque erogatis, nationes præſertim exteræ dictitant. Immerito tamen, cum potius ære alieno ad ſubveniendum Chriſtianæ Reip. gravatum ſit, licet expediret, ut divitiis redundaret, quemadmodum adnotavit Æneas Sylvius (*a*), & uti a templi Dei exemplo evincitur. Sed cum hæ deficiant, & cum reditus Status Pontificii oneribus S. Sedis non ſufficiant, quid mirum, ſi ex bullarum præcipue expeditione ſubſidium aliquod petatur? Decimæ decimarum in veteri lege ſummo Sacerdoti a Levitis debebantur: rurſus Epiſcopo indigenti benignum perſolvitur ſubſidium: cur ergo non etiam Romano Pontifici ſubvenietur, ne ſuprema dignitas vileſcat, neve tot laudabilia opera omittat? His devicti argumentis Gerſonius, & Card. de Alliaco annuorum ſolutionem admiſerunt. Neque magis improbanda eſt Pontificum aliquorum erga nepotes liberalitas; vel quia id olim præſtabant per redituum Eccleſiaſticorum aſſignationem; vel quia Innocentius XII. *Conſtit.* 28. ſtatuit, ut Pontifex conſanguineis indigentibus eo modo, quo aliis pauperibus ſubveniret, ac nepoti ad Cardinalatum evehendo moderatos Eccleſiaſticos reditus aſſignavit; quod quidem ejus ſucceſſores hactenus obſervarunt. Hæc dicta ſunt, ut redarguantur ii, qui Beatificationum, & Canonizationum expenſas a Pontificio ærario ſubminiſtrandas eſſe arbitrantur. Sed quia alii omnes hoſce ſumptus ad Curiæ Romanæ avaritiam referunt, ut Apoſtata Marcus Antonius de Dominis (*b*): alii eos utiliores fore prædicant, ſi in aliquo regno ab Infidelium ſubjectione ſubducendo impenderentur, ut Guido Patinus (*c*), ideo de his expenſis agendum eſt.

4 &c. Paris de Craſſis teſtatur in ſuis Diariis tantam in Canonizationibus expenſam a Pontificibus quodammodo præcipi, ut Principes, populique a petendis Canonizationibus abſtineant. Quod quidem etiam in Eccleſia Orientali contigit, in qua, teſte Ricaudo (*d*), Patriarcha Conſtantinopolitanus ſchiſmaticus, & hæreticus raro Sanctos declarat propter magnas expenſas ad id præſtandum neceſſarias. Verum enim vero, Beatificationum, & Canonizationum difficultas, non ab expenſis, ſed a longo, & rigido harum cauſarum examine petenda eſt, quod plene teſtari poſſunt Poſtulatores, uti ſane plures teſtantur. Neceſſariæ autem ſunt hujuſmodi expenſæ, ſed non ſunt adeo amplæ, ut ſoli Principes, magnæque Civitates ſuſtinere eas valeant, uti aſſeruit Apoſta-

ta

a in apol. ad Mart. Mayer apud Gobellin.

b de Rep. Eccl. l. 7. c. 5. n. 58.

c to. 1. epiſt. pag. 603.

d in hiſt. ſtat. præſ. Eccl. Græc. c. 6.

ta Marcús Antonius de Dominis. Nam Romani Pontifices nonnullas, ut ſuperfluas, eliminarunt, & ſi quæ ſuperfluæ adhuc ſunt, eliminabunt. Vetitos ab Hadriano VI. fuiſſe ſumptus in Canonizatione SS. Antonini, & Bennonis teſtatur Blaſius Ortitius ejus familiaris apud Bolland. (a). Hine P. Sebaſtianus a S. Paulo Carmelita accuſat Papebrochium, tamquam aſſeruerit, hos ſumptus eſſe a ſanctimonia, & puritate Canonizationis alienos: cui reſpondet Papebrochius, ſe Hadriani zelum, æquitatemque in iis minuendis laudaſſe, ſed eos multis de cauſis valde congruos a ſe exiſtimari. Verum ut omnia hæc clariora fiant, de expenſis ſingillatim agendum eſt, quarum æquitatem exponit incognitus Auctor *diſcurſus dogmatici de Canoniz. SS. impreſſi Pariſiis anno 1739.*

(a) 2d7. Maji to. 2. pag. 157.

§. I.

De expenſis, quæ ſiunt in proceſſuum conſtructione.

10 &c. STatuto in his cauſis judiciali ordine, tamquam ad veritatem aſſequendam aptiore, neceſſarii ſunt proceſſus, pro quibus conficiendis teſtes, Judices, aliique, atque adeo etiam plures expenſæ requiruntur. Cum autem maxima proceſſuum pars extra Urbem abſolvatur, nulla propterea, vel ſolum modica expenſæ pars ad Urbem mittitur. Judicum vero eſt curare, ne quid ſuperfluum erogetur, utque loci, in quo proceſſus fit, taxatio obſervetur. Si proceſſus in Urbe fiant, Judices gratis interveniunt, & Congregatio mercedem Notariorum exactiſſime præfinivit, quæ ſane rationabilis eſt, & exigua. Hujuſque taxationis obſervantiam, cui ſe quoque conformat Curia Cardinalis Vicarii, diligentiſſime exigit. Quoad proceſſus vero extra Urbem ſervanda eſt taxatio Curiæ Eccleſiaſticæ, in qua proceſſus conficitur, uti declaravit Congregatio in cauſa B. Julianæ de Falconeriis. Proceſſuum Interpreti, & interpretationis reviſori ex decretis Innocentii XI. ſolvendus eſt unus carolenus pro quolibet folio; Subpromotori vero unus aureus pro quolibet conventu; quæ ſane merces modica eſt reſpectu laboris.

§. II.

De mercede Poſtulatoris, Procuratoris, Advocati, Medici, & Excuſoris ſcripturarum.

13 &c. POſtulatores proprie ſunt, qui Sanctorum cauſas promovent, ut Ordo Religioſus, & ſimiles. At cum hi ad Urbem accedere nequeant, alium eligere conſueverunt, cui neceſſaria creditur pecunia, & qui in Urbe commorans negotium proſequitur: hic etiam Poſtulator nuncupatur. Nullam pro his mercedem ſtatuit Congregatio, ſed eligentium, & electorum arbitrio eamdem reliquit. Nonnulli ad evitandos ſumptus Religioſum aliquem his negotiis præficiunt. Procuratoribus vero, & Advocatis taxatio adeo tenuis conſtituta eſt, ut ſi aliis cauſis vacare poſſint, has recuſent. Medici ſuper miraculis judicium ſcripto ferentes, plerumque Advocatis quoad præmium comparantur, quod, licet nullum hactenus præfinitum ſit, præfiniendum tamen videtur. Demum Alexander VII. Excuſoribus, Fidei Subpromotori, & Correctoribus taxationem publicavit, quæ exacte obſervatur.

§. III.

De mercede Promotoris, & Fidei Subpromotoris.

16 PRomotoris ſalarium a ſummo Pontifice citra ullam Poſtulatorum impenſam eſt conſtitutum. Quando Promotoris, & Advocati Fiſcalis officia conjuncta erant, una erat utriuſque merces. Officiis diviſis Clemens

mens XI. portionem panis, & vini, quæ ex palatio Apoſtolico perſolvebatur Fiſci Advocato, ac præterea ex hujus emolumentis centuſſes trecentos, ſive 300. ſcutorum ſummam Promotori aſſignavit. Poſtulatores inſuper aliquid eidem ſolvere conſueverunt pro expenſis in tranſeribendis ſuarum difficultatum, atque animadverſionum exemplis: ſed Promotores modicam ſemper ea de cauſa pecuniam receperunt.

17 &c. Subpromotori ſtipendium decem ducatorum auri pro quolibet proceſſu aſſignatum eſt in decretis Urbani VIII. a Poſtulatoribus præſtandum: Quod Innocentius XI., prævio conſilio Congregationis, cui octo Cardinales, aliique, etiam ex Ordinibus Regularibus, interfuerunt, ſtatuit ter ſolvendum eſſe pro proceſſibus Apoſtolicis in ſpecie, videlicet pro tribus dubiis principalioribus tantum. Nihilominus contentiones adhuc vigent inter Poſtulatores, & Subpromotorem. Nam ſi Poſtulator exempli gratia exiguum proceſſum exhibeat, jam de prædicta trina ſolutione conqueritur, & ſi reponat Subpromotor, ingentes aliquando ad ſe aliquorum proceſſus deferri, Poſtulator ſubdit, ad ſe de his non pertinere. Propterea forte expediret, ut pro unaquaque pagina emolumentum ſtatueretur, quod tunc ſane moli reſponderet. Interdum Judices ſubrogant alium ad examinandos teſtes in locis, in quibus hi degunt, eorumque examen in delegantis proceſſum inſeritur; hinc oritur quæſtio, utrum proceſſus pro uno, an pro pluribus habendus ſit. Fit quoque proceſſus compulſorialis, pro quo ſi a remiſſoriali ſejunctus ſit, decem aurei Subpromotori ſolvuntur; ſed urget difficultas, an id obſervandum quoque ſit, ſi in eodem proceſſu teſtes examinentur, & jura compellantur: item an tot dicantur proceſſus compulſoriales, quot ſunt jura compulſa, & ex diverſis eruta locis, ideſt bibliothecis, aut archivis. Aliquando demum in Apoſtolicum proceſſum compelluntur proceſſus Ordinarii, pro quibus decem aureos Subpromotor receperat ante compulſionem; hinc lis oritur, an pro compulſis ſolvendi ſint aurei decem. Negant Poſtulatores eo, quod ſolutio eadem iteraretur, & ſolutiones nimium multiplicarentur. Sed reponit Subpromotor, ſibi ſtatutos eſſe in decretis decem aureos ter ſolvendos pro quolibet proceſſu reſpectu examinis trium dubiorum principalium; ſed ſupereſſe laborem examinandi, an proceſſus fuerit rite compulſus. Hæ controverſiæ, utplurimum officioſe componuntur, ubi Subpromotor aliquid relaxet; expediret tamen, ut Congregatio rituum explicatiores taxationes decernendo finem imponeret tum his controverſiis, tum etiam alteri de eo, quod exigit Subpromotor pro ſcriptura, quam de difficultatibus, præſertim quoad factum, in revolvendo proceſſu inventis exarat, traditque Promotori, ut animadverſiones facilius perficiat.

§. IV.

De propinis, ſeu ſportulis, quæ olim ſolvebantur in Sanctorum Canonizationibus, & quæ hodie ex decretis Romanorum Pontificum ſublatæ ſunt.

25 &c. HÆ olim Papæ, Cardinalibus Commiſſariis, & Rotæ Auditoribus ſolvebantur, uti habetur ex Ordine Canoniz. SS. in collect. Concil. Brit. *to.3.p.636.*, & ex *diariis* Paridis de Craſſis. Inſtituta deinde Congregatione Sacrorum rituum, conſueverunt ſolvi Pontifici, Cardinalibus, & Conſultoribus Congregationis propinæ centuſſium 3612. monetæ Romanæ, ut eruitur ex Act. Canoniz. S. Franciſci de Sales a Cappello collectis. At eas ſuſtulit Congregatio ſub Innocentio XI., qui Congregationis decretum confirmavit, eoque Pontificem comprehendi voluit. Id ipſum novo decreto communivit Ale-

Digitized by Google

Alexander VIII., ac ſolum Secretario Congregationis centum aureos, Promotori Fidei totidem, Subpromotori quindecim ſolvendos ſtatuit. Aliis nullæ amplius ſportulæ collatæ ſunt; ſed tantum Papæ, Cardinalibus, & Conſultoribus Poſtulatores dant tabulam pictam, quæ canonizandi imaginem repræſentat. Cardinalibus quidem, & Conſultoribus, occaſione Canonizationis: Cardinali Relatori, Secretario, & Subpromotori etiam occaſione introductionis cauſæ, & Beatificationis, de quibus picturis loquitur Roſſius *in clyp. caſt.*

29 Si occaſione Canonizationis Secretariis Congregationis, vel Promotor Fidei, qui cauſæ diſcuſſioni vacavit, defunctus ſit, vel ad aliud officium translatus, ideoque alter ſuffectus, putarunt nonnulli duplicatam propinam, antiquis ſcilicet, & modernis ſolvendam eſſe. Sed huic opinioni praxis adverſatur: nam Benedictus XIV., cum Proſpero Bottinio in officio Promotoris ſucceſſiſſet, in Canonizatione a Clemente XI. expleta, dimidium dumtaxat propinæ voluit, dimidium vero reliquit hæredibus anteceſſoris defuncti, qui laborum partem ſuſtinuerat. Integram vero exegit in Canonizatione S. Margaritæ de Cortona, licet ad Cardinalatum evectus, quia ſolus in cauſa labores omnes ſuſtinuerat. Hinc Romanæ Curiæ obtrectatores cognoſcere facile poterunt Officialium Sedis Apoſtolicæ honeſtatem, & liberalitatem, ac Sacræ Congregationis a ſuperfluis expenſis averſionem.

§. V.

De ſolutione facienda ſacrario baſilicæ S. Petri in Beatificatione, & Canonizatione.

30 &c. PRæter expenſas ad ornandam baſilicam neceſſarias, ſtatuit Alexander VII. (*a*), ut Poſtulatores ſupellectilem aureorum mille in Canonizatione, & quingentorum in Beatificatione Sacrario baſilicæ ſuppeditarent. Verum mox ad avertendam Poſtulatorum moleſtiam in dicta ſupellectili comparanda, annuit, ut prædicta aureorum ſumma Canonicis baſilicæ Æditituis ſolveretur, qui eam fideliter erogant in ſupellectilem comparandam. De hoc extat in Baſilicæ Sacrario inſignis inſcriptio. Hujus ſolutionis æquitatem inſinuat indigentia menſæ Capitularis, quæ ære alieno ita laborat, ut ſublevari ſatis non potuerit, tum ex diminutione menſtruarum præſtationum Canonicorum, tum ex liberalitate Benedicti XIII., qui illius debitum centum millium ſcutorum in baſilicæ fabricam tranſtulit. Sacræ autem ſupellectiles, & ab aeris Vaticani intemperie, & a frequenti Miſſarum celebratione nimium atteruntur: earum autem reparatio ad menſam Capitularem pertinet. Provide igitur Alexander VII. decretum illud edidit, quod ſaltem intolerabilis expenſæ diminutioni prodeſt. Neque fabricæ imponendum erat hoc onus, nam & ipſa ære gravatur alieno, & ejus reditus non modo in baſilicæ reparationem, ſed etiam in Reip. Chriſtianæ tutelam erogantur, ut conſtat *ex vita Clementis XI.*

a 29. Sept. 1659.

§. VI.

De ſtrenis, quæ nonnullis Officialibus Romanæ Curiæ perſolvuntur.

34 &c. PRo oratione habenda in publico Conſiſtorio ſuper canonizandi virtutes, & miracula, expleta Canonizationis cauſa, ſolvunt Poſtulatores Advocato Conſiſtoriali peroranti centuſſes centum, qui dividendi ſunt inter Advocatos Conſiſtoriales, majori tamen parte oratori ſervata. Dantur quoque ſtrenæ Magiſtris cæremoniarum, Secretario Brevium ad Principes, Secretario Sacri Collegii, expoſitori bullæ Canonizationis, aliiſque, qui de bulla-

larum emolumentis participant, & aliquibus etiam de familia Papæ, laboris, vel conſuetudinis cauſa. Si nimiæ ſint, moderationem obtinebunt Poſtulatores, quandocumque a Congregatione illam poſtulabunt. Expedit tamen ad evitandas importunas petentium moleſtias, ut vir gravis conſtituatur, qui ſolum ſolvenda ſolvat, uti fieri conſuevit, dum Benedictus XIV. Promotoris munus exercebat.

35 &c. Præterea novas veſtes ad Canonizationis decorem nonnullis Officialibus, & Familiaribus Papæ dari conſueviſſe, referunt Paris de Craſſis, Ortizius, & Grattarola (*a*). Cum autem nonnullorum ex iis mentio amplius non inveniatur, expenſarum moderationem colligere inde licet, ac dicendum, veſtium largitionem reſtrictam fuiſſe ad unius calicis argentei donum Magiſtro Cubiculi, & alterius Præfecto palatii Apoſtolici; veſtium vero, quæ ſint Officii propriæ, Cubiculariis ſecretis Participantibus, Secretario Congregationis rituum, Fidei Promotori, ac nonnullis cæremoniarum Magiſtris. Veſtium diſtributioni facile ſubrogata fuit pecuniæ ſolutio: quin etiam quorumdam Poſtulatorum liberalitas ſolutiones multiplicavit ad numerum Sanctorum unica ſolemnitate canonizandorum, immo ad numerum Officiorum, licet plura unus exerceret. His cognitis Innocentius XI. Congregationem quorumdam Cardinalium deſtinavit, cui interfuerunt Secretarius Congregationis rituum, Promotor Fidei, & primus cæremoniarum Magiſter, eaque ter coacta, ſtatuta fuit unica ſolutio, unicuique Officiali, ac Papæ familiari eam participanti, etiamſi plures ſimul Beati canonizarentur, & licet unus pluribus fungeretur officiis, uti conſtat ex ſcripturis, quæ extant in bibliotheca Caſanatenſi. Hæc deliberatio ad effectum penitus perducta fuit ſub Clemente XI. Nam in Sacra rituum Congregatione occaſione Canonizationis ab ipſo peractæ eadem plene ſtatuta fuerunt; Congregationis vero ſententiam Pontifex confirmavit, quæ adamuſſim mox ſervata fuit, tum in Canonizatione memorata, tum in alia a Benedicto XIII. expleta. Ex his Sedem Apoſtolicam redundantiæ expenſarum reſiſtere, manifeſte patet.

a in Act. Canoniz. S. Caroli par. 1. c. 55. & par. 2. c. 3.

§. VII.

De apparatu baſilicæ Vaticanæ. & de pretioſis veſtibus Pontificalibus ad Canonizationis ſolemnitatem neceſſariis.

39 IN hac ſolemnitate amplum fit tabulatum in baſilica Vaticana, in qua thronus Pontificius, ſedilia pro Cardinalibus, aliiſque Officialibus collocantur. Ligna, ſolemnitate expleta, Canonicis traduntur, ſicuti, & icones, quæ res geſtas, & miracula canonizandi per univerſam baſilicam diſpoſitæ repræſentant. Ingens candelarum numerus baſilicam circumdat; quarum quidquid poſt Miſſam ſupereſt, ad Capitulum ſpectat; ex his tamen participant etiam Beneficiarii, & Clerici Beneficiarii, qui choro interſunt. Pontifex Miſſam canit, aut ſaltem cantatæ aſſiſtit, cumque Poſtulatores ſupellectiles pretioſas, & integrum Pontificale ornamentum ſuppeditent; Altaris pallium in ſacrario baſilicæ remanet, reliquum ad Pontificem ſpectat, qui Sacrario Palatii Apoſtolici, vel alteri Eccleſiæ intra, aut extra Urbem donat, uti de quibuſdam conſtat.

40 Magna eſt pro his omnibus perficiendis impenſa; ſed Pontifices moderationi ſtuduerunt, tum ſuperfluitate rejecta, tum etiam facta conjunctione plurium Sanctorum, qui ſimul canonizentur. Plura olim ornamenta comparabantur, teſte Paride de Craſſis; Nunc admittuntur dumtaxat ornamenta neceſſaria Pontifici celebranti, Diacono, & Subdiacono Latino, & Græco, & Presbytero aſſiſtenti.

41 &c. Impenſæ pro tabulato, luminibus, & ſupellectili inter neceſſarias

Digitized by Google

rias computatæ fuerunt in Congregatione moderationi expenſarum deſtinata, ſi enim tabulatum deeſſet, pauci ſolemnitatem, ejuſque cæremonias ſpectare poſſent. Picturæ autem omnibus viſibilea ſubſtitutæ ſunt antiquæ miraculorum lectioni, quæ præ aſtantium multitudine a nemine audiretur. Pontificem tandem celebrantem, aut Miſſæ adeo ſolemni aſſiſtentem non dedecet pretioſa ſupellex, qua vel in perſequutionibus Eccleſia utebatur, teſte S. Auguſtino, aliiſque. Neque juvat opponere, Sacelli Pontificii ſupellectilem adhiberi poſſe: in primis enim tot pretioſis veſtibus Pontificium Sacrarium non abundat: deinde Pontifices non poſſent alteri Eccleſiæ eas de more donare. Cereos denique improbabit forte is ſolum, qui eorum uſum noctu dumtaxat in Eccleſia admittat contra ſacram antiquitatem, juxta Paulinum (*a*), & alios.

a de S. Fel. natal. 3.

§. VIII.

De ſtatuta contributione a quocumque Poſtulatore ſolvenda pro diſſolvendo ære alieno contracto in parandis ſplendidis aulæis baſilicæ Principis Apoſtolorum.

44 ORnatum Eccleſiæ peccatum eſſe docuerunt Valdenſes, teſte Rainerio *biblioth. PP. to.* 25., quorum impia dogmata in Concilio Oxonienſi damnata merito fuerunt. Splendidiſſimis enim ornamentis antiquitus refertas fuiſſe Eccleſias demonſtravit Baronius ad an. 57., & 58. quem licet carpat Ottins Calviniſta, vindicavit tamen Muratorius (*b*).

b tom. 1. anecd. diſſ. 16.

45 &c. Romani ergo Pontifices, licet templorum ornatui univerſe proſpexerint, diligentius tamen curarunt, ut Romæ conſpicuum B. Petri templum erigeretur, quod eſſet omnium Chriſtianarum nationum commune. Templum boc a Conſtantino magnifice ædificatum, reparatione indigebat. Julius II. opus tentavit: Clemens VII. felicius aggreſſus eſt: Sixtus V., aliique Pontifices auxerunt, & ornarunt. Nimirum quamquam Deus non in manufactis templis habitet *Act.* 17. 25., ditiſſimum tamen templum a Salomone ædificari volnit 3. *Reg.* 5. & 6. Quidni ergo in honorem S. Petri idipſum potuerint Pontifices ex univerſi Orbis ſubſidiis, & ex his aliquid aliquando deſumere ad tuendam Chriſtianam rempublicam, nt de Clemente XI. ſupra indicatum eſt, & de Innocentio XI. erga Viennam Auſtriæ a Turcis obſeſſam refert Auctor *tract. de libert. Eccl. Gall.* (*c*), & Berninus (*d*). Decrant huic templo congruentia aulæa; pro his comparandis Alexander VII. fabricam S. Petri ære alieno gravavit; ad hoc autem diſſolvendum ſtatuit, ut in cujuſque Canonizatione ſex millia ſcutorum ſolverentur. Ære alieno fabrica levata, aulæorumque, quæ perfecta non ſunt, opere dimiſſo, hanc ſummam Pontifices aliquando condonarunt, interdum diminntam in pias cauſas erogarunt, & merito: Eccleſia enim corpus eſt *ad Epheſ.* 1., & Fideles membra 1. *ad Cor.* 12., quorum uno patiente, vel gaudente, cætera compatiuntur, vel congaudent *ibid.* 12.; quare capiti, hoc eſt Romano Pontifici indigenti ditiora membra ſubvenire debent, ut ipſe inferioribus poſſit ſuccurrere, uti Chriſtianis Hieroſolymitanis egentibus 2. *ad Cor.* 8. cæteri ſuccurrerunt.

c l. 6. c. 11. n. 6.

d mem. hiſt. par. 2. pag. 65.

50 Ex his omnibus conſtat, expenſas utique neceſſarias eſſe in his cauſis; ſed Romanos Pontifices in moderationem ſemper intendiſſe, & etiam nunc intendere. Olim expenſa amplior erat, nt de Canoniz. S. Bonaventuræ, & aliorum referunt Paris de Craſſis, & Cappellus; nunc ob expoſitas moderationes ad 14000. ſcutorum circiter reducitur. Benedictus XIV. novam, & æquiſſimam taxam ſtatuit impoſterum obſervandam. Memorata ſex millia ſcutorum ad tria millia redacta ſunt in ſacras Miſſiones expendenda, quæ propterea lauda-

tus

tus Benedictus Congregationi de Propaganda Fide applicavit.

CAPUT ULTIMUM

De quibuſdam cautionibus neceſſariis ad cuſtodiam, & erogationem pecuniarum ex pia Fidelium largitate collectarum pro cauſis Beatificationis, & Canonizationis, deque nonnullis quæſtionibus ad hanc eamdem materiam pertinentibus.

12 PRo expenſis cauſarum Beatificationum, & Canonizationum nonnulli pii Fideles *loca montium*, vel pecuniam multiplicandam reliquerunt, aut in Monte Pietatis, vel in æde nummularia S. Spiritus depoſuerunt, uti pro cauſis SS. Thuribii, Julianæ, & aliorum. Hæc a relinquentium diſpoſitione pendent, ideoque ſolum adnotare licet, expedire, ut pii Fideles caveant, ne quidquam ex his pecuniis expendatur abſque notitia, & ſubſcriptione Fidei Promotoris, vel Subpromotoris, ut diligentiæ, & fidelitati conſulatur, & hic ordo præſcriptus, & ſervatus fuit in cauſis S. Thuribii, & B. Hyacinthæ de Mareſcottis.

3 &c. Sed cum in pleriſque cauſis pecunia a pluribus in eleemoſynam ſuppeditetur, adminiſtranda ab aliquo Poſtulatore Religioſo, quæſitus eſt modus, quo caute a Poſtulatoribus cuſtodiretur, & fideliter erogaretur, licet ipſi irreprehenſibiles ſemper viſi fuerint. Ad hoc Innocentius XII. particularem quatuor Cardinalium Congregationem deſtinavit, quæ, intervenientibus Secretario Congregationis rituum, & Promotore Fidei, decrevit, ut Poſtulatores ſexto quoque menſe indicem expenſarum Cardinali cauſæ Relatori traderent, ut una cum Secretario, & Promotore eo diſcuſſo, legitimas approbaret, arbitrarias rejiceret. Item, ut Secretarius a Poſtulatoribus per juratum indicem exquireret numerum pecuniarum ad Urbem pro cauſa delatarum, depoſitarios, & depoſiti conditiones, cautiones, & fidejuſſiones. Hæc decreta neque publicata, neque ad effectum perducta ſunt, fortaſſe quia Poſtulatores, ut plurimum Regulares, indicem tradunt ſuis Superioribus, qui ex taxationibus typis impreſſis expenſas juſtas, aut arbitrarias dignoſcere poſſunt: & præterea, quia notiſſimæ ſunt cautiones montis Pietatis, & *locorum montium*. Indicata autem hæc ſunt, ne quid intactum in hoc argumento relinquatur.

6 Aliæ identidem occurrunt quæſtiones, quarum prima eſt, an Capitulum, aut alius Religioſus locus abſque Sedis Apoſtolicæ facultate poſſit alienare, aut obligare bona pro hujuſmodi expenſis? Affirmavit Rota *deciſ.68.* coram Anſaldo, quia hæ reſpiciunt decus univerſalis Eccleſiæ, ac, ſciente Pontifice, fiunt, quæ ſcientia approbationem, approbatio vero facultatem Sedis Apoſtolicæ præſeferre videtur. Verum cum in hac alienatione, aut obligatione abſque Sedis Apoſtolicæ facultate, contrahentes anathema incurrant *cap. Ambitioſe de reb. Eccl. non alien.*, non videntur ea fieri poſſe ſine dicta facultate. Scit quidem Pontifex expenſarum neceſſitatem, ignorat tamen, num ex eleemoſynis, an aliunde fiant; ideoque ea approbatio, quæ vices facultatis impleat, adhuc deſideratur.

7 Secunda eſt, an Procurator in his cauſis conſtitutus poſſit pro expenſis obligare bona conſtituentis, & pecunias fænore comparare? Affirmandum videtur; quia Procuratori permiſſa dicuntur neceſſaria ad rem mandatam gerendam, *ex l. Finali ff. de exercit. act.*, & data intelligitur facultas ſumendi pecunias fænore, ne opus commiſſum deferatur, juxta Baldum (a), & alios; multo magis ſi in procurationis mandato adſint clauſulæ hanc facultatem expreſſe, aut virtualiter importantes, ut reſpondit Rota *deciſ.68.* coram Anſaldo, & alibi.

a conſ.383. n.5. l.3.

8 Tertia, an ex pecuniis, quæ ex elee-

eleemoſynis collectæ ſunt pro tranſitu ad Canonizationem, ſolvi poſſit æs alienum contractum pro Beatificatione, itaut Creditores ſuper iis jus habeant? Negative reſpondetur; nam eæ non ſunt inter bona debitoris, neque in alium uſum converti poſſunt ſine Sedis Apoſtolicæ conceſſione juxta Textum *in Clement. Quia contingit: de relig. domib.*

9 Expleta cauſa Beatificationis, & Canonizationis, ſi quid de eleemoſynis ſuperſit, confugiendum eſt ad Sedem Apoſtolicam, quæ indulgere debet commutationem in eum uſum, qui proximior ſit voluntati ſuppeditantium eleemoſynas. Ita Federic. de Senis (*a*), & alii, cohærenter ad decreta Tridentini *ſeſſ.25. de refor.cap.8.* ubi loquitur de noſocomiis. Poterunt e. g. converti in conſtructionem Sacelli, aut templi ad honorem Canonizati, ut de reſiduis eleemoſynis pro cauſa B. Jacobi Illyrici definivit Congregatio Epiſcoporum, & Regularium (*b*).

a conſil.175

b 17. Nov. 1713.

10 &c. Inter Regulares Ordines promoventes cauſas Servorum Dei idem inſtitutum profeſſorum numeratur Ordo Seraphicus, ſed quæritur an petitio eleemoſynarum pro his cauſis adverſetur Regulæ S. Franciſci, nam *cap.4.* præcipit, ut ſolum pro infirmis, & Fratribus induendis eleemoſyna recipiatur. Et licet hoc ad alias neceſſitates extenſum fuerit *in cap. Exiit de v.ſign. in 6, & in Clement. Exivi tit. de v.ſign.* Gloſſa tamen id intelligit de rebus vere neceſſariis, non voluntariis, uti ſunt cauſæ Beatificationis, & Canonizationis. Non adverſatur tamen: nam ſi abſque læſione Regulæ poſſunt FF. Minores pro extraneis indigentibus, aliiſque piis operibus eleemoſynas quærere, ac plures Sancti ejuſdem Ordinis pro *Cruciata*, & erigendis montibus Pietatis plura laudabiliter peregerunt; multo magis poterunt eleemoſynas quærere pro cauſis ſuorum Servorum Dei. Et ſane ſi Regulæ id adverſaretur, Pontifices ſcientes non paterentur.

13 &c. Quod ſi FF. Minoribus domus, prædium, cenſus, aut *loca montium* in ejuſmodi cauſas eroganda legentur, hæc legata ad Fabricam Sancti Petri pertinere videntur, uti legitur in compendio privilegiorum ejuſdem apud Veſpluianum. Etenim ſecundum Regulam S. Franciſci Fratres nil poſſunt ſibi aſſumere: ſunt incapaces annuorum redituum *ex Clementina Exivi*, licet cum onere Miſſarum, juxta definitionem ſacræ Congregationis apud Fagnanum *in cap. Nimis prava* (*c*), cui ſuffragantur Sanchez (*d*), Barboſa (*e*), & alii. Nihilominus rata videntur prædicta legata, quin Fabrica S. Petri in iis jus habeat: ſi enim in prædictas cauſas eroganda ſunt, itaut ad Fratres nihil pertineat, non adverſantur paupertati a S. Franciſco conſtitutæ. Nec obſtat exemplum annui reditus cum onere Miſſarum; hi enim cederent in Fratrum ſubſidium, contra Textum *in cap. unico: de relig. domib. in 6.*

c n. 49. & 53. de exceſſ. Præl.

d ad præcep. Decal. l.7. cap.26. n.49.

e jur. Eccl. l.3. cap.27. n.77.

16 &c. Pecuniæ pro his cauſis relictæ deponendæ videntur apud Syndicum Apoſtolicum: ſed cum hic a Summis Pontificibus conſtitutus ſit ad conſervandas pecunias in utilitatem Fratrum convertendas, nec Fratres pecuniam apud ſe retinere poſſint juxta Regulam S. Franciſci; proinde apud honeſtam perſonam deponendæ ſunt; qui poteſt eſſe Syndicus ipſe, ſed in hoc erit depoſitarius, ut deſumitur ex decreto Congregationis particularis ſub Innocentio XII. Deponi quoque poſſunt in monte Pietatis, dummodo aliquis ſpeciatim electus occaſione erogationis de iis decernat. Quod ſpectat ad cuſtodiam, ſi pecunia in monte Pietatis depoſita ſit, ſatis tuta eſt: ſi apud alium, debent Fratres, ſaltem ex caritate, curare, ut recte cuſtodiatur. Optima cuſtodia eſſet, ſi una clavis a Poſtulatore, altera a Depoſitario retineretur, ut

de eleemoſynis pro locis Palæſtinæ decrevit Innocentius X. (a). Si Depoſitarius foro cedat, vel decoctioni proximus, aut de fidelitate ſuſpectus ſit, Poſtulator alium ſubſtituere debet, qui coram Judice pro pecuniarum ſecuritate, aut recuperatione inſtet. Cum vero ex prædictis FF. Minores in his capaces ſint legatorum, poſſunt etiam ex dictis eleemoſynis emi cenſus, & *loca montium*, dummodo cuncta in prædictas cauſas erogentur, & a ſpeciali adminiſtratore diſpenſentur.

a Conſt. 12. Bullar. vet. to. 5.

LIBER

L I B E R II.

CAPUT I.

De Ordinariorum facultate, atque auctoritate in conficiendis proceſſibus in cauſis Beatificationis Servorum Dei, & Canonizationis Beatorum.

1 &c. ORdinariis facultas competit conſtruendi proceſſus, & ferendi ſententiam ſuper non cultu, vel ſuper caſu excepto, juxta Decreta Urbani VIII., qui hos proceſſus inſtituit. Si utrumque, aut alterutrum ab Ordinariis omittatur, præſtandum erit auctoritate Apoſtolica, ut ad ulteriora in cauſis procedatur. Eadem facultas iiſdem competit quoad proceſſum ſuper fama ſanctitatis, virtutum, Martyrii, & miraculorum, aut ſignorum, tam de jure communi (*a*), cum Ordinarii in cauſis Eccleſiaſticis propriæ diœceſis, adeoque etiam in his, juriſdictionem obtineant, ut adnotarunt Card. de Lauræa (*b*), aliique: quam de jure Concilii Tridentini, quod (*c*) decrevit, nulla admittenda eſſe miracula, niſi ab Ordinario recognita, & approbata: unde juriſdictionem Ordinarii conficiendi eos proceſſus collegerunt Rotæ Auditores in quibuſdam relationibus, Cardinalis de Lauræa, & P. Ceparius (*d*). Accedit conſuetudo, cum Sedes Apoſtolica non inquirat in ſanctitatem, niſi poſt proceſſum ordinarium, ut teſtantur omnes in hac materia ſcribentes: ſuffragantur etiam decreta Congregationis rituum, quæ circa modum in Canonizatione ſervandum ſæpe reſpondit, primo adeundum eſſe Ordinarium, ut ejuſmodi proceſſus jure ſuo conficeret, quemadmodum ex pluribus monumentis, & cauſis Beatificationis, & Canonizationis eruitur; adeout proceſſus ordinarii omitti nequeant ſine Sedis Apoſtolicæ diſpenſatione. Neque obſtat, quod *in cap. Audivimus de Reliq., & vener. SS.* prohibeatur Sanctorum veneratio ſine Eccleſiæ Romanæ auctoritate: id enim refertur ad judicium, non ad præparatoria judicii, uti Barboſa (*e*), Gravina (*f*), aliique plures oſtendunt.

a cap. Conqueren. de off. Jud. Ordin. & cap. Cum contíng. de for. comp.

b in 3. ſent. to. 4. diſp. 20. art. 16. §. 6. n. 2219.

c ſeſſ. 25. decr. de in voc. vener. & Rel. SS.

d in diſ. Canoniz. l. 1. c. 3.

e de off. & pot. Epiſc. alleg. 97.

f contin. 2. partis Cathol. præſcr. to. 4. pag. 320.

6. 7 Examinandum nunc eſt, an Ordinarius, confecto proceſſu, poſſit auctoritate ſua ordinaria approbare, & publicare revelationes, & miracula Servorum Dei, Beatorum, & Sanctorum? Huic ordinariæ juriſdictioni favere videtur Leo X. *Conſt.* 22. prohibens publicationem particularium revelationum, niſi examinatæ fuerint a Sede Apoſtolica; illam tamen permittens præcedente Epiſcopi approbatione, ſi periculum ſit in mora. Concilium quoque Trident. ſeſſ. 25. cit. ad Epiſcopos detulit Reliquiarum, & miraculorum examen, caute tamen peragendum. Favet etiam textus *in can. ult. de conſecr. diſt. 3., & cap. Conqueſtus: de feriis*. Accedunt denique Epiſcoporum exempla, Tullenſis videlicet, qui ſanationem interceſſione tunc Servi Dei Petri Forerii obtentam inter miracula recenſuit, & Benedicti XIII., qui cum eſſet Archiepiſcopus Beneventanus, ſanationem interceſſione B. Aloyſii obtentam examinavit, & inter miracula tertii generis reponendam eſſe decrevit.

8. 9 Verumtamen quoad Servos Dei prædicta peragere Ordinarii nequeunt, tum ne iiſdem ſine Sedis Apoſtolicæ auctoritate cultus exhibeatur; tum quia id eruitur ex generalibus Urbani VIII. decretis. Profecto Sedes Apoſtolica, & cultum erga nondum beatificatos, aut canonizatos, & cuncta ad illum inducentia, uti eſſent prædictorum approbatio, & promulgatio ante ſuum judicium, vetuit. Quare

Ordinarius nec ferre, nec promulgare poteſt ſententiam ſuper ſanctitate, virtutibus, Martyrio, aut miraculis. Quamquam autem ex miraculorum approbatione publicus cultus non inferatur; ea tamen Ordinariis non licet, quia fieri non licet, quidquid ante Sedis Apoſtolicæ judicium inducere populum valet ad publicum cultum, cujuſmodi eſſet miraculorum approbatio.

10 &c. Neque obſtant ſuperius adducta. Nam bulla Leonis X. verſatur circa revelationes viventibus factas, modumque eas examinandi præſcribit, ſicuti Innocentius III. (*a*) modum præſcripſit dignoſcendi eos, qui ſe a Deo inviſibiliter miſſos prædicant. Verum etiamſi obſtaret, illi ſane poſterior Urbani VIII. Conſtitutio derogavit. Concilium Tridentinum non dat Epiſcopis facultatem approbandi Reliquias Servorum Dei, ſed Beatorum, atque Sanctorum, ita tamen, ut ſi etiam de iſtarum identitate difficultas urgeat, neceſſarium ſit Concilii provincialis, aut Summi Pontificis judicium. Quoad miracula vero nonnulli ſentiunt, Concilium conferre Epiſcopis facultatem illa approbandi ſive ſint Canonizatorum, ſive non, innixi cuidam deliberationi Congregationis Concilii ejuſdem. Negant alii, ne oblique lædatur Sedis Apoſtolicæ privativum jus beatificandi, & canonizandi. Verum enim vero Concilium loquitur de miraculis Sanctorum, qui tantum pie in Domino obierunt, & nondum a Sancta Sede beatificati, aut canonizati ſunt. Definitio vero Congregationis non attingit miracula Servorum Dei, ſed eorum, qui beatificati, aut canonizati ſunt, aut Sanctorum, qui non ſunt juxta præſentem ritum a Pontificibus canonizati. Ex Tridentino itaque non infertur, Epiſcopis licere auctoritate ordinaria approbare, & publicare miracula Servorum Dei. Idem dicendum de allatis *can. ult. de conſecr. & cap. Conqueſtus*, uti cum Gloſſa, & aliis notat Contelorus (*b*) ibi enim de feſtis tantum ſermo eſt, quæ in honorem Sanctorum jam canonizatorum ab Epiſcopis indicuntur.

a cap. Cum ex injunct. de Hæret.

b de Canoniz. SS. Cap. n. 15.

13 Quod ſpectat ad Canonizatos, aut Beatificatos, ſeu formaliter, ſeu æquipollenter, Ordinarii nedum proceſſus ſuper miraculis conficere, ſed, adhibitis cautionibus a Tridentino præſcriptis, miracula approbare, & publicare poſſunt. Addendum tamen, proceſſum Ordinarii ſuper miraculis Beatorum conferre poſſe ad Dei gloriam, & alacriorem Beatorum ipſorum invocationem, non tamen ad eorum Canonizationem obtinendam: cum nullitate laboret Ordinarii proceſſus poſt appoſitam S. Sedis manum, ut optime noverunt Poſtulatores in cauſa S. Aloyſii Gonzagæ.

CAPUT II.

De iis, qui veniunt appellatione Ordinariorum *quoad confectionem proceſſuum in materia Beatificationis, & Canonizationis.*

1 &c. Ordinarius eſt, qui ex proprio munere, & jure exercet juriſdictionem; adeoque in re præſenti Ordinarii ſunt Epiſcopi, in quorum diœceſibus, vel eſt corpus canonizandi, vel miracula contigerunt, aut homines examinandi degunt. Hos proceſſus conficere poſſunt etiam Epiſcopi nondum conſecrati, dummodo expeditæ fuerint Litteræ Apoſtolicæ. Sede vero Epiſcopali vacante, ſuccedit in juriſdictione ordinaria Capitulum Eccleſiæ Cathedralis, aut Vicarius Capitularis, adeoque ab alterutro ejuſmodi proceſſus confici poſſunt, ut reſpondit Congregatio rituum (*c*), in cauſa Servæ Dei Joannæ a Cruce, annuente Pontifice, & laudante Proſpero Bottinio Fidei Promotore, dum cauſæ Servorum Dei Franciſci de Caſtillo, & Petri Claver introducerentur. Idem dicendum de Vicario Apoſtolico, ſive plena, ſive vacante Sede, uti eadem Congregatio reſpondit in cauſa Servi Dei Humilis de Biſiniano

c 20. Jul. 1621.

25. Se-

25. Septembris 1688., & 24. Maji 1689.

4 &c. Ordinarii quoque dicuntur Præſules inferiores territorium ſeparatum, & juriſdictionem quaſi Epiſcopalem, licet non characterem, habentes. Sic Vicarius Generalis Capituli Lateranenſis, habentis plenam juriſdictionem in territorio Ferentilli, proceſſum conſtruxit in cauſa Servi Dei Franciſci a Præcetto, & P. Mathias Miſſionarius proceſſum pariter conſtruxit in cauſa Servi Dei, nunc B. Joannis de Prado, quia FF. Minoribus ad Miſſiones proficiſcentibus Joannes XXII. juriſdictionem quaſi Epiſcopalem conceſſit, ubi non adſint Epiſcopi Catholici. Eamdem contulit Hadrianus VI. Mendicantibus, præſertim Minoribus Obſervantibus in Indiis, ubi neque Epiſcopi, neque eorum Officiales intra duas diætas reperiantur. Huic Præſulum Inferiorum facultati adverſari videntur Concilium Tridentinum *ſeſſ. 25. cit.*; epiſtola encyclica Congregationis rituum pro conficiendis proceſſibus; decretum generale Urbani VIII; & alia reſolutio Congregationis. Tridentinum obſtare videtur, quia decernit inſolitam imaginem, aut nova miracula non eſſe, niſi approbante Epiſcopo, admittenda. Verum id non officit, quia limitatio non excludit caſus ſimiles, adeoque in caſu noſtro confectionem proceſſuum non excludit, uti notat Fagnanus *in cap. Accedentibus n. 37. de exceſſ. Prał.* Sic quamquam decernat Concilium, cauſas matrimoniales, & criminales ab Epiſcopis *tantum* eſſe judicandas; non obſtante tamen hac limitatione, Præſules inferiores in ſuo vere ſeparato territorio eas cognoſcere poſſunt; hos enim dum ab aliquo actu arcere voluit Concilium, clarius mentem ſuam expreſſit, ut de anathemate ferendo pro acquirenda revelatione de rebus deperditis, aut ſubtractis. Non adverſatur epiſtola encyclica Congregationis; ideo enim Patriarchis, Archiepiſcopis, & Epiſcopis inſcribitur, quia hi potiſſimum hos proceſſus conficiunt; at alibi Congregatio indefinite loquitur de proceſſibus, auctoritate ordinaria confectis. Decretum Urbani VIII. prohibet Eccleſiaſticis Sæcularibus, & Regularibus quibuſcumque etiam S. Joannis Hieroſolymitani, & Societatis Jeſu conſtructionem horum proceſſuum; at per hoc comprehendit ſolum æquales expreſſis, & ad hos Præſules non extenditur, quia in lege, enumeratis perſonis minoribus, clauſula generalis ſubſequens non comprehendit majores expreſſis. Idem dicendum de reſolutione Congregationis: Contendentibus enim Præpoſito Pratenſi, Epiſcopo Piſtorienſi, & Archiepiſcopo Florentino ſuper juriſdictione conficiendi proceſſum de nonnullis miraculis cujuſdam imaginis B. Virginis, Congregatio cauſam adjudicavit Archiepiſcopo Florentino, ne reliquis duobus de juriſdictione in territorio Pratenſi contendentibus præjudicium inferretur. Itaque reſolutio hæc Præſulibus prædictis inferioribus non obeſt.

9 Olim Vicarii etiam Generales erant Ordinarii pro his proceſſibus conſtruendis, quia unum tribunal cum Epiſcopo conſtituunt, ut notarunt Contelorus (a), & alii, ideoque validus fuit in cauſa Servi Dei Card. Bellarmini proceſſus a Vicario generali conſtructus. At poſt memoratam epiſtolam encyclicam id amplius regulariter nequeunt.

a de Canoniz. SS. c. 24. n. 6.

10. 11 Nuntii Apoſtolici antiquitus hos proceſſus jure ſuo compoſuerunt, ut eruitur ex relationibus Auditorum Rotæ in cauſa S. Ignatii, & aliorum, innixi fortaſſe facultatibus Legatorum de latere, & exemplo Card. Jordani Urſini in cauſa B. Wernheri. Id vero ipſis interdixit epiſtola Congregationis rituum; ſed ſiqui proceſſus ante hanc exarati inveniantur, validi ſunt, uti reſpondit Congregatio in cauſa Servi Dei Simonis de Roxas 10. Septembr. 1718.

12 Religioſi quoque idem peragebant

Digitized by Google

bant in cauſis Servorum Dei, qui idem Inſtitutum profeſſi fuerant, uti colligitur ex vita S. Thomæ de Aquino apud Bolland., & ex Actis Beatificationis S. Andreæ Avellini apud Caggianum. Sed orto dubio, an Superiores Regulares hujuſmodi proceſſus poſſent legitime conficere, Contelorus (a) poſt relationem Rotalem in cauſa S. Hyacinthi irritos illos cenſuit, idque inferri docet Card. de Lauræa ſuperius laudatus n. 2226. ex decreto Congregationis impreſſo inter decreta generalia Urbani VIII. Hinc in cauſa Servorum Dei Rodulphi Aquavivæ, & ſociorum non fuit admiſſum examen teſtium, quod auctoritate P. Provincialis Societatis Jeſu receptum fuerat.

a C. 4. n. 24.

13 Judices Laici inter hos Ordinarios non numerantur. Quidquid enim ſit, an in Canonizatione S. Gerardi Epiſcopi Tullenſis intervenerit laicorum auctoritas, & an a Laicis constructi fuerint proceſſus pro Canoniz. SS. Bernardini Senenſis, & Franciſci de Paula; nunc ſane eſſent omnino nulli, etiamſi commiſſio Epiſcopi interveniret, ſicuti nulli fuerunt in cauſa Martyrum Gorcomienſium; quod quidem colligitur etiam ex cauſis Jacobi Saleſii, & Guillelmi Saltamochii, necnon S. Ioannis Franciſci Regis.

14 Ordinarius juxta epiſtolam encyclicam Congregationis non debet proceſſum ordiri, niſi vigeat fama alicujus eminentis virtutis, aut alicujus patrati miraculi; ſufficit tamen, ut hæc Ordinario conſtent citra juris ſolemnitatem.

CAPUT III.

De antiquiori Sedis Apoſtolicæ conſuetudine circa proceſſus Ordinariorum.

1 &c. JUs Pontificium proxime poſt reſervatas Sedi Apoſtolicæ cauſas Beatificationis, & Canonizationis, nuſquam meminit proceſſus Ordinarii, a quo S. Sedes ad inquirendum in canonizandi virtutes, & miracula moveretur. Antiqui etiam iſtarum cauſarum expoſitores affirmant, Sedem Apoſtolicam ad prædictam inquiſitionem moveri conſueviſſe, inſinuante, & ſupplicante authentica, & honeſta perſona. Ita apud Oſtienſem *in cap. Audivimus*, & in aliis monumentis legitur. Quapropter Garzias de Caralaps (b) ſcripſit, Epiſcopos iis temporibus ſpoliatos ſe reputaſſe juriſdictione conficiendi proceſſus ſuper geſtis Servorum Dei. Quidquid autem de hoc ſit, honeſtæ perſonæ, quæ Canonizationem poſtulabant, petitioni fortaſſe addebant monumenta de ſanctitate, & miraculis, ac teſtimonia de fama, & populi devotione; at certe non ſemper juridicum Ordinarii proceſſum. Cum enim proceſſus in genere, a Summo Pontifice poſt petitiones demandatus, non eſſet juridicus, non videtur hic ſubſequi potuiſſe juridicum proceſſum Ordinarium. Sane hunc ipſum excludere videntur antiquiores bullæ Canonizat. BB. Udalrici, Godeardi, aliorumque plurium, quibus ſuffragantur Canonizationes temporis intermedii, videlicet B. Vulſtani ſub Innocentio III., & B. Willelmi ſub Honorio III.

b de Canonīz. SS. c. 5. §. 17.

4 Prima proceſſus ordinarii mentio referenda videtur ad cauſam Sancti Raymundi de Pennafort. Cum enim Concilium provinciale Tarraconenſe an. 1279. ejus virtutes, & miracula Nicolao III. denuntiaſſet, & Canonizationem petiiſſet; exiſtimat Penia (c) gravibus innixus conjecturis, additum fuiſſe proceſſum, quod colligit etiam ex literis decem Conventuum Ord. Prædicatorum ſcriptis ad Bonifacium VIII. Accedunt alia exempla ſub Joanne XXII; nam adhuc extat proceſſus auctoritate ordinaria inceptus in cauſa Roberti Cantuarienſis Archiepiſcopi. In cauſa S. Thomæ de Aquino proceſſus habetur confectus a Religioſis ejuſdem Ordinis Superioribus. Conſtructum quoque fuiſſe auctoritate Epiſcopi Spoletini in cauſa

c obſerv. 1. ad c. 2. l. 3. vit. ejuſdem Sancti.

B. Cla-

B. Claræ de Monteſalco, teſtantur Jacobillus, & Baptiſta Piergilius *in ejus vita*. Addendum, quod in bulla Canoniz. S. Nicolai de Tolentino, ſub Eugenio IV. peractæ, plures referuntur teſtes, qui auctoritate ſolum ordinaria potuerunt eſſe examinati. Demum hujuſmodi proceſſus deprehenduntur in cauſa S. Franciſcæ Romanæ, juxta relationem Auditorum Rotæ; & in cauſa Eliæ Vice-Comitum de Bourdeille apud Raynaldum *ad an.*1483. Hi tamen proceſſus, aliique auctoritate ordinaria ſubſequenter facti, uſque ad ea tempora, quibus Judices iis cum Apoſtolicis proceſſibus in cauſis Canonizationis uti cœperunt, videntur habuiſſe ſolum proceſſus nomen, & non fuiſſe juridici, ut inter alia eruitur ex dicta relatione Rotali in cauſa S. Franciſcæ Romanæ.

8. *9* Veri itaque Ordinariorum proceſſus referuntur ad poſteriora tempora, quibus Auditores Rotæ, & Congregatio rituum iis non tamquam adminiculis, ſed tamquam probationibus una cum proceſſibus Apoſtolicis uſi ſunt. Si enim iidem Auditores in relat. cauſ. S. Franciſcæ, aliorumque ordinarios proceſſus tamquam nullos rejecerunt, in aliis vero cauſis uſi dumtaxat ſunt proceſſibus Apoſtolicis; non admiſiſſent proceſſus ordinarios in cauſis SS. Franciſci Borgiæ, Ignatii, & aliorum, niſi rite confecti fuiſſent. Accedit, quod iidem Auditores proceſſuum validitatem plerumque adſtruunt, antequam teſtibus in iis examinatis utantur. Itaque juridici proceſſus ordinarii antiquitus in his cauſis non fuerunt adhibiti, ſed ſolum quando ad veri, & quodammodo contentioſi judicii normam hæ cauſæ redactæ ſunt. Siqua vero Canonizatio inveniatur peracta ex ſolis proceſſibus ordinariis, id non officit, quia ſupradicta ad tempora poſteriora referuntur, quibus nulla Canonizatio ex ſolis ordinariis proceſſibus abſoluta eſt; vel ſi qua adhuc reperiatur, regulam non deſtruit, ſed limitat, cum Pontifex ex ſolis ordinariis proceſſibus Canonizationem perficere poſſit.

CAPUT IV.

De viribus proceſſuum, qui fiunt ab Ordinariis.

1. 2 CUm Ordinarii auctoritate ſua poſſint conſtruere proceſſus ſuper non cultu, & caſu excepto; neque ad eos conficiendos Sedes Apoſtolica delegatos conſtituat, niſi Ordinarii illos omiſerint: proinde hi ordinarii proceſſus juridici ſufficiunt ad probandam obedientiam decretis Urbani VIII. ſuper non cultu, & caſu excepto.

3 &c. Non ſufficiunt tamen ad probanda, quoad effectum Canonizationis, miracula, quæ per formalem Beatificationem in cauſis procedentibus per viam non cultus ſupervenerunt, cum in his Sedes Apoſtolica jam manum appoſuerit *ob ſignaturam commiſſionis*, poſt quam non licet amplius Ordinario proceſſus conficere: licet autem eidem proceſſum aliquando conficere ſuper miraculis indultæ venerationi ſupervenientibus in cauſis per viam caſus excepti, cum dicta manus appoſitio deficiat, ſi videlicet cultus conceſſus ſit ex probationibus extrajudicialibus, aut ex aliquo Ordinarii proceſſu, vel ſi miracula poſt centenarium cultus annum patrata ſint. Sed quæſtio eſt de proceſſibus ordinariis ſuper fama, aut ſuper virtutibus, vel Martyrio, & ejus cauſa, nec non ſuper miraculis, ſeu ſignis in genere, & in ſpecie pro obtinenda Beatificatione in cauſis per viam non cultus. Item de proceſſibus ordinariis ſuper iiſdem pro obtinenda Canonizatione in cauſis per viam caſus excepti. Opinatur Scacchus (*a*), hos proceſſus præbere ſanctitatis indicium, ac ad cauſam introducendam prodeſſe, non tamen probationem conſtituere, ſed vix quidquam adminiculi loco valere. Hæc ſententia rejicienda videtur. Si enim Ordinarii adhuc jus habent

a de not. & ſign. ſanct. ſect. 11. c. 9.

bent faciendi proceſſus, hi ſane neque negligendi, neque loco adminiculi dumtaxat habendi ſunt: cum de Jure Acta coram legitimo Judice facta cuilibet cauſæ proſint, licet hæc ad ſuperiorem deinde Judicem deferatur. Præterea impoſſibilis quodammodo eſſet concludens virtutum, & miraculorum probatio. Si quis enim moriatur cum fama ſanctitatis, & miraculorum, jam Ordinarius, non ſtatim, ſed poſt famæ incrementum inquirit. Fiunt deinde proceſſus ſuper fama, virtutibus, vel Martyrio, ac miraculis, &, ſi Ordinario libet, ſuper non cultu; qui ad Sedem Apoſtolicam mittendi ſunt: poſt decennium aliæ Epiſcoporum litteræ ſupervenire debent de percrebeſcente fama ſanctitatis, ac miraculorum, inde alia plura de more peragenda ſunt, ac tandem petendæ *Litteræ remiſſoriales* pro proceſſu in ſpecie, in quo vix repeti poſſunt teſtes in proceſſu ordinario examinati, quia utplurimum mortui ſunt. Cum vero virtutes, martyrium, & miracula in cauſis per viam non cultus; in cauſis vero per viam caſus excepti miracula probanda ſint utplurimum per teſtes oculatos, ſi iſti in ordinario proceſſu examinati pro neglectis habendi ſint, probatio requiſita obtineri non poterit. Addendum, teſtes auctoritate ordinaria examinatos compelli utplurimum in proceſſum Apoſtolicum, & in dubio, quod de proceſſuum validitate proponitur, examinari etiam proceſſus ordinarios. At hæc inutilia prorſus eſſent, ſi proceſſus ordinarii eſſent nulli, aut ſi eſſent purum adminiculum, cum hoc deſumi etiam poſſit ex teſtibus nulliter examinatis, uti adnotarunt Rotæ Auditores in cauſa S. Franciſcæ. Tandem huic ſententiæ adverſantur Ceparius ſuperius cit., aliique, qui conſuetudinem Sacræ Congregationis probe ſciebant.

10 Altera opinio Petri Franciſci de Rubeis egregii olim Fidei Promotoris (*a*) tenet, ex proceſſibus ordinarii probari non poſſe virtutes, & miracula in cauſis Confeſſorum; & Martyrium, ejuſque cauſam in cauſis Martyrum: probari vero poſſe miracula in iiſdem Martyrum cauſis. Hæc ſententia quoad hanc poſtremam partem eſt rejicienda, cum ex Apoſtolicæ Sedis conſuetudine Martyrum cauſæ exæquatæ ſint in miraculorum argumento cauſis Confeſſorum. Et ſane in cauſa S. Joannis Nepomuceni, cum Fidei Promotor opponeret, miraculum integritatis linguæ non conſtare, utpote probatum dumtaxat teſtibus auctoritate ordinaria examinatis; Poſtulatores illud non ſolum ex ordinario, ſed etiam ex Apoſtolico proceſſu juxta Sedis Apoſtolicæ conſuetudinem probatum fuiſſe evicerunt.

a in diſcurſu pro verit. edito in cauſ. B. Petri de Arbues.

11 Demum Caſtellinus (*b*), Rotæ Auditores in pluribus relat, aliique ſentiunt, virtutes, Martyrium, & miracula non eſſe ex proceſſibus ordinariis approbanda, niſi addatur concors Apoſtolicus proceſſus, ita ut ex his proceſſibus ſimul junctis procedatur ad Beatificationem, & Canonizationem. Et hæc opinio retinenda videtur.

b de certit. glor. SS. pag. 89.

CAPUT V.

De congruentia inter proceſſum ordinarium, & Apoſtolicum.

1. 2 Congruentiam hanc Petrus Franciſcus de Rubeis cit. reponit in eo, quod probata in proceſſu ordinario plene rata fiant in Apoſtolico: Ceparius in eo, quod probatis in proceſſu ordinario virtutibus, & miraculis, in Apoſtolico probetur continuatio famæ ſanctitatis, miraculorum, & devotionis populi: impedirentur enim Canonizationes, ſi virtutes, & miracula, quæ in individuo probata ſunt in proceſſibus ordinariis, comprobanda eſſent in Apoſtolico, cum teſtes oculati mortui ſint, & Deus, qui ad aliquorum Sanctorum invocationem per aliquod tempus ingentia patravit miracula, mox ab iis

pa-

patrandis interdum ceſſat. Matthæuccius vero (*a*) convenientiam proceſſuum haberi ait, ſi mortuis oculatis teſtibus in ordinario examinatis, auriti in Apoſtolico conſentiant.

a In pract. ad cauſ. Beatif. & Canoniz. tit. 1. c. 2.

3 &c. Verum ſententia de Rubeis, cum ordinario proceſſui vim puri adminiculi tribuat, non eſt admittenda. Opinio Ceparii eſſet quidem admittenda ſecundum jus commune, ex quo atteſtationes legitimæ in uno judicio receptæ fidem faciunt in alio in eadem cauſa, uti plures tradunt. At cum Sedes Apoſtolica, præter ordinarium, ſuum etiam proceſſum expoſcat, in quo iidem, qui in primo, teſtes, ſi poſſit, examinandi ſunt, & in quo Poſtulatores exhibent articulos ſuper probatis in proceſſu ordinario, & ſuper aliis de novo, ſi quæ de novo ſint; ideo hæc ſententia non ſubſiſtit. Neque obſtant allegata a Ceparío: nam in cauſis antiquis probata per teſtes oculatos in proceſſibus ordinariis confirmari poſſunt per teſtes auritos, ac de publica voce, & fama in Apoſtolico; immo hi in utroque proceſſu admittuntur in cauſis caſus excepti. Quoad miracula vero nimis probat: nam juxta ipſum non requirerentur pro Canonizatione miracula poſt indultam venerationem ſupervenientia: excuſandus tamen eſt, quia ſcripſit ante legem, qua ſtatuitur, nova miracula inter Beatificationem, & Canonizationem intercedere debere. Admittenda igitur eſt ſententia Matthæuccii cum his limitationibus. Prima: ſi quid de virtutibus, Martyrio, aut miraculis nullo modo, vel non plene probetur in proceſſu ordinario, bene vero in Apoſtolico, ad cauſam ſufficiet, & tunc proceſſus ordinarius pro adminiculo erit. Secunda: ſi miraculum aliquod in proceſſu ordinario, non vero in Apoſtolico probatum ſit, congruentia non ſubſiſtit, neque illud Beatificationi, & Canonizationi obtinendæ prodeſt, uti eruitur ex cauſa S. Felicis a Cantalicio. Idem dicendum de miraculis, ſeu ſignis, & Martyrio, ejuſque cauſa in Martyrum cauſis. Quod ſi in proceſſu ordinario probentur actus alicujus virtutis, non vero iidem, ſed alii ejuſdem virtutis actus probentur in Apoſtolico, primi non ſunt negligendi, ſed vim adminiculi obtinebunt, cum in dubio virtutum quæſtio fiat de habitibus. Tertia: Poſtulatores, re adhuc integra curare debent, ut in proceſſu Apoſtolico teſtes oculati adſint de virtutibus, ſeu de Martyrio, ac de miraculis deponentes. Propterea inſtare poſſunt pro conceſſione *litterarum remiſſorialium* ad oculatos teſtes examinandos, quorum obitus, aut abſentia timeatur. Jamvero ſi oculatis teſtibus proceſſus ordinarii concordent alii oculati in Apoſtolico, licet in hoc aliqui ſint etiam auriti, ſtat convenientia utriuſque, & ex utroque ſimul juncto proceditur ad Beatificationem, & Canonizationem.

9 &c. Demum (omiſſis cauſis caſus excepti, in quibus admittuntur virtutes, & Martyrium, ſi per teſtes auritos, aut de publica voce, & fama, æqualiter probentur in proceſſibus ordinario, & Apoſtolico) in cauſis per viam non cultus, in quibus directæ probationes requiruntur, ſi virtutes, aut Martyrium, aut miracula directe, ideſt per teſtes oculatos in proceſſu ordinario probentur; in Apoſtolico autem ſolum per auritos; difficulter quidem uterque proceſſus conjungitur quoad miracula, niſi Sedes Apoſtolica diſpenſet, cum hujuſmodi cauſæ non ſint neceſſariæ, & nova miracula ſupervenire poſſint: facilius tamen quoad probandas virtutes, ſi proceſſus Apoſtolicus citra culpam Poſtulatorum non fuerit tempore opportuno confectus, ſi teſtes oculati proceſſus ordinarii nullam patiantur exceptionem, & ſi teſtes in Apoſtolico proceſſu ſint ex auditu ab iis, qui viderunt: ex his enim probationibus unitis abſonum non videtur approbari virtutes, & Martyrium, ut factum eſt in cauſis BB. Hyacinthæ de Mareſcottis, & Joannis de Prado.

L 11. &c.

11 &c. Ad has autem limitationes admittendas hæc adjuncta requiruntur. Primum: ut in Congregatione ſit approbata proceſſus ordinarii validitas, ut in cauſa B. Hyacinthæ ſuaſit Andreas Pierius Fidei Subpromotor, cui conſentit Card. de Lauræa (a). Secundum, ut proceſſus ordinarius, compulſatus ſit in Apoſtolico, & in loco authentico conſervatus, ut de ejus identitate conſtet, uti advertunt Matthæuccius cit., & Rotæ Auditores, niſi Pontifex a compulſatione diſpenſaret, ut factum eſt in cauſa S. Agnetis de Monte Politiano. Tertium: ut teſtes proceſſus ordinarii obierint, dum conficitur Apoſtolicus: ſi enim viverent, & in hoc non repeterentur, nulla eis eſſet adhibenda fides, ſicuti notarunt Card. de Lauræa cit., & alii. Quartum; ut abſit Poſtulatorum negligentia, quemadmodum advertit Jo: Baptiſta Bottinius, cum vicibus fungeretur Promotoris Fidei in cauſa B. Hyacinthæ. Aliter enim proceſſus Apoſtolici vileſceret auctoritas, ſi ex Poſtulatorum negligentia oculati teſtes in ordinario, auriti dumtaxat in Apoſtolico proceſſu, mortuis oculatis, examinarentur.

a in 3. ſent. to. 4. diſp. 22. art. 25. §. 6. n. 1164.

CAPUT VI.

De Ordinariorum proceſſuum ſingularitate, hoc eſt, an aliquando eorum ope tantum, & citra Apoſtolicum proceſſum deveniri poſſit ad Beatificationes, & Canonizationes.

1. 2 BEatificationes æquipollentes ex ſolo proceſſu ordinario, Canonizationes autem æquipollentes ſine ullo etiam proceſſu fieri non raro conſueverunt. At quod ad formales ſpectat, Molpheſius (b), & Contelorius (c) ſentiunt, ſolis Ordinariorum proceſſibus legitimis procedi poſſe ad Canonizationes, quod erui etiam poſſe videtur ex cauſa B. Catharinæ Svecicæ apud Bolland. (d), Grattarola vero (e), ſuffragante P. Cepario (f) exiſtimat, non Canonizationem, ſed Beatificationem ſolis his proceſſibus obtineri poſſe.

b conſil. 46. n. 21.

c de Canoniz. 88. c. 5. n. 23.

d ad 24. Mart. to. 3.

e in Act. Canoniz. S. Caroli part. 1. c. 26.

f in direct. l. 2. c. 12.

3 &c. At Sedes Apoſtolica fere a tempore reſervationis harum cauſarum conſuevit exigere, ut proceſſus auctoritate Apoſtolica conſtruantur ad Canonizationem peragendam, uti ex ejus legibus conſtat; juxta quas, poſitis petitionibus, & Ordinariorum proceſſibus, præcipere conſuevit, ut conſtruerentur proceſſus Apoſtolici. Et merito: cum in his diligentius veritas inveſtigetur. Decet præterea Sedis Apoſtolicæ dignitatem, ut in tanto negotio pendeat a proceſſu, quem Apoſtolica auctoritate, plures delegati conficiunt, adhibitis interrogatoriis a Fidei Promotore tranſmiſſis. Hinc a dicto reſervationis tempore nulla ſolis ordinariis proceſſibus abſoluta eſt Canonizatio. Sane in cauſa S. Caroli Borromæi, licet Poſtulatores ſupplicaſſent, ut ſolis ordinariis proceſſibus Canonizatio fieret, teſte Grattarola, non tamen obtinuerunt, ob eam præcipue cauſam, quia id erat præter conſuetudinem, uti eruitur ex relat. Auditorum Rotæ.

6 &c. Adhuc diſputari poteſt, an Sedes Apoſtolica unquam diſpenſaverit, ut ad probandum aliquem cauſæ articulum, vel miraculum, ſuper quo teſtes Apoſtolici nihil depoſuerint, proceſſus ordinarius habeatur, ut Apoſtolicus. Diſputationis materiem dat Card. de Lauræa cit., aſſerens, miraculum plene probari per ſolos teſtes oculatos examinatos in proceſſu ordinario, licet non compulſato in Apoſtolicum, admiſſo tamen a Pontifice. Id autem vel intelligi poteſt de caſu, in quo omnes teſtes oculati ſint in proceſſu ordinario, ſoli vero auriti ſuper eadem re in Apoſtolico; vel de caſu, in quo teſtes oculati adſint in ordinario, nullus vero in Apoſtolico proceſſu. Præterea Sacra Congregatio in cauſa S. Thuribii, & aliorum conceſſit: in cauſa vero Martyrum Gorcomienſium negavit, ut proceſſus ordinarius haberetur ut Apoſtolicus. Atta-

tamen in omnibus his cauſis Poſtulatores potius videntur petiiſſe, ut proceſſus ordinarius cum Apoſtolico in ratione æqualis probationis conjungeretur, quam ut ſolo ordinario probaretur aliquis cauſæ articulus, aut miraculum; de qua re ſaltem dubitari poteſt, attento decreto Congregationis particularis in cauſa S.Joannis Franciſci Regis. Præterea, licet nunc in Congregatione rituum vigeat opinio de conjunctione utriuſque proceſſus reſpectu æqualis probationis: olim tamen nonnulli ex conſultoribus adhærebant ſententiæ, quod ſignata *commiſſione*, proceſſus ordinarius vim puri adminiculi ad ſummum obtineret, uti deſumitur ex quibuſdam Actis in cauſis BB. Hyacinthæ de Mareſcottis, & Joannis de Prado. At poſtea in his, aliiſque cauſis prædicta opinio de utriuſque proceſſus conjunctione in gradu æqualis probationis omnino recepta eſt.

9 Ordinarii itaque ante appoſitionem manus Sedis Apoſtolicæ poſſunt conficere proceſſus ſuper non cultu, caſu excepto, fama virtutum, Martyrii, & miraculorum, ac ſuper his in ſpecie probationes excipere. Hi proceſſus rite confecti conjungi poſſunt, dummodo congruant, cum Apoſtolicis in gradu æqualis probationis. Numquam tamen ſibi blandiantur Poſtulatores futurum, ut deficientibus omnino probationibus in Apoſtolico proceſſu ſuper aliquo cauſæ articulo, aut miraculo, ex Pontificis indulgentia proceſſus ordinarius haberi poſſit, ut Apoſtolicus, pro Beatificatione, & Canonizatione formali.

CAPUT VII.

De non cultu, deque nonnullis ad ornatum materiæ de non cultu præmittendis.

1. 2 PRoceſſu ſuper fama virtutum, ant Martyrii, & miraculorum conſtructo, poteſt Ordinarius alium ſuper non cultu conficere. Præmittendum tamen eſt, præſentem non cultus materiam non pertinere ad eos, qui juxta Eccleſiæ uſum ante, vel poſt, aut prope tempora Alexandri III. in Beatorum, aut Sanctorum numerum relati ſunt; neque ad eos, qui ſunt in poſſeſſione cultus immemorabilis, aut alterius generis; ſed ad eos, quibus, licet cum fama ſanctitatis, & miraculorum mortuis, nullus expreſſe, aut tacite Apoſtolica auctoritate conceſſus eſt cultus.

3. 4 Præmittendum pariter, hos Dei Servos a nemine publice coli ſine auctoritate Apoſtolica poſſe, juxta *cap. Audivimus de Reliq., & Vener. SS.* Licet vero dubium ſit, an in hoc *cap.* ſit verbum *publice*; habetur tamen *in cap. Cum ex eo eod. tit.* Poſſunt vero private coli. Si enim iis viventibus privatus cultus exhiberi poteſt juxta SS. Athanaſium (*a*), Hieronymum (*b*), & Chryſoſtomum (*c*), potiori jure poteſt exhiberi defunctis, quando in Cœlis regnare pie creduntur, & eſſe pro nobis apud Deum interceſſores, uti probant plurimi Canoniſtæ, & Theologi, quibus cohærent etiam decreta Urbani VIII. inferius allegenda.

5 &c. Præmittendum denique, cultum dupliciter dici publicum. Primo cum palam: ſecundo, cum publica auctoritate exhibetur. Sic docent Theologi precationem eſſe publicam, quæ nomine Eccleſiæ ab ejus miniſtris; privatam, quæ a quocumque, non ut ab Eccleſiæ miniſtro, fit. Cum igitur cultus ſit publicus, ſi in loco publico, ſi ab Eccleſiæ miniſtro, ſi ex inſtitutione Eccleſiæ ponatur; hinc ſecundum has omnes ſignificationes prohibitum eſſe erga Dei Servos publicum cultum, putant Contelorius (*d*), & alii. Publicum vero alii intelligunt, qui nomine Eccleſiæ, vel ex ejus inſtitutione ponitur: privatum autem, qui non eſt hujus generis, licet in loco publico Dei Servis impendatur. Hæc ſententia magis congruit rationi, & decretis Ur-

a l.de Virg n.22. to.2. oper.

b in vita S.Paulæ.

c in Act. Apoſt.hom 53. n.5. to. 9. oper.

d de Can. SS. cap.22. n.7.

bani VIII. Rationi quidem, quia ſi liceet pium virum viventem in loco publico colere, multo magis eumdem defunctum. Decretis vero, quia inter articulos, inſertos formulæ litterarum remiſſorialium in genere, diſſeritur de magno populorum concurſu ad ſepulcrum Servi Dei ad hunc ob ſanctitatis famam publice venerandum; quibus conſonant poſitiones interrogatoriæ Fidei Promotoris. Cultus ergo non eſt dicendus publicus, licet in loco publico poſitus. Aliter non poſſet probari celebritas ſepulcri Servorum Dei, quæ tamen plurimum in his cauſis attendi ſolet. Immo abſtinendum eſſet a commiſſione inquiſitionis in genere ad probandam famam Sanctitatis, uti advertunt Ceparius (*a*), & Matthæuccius (*b*).

a in direct. l. 2. c. 7.

b In pract. qu. proxim. can. n. 25.

8 His cohærenter, de cultu ex Eccleſiæ inſtitutione ſolis Beatis, aut Canonizatis præſtando, explicandus eſt loquendi modus, quo Pontifices in pluribus Beatificationum Brevibus, & in bull. Canoniz. loquuntur quoad facultatem, & præceptum privatim, & publice colendi Beatos, aut Canonizatos. Prædictam enim privatam venerationem quiſque jure ſuo adhibere poteſt etiam erga non Beatificatos, neque Canonizatos.

9. 10 Dicunt alii, quod ſicuti pœnitentia alia eſt publica, & ſolemnis, alia publica tantum, alia privata; ita cultus alius eſt privatus, qui a perſona privata modo, & in loco privato; alius publicus, qui publice, & in loco publico, ſed a privato; alius ſolemnis, qui juxta Eccleſiæ inſtitutionem, approbataſque cæremonias ponitur. Addit P. Ceparius cit., quod ſicuti dantur actus *latriæ*, & *duliæ* communes, ſolo interno ſenſu diſtincti; ita cultus publici, & privati dantur actus externi æquales, ſolo agentis animo diſtincti. Inde concludunt, nullo jure prohibitum eſſe erga Dei Servos privatum, & publicum cultum, ſed ſolum prohibitum eſſe ſolemnem. Aliter ſequeretur, impoſſibilem fore probationem famæ ſanctitatis, ſepulcri frequentiæ, populorumque devotionis, ut ſupra monitum eſt, & inter alios fuſe proſequitur Penia differens de cultu tunc Servi Dei Philippi Nerii.

CAPUT VIII.

De diligentiis adhibitis poſt reſervationem cauſarum Beatificationis, & Canonizationis Sedi Apoſtolicæ, ne cultus iis præſtaretur, qui eum minime merebantur.

1 &c. BOnifacius VIII. corpus Hermanni apud Ferrarienſes pro Sancto culti comburi, & in ejus hæreſim diligentiſſime inquiri juſſit, uti videre eſt apud Platinam *in ejus vita*, & alios. Urbanus V. in ſuis literis Apoſtolicis ad Archiepiſcopum Ravennatenſem, ejuſque ſuffraganeos cultum F. Jacobo a Fratribus Prædicatoribus, & F. Franciſchino ab eremitis S. Auguſtini adhibitum abrogari ſtricte præcepit. Idem in aliis literis ad Epiſcopos Ducatus Britanniæ, amoveri juſſit cultum, qui Carolo de Bleſio, ſeu de Blois Britanniæ Duci in illis regionibus exhibebatur. Hunc in bello adverſus Joannem de Montfort obiiſſe, & inquiſitionem in ejus vitam, & miracula ſub Urbano V., & Gregorio XI. habitam fuiſſe refert Andreas du Cheſne (*c*). In ſanctorum vero album fuiſſe relatum deducit ex teſtamento Joannis de Monte Baſon; ſed ſine fundamento, cum deſit diploma Canoniz., & obſtet prædictum Breve Urbani V.

c In hiſtor. domus de Caſtillion pag. 237.

5 Simon de Cramando Epiſcopus Pictavienſis in Synodo provinciali ſub anathemate prohibuit venerationem erga nonnullorum corpora, de quorum ſanctitate non conſtabat. Gennadius Patriarcha Conſtantinopolitanus apud Raynaldum ad an. 1453. Græcos acriter increpavit, qui tamquam Sanctos colebant Palamam, & Epheſi Marcum. Synodus Carnotenſis an. 1526.

1526. diſtricte prohibuit, ne incogniti ullius Sancti imago erigeretur. Plura hac de re ſtatuit etiam Tridentinum ſeſſ.25. Demum S. Carolus Borromæus ſub humo ſepeliri juſſit corpus cujuſdam, de cujus oſſibus manare, liquor ferebatur; cum nihil vel quoad defuncti ſanctitatem, vel quoad ipſum miraculum comperiſſet.

6 Summorum Pontificum, & Præſulum Eccleſiæ veſtigiis inſtiterunt viri Religioſi. S. Vincentius Ferrerius diu laboravit, ne ageretur feſtum cujuſdam S. Orientis. Opera FF. Prædicatorum, & Minorum diſperſa fuere oſſa Arnaldi hæretici Albigenſis, & cujuſdam homicidæ, quæ per annos 16. cultum obtinuerant. Similia contigerunt circa corpora Guidonis a Lacha, & aliorum: nam juxta ſacros Canones adverſus hæreticos etiam defunctos proceditur, eorumque oſſa comburuntur, uti plures docent. Præterea Inquiſitio Valentiæ amovit cultum Franciſci Hieronymi Samo; cujus Acta ad Congregationem rituum miſſa, & Inquiſitioni Romanæ tradita in hujus archivo extant. Demum, omiſſis aliis pluribus exemplis, Congregatio Romanæ univerſalis Inquiſitionis coram Innocentio XI 27. Jun. 1680. decretum Vicarii Generalis Caſſanenſis, qui cultum aſſerti Anachoretæ Joannis Calà approbaverat, circumſcripſit, ejuſque reliquias, imagines, cæteraque ſanctitatis indicia ſevere prohibuit.

CAPUT IX.

De moderatione cultus erga non Beatificatos, nec a Sede Apoſtolica Canonizatos.

1 Miſſam celebrari non poſſe in honorem nondum canonizati, nec dum beatificati a Summo Pontifice, docuit Auguſtinus Triumphus (a). Card. Bellarminus (b) cum communi Theologorum ſententia docet, non poſſe in honorem nondum canonizati erigi templa, & altaria, neque celebrari ſacrificia, aut publica feſta, neque Reliquias in templo conſtitui publice honorandas: licere tamen eum credere, & vocare Sanctum, ſed non ut canonizatum: licere eum invocare coram aliis, ejuſque imaginem extra templum, ejuſque Reliquias coram aliis, dummodo ſine ſcandalo fiat, venerari. Hæc diſplicuerunt Peniæ Rotæ Auditori, cui Bellarminus ipſe reſpondit apud Pignatellum (c).

a de pot. Eccl. qu. 14. ar. 5.

b controv. to. 2. l. 1. de SS. Beatit. c. 10.

c conſult. 38. to. 5.

2. 3 Viros cum fama ſanctitatis defunctos private coli, invocari, & Sanctos appellari: eorum imagines radiato capite in eccleſia, ſed non ſuper altare collocari: ad eorum ſepulcra tabellas, & dona deferri, ac luminaria accendi: die anniverſaria peculiariter lætari, ab operibus vacare, Miſſam ſolemnem de Sanctiſſima Trinitate cantare, de eorum virtutibus concionari: nomina in litaniis particularium eccleſiarum recenſere, eorum etiam res geſtas a probis viris ſcriptas ſtatim poſt obitum in lucem edi poſſe, ſentit Molpheſius (d), ſuam ſententiam, exemplis, & ratione comprobans. Hæc tamen ante decreta Urbani VIII a Molpheſio ſcripta impugnavit Caſtellinus (e), qui poſt dicta decreta ſcripſit: quoad exempla a Molpheſio allegata contendit, interceſſiſſe eccleſiaſticam auctoritatem, quæ ſemper neceſſaria eſt ad non Beatificatorum cultum. Verum cum Rotæ Auditores in relat. cauſ. SS. Franciſcæ Romanæ, Andreæ Corſini, aliorumque plurium pro aſtruenda eorum ſanctitatis fama, uſi ſint argumentis deſumptis ex Actibus a Molpheſio perpenſis, & ex aliis majoris momenti, ut quod Miſſa, & officium proprium celebrarentur; imagines cum diademate ſuper altari colendæ exponerentur; & alia, quæ publicum, ac ſolemnem cultum præſeferunt: propterea nonnulli exiſtimarunt, eoſdem Auditores, vel pleroſque ex his Actibus ad cultum privatum retuliſſe, vel ſenſiſſe, aliquando permitti poſſe, ut ſine Sedis Apoſtolicæ auctoritate aliquis actus publici cultus non Bea-

d to. 2. conſil. 45.

e de cert. glor. SS. c. 2. punct. 2.

Beatificato, neque Canonizato, ſanctitate tamen, & miraculis celebri exhibeatur.

4 Verum tamen ſequentibus propoſitionibus res tota abſolvi poſſe videtur. Prima eſt: Pontifices ſtatuerunt, ne publicus cultus non Beatificatis, aut Canonizatis deferretur; indicatos autem actus fere omnes pro publico cultu habuerunt; quare Servis Dei impendi non potuerunt. Patet: nam Pontifices aliquem Beatitatis honorem Servis Dei indulgere volentes, prædictos actus permiſerunt, adeoque illos tamquam cultum publicum agnoverunt.

5 Secunda: Congregatio rituum his firmiter inhæſit, uti probant ejus indulta, & relationes Auditorum Rotæ in ea examinatæ. Præterea an. 1609. a Choro Eccleſiæ monaſterii S. Leonardi imaginem Card. Monopolitani amoveri juſſit, eo quod imagines dumtaxat Sanctorum retinendæ ibi ſint. Imaginem quoque S. Andreæ Avellini, nondum beatificati, ab ejus ſepulcro repulit anno 1612. Secretarius demum ejuſdem Congregationis a Caſtellino interrogatus, reſpondit, eam ſæpe declaraſſe, non licere ſine ejus auctoritate accendere cereos, aut id genus alia efficere ad ſepulcra Servorum Dei, qui nondum beatificati, aut canonizati ſunt.

6 Tertia: Sedes Apoſtolica nonnullos interdum toleravit actus publici cultus erga non Beatificatos, & Canonizatos, ſed potiſſimum ob antiquitatem, ac ſcientiam, & tolerantiam Ordinariorum, vel quia introducti fuerant ob certam famam ſanctitatis, & miracula, ut ex quibuſdam cauſis eruitur.

7 Quarta: Subſecutis temporibus Sedes Apoſtolica antiquiores leges, quæ erant tolerantiæ contrariæ, inſtauravit, & novas condidit de modo colendi non beatificatos, neque canonizatos, ut deceptionis periculum averteretur, quemadmodum nonnulli faciendum eſſe prænotaverant.

CAPUT X.

De his, quæ geſta ſunt tempore Clementis VIII., & Pauli V. circa cultum exhibendum.

1 Quamvis juxta ſacros Canones ſolum privatum cultum Servis Dei exhibere liceat, cujus actus ex conſuetudine Sedis Apoſtolicæ ab actibus publici cultus dignoſci poſſunt; tamen ad dirimendas controverſias, & ad modum de cultu ſtatuendum, novæ leges neceſſariæ fuerunt.

2 Clemens VIII. aggreſſus eſt hoc opus, & Congregatione coram ſe convocata die 25. Novembris 1602. de cultu, tunc Servis Dei Philippo Nerio, Ignatio Lojolæ, Carolo Borromæo, aliiſque nondum Beatificatis, neque Canonizatis præſtito, diſſeruit, Cardinalium expoſcens conſilia, ut talis conſuetudo exhibendi Servis Dei cultum ſine Sedis Apoſtolicæ auctoritate tolleretur. Cardinales remedia aliqua propoſuerunt, quæ quidem omnia fuſe deſcribuntur in codice ms. Archivii S. Mariæ trans Pontem.

3 P. Ceparius *in ſuo directorio Canoniz.* (a) refert, honores, qui tunc dictis Servis Dei reddebantur, impugnatos fuiſſe a magni nominis viro, & inde factum eſſe, ut ab aliis non ſine ſcandalo deriderentur: ideo Clementem VIII. memoratam Congregationem inſtituiſſe, cui Cardinales ſeptemdecim, nonnulli diverſorum Ordinum Theologi, ac Secretarius Congregationis rituum interfuerunt. Subnectit memoriale vel a Papa confectum, vel ipſi ab alio præſentatum, in quo vigintiquatuor dubia de cultu Servorum Dei, ideſt, quoad obitum, corpora, ſepulcrum, elogia, appellationem, imagines, reliquias, miracula, aliaque hujuſmodi propoſita leguntur, ex quibus remedia adhiberi poſſent, ne facilitate nimia homines beatificarentur, ac judicium Sedis Apoſtolicæ in canoni-

(a) par. 2. c. 5.

nizando præveniretur; neve inſignes ſanctitate viri meritis honoribus privarentur. Pontifex manu ſua addiderat, nolle ſe agere de ijs, pro quibus Prædeceſſorum diplomata extarent, aut ab immemorabili tamquam Beati colerentur.

4 In manuſcripto Archivii S. Mariæ trans Pontem acta duarum ſubinde Congregationum, Cardinalium, & Conſultorum, qui illis interfuerunt, nomina, eorumque ſententiæ de controverſo cultu, & quo ordine locuti fuerint, referuntur. Scribit autem Ceparius cit. Theologos ad Congregationem admiſſos locutos fuiſſe generaliter de obſequiis, quæ licite Dei Servis præſtari poſſunt, omiſſa reſponſione ad dubia, quæ Pontifex propoſuerat, & ſuper quibus poſtea nonnulli Theologi, & Canoniſtæ tractatus varios ediderunt, Pontifex vero quæſtionibus ſilentium impoſuit.

5 &c. Paulus V. diſputationem reſumpſit, ut conſtat ex codice 3729. bibliothecæ Vaticanæ. Nonnulla decreta condidit, teſtibus Caſtellino (*a*), Molpheſio (*b*), & Rotæ Auditoribus in relat. cauſ. S. Cajetani. Boldettus quoque (*c*) memorat hujus Pontificis edictum, ne per Urbem fierent, aut collocarentur in eccleſiis picturæ, neve quidquam ſuper viarum publicarum muros pingeretur ſine Card. Vicarii, aut Vices gerentis permiſſu. De his Pauli V. decretis nil reperitur apud P. Ceparium, licet uſque ad Pontificatum Urbani VIII. vixerit, ut colligere eſt ex monumentis archivii Romani Societatis Jeſu. Attamen *in ſuo directorio* (*d*) monita nonnulla reliquit, quatenus futuris temporibus ea reſumerentur, de quibus ſub Clemente VIII ſilentium factum erat. Monet videlicet, non eſſe Servis Dei nondum canonizatis præſtandum cultum, ſolis canonizatis debitum; pluribus tamen de cauſis non eſſe nimis coercendum cultum Servorum Dei, cum fama ſanctitatis occumbentium: nec facile quidquam immutandum de antiquis in Eccleſiam receptis conſuetudinibus, & a populo in eorumdem veneratione ſervatis: in hoc non eſſe adhibendum conſilium eorum, qui privato magis animi affectu, quam ratione ducuntur. Præterea, ſi de cultu Servorum Dei iterum ageretur, indicat, quid ſtatuendum eſſet quoad eorum vitam evulgandam, imagines, anniverſarium diem, & ſepulcra. Cuncta relinquit S. R. Eccleſiæ judicio, addens permittendam eſſe privatam populi devotionem, tollenda vero, quæ publicitatem, & ſolemnitatem redolent. Ex his inferri poſſe videtur, decreta Pauli V. neque promulgata, neque ad effectum perducta, neque ex iis cultui Servorum Dei ſatis proviſum fuiſſe. Quamobrem præter Romanorum Pontificum morem in decretis Urbani VIII nulla fit eorum mentio.

a de cert. glor. SS. c. 2. punct. 29.

b conſil. 45. n. 76.

c obſer. de cœmet. SS. Mart. l. 1. c. 43.

d par. 2. c. 9.

CAPUT XI.

De ſummi Pontificis Urbani VIII decretis.

1 &c. PUtarunt nonnulli, Urbanum VIII ſcandalis ſuperioris ſæculi permotum promulgaſſe decreta generalia de cultu Servorum Dei neque beatificatorum, neque canonizatorum; ſed ex dictis initium hujuſce rei Clementi VIII; progreſſus vero Paulo V. eſt tribuendus. Urbanus itaque, re in Congregatione Inquiſitionis an. 1625. diſcuſſa, cultum erga non beatificatos, neque canonizatos a Sede Apoſtolica decretis ſuis prohibuit, ideoque eorumdem Servorum Dei imagines ſtatim ab Urbis Eccleſiis amotæ fuerunt. Quin etiam in remotiſſimis regionibus debita obedientia iis præſtita eſt, ut conſtat ex vita SS. Roſæ Limanæ, & Franciſci Solani. Quamquam autem ad tollendam ignorantiam inſerta fuiſſet clauſula, ut decretum affixum ad valvas baſilicæ Vaticanæ, & in acie Campi Floræ haberetur, tamquam unicuique intimatum; nihilominus exemplaria ad Epiſco-

ſcopos miſſa fuerunt, in propriis diœceſibus promulganda, ut eruitur ex epiſt. Card. Vicarii ad Card. Borromæum Archiep. Mediolanen. relata in libro inſcripto *Flores directorii inquiſitorum pag.*481. Idem Pontifex ſpeciali Brevi an.1634. decreta confirmans addidit, cauſas non eſſe inchoandas, niſi confecto proceſſu de non cultu ſeorſum ab altero proceſſu ſuper fama ſanctitatis, virtutum, & miraculorum, & niſi accedat ſententia Judicis ordinarii, vel delegati ſuper obſervantia decretorum; proceſſus vero non eſſe aperiendos ſine licentia Pontificis. His concordant decreta generalia.

5 Præter cultum vetuit, ne imagines Servorum Dei cum laureolis, aut ſplendoribus pingerentur, aut ſic pictæ retinerentur, neve in altaribus publicis, vel privatis, etiam ſine ejuſmodi inſignibus apponerentur. Hinc Congregatio rituum 11. Jan.1681. juſſit colligi imagines F. Pauli Juſtiniani auctoria Congregationis Montis Coronæ Camaldulenſium, cum laurea, & titulo Beati impreſſas ſine licentia; ſcripſitque P. Majori Montis Coronæ Neapolis, ne moleſtaret Monachum ob eas imaginea denunciatas. Hæc referuntur ad oſtendendam Congregationia curam pro obſervantia decretorum generalium, non ad inurendam notam Servo Dei Paulo, nec Auguſtino Fiori Camaldulenſi, qui ejus vitam edidit cum appellatione Beati.

6 &c. Vetuit præterea librorum, quibus continentur virtutes, Martyrium, revelationes, & miracula Servorum Dei, impreſſionem ſine Ordinarii approbatione, qui hac ſuper re Theologorum, aliorumque conſilio uti, Sedem Apoſtolicam de negotio inſtructo certiorem reddere, ejuſque reſponſum expectare tenetur. Sedea autem Apoſtolica horum operum reviſionem vel committit Fidei Promotori, juxta decretum Congregationis rituum 17. *Novemb.*1674., vel Congregationi Inquiſitionis; quæ accepta relatione alicujus *Qualificatoris*, ſi facultatem imprimendi tribuat, locorum Ordinariis decretorum obſervantiam injungit juxta ejuſdem decretum 3. *Jun.*1638. Facultas etiam non conceditur, niſi Auctor, initio, & fini operia addat quaſdam proteſtationes: eadem vero Sedis Apoſtolicæ approbatio majorem vim non addit quoad Beatificationem, & Canonizationem, ut conſtat ex decretis generalibua. In proteſtatione initio operis apponenda Auctor profiteri debet, omnia a ſe in libro relata, accipienda eſſe, ut ea, quæ auctoritate dumtaxat humana, non divina Catholicæ Eccleſiæ, aut Sedia Apoſtolicæ innituntur. In proteſtatione vero, quæ in fine libri addenda eſt, profitetur obedientiam prædictis decretis, aſſeritque ſe cuncta proponere, non ut a Sede Apoſtolica approbata, ſed tamquam humanam hiſtoriam, nec velle cultum alicui arrogare, vel famam ſanctitatia inducere, aut gradum ad Beatificationem, & Canonizationem facere, ſed omnia in ſuo ſtatu relinquere.

10. 11 Prohibuit inſuper, ne ad ſepulcra Servorum Dei lumina accenderentur, aut votivæ tabellæ ſuſpenderentur. Oblatas autem cuſtodiendas eſſe in loco ab Eccleſia ſeparato declaravit: & merito, ut abuſus ex una parte tollerentur, ex alia vero miraculorum memoria non interiret. Nomine loci, ab Eccleſia ſejuncti, comprehenditur etiam ſacrarium, dummodo conſervatio ſit ab omni cultu remota, ut firmant ipſa decreta.

12 Tres itaque actus præcipue prohibentur. Primus reſpicit imagines, quarum retentio in altari venerationem, laureolæ vero beatitudinem ſignificant, juxta Pignatellum (*a*). Laureolarum nomine circulus lucidua circa caput intelligitur, qui & diadema appellatur, de quo Card. Albitius (*b*), Ciampinus (*c*), & alii loquuntur. Ante decreta ex nimia tolerantia Imagines Servorum Dei, etiam cum diademate pictæ, in eccleſiia retinebantur; ſed

a conſult. 28. nu.6. tom &conſult.47.n.2. to.4.

b de Inconſtan. in Fid. par.1. c.40. n.180.

c veter.monim.tom.1. c.14.

Digitized by Google

ſed cum hæc publicum cultum importarent, Urbanus tolerantiam abrogavit.

13 Secundo: quoad librorum de gestis Servorum Dei editionem nonnulla constituta fuerunt ad avertendos abuſus, ne in evulgandis miraculis fictio irreperet. Statutum eit, hos libros, licet approbatos, non habere majorem, quam antea, probationis vim reſpectu Beatificationis, & Canonizationis, ne prætenderetur, non requiri ulteriores probationes ex proceſſibus, quod eſt abſurdum; nam, & proceſſus neceſſarii ſunt, & cæteris exemplis omiſſis, licet ſex Cardinales teſtati fuiſſent veritatem eorum, quæ in vita S. Philippi Nerii continebantur; teſtibus tamen concordibus comprobanda fuerunt ad ejus Beatificationem, & Canonizationem.

14 &c. Demum votivarum tabellarum ſuſpenſioni favere videntur nonnulla ex veteri Teſtamento, ut, thuribula Coræ in laminas producta, & juſſu Dei affixa altari (a): Serpens æneus in templo Salomonis uſque ad Ezechiæ tempora ſervatus, & alia hujuſmodi. Traditur (ut ad noſtra redeamus) in ſeptima Synodo (b), Mercatorem Antiochenum, a dæmonis vexatione ope S. Simeonis Stylitæ liberatum hujus adhuc viventis imaginem in veſtibulo ædium ſuarum poſuiſſe, idemque Romæ feciſſe Artifices, narrat Theodoretus. Veſtes pueri e ſubmerſione erepti interceſſione S. Hyacinthi ad hujus ſepulcrum appenſas fuiſſe refert F. Severinus de Cracovia *in ejus vita*. Similia habentur in proceſſibus ſuper Canoniz. SS. Thomæ de Aquino, & Antonini, & in vita S. Catharinæ Senen. Præterea in quibuſdam relationibus Rotæ, & bull. Canoniz., ex his tabellis fama ſanctitatis, & populorum devotio deſumitur. Accedit, quòd plures Theologi, & Canoniſtæ Nuntii Apoſtolici ad Hiſpanias juſſu congregati affirmarunt, appendi poſſe Fidelium votiva ad ſepulcrum Servi Dei Simonis de Roxas, ut in proceſſu legitur. Hinc in decretis Urbani non abſolute vetita, ſed cum dictis modificationibus permiſſa eſt dicta tabellarum ſuſpenſio, ut notat Card. Albitius cit. Lumina accenſa ad ſepulcra Servorum Dei, quid ſignificent, explicat Baldellus (c), addens, quod licet non ſint publicus cultus, tamen, ne quis deciperetur, ea putans ibi poni auctoritate publica, recte prohiberi potuerunt.

a Num. cap. 16.

b act. 4. apud Hard. to. 4.

c Theol. mor. tr. 2. l. 3. diſp. 13. n. 21.

CAPUT XII.

De nonnullis explicationibus ad prædicta Urbani VIII decreta, deque nonnullis quæſtionibus ad eorum funus & ſepulcra, qui Servorum Dei appellatione veniunt, pertinentibus.

1 &c. PRima quæſtio eſt: an elogia Beati, vel Sancti apponi poſſint libris continentibus vitas nondum beatificatorum, neque canoniaatorum? Urbanus VIII occaſione ſupplicis libelli, quem Vicarius generalis Capuccinorum ſuper hoc exhibuit Congregationi Inquiſitionis; ſtatuit 5. Jun. 1631. admitti poſſe ejuſmodi elogia, ſi ſupra mores, & opinionem cadant, cum proteſtatione in principio, quod his nulla ab Eccleſia Romana adſit auctoritas: non vero ſi ſupra perſonam cadant. Hoc decretum omnes caſus, & Ordinarios omnes comprehendit, eique cohærenter Urbanus an. 1640. permiſit P. Philippo Alegambe Societatis Jeſu, ut catalogum Scriptorum Societatis ejuſdem imprimeret, quamquam eorum nonnullos in eodem Sanctos nuncuper, quippe in præmiſſæ proteſtationis ſequelam Sanctitas ſupra mores tantum, & opinionem cadit. Immo Congregatio rituum 10. Decembr. 1729. in cauſa Servi Dei Leonardi Fundatoris Congregationis Matris Dei reſpondit, non adverſari non cultui inſcriptionem publico in loco poſitam: *obiit Romæ non ſine magna ſanctitatis opinione*. Cum vero nomen Beati (multoque

Digitized by Google

magis Sancti) perſonam deſignare videatur, illud abradi juſſit, ideoque vetuit, ne vita Servorum Dei Urſulæ Benincaſæ, & Hippolyti Galantini ſub titulo Beatorum vulgarentur. Ad hæc, impreſſa Romæ circa annum 1701. imagine P. Franciſci Scuderi Tertii Ordinis S. Franciſci cum elogio, quod virtutibus uſque ad obitum clarus *magnam ſanctimoniæ famam conſecutus eſſet*, mota fuit controverſia, an elogium hujuſmodi Urbani decretis adverſaretur. Verum P. Bonaventura a S. Elia ejuſdem Ordinis in Theologica diſſertatione ſuper hoc edita non adverſari, tum ratione, tum exemplis oſtendit. Subſcripſit Promotor Fidei cum pluribus Conſultoribus Congregationum rituum, ſancti Officii, & Indicis. At ſi res in Congregatione rituum diſcuſſa fuiſſet, fortaſſe correctum fuiſſet elogium, uti correxit elogium Servi Dei Caroli a Setia, quod ſepulcro inſcriptum erat in Eccleſia S. Franciſci trans Tiberim in Urbe. In cauſa vero Servi Dei Petri Caniſii, & aliorum eadem Congregatio cenſuit, elogia non repugnare non cultui, cum mores, & famam reſpicerent, non perſonam.

5 Secunda controverſia fuit de Martyris titulo adhibendo in libris, in quibus de perſonis in Fidei odium occiſis agitur. Super hoc Congregatio Inquiſitionis an. 1658. bis decrevit, permittendum nomen Martyris in caſu expreſſo, dummodo ſolitæ proteſtationes apponantur, & Auctor exprimat, ſe non intendere, ut in vim ſuorum ſcriptorum is, de quo agit, pro Martyre habeatur. Subdit Baldellus cit., excuſas ſæpius fuiſſe Romæ cum Superiorum facultate, literas Indicas ſuper Martyrio Religioſorum ſui Ordinis, & aliorum cum proteſtatione ſolum initio libri appoſita. Concordant deliberationes Congregationis rituum. Juſſit enim 7. Novemb. 1626. ex Martyrum Japponenſium imaginibus in Conventu de Ara-Cœli deleri inſcriptionem, quod *a Rotæ Auditorio declarati eſſent Martyres*. In cauſa vero Servi Dei Rodulphi Aquavivæ, & aliorum cenſuit, non repugnare non cultui inſcriptionem, quod *eſſent in odium Fidei occiſi*. Prima enim, & non ſecunda, eos habendos, & colendos eſſe tamquam Martyres, indicabat.

6. 7 Tertia reſpicit proteſtationes. Has principio, & fini librorum appoſitas ſufficere ad eorum editionem, quin miracula in iis contenta coram Ordinario comprobentur, colligitur ex decreto Congregationis Inquiſitionis 23. *Maji* 1668., & ex Card. Albitio *de inconſt. in Fid. part.*1. *c. ult. n.*204.; Cum enim Urbanus VIII conſtituiſſet, ne libri de geſtis, miraculis, & revelationibus Servorum Dei evulgarentur, niſi de Theologorum conſilio illos Ordinarius approbaſſet, ideo Congregatio Inquiſitionis ait, ad librum, non ad miracula in eo expoſita approbationem eſſe referendam. Albertus Epiſcopus Tarviſinus poſt obitum Sancti Pariſii Bononienſis curavit, ut hujus vita, antea examinata teſtibus fide dignis adhibitis, ederetur. Vitæ Sanctorum hoc modo editæ, magnam haberent fidem in cauſis Beatificationis, & Canonizationis: ſed cum Urbanus ſolam fidem hiſtoricam iis permiſerit, propterea approbatio, ab eo præſcripta, non prærequirit demonſtrationem veritatis eorum, quæ in vita Servorum Dei narrantur. Hiſtoriæ de virtutibus, & Martyrio a contemporaneis Auctoribus fide dignis conſcriptæ, auctoritatem habent in cauſis ſolum caſus excepti, non in aliis per viam non cultus procedentibus.

8 &c. Quod ad alios actus ſpectat, de quibus diſputatur, an ad publicum cultum referendi ſint: Quamquam in funere Servorum Dei aliquando extraordinarius fiat populorum concurſus, cadaver a Magnatibus deferatur, multi catervatim manus, & pedes oſculentur, geſtaque picturis exhibeantur; hæc tamen omnia, ſi ex ſincero devotionis affectu, ſecluſa induſtria, prodeant, & a picturis abſit, quidquid ad

mira-

miraculum referri poſſit, privatum dumtaxat cultum important, neque Urbani decretis repugnant, uti de cadaveris delatione reſpondit Congregatio rituum in cauſis Servorum Dei Bernardi a Corleone, & Alphonſi de Oroſco; ac de oſculis affirmant Bonacina (*a*), aliique. Sane illos actus in funere, & translatione S. Franciſci Saleſii improbavit Joannes Fabrius, ſed cæcus, & elinguis factus, & inde ſanatus, peccatum ſuum agnovit. Porro in Romanorum Pontificum funere eorum facta depicta exponuntur, immo factum id etiam fuit in funere Card. Gabrielis Paleoti, primi Boloniæ Archiepiſcopi. Præterea ſi cadavera Servorum Dei pretioſis veſtibus induantur, uti fertur de corpore S. Franciſci Aſſiſien., & aliorum; ſi orationes funebres de eorum geſtis habeantur, uti eas habuere S. Bernardus, aliique; hæc pariter neque publicum præſeferunt cultum, neque decretis Urbani, aliove jure prohibentur. Si enim Principum, aliorumque virorum, in aliqua ſcientia, aut arte excellentium laudes in eorum funere celebrantur, potiori ſane jure erga Dei Servos id licebit, ſi tamen conſentanea ſervetur moderatio.

a to.2.diſp. 3. quæſt. 1. pun.2. n.2.

11 In cujuſcumque Servi Dei obitu non ſunt regulariter omittenda conſueta Eccleſiæ officia pro defunctis, niſi Deus aliter revelet, ut fertur de funere B. Alberti, & S. Thomæ Cantuarien. Perſoluta ſane fuerunt in funere SS. Dominici, Franciſci, Antonii, aliorumque, quemadmodum apud Surium legitur, & ex Actis Concilii II. Lugdunen. patet. Dictum Innocentii III. *in cap. cum Marthæ de celebr. Miſſ.*; *injuriam facit Martyri, qui orat pro Martyre*, intelligendum eſt de Martyre vindicato. Quod vero in obitu Servorum Dei veſtes atras conſanguinei non ſumant, ut de B. Helena Utinenſi dicitur apud Bolland. *ad* 23. *Apr.*, id non officit non cultui, cum harum veſtium uſus non ſit ab Eccleſia præſcriptus.

12 &c. Sepulcrum Servorum Dei eſſe poſſe ſpeciale, & conſpicuum, affirmarunt Gallonius (*b*), aliique Theologi. Sane corpora Servorum Dei, vel in ſepulcro ſeparato, vel in capſa aliqua, in communi ſepulcro collocanda, cum eorumdem nominis inſcriptione ſepeliri poſſunt ſine publici cultus nota, & ſine juris communis, aut decretorum Urbani tranſgreſſione, uti reſpondit Congregatio rituum in cauſa Ludovici de Ponte, & aliorum, & ita ſepulta fuerunt corpora Seraphini de Porrecta, & S. Stanislai Koſtkæ. Immo Pignatellus (*c*), & alii ſeparatam ſepulturam laudant, ne de identitate corporis dubitari deinceps poſſit. In cauſa ſane B. Hyacinthæ de Mareſcottis Promotor Fidei oppoſuit, illam in communi ſepulcro fuiſſe conditam, adeoque non conſtare de fama ſanctitatis in obitu, & poſt obitum. Quamobrem non ſine magno labore ab Epiſcopis, qui confecto proceſſu ſepulcrum aperuerunt, nonnulla ejuſdem oſſa diſcreta fuerunt. Statuit præterea S. Pius V. (*d*), ut ſepulcra, ſupra terram in Eccleſiis exiſtentia, amoverentur, & cadavera in profundis tumbis infra terram collocarentur. Hinc nonnulli cenſent, per ſepulcrum ſupra terram elatum cultum publicum præſeferri. Verum etiam poſt illam conſtitutionem corpus S. Franciſci Saleſii in ſepulcro elevato fuit conditum. Eodem modo locantur etiam corpora Pontificum, quin ullus cultus inde inferatur, uti conſtat ex cauſa Servi Dei Innocentii XI. Rurſus Conſtitutio memorata S. Pii reſpicit ſepulcra elevata in Eccleſiis, non extra illas, ideoque ſtetit non cultus in cauſa Servi Dei Joannis de Britto, cujus corpus in arca ſupra terram, ſed in cubiculo Procuratoris Societatis Jeſu Malabariæ aſſervatur. Quare ad comprobandam obedientiam decretis de non cultu, aliquando corpora, quæ ſupra terram in eccleſiis extabant, fuerunt ſub humo ſepulta, ut in cauſa contigit Servi Dei Alphonſi de Oroſco, & aliorum,

b tract. 1. quæſt. 1, & tract. 2 dict. 1.

c conſult. 15. n. 21., & conſult. 186 to. 1.

d Conſt. 9. §. 6. Bullar. nov. to. 4. par. 2.

rum. Interdum Congregatio toleravit cenotaphium in Eccleſia elevatum, dummodo corpus ſub humo eſſet reconditum, ut in cauſa Servæ Dei Joannæ Franciſcæ Fremiot de Chantal. Aliquando etiam permiſit, ut corpora, tum intra, tum extra eccleſiam elata permanerent, ſine ullo tamen cultus ſigno, ut in cauſa Servæ Dei Mariæ Annæ de Jeſu, & aliorum.

15 Flores, ac frondes inter Eccleſiarum ornamenta recenſentur ex SS. Auguſtino (*a*), Paulino (*b*), & Hieronymo (*c*). Oblatos tamen ex privata pietate ad ſepulcrum Servi Dei Franciſci de Hieronymo privatum dumtaxat cultum præſetuliſſe cenſuit Congregatio rituum, dum ipſius cauſa introduceretur. At floreum ſertum, B. Iſidoro Agricolæ publica auctoritate a Matritenſibus, & B. Julianæ Cornelienſi a Conſulibus Leodienſibus quotannis oblatum, relatum eſt ad publicum cultum. Quare poſt Urbani VIII. decreta flores ad ſepulcra Martyrum non vindicatorum offerri nequeunt publica auctoritate, aut ex teſtamento.

a to. 7. de Civit. Dei l. 22. c. 8. n. 13.

b natal. 3.

c to. 1. oper. epiſt. 60. ad Heliodor. n. 12.

CAPUT XIII.

De quæſtionibus aliis ad anniverſariam obitus Dei Servorum diem, eorumdemque Reliquias pertinentibus.

1 SAncti etiam antiquitus eodem, quo obierant, die coli conſueverunt, licet Papebrochius (*d*), & Pagius (*e*) aliter ſentiant. Sæculo quinto dumtaxat admiſſa eſt diſciplina colendi Sanctos præter mortis diem. Ceterum pro S. Juliani Martyris cultu ejus mortis diem fuiſſe divinitus manifeſtatam teſtatur S. Gregorius Turonenſis (*f*).

2 Quemadmodum feſtum ſolemne, pro die obitus Sanctorum anniverſaria fuerat inſtitutum, ita nonnulla etiam celebritatis argumenta in ſimilem Servorum Dei diem pii viri introduxerunt: hinc dubium oritur, an hæc ſine publici cultus nota, juriſque communis, ac decretorum Urbani VIII. læſione admitti poſſint.

d in conat. chron. hiſt. ad catalog. Rom. Pont. pag. 4.

e ad an. 69. n. 18.

f l. 1. de mirac. Martyr. c. 29.

3 Jejunium in vigilia, & abſtinentiam a ſervilibus operibus die obitus anniverſaria ſponte a privatis perſonis citra publicum cultum ſervari poſſe, exemplo S. Hilarionis, qui vigiliis anniverſarium S. Antonii diem celebrabat apud S. Hieronymum, & aliorum apud Caſſianum (*g*), & Surium, docent del Bene (*h*), aliique. Diſſentit Contelorius (*i*), cujus tamen ſenſus eſſe poteſt de jejuniis, & de abſtinentia ab opere ſervili, vel a Superiore Eccleſiaſtico indictis, vel ex aliorum impulſu obſervatis, qua de re Urbanus V. quoſdam Religioſos redarguit; vel demum ex publica auctoritate injunctis, qua interveniente publicum ſapit cultum hujuſmodi feſtorum obſervantia; cujuſmodi olim fuit obſervantia feſtorum B. Conradi Eremitæ, Sanctæ Franciſcæ Romanæ nondum canonizatæ, B. Gregorii X, & B. Dalmatii Monerii, in cujus honorem Senatus Gerundenſis cives ſuos edicto exoravit, ut anniverſariam Beati diem inſtar feſtorum de præcepto cuſtodirent. Enim vero ſicuti vetitum eſt publicum votum in honorem Servorum Dei emiſſum, ita feſtum cum jejunio publica auctoritate inſtitutum.

g collat. 19. c. 1.

h de Inquiſ. to. 2. par. 2. dub. 234. ſect. 2. per 6. 7. & 8.

i de Can. SS. c. 22. n. 2.

4 Panegyrica oratio, ſicuti in honorem virorum illuſtrium quotannis haberi poteſt, uti per ſingulos annos in Romano Societatis Ieſu Collegio in honorem Gregorii XIII. fieri conſuevit, ita, & multo magis in honorem Servorum Dei haberi poſſe videtur, ſervata tamen debita moderatione. Conſultius tamen eſſet ab hac abſtinere. Porro eam permittere noluit Urbanus VIII. pro anniverſario P. Franciſci Caraccioli Fundatoris Ordinis Clericorum Regularium Minorum. Miſſam omnium SS., vel de æterna Sapientia; aut de SS. Trinitate aliquibus in locis celebrari anniverſariis aliquorum Dei Servorum diebus, refert Molanus (*k*), id autem licere con-

k in natal. SS. Belg. ad 5. Jan. ad 19. Apr., & ad 11. Oct.

Digitized by Google

a consil. 45. conclus. 6.

contendit Molphesius (a). Verum cum non liceat in Servorum Dei funere ſuffragia defunctorum omittere, illa pariter omittere non licet anniverſaria eorum die, iiſque memoratas Miſſas ſubſtituere, quæ publicum cultum important. Sane ejuſmodi ſuffragia peragi anniverſariis quorumdam diebus, qui cum fama ſanctitatis obierunt, teſtantur Molanus ipſe (b), & Bollandiani (c). Quin, & per ſingulos annos coram Sacro Cardinalium Collegio Miſſa mortuorum canitur pro anima Ven. Innocentii XI. Exempla vero ex adverſo allata non obſtant, quia non quæritur, quid factum, ſed quid faciendum ſit; vel etiam, quia ad immemorabilem conſuetudinem reducuntur, cui Urbanus præjudicare noluit: hic vero agitur de Servis Dei, qui ab ejuſdem decretis non ſunt excepti.

b ad 29. Apr.

c ad 4. Maji to. 1. inter prætermiſſ.

5 Feſta civilia ſunt, quæ die Servi Dei anniverſaria ex populi conſenſu, vel ex Magiſtratus imperio fiunt. Hæc interdicta eſſe negat Petrus de Quintanilla (d), affirmat Hurtado (e); ſed cum is cultus ſit mere civilis, proinde, nec juri communi, nec decretis Urbani VIII. adverſari videtur; ut de ludo publico in honorem B. Joannis de Prado teſtatur Benedictus XIV. Neque obeſt, quod S. Joannes Chryſ. ludos, qui ad Eudoxiæ viventis ſtatuam celebrabantur, objurgaverit; factos enim in platea inter ſtatuam, & Eccleſiam, in hujus dedecus cedere arbitratus eſt, teſtibus Socrate (f), & Sozomeno (g).

d tract. ſuper decr. de non cult. §. 2. n. 10.

e de ver. Mart. reſol. 46. §. 11.

f l. 6. hiſt. c. 18.

g l. 8. c. 20.

6 &c. Per Reliquiarum Servorum Dei partem, ex. gr. cor, in loco ſeparato extra ſepulcrum repoſitam minime lædi non cultum, ſemper cenſuit Congregatio rituum, dummodo non fuerit venerationi expoſita, uti conſtat ex cauſis SS. Franciſci Saleſii, Joſephi a Leoniſſa, & aliorum. Id igitur vetitum eſt, quod publicum importat cultum, ideoque Servorum Dei Reliquiæ venerationi publicæ exponi nequeunt, uti Clerici Regulares Minores corpus Servi Dei Franciſci Caraccioli expoſuerant, in quos propterea tribunal Inquiſitionis animadvertit. Beatorum enim dumtaxat, aut Sanctorum ſepulcra aperiuntur, ut eorum corpora oſtendantur, ut in Urbe fit de corpore S. Philippi Nerii, & alibi de aliis. Item Reliquiæ exponuntur, ut Chriſtianorum pietas accendatur, id autem ſolis Sanctorum vindicatorum Reliquiis convenit. Porro neque in altari domus privatæ fas eſt exponere Reliquias Servorum Dei: licet tamen ad ægrotos pie petentes, & ad eorum interceſſionem confugientes afferre: miracula enim inde ſecuta pro Beatificatione approbata fuerunt. Suſpenſas ad collum deferri poſſe reliquias negat S. Philippus Nerius teſte Baccio in ejus vita l. 2. c. 2.: affirmant Theologi cum S. Thoma (h), dummodo omnis abſit ſuperſtitio. Quapropter impugnanda non eſt hujuſmodi ſuſpenſio, eaque privatum dumtaxat cultum præſefert juxta Card. Bellarminum apud Pignatellum (i), & alios; quod etiam erui poteſt ex S. Eulogio Cordubenſi (k), & ex bulla Canoniz. S. Didaci.

h 2. 2. q. 96. art. 4. ad 3.

i conſultat. 38. n. 19. to. 5.

k bibl. PP. to. 15. pag. 305.

CAPUT XIV.

De quibuſdam aliis controverſiis quoad Imagines prædictorum Dei Servorum; necnon de actibus ſine ulla dubitatione ad publicum cultum deferendis, & ideo interdictis.

1 Sicuti vetitæ ſunt Servorum Dei imagines cum radiis, ac laureolis, vel ſplendoribus; ita etiam ſimpliciter depictas, ſi pretioſam Servi Dei mortem, vel aliquod inſigne factum repræſentent, vetitas eſſe putat Contelorius (l). At cum hujuſmodi imagines ſine diademate, & laureolis cultum non importent; permitti utique poterunt, ut animadvertit Pignatellus (m). Sane dum Poſtulatores a Sacra rituum Congregatione petunt cauſæ introductionem, imagines ſic depi-

l de Can. SS. c. 22. n. 2.

m to. 1. conſult. 238. & to. 4. conſult. 47.

depictæ diſtribui conſueverunt, tum ſignata commiſſione dono dantur Cardinali Relatori, Secretario Congregationis, & Fidei Promotori.

2 Abſit tamen, ut pingantur cum perſona ad earum genua provoluta; id enim externum cultum denotat; vel ut ipſæ flexis genibus, tamquam Chriſto, aut B. Virgini, vel alicui Sancto cultum exhibentes pingantur, & in aliquo altari collocentur, quia hoc læderet decreta Urbani VIII, & eſſet contra decreta Alexandri VII, niſi forte in altari collocatæ ad aliud, quam ad publicum cultum referantur, ut ad ſignificandum beneficium aliquod a Servo Dei in Eccleſiam collatum; qua ratione approbatus fuit non cultus in cauſa Servi Dei Leonardi de Fuſco. Idem dicendum de Servorum Dei imaginibus ſub alicujus Sancti canonizati ſpecie ſuper altare collocatis: uti ſub perſona S. Franciſci Xaverii in quodam ſacello Eccleſiæ ſubterraneæ Cathedralis Reatinæ expoſita olim fuerat imago Servi Dei Antonii Baldinucci e Societate Jeſu, quæ amota mox inde fuit, antequam dubium ſuper non cultu in ejus cauſa proponeretur.

3 &c. Depictas tamen ſine laureolis, aut ſplendoribus imagines collocari poſſe in Eccleſiis, & ſacellis extra altaria, & ſeorſim ab imaginibus Beatorum, & Sanctorum, adnotarunt del Bene (a), Molpheſius (b), & alii, cum ad ornatum Eccleſiarum poni olim conſueverint imagines etiam Imperatorum, Regum, & Epiſcoporum, ut de imaginibus Phocæ, & Leontiæ Auguſtorum teſtatur Sigonius (c): de effigie Acacii Epiſcopi CP. adhuc viventis refert Baronius (d): de imagine Macedonii pariter Epiſcopi CP. narrat Theodorus Lector (e), ac de propria tandem imagine teſtatur S. Paulinus epiſt. 32. ad Severum. Nihilominus ab hoc quoque abſtinendum videtur. Profecto Sacra Congregatio imaginem Card. Monopolitani in choro Monialium collocatam improbavit. Patres Societatis Jeſu imagines Ignatii Azevedi, & Sociorum, quos Martyres occubuiſſe contendunt, in Eccleſia SS. Nomini Jeſu dicata in Urbe, ex permiſſione Gregorii XV. expoſitas, amoverunt ſtatim ac edita fuerunt Urbani VIII. decreta, ut non cultum probare poſſent. Porro hæc decreta ejuſmodi imaginum collocationem ſine ulla limitatione excludunt. Neque adducta exempla quidquam evincunt, nam illud Acacii Baronius ipſe graviter reprehendit: alterum Macedonii Timotheus ſucceſſor reprobavit: aliud S. Paulini, ipſe nullatenus paſſus eſt. Quod ſi Principum, & Epiſcoporum imagines etiam nunc in Eccleſiis retinentur, id ad publicum cultum non refertur, uti referri poſſet quoad Servorum Dei imagines.

6 Hucuſque de actibus, de quibus quæri poteſt, an publicum præſeferant cultum. At procul dubio cultum publicum important actus, qui ſequuntur, videlicet erectio altaris in alicujus honorem, commemoratio in divinis Officiis, Officium proprium, vel de communi, Miſſæ celebratio, & invocatio in Litaniis, ut bene perpendit Card. Bellarminus (f). Laudanda in hoc eſt Joannis Georgii ab Halvvil Præſulis Conſtantienſis vigilantia, qui Miſſam in Nicolai Anachoretæ honorem per 62. annos Saxellæ celebratam interdixit. Sane Urbanus V. redarguit celebrantes Officia, & Altaria erigentes in honorem nondum Canonizati. Præterea exploſa hæc etiam videntur in dubio 21. inter ea, quæ diſputanda erant coram Clemente VIII. De altarium dedicatione dubitat Sanchez (g): Baldellus vero (h) publicam, interveniente Epiſcopo, dedicationem, non privatam refert ad publicum cultum, ſed poſt decreta Urbani nullus his controverſiis ſupereſt locus. Multominus in templa, aut ſacella converti poſſunt Servorum Dei cellæ, habitacula, & ſimilia, uti de cella B. Gerardi Ordinis S. Franciſci, & aliorum referunt Bollandiani (i): obſtant enim Urbani VIII. decreta, & etiam ante illa, ut id

a de Inquiſ. to. 1. par. 2. dub. 234. ſect. 2. per. 2. n. 1., & 2.

b conſil. 45. n. 32.

c de regn. Ital. to. 2. l. 1. col. 73. & l. 3. col. 154.

d ad an. 488 n. 1.

e l. 2. pag. 578. to. 3. collect. Valeſ.

f to. 2. l. 1. de SS. beat. c. 10.

g l. 2. in Decal. c. 43.

h to. 2. l. 3. diſp. 12. n. 22.

i ad 13. April. to. 3. pag. 220. ad 13., & 14. Maji to. 3. pag. 250., & 402.

Digitized by Google

Id recto ordine fieret, neceſſaria erat Sedis Apoſtolicæ auctoritas, ut de cellis B. Hoſannæ, & S. Philippi Nerii teſtantur Bernerius, & Rotæ Auditores.

7 Invocatos fuiſſe in particularium Eccleſiarum Litaniis etiam non Canonizatos, eruitur ex pluribus antiquis monumentis apud Bollandianos (a), Molanum (b), & Caſtellinum (c). Inter hæc tamen duo dumtaxat exempla auctoritatem Apoſtolicam præſeferunt. Quapropter in particularibus litaniis privatim recitatis invocari poſſe Servos Dei, concludunt Molpheſius (d), & Baldel. (e) At omnem ſuſtulit controverſiam Conſtitutio 122. Clementis VIII, juxta quam communes dumtaxat litanias, & quæ in Æde Lauretana canuntur, recitare licet.

a to. 1. Februar. pag. 576., & to. 3. pag. 160., & 259. to. 1. Mart. pag. 496., & to. 3. pag. 274. tom. 1. Apr. pag. 443., & 578.

b ad 11. Decembr. ad 6. Mart. ad 9. Jan.

c decert. glor. SS. c. 8. pun. 6. §. 6.

d confil. 45. n. 48.

e to. 2. l. 3. diſp. 12. n. 22.

CAPUT XV.

De more ſpectante ad judicium ſuper non cultu in cauſis Beatificationis, & Canonizationis.

1. 2 Juxta decreta Urbani VIII. Ordinarius, vel Delegatus proceſſum ſuper non cultu, conficere, & ſententiam ſuper obedientia iiſdem decretis præſtita emittere deberet, antequam proceſſum ſuper fama ſanctitatis, ſuper virtutibus, & miraculis conſtruat. Verum ex formula Commiſſionis, impreſſa inter decreta, poteſt proceſſum hunc ſuper fama conficere, primis omiſſis. Si ergo hæc præſtiterit, proponitur in Congregatione ordinaria dubium *de confirmanda ſententia*: ſi omiſerit, tum ſignata *Commiſſione*, petuntur ab eadem Congregatione litteræ remiſſoriales, pro iis auctoritate Apoſtolica perficiendis. Nec amplius ea peragere poteſt Ordinarius ob appoſitam a S. Sede manum, ut eadem decreta indicunt.

3 &c. Proceſſus ad Secretarium Congregationis delatus, ut tradatur Notario, aperiendus eſt, obtenta Congregationis ordinariæ facultate, coram Protonotario ejuſdem Congregationis, citato Fidei Promotore. Poſt hæc proponitur, ut ſupra, dubium de ſententia delegati confirmanda. Tum undecumque proceſſus, ac ſententia manaverint, excitatis a Fidei Promotore difficultatibus, & a Procuratoribus, & Advocatis ex adverſo diſſolutis, ſi omnia ſatis conſtent, Congregatio ſententiam confirmat; ac, Pontifice approbante, abſolutum eſt judicium ſuper non cultu. Si ſententia confirmari nequeat, vel ob graves difficultates, vel quia in proceſſu conſtat de cultu, non de ejus amotione, & tamen ex Actis, vel ex novis documentis obedientia oſtendatur, adhuc judicium abſolvitur per aliud reſcriptum, quod obedientiam declaret; uti contigit in cauſis Servæ Dei Agnetis a Jeſu, S. Fidelis a Sigmaringa, & aliorum. Ad hæc probationes ex decretis eſſe debent ſecundum juris ſolemnitatem, itaut non cultus ex proceſſu plene probetur, nedum quoad ſepulcrum Servi Dei, verum etiam quoad alia loca. Quare prius de ſepulcro, tum de aliis locis diſſerendum.

7 &c. Quod ad ſepulcrum ſpectat, probatio debet eſſe concludentiſſima. Hæc ſufficienter deſumitur ex teſtibus aſſerentibus, ſe illud pluries vidiſſe, nec quidquam deprehendiſſe, quod publicum ſaperet cultum. Sed comprobatur etiam ex ſucceſſivo Judicis ad illud acceſſu. Hic enim proceſſum conficiens, ſepulcrum cum Promotore Fiſcali, & Notario adit, luſtrat Eccleſiam, quærit tabellas oblatas, ingreditur domum Eccleſiæ adnexam, quæcumque ſit, ſigna cultus inveſtigans, ut certior fiat, an obedientia Urbani decretis præſtita ſit. Hic acceſſus omitti tantum poteſt, cum in Urbe proceſſus fiat ſuper non cultu in cauſa alicujus remotiſſimæ regionis, vel ſi corpora Servorum Dei cremata, aut in mare projecta fuerint: tunc autem non cultum teſtes ſufficienter probant. Si Judex a Sede Apoſtolica

ca delegatus ſepulcrum adire nequeat, petenda eſt a ſacra Congregatione facultas alium ſubſtituendi. Quod ſi in cauſis remotiſſimæ regionis proceſſus in Urbe conſtruendus ſit, ideoque Judicis ad ſepulcrum acceſſus omittatur, non cultus per teſtes plene probandus eſt, ut contigit in cauſa Ven. Joannis de Britto.

10 &c. Quoad Eccleſias, aut ſacella civitatis, vel oppidi, ubi Servus Dei ſepultus eſt, probationes deſumi poſſunt ex teſtibus deponentibus, ſe nullum umquam publici cultus ſignum vidiſſe erga Dei Servum, cum tamen ſi extitiſſet, ipſi non ignoraſſent. Si his addantur edicta adverſus ſcientes, nec denuntiantes publicum cultum, ut in cauſa Servi Dei Nicolai de Aillon factum eſt, nulluſque de hoc teſtimonium dicat, non cultus maxime probatus eſt. At ſi Fidei Promotor cultum in iis locis præſtitiſſe comprobaſſet, Poſtulatores illius amotionem quoad ea, aliaque loca demonſtrare debent, ut in cauſa Servæ Dei Agnetis a Jeſu. Si probabile ſit, cultum eſſe in alia loca introductum, formandus eſſet proceſſus, ut oppoſitum perfecte conſtaret, ſicuti in cauſis Servorum Dei Franciſci Caraccioli, & Joſephi a Cupertino ſervatum eſt. At ne multiplicentur proceſſus, cultum hunc ſufficienter excludit atteſtatio Ordinarii, adhibitis per ſe, vel per Vicarium Generalem diligentiis, & accito Promotore Fiſcali, ſicuti in cauſa Servæ Dei Joannæ Franciſcæ Fremiot de Chantal. Poſſibilitas cultus probationem oppoſiti non exigit, cum hæc probatio ſit impoſſibilis; licet enim Judices in ſententia affirmare ſoleant, cultum *nullibi* reperiri, id reſpicit loca, in quibus non cultus probari conſuevit; & hic fuit ſenſus Congregationis in cauſis S. Catharinæ de Ricciis, & aliorum.

13. 14 Poſt hæc inſtituitur judicium de confirmanda Judicis ſententia ſuper non cultu. Quod ſi poſt ipſam latam notabile tempus effluxerit, dubium occurrit, num ex Actis præteritis confirmanda ſit, an novus pro confirmatione proceſſus requiratur. Si poſſibilis dumtaxat ſit ex longo temporis ſpatio novi cultus introductio, tunc vel novus ſuper non cultu proceſſus requiritur, vel Congregatio per litteras particulares mandare debet Ordinario, ut cum Promotore Fiſcali, ac teſtibus ſepulcrum adeat, inſpecturus, an novus cultus introductus ſit. Ubi novus advenit proceſſus, aut reſponſio Ordinarii teſtantis acceſſum, & continuationem non cultus, & quidem aliquando addito, aliquando omiſſo publico ſuper his inſtrumento, Congregatio ſententiam, ſi ex actis præteritis purgata ſit, confirmare conſuevit, ut plurima oſtendunt exempla. Longum autem tempus de juris rigore videtur eſſe, quod decem annos excedit. Etenim juxta Innocentii XI. decreta proceſſus ordinarii in archivio Congregationis decem annos cuſtodiendi ſunt, ante petitionem *ſignaturæ Commiſſionis*: adeoque intra hoc tempus non videtur novi cultus introductio præſumenda. Aliquando tamen cauti Poſtulatores, vel teſtes ad perpetuam rei memoriam examinatos, vel litteras Ordinarii ſuper continuatione non cultus attulerunt, licet quatuor vel ſeptem tantum anni inter ſententiam, & petitionem confirmationis interceſſiſſent.

15 &c. At ſi novus cultus evincatur introductus, quodcumque tempus inter ſententiam, & petitionem confirmationis effluxerit, Congregatio nequit de non cultu reſpondere, niſi novus actoritate Apoſtolica proceſſus, aliaque Judicis delegati ſententia, vel ſaltem publicum Ordinarii inſtrumentum ſuper cultus amotione accedat, ut in cauſis Servorum Dei Andreæ Bobola Societatis Jeſu, Joannis Dominici Lucheſii, & aliorum. His addendum, quod in cauſa Servæ Dei Mariæ a Jeſu Civitatis Angelopolitanæ in Indiis Occidentalibus, tranſactis a lata ſententia ad inſtantiam pro confirma-

Digitized by Google

matione 42. annis, Promotor Fidei cenſuit, continuationem non cultus probari ſufficienter quocumque levi adminiculo non modo propter loci diſtantiam, ſed etiam quia ex proceſſu conſtabat, nullum 60. annorum ſpatio, qui ab obitu ad ſententiæ diem effluxerunt, publicum cultum fuiſſe exhibitum; quare multo magis præſumendum id eſſe poſt latam ſententiam videbatur. Hoc temperamentum recipiendum eſſe dixerunt Poſtulatores; at ſe eo non egere profeſſi ſunt, productis videlicet de continuatione non cultus authenticis argumentis.

CAPUT XVI.

De pœnis ſtatutis adverſus violatores decretorum Urbani VIII.

1. 2 Qui publice colit non Beatificatos, neque Canonizatos a S. Sede, interrogari poteſt ab Inquiſitoribus hæreticæ pravitatis, quid de Papæ auctoritate ſentiat, ut adnotavit Penia apud Pignatel. (a) Addit Caſtellinus (b) eumdem reum eſſe ſuperſtitionis: hæc enim ex D. Thom. (c) opponitur religioni, quia vel cultum exhibet, cui non convenit, vel modo indebito exhibet. Ideo Leo X. Epiſcopo Syracuſano, ejuſve Vicario Generali commiſit, ut forma Eccleſiæ conſueta abſolveret Netinos, qui in publico B. Conradi cultu auctoritatem Apoſtolicam prævenerant. Clerici Regulares, & Sæculares decreta violantes; excuſores librorum *ſine proteſtationibus*, & pictores imaginum cum inſignibus ſanctitatis ſubduntur gravibus pœnis infligendis ab Ordinariis, vel Inquiſitoribus, quæ in iiſdem decretis recenſentur, & in Brevi inter eadem impreſſo confirmantur. Quare Congregatio ſupremæ Inquiſitionis anno 1629. graviter puniit Clericos Minores Regulares, & ann. 1648. PP. Miniſtrantes infirmis, ob publicum cultum Servis Dei Franciſco Caracciolo, & Camillo de Lellis (nunc canonizato) Neapoli impenſum.

a to. 5. conſult. 38. n. 12.

b de cert. glor. SS. c. 2. pun. 8. & 9.

c 2. 2. q. 92. ar. 1.

3. 4 Ex memorato Brevi *nulla* omnino eſſent omnia cauſæ Acta, in qua deficiat proceſſus ſuper non cultu, & lata non ſit a Judice ſententia, & approbata a Congregatione. Verum etſi Promotor Fidei oſtenderit, non fuiſſe ſtatim præſtitam decretis obedientiam, aut poſt eorum promulgationem retentas in altaribus imagines, vel votivas ad ſepulcrum tabellas, aut novum cultum introductum; ſilentium tamen non eſt cauſæ imponendum, ſi Poſtulatores demonſtrent, cultum fuiſſe ſublatum. Quapropter nunc regula viget, ut cultus præteritus ſententiæ confirmationem non impediat, ſi ante illam ſublatus ſit, ut contigie in cauſa S. Franciſci Saleſii, & aliorum plurium. In cauſa vero Servi Dei Pauli Card. Buralis Congregatio, approbato non cultu, juſſit, decretum Poſtulatoribus non tradi, niſi prius illius effigiem a quodam ſacello fuiſſe amotam conſtitiſſet. Quin imo ſuperveniente novi cultùs notitia, admonentur Poſtulatores, ut amotionem oſtendant, ne cauſa progreſſu careat, ut eruitur ex cauſa S. Paſchalis Baylon.

CAPUT XVII.

De caſu excepto a decretis Urbani VIII. in genere.

1 &c. Urbanus VIII. prohibens in ſuis decretis publicum cultum non Beatificatis, & non Canonizatis, eos excepit, qui cultum jam antea obtinuiſſent. Hinc ortum ducunt cauſæ per viam extraordinariam caſus excepti. Hujuſmodi caſus, ab Urbani decretis excepti ſunt ii, in quibus cultus vel per communem Eccleſiæ conſenſum, vel per ſummi Pontificis indultum, vel per Sacræ Congregationis permiſſionem, vel per Patrum, & Sanctorum ſcripta, vel demum per immemorabile, aut longiſſimum tempus, ſciente, ac tolerante

N Se-

Sede Apoſtolica, vel Ordinario, exhibitus fuit. In his cauſis nunc ſic proceditur. Fit primo ab Ordinario proceſſus ſuper fama virtutum, & miraculorum, ac petitur *ſignatura Commiſſionis*. Accedunt deinde proceſſus, & ſententia ſuper caſu excepto, quæ ſi Ordinarius omittat, petuntur *litteræ remiſſoriales*, ut auctoritate Apoſtolica abſolvantur. Proceſſu de more aperto, proponitur in Congregatione ordinaria dubium, *an ſententia ſuper caſu excepto ſit confirmanda*. Promotor Fidei difficultates excitat, hiſque per Procuratores, & Advocatos ſublatis, Congregatio vel confirmat ſententiam, vel reſpondet, conſtare de caſu excepto a decretis Urbani. His a ſummo Pontifice comprobatis, abſolutum dicitur ſuper caſu excepto judicium. Poſtulatores aliquando inſtant, ut decretum Congregationis comprobetur per litteras Apoſtolicas in forma Brevis: id vero non eſt de ſubſtantia: ſiquidem in his Brevibus ſemper apponitur clauſula, *ſalva auctoritate Congregationis rituum*. Dictum eſt, Congregationem vel confirmare ſententiam, vel reſpondere, quod conſtet de caſu excepto: cum enim aliquando ſententia confirmari nequeat, ex Actis vero cauſam inter exceptas verſari conſtet, Congregatio, Actis inhærens, pronuntiat, ita conſtare de caſu excepto, ut ad ulteriora procedatur, uti colligitur ex cauſa S. Catharinæ Bononienſis, aliiſque. Antiquitus Cardinalis cauſæ Relator aliquando proceſſum conſtruebat, & ſententiam pronuntiabat ſuper caſu excepto, a Congregatione mox confirmandam, uti colligitur ex cauſis SS. Philippi Benitii, Margaritæ de Cortona, aliorumque.

4 &c. Prædicti proceſſus, & ſententia omitti poſſunt in duobus caſibus. Primo *ex diſpenſatione*. Si enim in canſa proceſſus ſuper virtutibus, Martyrio, aut miraculis præiverint Decretis, iiſque inſint probationes caſus excepti, Pontifex in ſignatura Commiſſionis indulget, ut ſine novo proceſſu, ac ſententia reſolvatur dubium ſuper caſu excepto. Secundo: ſi Poſtulatores authentice oſtendant, cauſam eſſe inter exceptas ratione cultus conceſſi a ſummo Pontifice, vel a Sacra Congregatione. Idque ad corrigendum antiquiorem ritum, inſtar regulæ generalis, ſtatutum fuit in decreto 27. Maii 1645. & conſtat ex cauſa S. Felicis a Cantalicio. Benedictus XIV. cum Fidei Promotorem ageret, in cauſa S. Aloyſii Gonzagæ oppoſuit, hoc decretum reſpicere Beatificatos formaliter, non *æquipollenter*, adeoque requiri novum proceſſum, & ſententiam. Addidit, ita factum fuiſſe in cauſis S. Margaritæ de Cortona, & aliorum. Poſtulatoribus tamen reſpondentibus, decretum complecti Beatificatos utroque modo: & in objectis cauſis novum proceſſum, & ſententiam acceſſiſſe, vel quia in Commiſſionibus ante prædictum annum expeditis demandata fuerant, vel quia caſus erat exceptus ratione cultus immemorabilis, Congregatio ſine alio proceſſu, ac ſententia caſum ex Indultis Apoſtolicis exceptum approbavit.

7 Hæc reſpiciunt Servos Dei, vel Beatos, quorum cauſæ ad Canonizationem tendunt. Quod autem ad alios ſpectat, de quorum Canonizatione non agatur, nil ex prædictis requiri videtur, ut in cultus poſſeſſione permaneant. Illa enim de proceſſu, de ſententia ſuper caſu excepto, aliiſque, Urbanus addidit pro cauſarum Canonizationis directione. Cæterum proteſtatus eſt, ſe nulli præjudicium afferre voluiſſe, qui aliquo ex prædictis modis coleretur. Et ſane, ſi ſecus fieret, intolerabilia ſequerentur ſcandala, cum in ſingulis fere diœceſibus plures ita colantur. Amotis quidem inſolitis quibuſdam imaginibus S. Liberati de Lauro, Congregatio juſſit confici proceſſum ſuper ejus cultu immemorabili, & Ordinarius ſuper eodem ſententiam tulit: at cum Benedictus XIV. tunc Promotor Fidei, pro ſignatura Commiſſionis inſtituiſ-

ſtitiſſet; ab ea rituum Congregatio abſtinuit, & nihil innovandum eſſe reſpondit, quia Poſtulatores tantum petebant, ut cultus non amoveretur. Ordinarii vero in his advertere debent, an caſus ſit a decretis Urbani, juxta prædicta, exceptus; quem ſi eſſe compererint, cultus non eſt abolendus, immo ſuper eo ſententiam ferre poſſunt, quæ in his circumſtantiis non indiget Apoſtolica confirmatione, uti docet Matta (*a*), affirmans præterea, Superiores, & Eccleſiarum Cuſtodes non teneri ad quærendam cultus immemorabilis declarationem, niſi quid cultui obſtet, aut niſi ejus amotio, vel formalis Canonizatio prætendatur. Quod ſi Ordinarii compererint cultum non eſſe ab Urbani decretis exceptum, rem ad Apoſtolicam Sedem deferre poſſent, quæ ſine Commiſſionis ſignatura, & abſque Ordinarii ſententia decernere deberet, ſitne perſeverandum in ejuſdem cultus exhibitione, an ab eadem abſtinendum.

a de canoniz. SS. par. 4. c. 23. n. 21.

CAPUT XVIII.

In quo antea dicta comprobantur exemplis.

1. 2 IN Cathedrali Anconitanæ conditum eſt corpus S. Liberii, ſeu Oliverii, qui inter Anconæ patronos numeratur. Hunc Acta quædam apocrypha faciunt Joannis Armeniæ Regis filium; & patre in pugna victo, aufugiſſe ferunt, ut ſepulcrum Domini, SS. Petri, & Pauli, ac Jacobi viſitaret: ac prope Anconam, aſſumpto Cruciferorum habitu ſancte obiiſſe: Cadaver patri petenti a S. Gregorio denegatum, in loco *Peneclaria* dicto conditum fuiſſe ſubdunt, inde ad quoddam S. Laurentii ſacellum translatum, ibique Cathedralem ædificatam fuiſſe, in qua aſſervatur. Bollandiani (*b*) Acta hæc impugnant, opinantes, eumdem Liberium Haytonis Armeniæ Regis filium, aſſumpto Minorum habitu, prope Anconam ſub Gregorio X. mortuum fuiſſe, ejuſque corpus ob ſanctitatis famam in novam Cathedralem fuiſſe translatum. Hic ſane numquam fuit a Sede Apoſtolica canonizatus; neque de eo canonizando actum umquam fuit. Ab immemorabili tamen Anconæ colitur cum officio, ac Miſſa, quin umquam ſignata fuerit Commiſſio, aut ulla Ordinariorum ſententia ſuper cultu acceſſerit.

b to. 6. Maji ad diem 27 pag. 728.

3 In eadem Eccleſia venerationi expoſitum eſt corpus B. Antonii Fatati. Hic Canonicus primum ejuſdem Cathedralis, tum baſilicæ Vaticanæ, inde Epiſcopus Aprutinus, demum Anconitanus, pluribus muneribus ſub Eugenio IV., aliiſque Pontificibus functus, pie obiit ſub Sixto IV. Corpus poſt plures annos ad altare, in quo Reliquiæ erant, & Miſſæ celebrabantur translatum, cum aliis Reliquiis venerationem obtinuit. His ad aliud altare translatis, actum fuit de eodem etiam illuc transferendo. Ideo auctoritate ordinaria conſtructus eſt proceſſus, in quo plures ejus cultum immemorabilem ſolemniter teſtati ſunt. Ibidem tamen remanſit, ſed in novo ſepulcro ſupra terram elato. Nunquam Beatificationis, aut Canonizationis honorem a Sede Apoſtolica obtinuit, neque ejus cauſa ad Canonizationem introducta fuit; ſed quia ex proceſſu conſtat de cultu immemorabili, conſentientibus Ordinariis, ſuum cultum poſſidet.

4 In Eccleſia FF. Minorum Obſervantium ejuſdem civitatis colitur corpus B. Gabrielis Ferretti ejuſdem Ordinis. Ferunt, S. Jacobum de Marchia in ejus obitu habuiſſe ſermonem honorarium, & ex Apoſtolica commiſſione proceſſum ſuper miraculis conſtruxiſſe. Præterea Calliſtum III. facultatem feciſſe ajunt transferendi corpus ad ſepulcrum nobilius: de qua tamen ſilent Litteræ ab Innocent. VIII. datæ FF. Minoribus ſuper eadem facultate. At cum multa ab immemorabili fiant in ejus venerationem, ipſe licet numquam beatificatus, aut a Sede

Apoſtolica canonizatus, conſentientibus tamen Ordinariis abſque ulla ſententia ſuper caſu excepto, remanet in poſſeſſione ſui cultus.

5 &c. In Metropolitana Bononienſi ſepultum eſt corpus B. Ludovici Morbioli, cujus etiam imago publicæ venerationi expoſita ibidem eſt. Extra portam Eccleſiæ extat præclarum de eo elogium. Inclytas res geſtas Baptiſta Mantuanus Carmelita (*a*) verſibus proſecutus eſt. Ejuſdem ſanctitatem, & miracula memorant Sigonius (*b*), aliique. Poſt decreta Urbani VIII. inchoatus fuit auctoritate ordinaria proceſſus ſuper fama virtutum, & miraculorum, ac cultu immemorabili pro Canonizatione, numquam tamen perfectus, neque lata ſuper cultu ſententia eſt. Propter antiquitatem tamen ſuum cultum poſſidet.

a tom. 2. oper.

b de Epiſc. Bononien. in vita Philip. Calandr.

9. 10 In ſacello S. Cæciliæ Eccleſiæ Canonicorum Lateranenſium ejuſdem civitatis ſepultum eſt corpus B. Helenæ ab Oleo Virginis Bononienſis. Ejus vitam Petrus Lucenſis Canonicus Lateranenſis ejuſdem Confeſſarius compoſuit, cujus alii quoque meminerunt. Plurima miracula ad ejus ſepulcrum patrata narrantur. Publicum cultum ab obitu uſque adhuc, ſcientibus, & patientibus Ordinariis, obtinuit, & in ejus poſſeſſione perſtat, licet cauſa Beatificationis, & Canonizationis numquam introducta, neque proceſſus ab Ordinariis ſuper cultu immemorabili confectus umquam fuerit.

11 &c. B. Lucia Virgo Bononienſis Monialis Camaldulenſis mira ſanctitate floruit, ac pie obiit in Monaſterio S. Chriſtinæ Caſtri Stifontis. Juvenem ejus interceſſione e captivitate Saracenorum mirabiliter ereptum fuiſſe teſtatur Ven. Ambroſius Prior Generalis Camaldulenſis. Ejus corpus in Eccleſia S. Chriſtinæ, quæ deinceps S. Luciæ nomen obtinuit, ſepultum, mox ad Eccleſiam S. Andreæ Ozzani ex commiſſione Gregorii XIII. ab Ordinario Bononienſi translatum (cujus translationis adhuc extat proceſſus) ibi miraculis clarum, ſcientibus, & patientibus Ordinariis, ſumma religione continuo colitur, licet ſuper cultu immemorabili nullus confectus umquam ſit proceſſus.

16. 17 His, qui in civitate, aut diœceſi Bononienſi coluntur, adduntur totidem Bononienſes extra hanc diœceſim conditi. Hi ſunt BB. Nicolaus Albergatus, Archangelus Cannetus, & S. Bononius Abbas. B. Nicolaus ex Monacho Carthuſiano Bononiæ Epiſcopus, poſtea Cardinalis, Senis pie mortuus eſt, unde ejus cadaver ad Monaſterium Carthuſienſe Florentiæ translatum eſt. Illius ſanctitatem extollunt S. Antoninus (*c*), aliique: imago pluribus in locis depicta eſt radiis ornata, & in Eccleſia S. Annæ Carthuſianorum 9. Maii omnem cultum obtinet: in Miſſa tamen nulla de eo fit mentio: Sodalitas etiam in honorem annorum vitæ Chriſti Bononiæ inſtituta, B. Nicolai interceſſionem publica ſupplicatione implorat, aliaque hujuſmodi in ejus honorem peraguntur. Proceſſus quoque ſuper fama virtutum, & miraculorum, ac cultu immemorabili confectus, nulla ab Ordinario prolata ſententia, ad Urbem miſſus fuit pro introducenda cauſa Canonizationis. At quamquam *Signatura Commiſſionis* ex nonnullorum requiſitorum defectu obtineri non potuerit, nihilominus in publici immemorabilis cultus poſſeſſione permanſit.

c in Chron. par. 2. tit. 15. c. 22. §. 8.

18. 19 B. Archangeli Canneti, Canonici Regularis Congregationis Salvatoris corpus in eccleſia S. Ambroſii Eugubii conditum eſt. Ejus geſta a pluribus referuntur, & inſerta ſunt in proceſſum auctoritate ordinaria confectum ſuper ſanctitate, miraculis, & antiquo continuatoque cultu; ut exhiberetur Sedi Apoſtolicæ pro Officio in ejus honorem impetrando. Petitio numquam fuit propoſita, ſed approbantibus Ordinariis antiquum poſſidet cultum.

20 &c. S. Bononii Abbatis Benedictini nomen in Martyrologio Romano, aliiſque monumentis deſcriptum eſt,

eſt, & invocatur in Litaniis a Clero Vercellenſi. Ejus Acta a pluribus recenſentur. In diœceſi Hyporegienſi quædam Eccleſia illi extructa eſt, in qua, ut & Bononiæ, Officium de communi in ejus honorem recitatur. Hoc exemplum ad rem minus pertinet, cum auctoritate Sedis Apoſtolicæ, quæ ejus nomen in Martyrologio Romano appoſuit, publicum obtineat cultum: cumque ante Alexandri III. tempora obierit, dici poteſt canonizatus juxta antiquiorem ritum. Adeoque aſſimilari poterit exemplis S. Marcellini Epiſcopi Anconitani, aliorumque, quorum honorifica ſit mentio apud S. Gregorium, & in quorum honorem ex indultis Congregationis Officia propria, & Miſſæ celebrantur. Cum autem hi ante reſervatas Sedi Apoſtolicæ cauſas obierint, & in Martyrologio Rom. deſcripti ſint, eorum cultus præſefert indulta Sedis Apoſtolicæ, ac ſaltem ſanctitatis *æquipollentem* ab eadem Sede approbationem, quæ ante dictam reſervationem ad Canonizationis gradum pertingebat.

CAPUT XIX.

De caſu excepto a decretis Urbani VIII. vel per communem Eccleſiæ conſenſum, vel per Patrum, virorumque Sanctorum ſcripta.

1. 2 CAſus exceptus per communem Eccleſiæ conſenſum eſt, cum Dei Servus in majori ſaltem orbis Catholici parte colitur. Intelligendus eſt autem hic caſus exceptus de iis tantum Dei Servis, qui poſt reſervatas Sedi Apoſtolicæ cauſas Beatificationis, & Canonizationis occubuerunt, publicumque cultum in majori ſaltem Eccleſiæ parte obtinuerunt. Hujuſmodi cultus, inſcia Sede Apoſtolica, introduci quidem non potuiſſet, introductum tamen, expreſſo, vel tacito Epiſcoporum conſenſu, eadem tolerat, & ut ad Canonizationem procedatur, præcipit, ut talis cultus per proceſſum probetur.

3. 4 Hinc nullus a tempore Urbani VIII. declaratus eſt hujuſmodi caſus exceptus. Cumque Poſtulatores cauſæ B. Salvatoris ab Horta pro declaratione hujuſmodi caſus excepti communem Eccleſiæ conſenſum conſtituerint in publico cultu eidem præſtito in eccleſiis FF. Minorum, Promotor Fidei vero oppoſuerit, requiri dicti cultus obſervantiam in eccleſiis Regularium, & Sæcularium, declarationem non obtinuerunt ratione communis Eccleſiæ conſenſus, ſed eam mox ex permiſſione Congregationis, & ex Apoſtolicis indultis ſunt aſſecuti. Cæterum impoſſibilis fere eſt ejuſmodi declaratio: tot enim requirerentur proceſſus, quot ſunt diœceſes, in quibus cultus publicus impenditur; & ſi unus dumtaxat Epiſcopus hanc provinciam aſſumeret, reliqui monumenta publici cultus ad ipſum mittere deberent, ex quibus intolerabilis propemodum evaderet proceſſus. Præterea non ſolum præteritum, ſed præſentem quoque cultum Poſtulatores oſtendere deberent. Tandem diſputari poſſet, utrum ſufficiat cultus recentiſſimus, an requiratur cultus, qui ſaltem ante annos quadraginta cœperit, vel ab obitu Servi Dei.

5 Nullus quoque ab Urbani tempore declaratus hactenus eſt caſus exceptus per Patrum, ſanctorumque ſcripta, ſeorſim a cultu immemorabili, qui ſolus caſum exceptum conſtituit, uti conſtat ex cauſis B. Ollegarii, & aliorum. Solum in cauſa S. Agnetis de Monte Politiano Congregatio rituum ſententiam Cardinalis Urbis Vicarii ſuper publico illius cultu ex Apoſtolicis indultis, ſanctorumque Catharinæ Senenſis, & Antonini ſcriptis confirmavit.

6 Ut hic caſus exceptus approbaretur, plura a Congregatione rituum ſtatuenda, & a Poſtulatoribus peragenda eſſent. Primo ſtatuendum videtur, quinam ſint *Patres*: hi enim ſevere loquendo ſunt, quos Eccleſia ob doctrinam, ſanctitatem, & antiquitatem, uti tales agnovit, quorum poſtremus dicitur S. Bernardus. Hinc iſte caſus

caſus exceptus contrahendus videtur ad Servos Dei, mortuos ante reſervatas Sedi Adoſtolicæ cauſas Beatificationis, & Canonizationis. Verum cum in cauſa S. Agnetis caſus exceptus approbatus fuerit etiam ex ſcriptis SS. Catharinæ, & Antonini, qui poſt dictam reſervationem obierunt, nomine Patrum intelligendi videntur omnes Sancti, qui de Servis Dei laudabile teſtimonium perhibuerunt. Præterea ſi hic caſus exceptus reſpiceret etiam eos, qui ante reſervationem pie obierunt, poſſet agi de Canonizatione S. Hilarionis, & aliorum, quos laudarunt SS. Hieronymus, Gregorius, aliique Patres, quod eſſet abſurdum. Quapropter non ſolum Congregatio ſolemniter declarare deberet, an Urbani decreta comprehendant Beatos, vel Sanctos, quos viri ſancti ſcriptis commendarunt ante cauſarum reſervationem; verum etiam ſolemniter excipiendi eſſent, qui ante reſervationem mortui, & in Sanctorum ſcriptis memorati, a Sede Apoſtolica canonizati ſunt eo modo, qui ante eamdem reſervationem erat in more poſitus. Statuendum inſuper eſſet, utrum cultus Servorum Dei, ad hunc caſum exceptum neceſſarius, decretorum tempus præceſſiſſe debeat triginta, vel quadraginta annis, an potius cæpiſſe, dum Patres, virique ſancti de iis ſcripſerunt: niſi forte ſtatuendum eſſet, ut cultus introductus ſit, antequam iidem ſcripſerint.

7 &c. Poſtulatores vero, præter ordinarium proceſſum ſuper fama virtutum, aut Martyrii, & ſignorum, ſeu miraculorum, alium ordinarium, vel Apoſtolicum comparare deberent, tum *remiſſorialem* pro teſtibus ſuper actuali publico cultu examinandis, tum *compulſorialem*, ut ſcripta Patrum, virorumque ſanctorum, aliaque monumenta cultum probantia in judicium compellantur. Requiritur inſuper, ut ſcripta loquantur de Servis Dei jam defunctis; neve titulum Sancti illis attribuant præconii, aut panegiricæ orationis gratia, vel ratione muneris, quod viventes obiverint: ſed ſerium de vera illorum ſanctitate, miraculis, ac publico cultu teſtimonium complectantur.

11 &c. Demum hic caſus exceptus per Patrum, virorumque ſanctorum ſcripta approbari poſſe videtur, ſi aliquis Sanctus teſtaretur, ſe revelatione ſuperna vidiſſe animam ejus, de quo agitur, in cœlum receptam, æternaque beatitudine frui ob heroicas virtutes. Non tamen forte ſufficeret, ſi alius de hac Sancti revelatione teſtimonium diceret: ſic in cauſa Servorum Dei Ignatii Azevedo, & ſociorum, etſi plures affirmaverint, S. Tereſiam vidiſſe eos morientes in cœlum conſcendere, ſacra tamen Congregatio nullum ſuper hoc reſponſum edidit. Porro revelatio etiam expendenda eſſet, num vere ſupernaturalis fuerit, cum in hoc etiam Sancti decipi poſſint, teſte S. Antonino (*a*). Reſpiciendæ etiam eſſent virtutes: non enim publice colendi ſunt in Eccleſia, qui utcumque cœlum penetrarunt, ſed qui viventes virtutibus heroicis, & miraculis fulſerunt. Cæterum ſi id umquam contingat, expectandum eſt ſacræ Congregationis reſponſum. Quod ſi hujuſmodi revelatio ad obtinendam Canonizationem adduceretur, ſufficienti de cauſa ſummo Pontifici eſſet proponenda. Sufficientes autem cauſæ non aliæ forte eſſe poſſent, niſi quod vel is, cui facta eſt revelatio, hanc miraculo comprobaret, vel virtutes, & miracula ejus, cujus anima in cœlum recipi viſa eſt, ſerio examinarentur, in quo examine magnam auctoritatem obtineret aſſertio viri ſancti, qui revelationem ſibi factam tradidiſſet, ut videre eſt in bulla Canoniz. S. Antonini. In cauſa vero S. Petri de Alcantara ejuſmodi revelatio validi adminiculi vim habuit, perpenſis ejus virtutibus, & miraculis.

a ſum. hiſt. par. 3. tit. 19. c. 11.

CA-

CAPUT XX.

De caſu excepto ex Indulto Pontificio.

1 HIc caſus exceptus Apoſtolicis conceſſionibus innititur. Et quamvis aliquando Congregatio rituum caſum exceptum declaraverit ex ſolo cultu immemorabili, licet adeſſent indulta Apoſtolica, ut in cauſa S. Peregrini Latioſi, & aliorum; quandoque tamen ex indultis Apoſtolicis ſimul, & ex ſcriptis Patrum, virorumque ſanctorum, ut in cauſa S. Agnetis de Monte Politiano: interdum etiam ex ſolis Apoſtolicis indultis illum declaravit, ut in cauſa S. Laurentii Juſtiniani, & aliorum.

2. 3 Solis itaque Apoſtolicis indultis pro fundamento hujus caſus excepti ſpectatis, pro intelligentia præmittendum primo, ad rem hanc non ſufficere privatam ſcripturam, in qua Pontifex aliquem nominet Beatum; nec Breve, in quo enuntiative appellet Beatum, multominus ſi enuntiatio extet in diplomate ad aliam rem exarato, ut colligitur ex cauſa S. Stanislai Koſtkæ. Nec ſufficit aliquod Pontificum Romanorum factum, quod privatum potius cultum, quam voluntatem permittendi publicum præſeferat. Etenim in relatione Rotæ de S. Felice a Cantalicio legitur, *Sixtum V.* ad ejus ſepulcrum tantiſper oraſſe. Verum non ex hoc, ſed ex titulo Beati, quem Gregorius XV. Felici indulſit, primordia venerationis (ex quibus Urban. VIII. caſum exceptum declaravit) petenda eſſe videntur, teſte Zacharia Boverio (*a*).

a to. 2. annal. ad ann. 1587. pag. 335.

4. 5 Præmittendum ſecundo, nihil referre, utrum Romani Pontifices publicam venerationem indulſerint in ſcriptis, an vivæ vocis oraculo, dummodo oraculum legitime comprobetur. Plura ſunt hujuſmodi oracula Leonis X., Clementis VII., aliorumque Pontificum: cumque Congregatio rituum ex horum nonnullis caſum exceptum declaraverit, jam conſtat, indulta Pontificum vivæ vocis oraculo edita ad hunc caſum exceptum approbandum ſufficere. His non officiunt Conſtitutiones Gregorii XV. (*b*), & Urbani VIII. (*c*), quibus indulta Pontificia vivæ vocis oraculo edita revocantur. Loquuntur enim de conceſſionibus hoc modo factis Ordinibus Regularibus; adeoque non tollunt eas, de quibus nunc agitur, quæ directe reſpiciunt cultum Servorum Dei, ac ſolum difficultas manet in iis probandis, ut in cauſa B. Nicolai Albergati.

b Conſt. 27. Bullar. vet. tom. 4.

c Conſt. 157 & 159. cit. Bullar. to. 5.

6 Præmittendum tandem eſt, indulta Apoſtolica, ſive dependenter ab extrajudicialibus probationibus, ſive a proceſſu ordinario ſuper virtutibus, & miraculis, ſive a proceſſibus ordinario, & Apoſtolico, ac poſt judicium ſuper virtutibus, aut Martyrio, & ſignis, vel miraculis emanaverint, ſufficere ad caſum exceptum ex indultis Apoſtolicis declarandum. Sed in cauſæ progreſſu diverſum producent effectum.

7. 8 His præmiſſis, ſi ſummi Pontifices indulſerint, ut Imago Servi Dei exponatur in Eccleſiis inter aliorum Sanctorum imagines, vel cum ſignis publicum cultum redolentibus, quemadmodum Leo X, aliique Pontifices permiſerunt, ut exponerentur Imagines tunc Servi Dei Franciſci de Paula, & aliorum, id aptum videtur ad fundandum caſum exceptum.

9 &c. Idem dicendum, ſi Pontifices pro inducendo, vel augendo publico alicujus Servi Dei cultu mandent, ut ejus corpus e loco humili in honorificentiorem transferatur. Sic Sixtus IV. transferri juſſit corpus nunc S. Iacobi de Marchia. Similia indulſit Leo X. in honorem Iſidori Agricolæ. Innocentius VIII. conceſſit, ut corpus Servi Dei Simonis de Lipnica in locum decentiorem transferretur, quam conceſſionem pro declarando caſu excepto in ejus cauſa magni faciendam eſſe Fidei Pro-

Promotor affirmavit. His addi poſſunt, quæ corpori Servi Dei Bartholomæi de Saluthio Ord. Min. Obſerv. Reform. S. Franciſci contigerunt, tum ſub Gregorio XV, tum tempore, quo Benedictus XIV Fidei Promotorem agebat; nec non, quæ ex facultate Innocentii XII. in honorem nunc S. Pii V. geſta ſunt. Quod ſi facultas transferendi corpus alia de cauſa, quam introducendi, vel augendi cultus, data eſſet, non ſufficeret. Quare, etſi Alexander VI. permiſerit, ut corpus B. Catharinæ Palantinæ ad Eccleſiam Monaſterii B. Mariæ Montis Ord. S. Ambroſii ad Nemus in diœceſi Mediolanenſi transferretur, id ad publicam venerationem extendi negarunt Bollandiani (a), & aliunde venerationis conceſſionem erga Beatam eſſe petendam affirmarunt.

a to. 1. Apr. ad diem 6. pag. 644.

12 Eamdem pro caſu excepto ſufficientiam ſuppeditat ſummorum Pontificum permiſſio, ut ſuſpendantur tabellæ votivæ, & lumina ad alicujus Servi Dei ſepulcrum accendantur. Hanc tabellarum ſuſpenſionem circa imaginem S. Pii V. nondum Beatificati permiſiſſe Paulum V, teſtatur Caſtellinus (b). Eadem ad ſepulcrum S. Caroli Borromæi nondum pariter beatificati ex permiſſione Clementis VIII. eruitur ex epiſtola Card. Baronii ad Vicarium Generalem Mediolanenſem apud Grattarolam (c), ac teſtantur Auditores Rotæ in relat. cauſæ. Hinc ſepulcrum fuiſſe intra ferreos cancellos, hortante Baronio, incluſum, colligitur ex alia ejus epiſtola apud eumdem Grattarolam.

b de cert. glor. SS. c. 2 punct. 42. pag. 110.

c in Act. ejuſd. cauſ. c. 8.

13 Denique ſi ſummi Pontifices permittant, ut nomen Servi Dei in Romano Martyrologio deſcribatur: aut Indulgentiam elargiti ſint viſitantibus die ejuſdem feſto eccleſiam, in qua corpus ejuſdem ſepultum eſt; vel feſtum ſolemniter celebrari ſinant: aut Reliquias proceſſionaliter deferri: vel commemorationem in Officiis, vel extra fieri: vel demum Officium, & Miſſam in ejus honorem conceſſerint, hæc ſingillatim pro caſu excepto ſufficiunt. Sane in cauſa SS. Catharinæ de bononia, & Agnetis de Monte Politiano caſus exceptus ex deſcriptione nominis in Martyrologio declaratus eſt. In cauſis SS. Laurentii Juſtiniani, Felicis de Valois, & aliorum plurium, Indulgentiarum largitionem approbatio caſus excepti conſecuta eſt. Quidquid enim opinatus ſit Matta (d), nullam, videlicet, Brevium Indulgentiarum habendam eſſe rationem pro caſu excepto ſtatuendo, procul dubio ejuſmodi Indulgentiarum conceſſio publicum cultum importat. Ad ſummum opinio Mattæ locum habere poteſt in Brevibus Indulgentiarum ab Officiali, facultatem habente, expeditis, inſcio ſummo Pontifice; aut in iis, in quibus Indulgentia conceditur viſitantibus eccleſiam die obitus Beati, nulla hujus facta mentione, qualis fuit conceſſa viſitantibus quamdam Poloniæ Eccleſiam die obitus S. Stanislai Koſtkæ, quæ proinde caſui excepto declarando non profuit.

d de Canoniz. SS. par. 1. c. 2. n. 9.

14 &c. Quod ſpectat ad Feſti ſolemnem celebrationem, Reliquiarum delationem, commemorationem in divinis officiis, vel extra Divina officia, conceſſæ facultatis exempla referunt Bollandiani (e), aliique. Indultum vero celebrandi Miſſam de SS. Trinitate, aut de Æterna ſapientia, vel de omnibus Sanctis die anniverſaria Servorum Dei, vel Beatorum, referendum eſſe ad publicum cultum, ideoque ſuper illud firmari poſſe caſum exceptum, affirmant Recentiores. Verum Paulus Mucantius olim Secretarius Congregationis rituum, petentibus Theatinis, an die anniverſaria tunc Servi Dei Andreæ Avellini celebrare poſſent Miſſam ſolemnem de SS. Trinitate, reſpondit non poſſe amplius hæc ſine auctoritate Apoſtolica fieri in honorem Servi Dei cum fama ſanctitatis defuncti, ſed nondum beatificati, aut canonizati. Addidit tamen, prædictam Miſſam ſolemnem ex privata devotione, & quaſi pro gratiarum

e ad 19. Februar. to. 3. pag. 160. & ad 28. Apr. to. 3. pag. 595.

Digitized by Google

rum actione celebrari poſſe, & id in honorem SS. Franciſcæ Romanæ, & Philippi Nerii tunc nondum beatificatorum peractum eſſe, teſtatus eſt. Alia hujuſce rei exempla videre eſt apud Ceparium (a), Molanum (b), & alios. Demum S. Thomas (c) docet, poſſe ad commendandum redemptionis myſterium, aliiſque de cauſis, celebrari Miſſam pro parvulis. Ad avertendos tamen imperitæ plebis errores pleraque ritualia Gallicana apud Thiers (d) præſcribunt de Trinitate, aut de Angelis Miſſam eſſe celebrandam.

17. 18 Quidquid de his ſit, permiſſio Apoſtolica, ut Miſſæ prædictæ celebrentur, ad cultum publicum referenda videtur, ideoque ſuper illam caſus ex indultis exceptus fundari poteſt. Cum enim ex circumſtantiis deprehendatur, Miſſam illam non offerri pro anima Servi Dei, ſed ſubſtitui Miſſæ de Requie, quia creditur illius animam ſuffragiis non indigere, fiducia hæc cultum publicum importat, minorem tamen, quam ſi nomen Servi Dei in *Collectis* exprimeretur. Præterea Eugenius IV. Miſſam de SS. Trinitate ad tumulum tunc B. Andreæ Corſini celebrari voluit, cum Florentini ex revelatione ejuſdem Beati victoriam de Mediolanenſibus reportaverint, ut refert Bollandus (e). Denique Cardinali Sacripante, nomine Epiſcopi, Cleri, & populi civitatis Narniæ petenti, ut in honorem B. Luciæ Narnienſis Miſſa de SS. Trinitate celebrari poſſet, annuit Congregatio rituum 22. Auguſti 1711. Hæc petitio, & conceſſio inſinuant, prædicta ſine Sedis Apoſtolicæ auctoritate fieri non poſſe, ideoque cultum publicum importare.

a In direct. Canoniz. SS. l. 2. c. 8. ad dub. 16.

b ad 14. Apr. ad 6. Mart. & ad 11. Dec.

c in 4. diſt. 12. qu. 2. ar. 7.

d tractat. de ſuperſt. quoad Sacram. c. 9.

e ad 30. Jan. to. 2. pag. 1070.

CAPUT XXI.

De caſu excepto ex permiſſione Sacræ Congregationis, & de aliis, quæ communia ſunt tum caſui excepto ex Pontificiis indultis, tum caſui excepto ex dicta permiſſione.

1. 2 Caſus exceptus ex permiſſione Congregationis rituum eſt, cum hæc vi juriſdictionis, ſibi datæ per bullam Sixtinam, ex ſe aliquem publicum cultum alicui Servo Dei permittit. Id autem poſt decreta Urbani VIII. vix fieri poteſt, cum Congregationis reſponſa, quoad hoc, Pontifici referantur confirmanda. Ad hunc caſum pertinere videtur, quod Card. Bellarminus hortatus fuerit, ne cultus B. Alexandri Sauli introductus interrumperetur; & Card. Baronius imaginem S. Ignatii, tunc nondum beatificati, ad ejus ſepulcrum cum votivis oblatis appenderit, & veneratus fuerit. Ambo autem erant inter Cardinales ſacris ritibus præpoſitos.

3 Convenit hic caſus exceptus cum caſu excepto ex indultis Pontificiis, quod in utroque cultus permiſſus debet eſſe publicus: ac pro utroque declarando ſatis eſt, ut permiſſio authentice exhibeatur, neque requiritur peculiaris proceſſus, niſi indultum Pontificium eſſet tantum verbale, aut Congregationis decretum non inveniretur, ut in cauſis BB. Seraphini de Aſculo, & Salvatoris ab Horta. Demum neutri ſufficit reſcripti exhibitio, ſed oſtendendus eſt uſus conſecutus uſque ad tempus, quo in Congregatione proponitur dubium pro caſus excepti approbatione. Exhibito tamen authentico indulto, uſus probari poteſt *extrajudicialiter*, ut & continuatio cultus a die latæ ſententiæ uſque ad tempus, quo petitur iſtius approbatio, ſi inter ſententiam, & petitionem notabile tempus intereeſſerit.

4 &c. Pontificum indulta, & Congregationis reſcripta modo ampliora

ſunt, modo ſtrictiora. Aliquando plures ſimul honores Servis Dei indulſerunt, aliquando unum dumtaxat, quem ſubinde per alias conceſſiones auxerunt. Quodlibet ſatis eſt ad caſus excepti approbationem: hanc tamen Poſtulatores facilius obtinebunt, ſi plura indulta exhibeant. Tempus autem indultorum ſedulo animadvertant oportet; nam miracula inter primam, & ſubſecutas conceſſiones cultum augentes, patrata, ſi approbentur, ad Canonizationem obtinendam proderunt. Profecto in cauſa S. Stanislai Koſtkæ, cum Paulus V. permiſerit, ut ejus imago cum votivis oblatis in Eccleſia ad publicam venerationem exponeretur: Clemens vero X. alios ſubinde honores contulerit; initium venerationis a prima Pauli V. conceſſione fuit deſumptum, ac miracula, inter eamdem, & ſubſecutas conceſſiones fuerunt ad Canonizationem approbata. Idem contigit in cauſa S. Aloyſii Gonzagæ. In cauſa vero S. Jacobi de Marchia, etſi Leo X. aliquam venerationem indulſerit, & Urbanus VIII. auxerit, Poſtulatores *litteras remiſſoriales* quæſiverunt ad conſtruendos proceſſus ſuper miraculis poſt ultimum indultum patratis, cum primum Leonis X. ignoraverint. Ex his colligitur, ſedulo diſtinguendam eſſe venerationem ab ejus augmento, ejuſque initium a primis indultis eſſe repetendum.

9. 10 Poſt hæc perpendendæ ſunt cauſæ, quæ procedunt per viam caſus excepti ex tempore immemorabili. Hoc tempus excedere debet centum annos ante Conſtitutionem Urbani: hinc diſputandum occurrit, utrum miracula centenariam ſubſecuta, dicantur indultæ venerationi ſuperveniſſe, quoad Canonizationem obtinendam; an ad hoc ea tantum apta ſint, quæ ſupervenerunt poſt confirmatam a Sede Apoſtolica Judicis ordinarii, vel delegati ſententiam ſuper caſu excepto ex cultu immemorabili. Quæſtionem hanc movit Benedictus XIV. tunc Fidei Promotor in cauſa B. Gregorii X., ibique non reſolutam inſtauravit in cauſa S. Joannis Nepomuceni, in qua, approbato caſu excepto ex cultu immemorabili, affirmavit, attendendum eſſe dumtaxat, quoad Canonizationem, miraculum poſt eamdem approbationem patratum, non alia, quæ approbationem, adeoque indultam venerationem, præceſſerant, cum veneratio, non per ſimplex centenarii annorum numeri complementum, ſed per Congregationis reſponſum a Pontifice approbatum, ſit aſſerenda. Repoſuerunt Poſtulatores, venerationem dicendam eſſe indultam, completo centenario: ſententiam ſuper caſu excepto ſolum declarare, cultum fuiſſe adhibitum per centum annos ante Conſtitutionem Urbani: auctoritatem Apoſtolicam deſumi ex eadem Conſtitutione, in qua Urbanus affimavit, ſe nolle præjudicium aſſerre poſſidentibus cultum immemorabilem. Quare miracula ante approbatum caſum exceptum patrata, fuerunt in dicta cauſa S. Joannis Nepomuceni approbata, ac dependenter ab iis Canonizatio peracta eſt; ſed forte ex Pontificis *diſpenſatione* hæc peracta ſunt.

11 Similis quæſtio excitata fuit in cauſa Canonizationis S. Joannis a Cruce, quæ proceſſit per viam non cultus. Etenim Clemens X. die 6. Octob. 1674. Decretum Beatificationis expediri juſſit: die vero 24. ejuſdem menſis miraculum quoddam patratum eſt. Laudatus Fidei Promotor animadvertens, Breve Beatificationis fuiſſe dumtaxat expeditum 25. Januarii 1675., ac ſolemniter perlectum in baſilica Vaticana 21. Aprilis ejuſdem anni, oppoſuit, miraculum illud non eſſe pro Canonizatione attendendum, utpote poſt indultam venerationem non patratum. Poſtulatoribus tamen reponentibus, indultam venerationem cæpiſſe, cum Pontifex primo Brevis expeditionem demandavit: Congregatio rituum reſpondit, controverſum miraculum Canonizationis obtinendæ gratia, poſſe examinari; quare perpenſum, approba-

ba-

Digitized by Google

batumque fuit, ac dependenter ab eo obtenta Canonizatio eſt.

CAPUT XXII.

De caſu excepto ab Urbani VIII. decretis ex tempore immemorabili, & nominatim de tempore requiſito ad conſtituendum immemorabile.

1. 2. FRequentiſſimus eſt iſte caſus exceptus: pro quo præmittendum eſt, quod dum hoc judicium ſuper tempore immemorabili pendet, cultus non eſt amovendus. Jamvero Urbanus VIII. in Brevi, quo decreta confirmavit, ſtatuit, ut hoc tempus immemorabile centum annos excederet. Quare huic hypotheſi non convenit ea Doctorum in aliis materiis aſſertio, quod numerus centenarius defectu quatuor annorum non inficitur. Rurſus reprobata etiam cenſenda eſt ſententia Bonacinæ, docentis (*a*) nomine longiſſimi temporis in dictis Urbani decretis intelligi triginta, vel quadraginta annos. Stat igitur, quod in caſu excepto per immemorabilem, vel longiſſimum temporis curſum, tempus excedere debeat centum annos, & quidem non interruptos, ut colligitur ex cauſis Servi Dei Jacobi de Bitecto, & aliorum.

a in 1. Decalog. præcept. diſp. 3. q. 2. pun. 1.

3 &c. Terminus hujus numeri centenarii, ſine quo probari nequit caſus ab Urbani VIII. decretis exceptus, nunc communiter conſtituitur in anno 1634., quo Urbanus decreta, quæ anno 1625. ſuper longiſſimo tempore ediderat, confirmavit; quod clare conſtat ex cauſa B. Ludovicæ Albertoniæ. Neque amplius attendenda ſunt pro centenarii complemento, ſi quæ poſt eumdem annum 1634. geſta eſſent, cum ſacra Congregatio anno 1652. oppoſitum aperte declaraverit. Conſonat judicium Congregationis Inquiſitionis, quæ cum anno 1654. comperiſſet, cultum nunc B. Hieronymi Æmiliani, Fundatoris Congregationis Somaſchæ, anno 1537. mortui, non attigiſſe metam centum annorum reſpectu anni 1634., eumdem amoveri juſſit. Fidei quoque Promotores ſemper contenderunt, non eſſe pro complemento centenarii attendenda geſta poſt annum 1634.

6 &c. Sed quid dicendum, ſi ante annum 1652. Judex ordinarins, vel delegatus tuliſſet ſententiam ſuper caſu excepto ex tempore immemorabili, & in centenario computata fuiſſent geſta poſt annum 1634.? Hanc ſententiam non eſſe confirmandam ſuadet memoratum factum Congregationis Inquiſitionis in cauſa nunc B. Hieronymi Æmiliani. Præterea Congregatio an. 1652. excludens a centenario ejuſmodi geſta, declaravit decreta Urbani; lex vero declaratrix reſpicit etiam præterita. Verum confirmandam illam eſſe eruitur ex eo, quod ante annum 1652. in Congregatione diſputabatur, an pro complemento centenarii attendenda eſſent geſta poſt annum 1634.; quare ejuſmodi ſententia inniteretur opinioni probabili; adeoque non eſſet rejicienda. Præterea Urbanus VIII. in alia Conſtitutione de præjudicialibus Eccleſiæ (*b*) ſervavit etiam centenarium annorum numerum: ſicuti autem hic juxta Cardinalem de Luca (*c*), & alios debet eſſe completus, non tempore editæ Conſtitutionis, ſed motæ litis: ſic probabiliter centenarius ſervatus in Conſtitutione ſuper cultu Servorum Dei videtur complendus tempore latæ ſententiæ, non editæ Conſtitutionis. Quod ſpectat ad cauſam B. Hieronymi Æmiliani, ibi nulla interceſſit ſententia. Lex autem declaratrix, in re præſenti reſpicit tantum futura, tum quia ea fuit Legiſlatoris mens, tum quia jus præteritum erat dubium. Ee ſane Congregatio rituum in cauſa B. Luciæ Narnienſis hanc poſtremam opinionem ſecuta eſt, & ſententiam ſuper caſu excepto confirmavit.

b In Bullar. vet. to. 5.

c de emphyt. diſc. 60. n. 8. de allen. diſc. 1. n. 96.

CAPUT XXIII.

De modo probandi numerum centenarium annorum cultus, deque cæteris requiſitis ad conſtituendum caſum exceptum ex tempore immemorabili.

1 IN judicio de caſu excepto ex immemorabili, vel longiſſimo tempore, etſi centenarius ſæpedictus numerus de jure probandus eſſet teſtibus annos natis centum, & quatuordecim, atque examinatis tempore editæ Conſtitutionis Urbani, nihilominus cum id impoſſibile ſit, probari etiam poteſt authenticis documentis. Hæc ſunt: hiſtoriæ centum annis ante Conſtitutionem Urbanam, vel eodem ſæculo decurrente a viris fide dignis conſcriptæ de cultu, vel virtutibus, & miraculis Servi Dei ſub titulo Beati, vel Sancti: elationes ſepulcri auctoritate Epiſcopali peractæ: antiqua Breviaria Officium in ejuſdem venerationem continentia: viſitationes Epiſcoporum: ac demum ſepulcra ipſa elata, Imagines cum ſplendoribus, ac votivæ tabellæ; dummodo hæc prædictam Conſtitutionem centum annis præceſſerint ex Peritorum judicio.

2 Porro cum diſputari poſſit, an teſtes probantes cultum immemorabilem, ſufficiant ad centenarium annorum numerum probandum, primo inveſtigandum eſt, quomodo probetur immemorabile. Juxta probabiliorem ſententiam ad probandum immemorabile opus eſt, ut teſtes conſtituti ſint in ætate quinquaginta quatuor annorum, ut uniformem quadraginta annorum obſervantiam teſtentur: non abfuerint longo tempore a loco, ubi cultus viguit: referant, ſe rem audiviſſe a Majoribus, hos vero ab aliis, conteſtantes, aliter fieri non potuiſſe, quin ipſi ſciviſſent: demum ut ſinguli teſtes deponant de omnibus, & ſingulis adjunctis neceſſariis ad conſtituendum immemorabile: ſufficit tamen ſi verba protulerint æqualem ſignificationem habentia.

3 &c. An immemorabile jam probatum centenario annorum numero ſuffragetur, diverſa ſunt Promotorum Fidei, atque Scriptorum placita. Petrus Franciſcus de Rubeis olim Fidei Promotor negavit, in caſu excepto per Urbanam Conſtitutionem, teſtes deponentes cum requiſitis ad immemorabile, probare numerum annorum centenarium. Affirmavit Proſper Bottinius alter Fidei Promotor, addens tamen, teſtes prædictam 54. annorum ætatem agere debuiſſe tempore editæ Conſtitutionis Urbani. Scriptores contra ſentiunt, teſtibus prædictis probari centenarium in re præſenti, etiamſi deponant tantum cum requiſitis ad immemorabile, & præſenti tempore examinentur. Hæc controverſia ſæpe prodiit in Congregatione rituum, ſed nullam adhuc definitionem conſecuta eſt. Ipſa vero Congregatio caſum exceptum ex cultu immemorabili ſæpe independenter a teſtibus approbavit.

7 In hoc opinionum certamine, momentum probationis dicti centenarii videtur penitus conſtituendum in hiſtoriis, publicis inſtrumentis, cæteriſque ſupra recenſitis. Teſtes vero, juridice examinati, adminiculo eſſe poſſunt, etiamſi de præſenti examinentur.

8 &c. Verumtamen ad approbandum caſum exceptum ex tempore immemorabili, alia adjuncta requiruntur. Scilicet, ut cultus ſit publicus; qui tamen ſufficienter deſumitur ex votivis tabellis oblatis, ex invocatione in litaniis, plurimiſque aliis hujuſmodi. Præterea ut centum annis ante Urbani Conſtitutionem adhibitus ſit, & permanſerit uſque ad ſententiam Ordinarii, vel Delegati, immo & ad ejuſdem confirmationem a ſacra Congregatione obtinendam, ſi notabile tempus inter utramque effluxerit. Notandum tamen, centenarium prædictum, & continuationem cultus uſque ad ſententiam probari debere judicialiter, & per proceſſum; ad aſſiduitatem vero cultus uſque ad ſententiæ confirmationem ſufficit

proba-

probatio extrajudicialis. Ad hæc juxta Urbani decreta opus eſt, ut accedat ſcientia, ac tolerantia Sedis Apoſtolicæ, vel Ordinarii: ea autem pluribus modis a Caſtellino (*a*), & Pignatello (*b*) enumeratis probari poteſt.

a de cert. glor. SS. c. 2. pun. 52.

b conſult. 245. n. 2. 80. 1.

12 Tandem in hoc judicio Periti advocandi ſunt, qui ſtatuas, Imagines, ac ſepulcra Servorum Dei recognoſcant, ut tempus, quo ea facta ſunt, innoteſcat. Ipſi juramentum de munere fideliter adimplendo præſtare debent, ac inquirere, an ſtatuæ, vel Imagines ſint illius Servi Dei, de cujus cultu immemorabili agitur. Si nullum aliud venerationis indicium adſit, præter diademа, laureolas, ſplendores, & radios, Peritis inveſtigandum erit, an hæc ſimul cum ſtatuis, vel Imaginibus effecta fuerint. Demum ſingillatim deponere, ſuorumque dictorum rationem reddere debebunt, uti fert ſacræ Congregationis diſciplina.

CAPUT XXIV.

De caſuum ab Urbani VIII. decretis exceptorum declaratione, prævio ſacrarum Congregationum, præſertim vero ſacrorum rituum conſilio hucuſque facta.

1 AD exornandam practicis exemplis *theoretice* ſupra explicatam recenſentur hic cauſæ Beatorum, in quibus declaratus fuit caſus exceptus, quin tamen Canonizationem obtinuerint, exponendo fundamenta, quibus declaratio innixa eſt.

§. I.

De B. COLUMBA REATINA Virgine Tertii Ordinis S. Dominici de Pœnitentia.

2 &c. OBiit hæc Virgo anno 1501. Congregatio Inquiſitionis ſub Urbano VIII. die 25. Februar. an. 1625. approbavit ejus cultum immemorabilem, adeoque caſum ab ipſius Urbani decretis exceptum, licet ſuper eodem cultu nulla præceſſiſſet ſententia Ordinarii, quia Urbanus nondum ediderat Breve, illam exigens. Ejus vitam ſcripſit Sebaſtianus Peruſinus Ordinis Prædicatorum, quæ extat apud Bollandian. (*c*) Cardinalis Torres Epiſcopus Peruſinus proceſſum ſuper ſanctitate, & miraculis conſtruxit. Corpus ſepultum fuit in civitate Peruſina in monaſterio S. Catharinæ Senenſis, quod mox appellatum eſt B. Columbæ. S. Pius V. indulſit, ut in ejus feſto fieret de eadem in Divinis Officiis commemoratio.

c ad 20. Maji to. 5.

§. II.

De B. MATTHÆO CARRERO Ordinis Prædicatorum.

5 &c. MOrtuus eſt Viglevani anno 1471. Ejus ſanctitatem, & miracula Ambroſius Taegius, aliique memorant. Sixtus IV. vivæ vocis oraculo permiſit, ut ejus corpus ad ſepulcrum honorificentius transferretur, ejuſque memoria ſolemniter fieret in feſto Dedicationis Eccleſiæ S. Petri Martyris, ut colligitur ex authentico documento archivi Conventus S. Petri Martyris civitatis Viglevanenſis. Tandem 2. Decembr. anni 1625. Congregatio S. Officii caſum exceptum declaravit, ſcripſitque Epiſcopo Viglevani, ne venerationem eidem Beato exhiberi ſolitam impediret. Decretum, & Epiſtola Congregationis extant in ejuſdem regeſtis.

§. III.

De B. BERNARDO PTOLOMÆO Fundatore Congregationis Montis Oliveti.

9 &c. HUjus virtutum, & miraculorum meminit Sigiſmundus Titius, juxta quem obiit hic Beatus anno 1348. Vitam conſcripſit Joannes Baptiſta de Populonia Or-

dinis

dinis Prædicatorum, quæ amplius non invenitur: aliam tamen ab eo deſumptam Gregorius Lombardellus edidit anno 1584. Ejus cauſam eſſe exceptam a decretis Urbani declararunt Congregationes, Inquiſitionis 24. Novembr. anno 1644., & rituum 16. Septembr. anno 1645., approbante Clemente X. Ex Actis cauſæ colligitur, confectum fuiſſe proceſſum, & latam ab Ordinario Senarum ſententiam ſuper cultu immemorabili.

§. IV.

De B. NICOLAO de FLUE Eremita.

12. 13 OBiit anno 1487., & ſepultus eſt in æde Saxellenſi S. Theoduli. Vitam compoſuit Petrus Hugo Societatis Jeſu. Plures proceſſus auctoritate ordinaria, & Apoſtolica pro Canonizatione conſtructi ſunt, ſententiamque ſuper cultu immemorabili tulit Epiſcopus Conſtantienſis, tamquam Delegatus Apoſtolicus, quam ſubinde, annuente Innocentio X, confirmavit Congregatio rituum 21. Novembr. anno 1648., affirmans conſtare de caſu excepto ex immemorabili. Carolus Bovillus in epiſtola ad Nicolaum Florium Remenſem Electum teſtatur, hunc Beatum viginti duobus annis ſine ullo cibo, potuque vixiſſe.

§. V.

De B. BERNARDINO de FELTRO Ordinis Minorum.

14 &c. MOrtuus eſt an. 1494., ac ſtatim ab obitu coli cœpit, quod colligitur ex litteris Leonis X. de anno 1513., quibus tunc Beato, nunc S. Franciſco de Paula Officium, & Miſſam conceſſit. Buſtus eidem contemporaneus honorifice de eo locutus eſt (a). Ejus vitam Bernardinus Gurlinus, aliique ſcripſerunt. Demum Congregatio rituum 28. Mart. an. 1654., attento proceſſu ab Epiſcopo Papien. auctoritate Apoſtolica confecto, cenſuit, conſtare de caſu excepto ex immemorabili: annuit vero Innocentius X.

a in defenſ. Mont. Piet. tract. 2. par. 3.

§. VI.

De B. FERDINANDO III. Rege Caſtellæ, & Legionis cognomento Sancti.

18. 19 OBiit anno 1252. Ejus vitam a Luca Tudenſi coævo ſcriptam referunt Bollandiani (b), apud quos plura ſunt de miraculis, & cauſa Canonizationis. In proceſſum ſuper cultu immemorabili conſtructum quædam antiqua Officia compulſata ſunt, in quibus mirabilia de eo leguntur. Congregatio rituum, annuente Alexandro VII. 24. Maji anno 1655., viſo proceſſu, qui auctoritate Apoſtolica confectus fuerat ſuper caſu excepto, ac poſita ſententia Archiepiſcopi Hiſpalenſis Judicis remiſſorialis, cenſuit conſtare de caſu excepto ex immemorabili cum ſcientia, ac tolerantia Ordinariorum.

b ad 30. Mart. to. 7.

§. VII.

De B. MARGARITA de SABAUDIA Tertii Ordinis S. Dominici.

20. 21 HUjus vitam Hyacintus Bareſcinus, Razius, aliique conſcripſerunt. S. Pius V. anno 1565. indulſit, ut die ejus feſto in monaſterio S. Mariæ Magdalenæ civitatis Albæ fieret ejuſdem commemoratio. Ex hoc indulto cultum exhiberi huic Beatæ, adeoque conſtare de caſu excepto, ac poſſe procedi ad ulteriora, 31. Auguſti an. 1669. cenſuit Congregatio rituum, annuente Clemente IX.

§. VIII.

§. VIII.

De B. PETRO PASCHASIO Ordinis B. Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum.

22 &c. FUit hic Gyenenſis Epiſcopus : a Mauris captus, & Granatæ Martyrio coronatus eſt inter annos 1300., & 1302. Scripſit opuſculum adverſus ſectam Mahumetanam, quod a Congregatione rituum probatum fuit. Ejus vita, a Joanne de Villegas ſcripta, compulſata fuit in proceſſum ſuper cultu immemorabili. Ejus Martyrii meminerunt Argonus de Molina (*a*), aliique. Clemens vero X, prævio conſilio Congregationis ritnum, 14. Aug. an. 1670. approbavit ſententiam Epiſcopi Gyenenſis ſuper cultu immemorabili, & caſu excepto, declarans conſtare de iiſdem.

a in nobilit. Bæticæ.

§. IX.

De B. LUDOVICA ALBERTONIA Tertii Ordinis S. Franciſci.

25 &c. CLemens X, petentibus Senatu PopuloqueRomano, Commiſſionem ſignavit, ut fieret in Curia proceſſus ſuper cultu immemorabili B. Ludovicæ Albertoniæ. Cardinalis Urbis Vicarius, hoc proceſſu recognito, ſententiam ſuper caſu excepto pronunciavit, quam prius Congregatio rituum, deinde idem Clemens approbarunt, uti habetur ex Brevi edito ab eodem Pontifice 28. Jan. an. 1671. Obiit B. Ludovica an. 1533., ideoque pro cultu centenario habita eſt ratio Brevis, quo Urbanus an. 1634. decreta, quæ an. 1625. ediderat, confirmavit. Ejus cultum non fuiſſe a Sede Apoſtolica probatum, arbitratur Bollandus (*b*), qui ante dicti Brevis editionem ſcripſit. In hoc Brevi Senatus, Populuſque Romanus dicuntur calicem, & cereos in ejus honorem poſtrema Januarii die quotannis offerre Eccleſiæ S. Franciſci ad Ripam, in qua ſepulta eſt. Illius virtutum, & miraculorum meminerunt Franciſcus Gonzaga (*c*), Arturus (*d*), & alii.

b ad 31. Januar. to. 2. inter prætermiſſ. pag. 1078.

c de orig. Seraph. Relig. par. 2. Conven. 1. provinciæ Rom. pag. 178.

d in Martyr. Franc. ad 31. Jan.

§. X.

De B. JACOBO DE MEVANIA Ordinis Prædicatorum.

30 &c. OBiit hic Beatus an. 1301.: ejus vitam nonnulli ſcripſerunt : at eam præ cæteris Tuderti an. 1678. accuratiſſime edidit Baptiſta Piergilius. Cauſam retulit Cardinalis Bellarminus Congregationi rituum, affirmans inter alia, confectum fuiſſe proceſſum auctoritate ordinaria Epiſcopi Spoletini : nec non Bonifacium IX. teſtari Eccleſiam, in qua hujus B. corpus requieſcit, appellari SS. Dominici, & Jacobi. Sane Bonifacius IX. Indulgentiam conceſſit viſitantibus eamdem Eccleſiam : Paulus autem V. 13. Apr. an. 1610. ampliores elargitus eſt confraternitati, in eadem erectæ. Quare Congregatio rituum, annuente Clemente X. 14. Maji an. 1672. declaravit, conſtare de caſu excepto ex indultis Apoſtolicis, ideoque ad ulteriora procedi poſſe.

§. XI.

De B. SALOMEA Regina ALICIAE Moniali Profeſſa Ordinis S. Claræ.

35. 36 HÆc an. 1268. e vita migravit, ejuſque fit mentio in Martyrologio Franciſcano (*e*): vitam, & miracula Joannes Duglosſius, aliique plures ſcripſerunt. Sed & Synodus Provincialis Gneſnenſis ſolemnem Canonizationem ab Urbano VIII. ſuppliciter petiit. Jam vero Congregatio rituum, Clemente X. probante, 6. Maji an. 1673. attentis proceſſu, & ſententia ſuffraganei Cracovienſis, Judicis delegati, ſuper cultu immemorabili, & caſu excepto, de iiſ-

e fol. 527. §. 8. edit. Pariſ.

iiſdem conſtare cenſuit, ideoque ad ulteriora procedi poſſe.

§. XII.

De B. OLLEGARIO Epiſcopo primum Barcinonenſi, poſtea Archiepiſcopo Tarraconenſi.

37. 38 BEati Ollegarii, ſive Ildegarii an. 1136. mortui ſanctitatem commendarunt SS. Bernardus (a), & Vincentius Ferrerius (b). Ex pluribus Eccleſiæ Barcinonenſis monumentis, in proceſſum Apoſtolicum compulſatis, antiquiſſima apparent illius veneratio, virtutes, & miracula. Teſtes in eodem examinati de publica voce, & fama narrant, S. Raymundum de Pennafort egiſſe apud Pontificem de illius Canonizatione. Quoſdam proceſſus in hac cauſa nonnulli Judices a Congregatione rituum delegati confecerunt, quos tamen eadem Congregatio ob quoſdam defectus non admiſit. Tandem Epiſcopus Barcinonenſis pariter delegatus proceſſum abſoluit, ac ſententiam protulit ſuper cultu immemorabili, & caſu excepto, quam ſubinde Congregatio ipſa 18. Maji an. 1675. confirmavit, annuente Clemente X.

a epiſt. 126. to. 1.

b par. 3. de SS. ſerm. de S. Joan. Evang. ante Port. Lat.

§. XIII.

De B. JOANNE CANTIO Presbytero Sæculari, & Profeſſore Academiæ Cracovienſis.

39 &c. OBiit an. 1413.. Ejus geſta, & miracula fuſe recenſent Hiſtorici Poloni, in proceſſum ſuper cultu immemorabili conſtructum compulſati. Hujus quoque Canonizationem a ſummo Pontifice petiit Synodus Provincialis Gneſnenſis. Congregatio vero rituum 21. Maji an. 1676. Sententiam ab Epiſcopo Laodicenſi, Judice ſubdelegato, ſuper cultu immemorabili, & caſu excepto latam confirmavit, & Clemens X. benigne annuit.

§. XIV.

De B. AMEDEO Duce Sabaudiæ III.

42 &c. DEceſſit an. 1472.: ejus vitam ab aliis conſcriptam referunt Bollandiani (c). Aliæ de virtutibus, & miraculis hiſtoriæ compulſatæ fuerunt in proceſſus ſuper cultu immemorabili conſtructos. S. Franciſcus Saleſius præclaram ſcripſit Paulo V. epiſtolam pro impetranda illius Canonizatione. Alias miſit ad Congregationem rituum, ad Sabaudiæ Ducem, & alios. In hac cauſa plura ante decreta Urbani VIII. geſta ſunt, ſed poſtea expeditis a ſacra Congregatione literis remiſſorialibus, & compulſorialibus, Archiepiſcopus Taurinen., & Epiſcopus Vercellen. proceſſus conſtruxerunt, & ſententias tulerunt ſuper cultu immemorabili, & caſu excepto, quas Congregatio rituum, annuente Innocentio XI. 16. Jan. an. 1667. confirmavit. Hinc colligitur, binos proceſſus in hac cauſa conſtructos, binaſque ſententias latas fuiſſe. Quod ſane aliquando expedit, ſi, prout hic, cultus immemorabilis in pluribus diœceſibus percrebuerit.

c ad 30. Mart. to. 3.

§. XV.

De Servo Dei SIMONE de LIPNICA Sacerdote Ordinis Minorum S. Franciſci de Obſervantia.

48 &c. HIC Dei Servus ſtatim ab obitu, qui contigit an. 1482., cultum obtinuit, uti colligitur ex literis Innocentii VIII. datis 12. Jul. an. 1487. in forma Brevis pro transferendo ejus corpore ab uno ad aliud ſepulcrum in eadem Eccleſia. Illius virtutes, & miracula memorant Franciſcus Gonzaga, & alii, inter quos Martinus Bielſiki Lutheranus (d). In ejus cauſa confectus fuit auctoritate ordinaria proceſſus ſuper virtutibus, & miraculis, & judex ſubdelegatus ſen-

d in chron. edit. ann. 1597.

ten-

Digitized by Google

tentiam pronunciavit ſuper cultu immemorabili, & caſu excepto, quam poſtea Congregatio rituum, annuente Innocentio XI, 10. Febr. an. 1685. confirmavit.

§. XVI.

De B. PETRO ARMENGOL Religioſo Profeſſo Ordinis B. Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum.

51 &c. Obiit an. 1304.: colitur ut Martyr; nam cum ſe pro redimendis captivis in pignus dediſſet, nec ſtatuta die pactam mercedem ſolviſſet, in ligno, ut Mahumeticæ ſuperſtitionis contemptor, ſuſpenſus eſt; ſed ope B. Virginis liberatus, tandem gravi morbo mortuus eſt. Hujus Beati meminerunt Petrus de Ziiar (*a*), Raphael Volaterranus (*b*), & alii. In ejus cauſa Congregatio rituum ob defectum legitimæ probationis ter rejecit Judicis delegati ſententiam ſuper cultu immemorabili, & caſu excepto. Verum allatis antiquiſſimis de eodem cultu documentis, literas compulſoriales, & particulares conceſſit directas nonnullis Epiſcopis. Hinc quinque proceſſus confecti fuere, quibus Congregationi exhibitis, ipſa cultum immemorabilem, & caſum exceptum 23. Mart. an. 1686. declaravit; Pontifex vero decretum per literas in forma Brevis confirmavit.

a relat. in hiſt. gener. ejuſd. Ord.

b Lat. anthropologiæ.

§. XVII.

De B. ANTONIO a STRONCONIO Laico Profeſſo Ordinis Minorum Obſervantium Sancti Franciſci.

55 &c. Deceſſit an. 1461.. De prodigio luminis ex illius ſepulcro quondam prodeuntis, & roſæ vividæ carnis in ejus obverſa dextera inventæ, extat Inſtrumentum a Polydoro Serantonio, publico auctoritate Imperiali Notario, & Judice Ordinario exaratum an. 1469. Vitam, & miracula late proſecuti ſunt Rodulphus Epiſcopus Senogallienſis, & alii: ſed præcipue attendenda ſunt, quæ de eo ſcripſerunt Jacobus Oddus Peruſinus in hiſtoria, quæ dicitur Franciſchina, & Marianus a Florentia, qui non diu poſt B. Antonium floruerunt, quos laudat Waddingus (*c*). Jam vero in ejus cauſa exarati fuerunt auctoritate ordinaria proceſſus ſuper ſanctitate vitæ, virtutibus, & miraculis, cultuque immemorabili; cumque ex iis appareret, Epiſcopum pronunciaſſe per definitivam ſententiam, conſtare de cultu ſupra centum annos ante decreta Urbani VIII. exhibito eidem Beato, adeoque cauſam eſſe exceptam ab iiſdem decretis, Congregatio rituum ſententiam ipſam confirmandam eſſe cenſuit 14. Jun. an. 1687., cui annuit Innocentius XI.

c ad ann. 1474. n. 14. tom. 14. & in Syllab. Script. Ordin. Min.

§. XVIII.

De B. CHUNEGUNDE Regina Poloniæ.

59 &c. Mortua eſt anno 1292. Ejus vita a quodam Religioſo Franciſcano, & Joanne Hugoſſio ſcripta, compulſata fuit in proceſſum ſuper cultu immemorabili. Aſſerunt communiter Hiſtorici, eam Boleslao Cracovienſi Duci nuptam, in matrimonio virginitatem illibatam ſervaſſe. Quare Synodus Provincialis, Cracoviæ celebrata an. 1634. ſupplices pro illius Canonizatione preces S. Sedi porrexit. Quod ſpectat ad ejus cauſam, Epiſcopus Laodicenſis ſententiam ſuper cultu immemorabili, & caſu excepto tulit, quam Congregatio rituum 10. Jan. an. 1690., annuente Alexandro VIII, confirmavit.

§. XIX.

De B. MARIA de SOCOS Moniali Profeſſa Ordinem B. Mariæ de Mercęde Bedemptionis Captivorum.

62. 63 HUjus obitus contigit an. 1290.: vitam inter alios ſcripſit Joannes de Laes Ordinis B. Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum, quam duo Capitula Generalia ejuſdem Ordinis approbarunt. Monumenta hæc compulſata fuerunt in proceſſum ſuper illius cultu immemorabili. In ejus cauſa Vicarius Generalis Barcinonenſis, a Congregatione rituum delegatus, ſententiam tulit ſuper cultu immemorabili, eademque Congregatio, annuente Innocentio XII. 9. Febr. an. 1692. confirmavit.

§. XX.

De B. JOANNA filia Alphonſi V. Regis Luſitaniæ Religioſa Ordinis S. Dominici, cognomento Sancta Princeps.

64 &c. OBiit an. 1490. Plures Hiſtorici illius virtutes, & miracula commendarunt; celebrior tamen ejus vita eſt, quam exaravit Soror Margarita Piveria, ejuſdem Sanctæ famula, cum inſerta fuerit proceſſibus ſuper Joannæ cultu immemorabili, & a Joanne Conimbricenſi Epiſcopo juridice approbata. In ejus cauſa confecti fuerunt auctoritate Apoſtolica ſuper cultu immemorabili, & caſu excepto proceſſus in civitatibus Conimbricen., Elboren., & Ulyſſiponen. Tum Epiſcopus Colymbrien. a Congregatione rituum delegatus ſententiam ſuper iiſdem tulit, quam Congregatio confirmavit: Innocentius vero XII. 4. Apr. an. 1693., petente cum pluribus aliis Petro Portugalliæ Rege, per literas in forma Brevis roboravit.

§. XXI.

De Servo Dei PETRO de Piſis Beato nuncupato, Congregationis Pauperum Eremitarum Sancti Hieronymi Inſtitutore.

67 &c. MOrtuus eſt an. 1435. Heroicæ ipſius virtutes a pluribus Scriptoribus celebratæ ſunt, & recenſentur in libro manuſcripto, qui exaratus creditur anno circiter 1500., cujus autographum aſſervatur in Archivo Conventus S. Onuphrii de Urbe. Sepultus eſt Venetiis, ignotus tamen adhuc eſt peculiaris ſepulturæ locus. Paulus III., ac nonnulli alii Pontifices aliquem cultum illi indulſerant. Quamobrem Congregatio rituum 15. Decembr. an. 1693., annuente Innocentio XII., declaravit conſtare de caſu excepto per indulta Apoſtolica, non tamen Officium, & Miſſam conceſſit, ut Poſtulatores ſimul petierant.

§. XXII.

De B. HOSANNA de ANDREASIIS Tertii Ordinis S. Dominici.

78 &c. OBiit an. 1505.: Ejus vitam ſcripſerunt Franciſcus a Ferraria, & Marcheſius. Leo X. an. 1515. permiſit, ut in civitate, & districtu Mantuano fieret ejus commemoratio in Divinis Officiis. Gregorius XIII. Officium proprium, & Miſſam conceſſit eccleſiæ S. Barbaræ civitatis ejuſdem: & hæc compulſata fuerunt in proceſſum Apoſtolicum ſuper caſu excepto. Demum Congregatio rituum an. 1594. indulſit, ut ejus corpus aliquando populo oſtenderetur. Cardinalis Urbis Vicarius ſententiam tulit ſuper caſu excepto; Quapropter Congregatio eadem 20. Novembr. an. 1694., annuente Innocentio XII, ſententiam confirmavit.

§. XXIII.

§. XXIII.

De Serva Dei HUMILIANA de CERCHIIS ſive de CIRCULIS Beata *nuncupata*.

79 &c. MOrtua eſt hæc Beata an. 1246., ac ſtatim poſt obitum ejus vitam ſcripſit Vitus de Cortona Ordinis Minorum, quam ediderunt Bollandiani (*a*). Alii quoque ejus virtutes, & miracula proſecuti ſunt. In ejus cauſa Archiepiſcopus Florentinus ſententiam dixit ſuper cultu immemorabili, & caſu excepto, quam confirmavit Congregatio rituum 17. Jul. an. 1694., annuitque Innocentius XII.

a ad 19. Maji to. 4.

§. XXIV.

De B. HELENA ENSELMINA Ordinis S. Franciſci.

83 &c. OBiit an. 1231. Ejus vitam inter alios eleganter exaravit Sicco Polentonus, quæ in proceſſum ſuper ejus cultu immemorabili compulſata fuit. Conſtare de ejus cultu immemorabili, & caſu excepto a decretis Urbani affirmavit Cardinalis Barbadicus Epiſcopus Patavinus, cujus ſententiam Congregatio rituum, annuente Innocentio XII, 8. Octobr. an. 1695. confirmavit.

§. XXV.

De B. ZITA.

86 &c. EJus obitum anno 1272. verior opinio conſignat; vitam ab Auctore coævo ſcriptam ediderunt Bollandiani (*b*), ejuſque alii plures meminerunt. Ejuſdem cultus in diverſas Catholici orbis partes dilatatus eſt; & Leo X. indulſit, ut Canonici Regulares conventus S. Frigdiani civitatis Lucenſis ejus feſtum ritu duplici celebrarent. In ejus cauſa Ordinarius Lucenſis ſuper cultu immemorabili, & caſu excepto ſententiam tulit, quam Congregatio rituum eidem cultui innixa confirmavit 1. Septembr. an. 1696., annuente Innocentio XII.

b ad 27. Apr. to. 3.

§. XXVI.

De Serva Dei MARIA de CAPITE, vulgo nuncupata della Cabeza *uxore S. Iſidori Agricolæ*.

89 &c. MOrtua eſt circa annum 1175. Sepulta in quadam Ædicula S. Mariæ cis Fluvium Xaramarum Tordelagunæ in Caſtella, ubi ejus corpus inventum eſt an. 1596.: caput tamen longe ante in eadem Ædicula ad publicam venerationem exponebatur. Bollandiani (*c*) eam viventem non Mariam, ſed Toribiam appellatam exiſtimant. Vitam ſcripſit, præter alios, Jacobus Bleda Ordinis Prædicatorum (*d*), ac de ea, ejuſque cultu approbato mentio fit in bulla Canoniz. S. Iſidori Agricolæ, qui fuit ejuſdem vir. In ejus cauſa Judices a Congregatione delegati confectis proceſſibus, ſuper cultu immemorabili, & caſu excepto ſententiam dixerunt, quam Congregatio ipſa, ſuborto dubio, an teſtes recenter examinati ſatis probarent immemorabile, non ſtatim, ſed poſtquam ex authenticis documentis cultus immemorabilis conſtitit, confirmavit. Innocentius vero XII. 11. Aug. an. 1697. per litteras ſpeciales decretum Congregationis approbavit.

c ad 15. Maji to. 3.

d in addit. ad Joann. Diacon.

§. XXVII.

De B. AUGUSTINO DALMATA Ordinis Prædicatorum Epiſcopo Zagabrienſi, deinde Lucerino.

93 &c. HUjus Beati obitus contigit circa annum 1323. Plures illius geſta commendant, inter quos Sigiſmundus Ferrarius (*e*), & Joannes Tomko Boſnen-

e de reb. Hung. provinc. Ord. Præd.

ſis Epiſcopus (*a*), illum inter Sanctos relatum exiſtimant a Joanne XXII. precibus Caroli Ducis Calabriæ. Verum ſine ullo fundamento, cum laudatus Dux ab eodem Pontifice petierit, ut committeret inquiſitionem in vitam, & miracula, quemadmodum ex ejus epiſtola colligitur. In ejus cauſa Epiſcopus Lucerinus a Congregatione delegatus ſententiam ſuper cultu immemorabili, & caſu excepto pronunciavit: mox eadem Congregatio de eodem cultu conſtare reſpondit 19.Jun. an.1700., annuitque Innocentius XII.

a in ejus vita.

§. XXVIII.

De Servo Dei JACOBO ILLYRICO, vulgo de Bitecto *nuncupato, Laico Ordinis Minorum Obſervantiæ S. Franciſci.*

97 &c. HIC mortuus eſt circa annum 1485., ejuſque virtutes, & miracula referunt Marianus a Florentia (*b*), aliique. In ejus cauſa Epiſcopus Bitectenſis a ſacra rituum Congregatione delegatus, ſuper cultu immemorabili, & caſu excepto ſententiam protulit: eam confirmavit Congregatio eadem 31. Jul. an.1700., annuente Clemente XI.

b in faſcic. Chron. Seraph. Ord. Min. c.21. fol.128.

99 &c. De ejus cultu nonnullæ controverſiæ antea irrepſerant. Nam anno 1586. Congregatio juſſit, illius corpus ab altari, ſuper quod collocatum fuerat, amoveri. Arenius tunc Bitectenſis Epiſcopus curavit mandati executionem; ſed obſtiterunt Fratres Minores, allegantes mandati ſubreptionem: nihilominus corpus in ſacrario repoſitum fuit, donec Epiſcopus miraculis permotus priſtinum cultum reſtituit. Supervenerunt Urbani decreta, tum Congregatio iterum juſſit, corpus in loco ſecreto ſine cultu ſervari, quod factum eſt. Verum approbato caſu excepto permiſit, ut corpus in primum locum reſtitueretur; immo ut feſtum, non tamen proceſſio, in ejus honorem perageretur.

§. XXIX.

De Servis Dei Fratribus JOANNE Sacerdote, & PETRO Laico Ordinis Minorum S. Franciſci.

104 &c. REfert S. Antoninus (*c*), hos Dei Servos, a S.Franciſco ad regnum Aragoniæ deſtinatos; zelo Fidei, ac Martyrii deſiderio ſuccenſos, Valentiam tunc Mauris ſubjectam ingreſſos, de falſitate legis Mahumetis prædicaſſe. Quapropter Azotus, qui ibi regnabat, eos comprehendi, & in Fide coſtantes occidi juſſit: tum ibi ſepulti miraculis coruſcare cœperunt. Forumdem Martyrii Waddingus (*d*), aliique plures meminerunt. Jam vero in eorum cauſa Vicarius Generalis Turulen. Judex delegatus ſententiam dixit ſuper cultu immemorabili, poſt hæc Congregatio rituum 23.Febr. an.1704. eamdem confirmavit, annuente Clemente XI.

c in chron. tit.24. par. 3.c.7. §.14.

d ad ann. 1220.n.71. to.1. & ad ann. 1231. n.77. to.2.

§. XXX.

De Beatis TERESIA, & SANCIA Monialibus Ordinis Ciſtercienſis, quæ vulgo ſanctæ Reginæ *nuncupantur.*

107 &c. TEreſia, & Sancia patrem habuerunt Sancium I. Portugalliæ Regem. Tereſia matrimonium contraxit cum Alphonſo IX. Rege Legionenſi, quod tamen trina ſuſcepta prole, nullum declaravit Cœleſtinus III, eo quod Tereſia in tertio conſanguinitatis gradu Alphonſo conjuncta eſſet. Id in Congregatione rituum diſcuſſum Tereſiæ ſanctitati non obſtitit, cum inſcia, ac jubente patre matrimonium contraxiſſet, uti referunt Brittus, Macedo, & alii apud Bollandian. (*e*). A viro ſeparata aſperrimam vitam in monaſterio Lorvanienſi duxit, ac poſt obitum miraculis claruit. Ambæ hæ Reginæ *Sanctæ* paſſim nominabantur, & Congregatio rituum, approbato caſu excepto, nomen

e ad 17.Junto.3. & ad 30. Maji to.7.

Digitized by Google

men hoc retineri juſſit, cum ſic ab immemorabili appellarentur. Et ob eamdem rationem, approbato cultu immemorabili in cauſis nunc SS. Peregrini Latioſi, & Agnetis a Monte Politiano, permiſit, ut ab iiſdem retineretur titulus *Beati*. Geſta in cauſa SS. Tereſiæ, & Sanciæ fuſe deſcribuntur in Brevi Clementis XI. 23.Decemb. an.1705., in quo dicitur Congregatio rituum confirmaſſe ſententiam Epiſcopi Conimbricenſis Judicis delegati ſuper cultu immemorabili, & caſu excepto. Porro decretum Congregationis Clemens ipſe per dictum Breve approbavit.

§. XXXI.

De B. LUCIA de NARNIA Ordinis S. Dominici Fundatrice monaſterii S. Catharinæ de Senis Ferrariæ.

111 Acta quoque in hujus Beatæ cauſa fuſe recenſentur in litteris Apoſtolicis ejuſdem memorati Pontificis in forma Brevis 26. Mart. an. 1710., juxta quas Franciſcus Maria Cardinalis Macchiavellus, Epiſcopus Ferrarienſis, ſuper cultu immemorabili, & caſu excepto ſententiam tulit, eamque confirmavit Congregatio rituum, hujuſque decretum ſubinde per eaſdem litteras Apoſtolicas Clemens XI. approbavit.

112 Obiit B. Lucia an. 1544. Et licet nondum elapſi eſſent centum anni ab ejus obitu ad an.1634., quo edita eſt Conſtitutio Urbani; nihilominus approbatus fuit cultus immemorabilis, eo quod ſententia ſuper eodem ab Ordinario lata fuerit ante annum 1652., quo ſacra Congregatio ſtatuit, ne pro complemento centenarii annorum numeri in Urbani Conſtitutione præſcripti pro cultu immemorabili, attenderentur geſta poſt eamdem Conſtitutionem.

113.114 Stigmatibus ſupra naturam fuiſſe inſignitam teſtantur Theophilus Raynaudus (a), aliique plures. Quin immo Congregatio rituum ſub Benedicto XIV. 23.Jan. an.1740. ejus Imagines cum Stigmatibus pingi, & in eccleſiis, aliiſque locis retineri poſſe affirmavit.

a oper. to. 13.de Stig. ſac.& prof.

§. XXXII.

De B. SALVATORE ab HORTA Laico Ordinis Minorum Obſervantiæ S. Franciſci.

115 Cardinalis Urbis Vicarius in ejus cauſa ſententiam tulit ſuper caſu excepto, quam Congregatio rituum 13.Septemb. an.1710. confirmavit, annuitque Clemens XI. anno ſequenti.

116 Mortuus eſt B. Salvator anno 1567. Ejus vitam latiſſime conſcripſit P. Dimas Serpi Provincialis Minorum Obſervantium Sardiniæ, quam Bollandiani ediderunt (b); ſed & alii ejus ſanctitatem commendarunt.

b ad 18. Mart. to.2.

117&c. Sententia, ejuſque confirmatio innixæ ſunt ſacræ Congregationis permiſſioni, ut B. Salvator cum titulo Beati, & miraculis imprimeretur. Putarunt Poſtulatores, approbato caſu excepto approbatas fuiſſe virtutes, ſed Benedictus XIV. tunc Fidei Promotor oppoſitum evicit. Poſt hæc Congregatio eadem (c) decrevit, ne illius corpus a capſa, in qua ſervabatur, amoveretur. Expeditis ſubinde litteris *remiſſorialibus* confecti ſunt proceſſus Apoſtolici, quos Congregatio remiſit ad Rotæ Auditores: hi vero validitatem, virtutes, unumque miraculum admiſerunt. Tum Urbanus VIII, quamdam ejuſdem Beati Capellam viſitantibus plenariam peccatorum ſuorum indulgentiam conceſſit. Mox, ut ejuſdem Urbani decretis obedientia deferretur, ſignata eſt *Commiſſio*, ac deputatus Cardinalis Urbis Vicarius, qui, ut ſupra, ſententiam protulit, quam Congregatio confirmavit. Interea Innocentius XI. aliam indulgentiam viſitantibus prædictam Capellam eſt elargitus.

c 1. Sept. 1607.

§. XXXIII.

De B. CESLAO ODROVANTIO Ordinis Prædicatorum.

122. 123. BEatus Ceslaus S. Hyacinthi frater germanus obiit an. 1242. Præter alios Scriptores, Abrahamus Bzovius exactam ſanctitatis vitæ, miraculorum, & cultus immemorabilis epitomen edidit. In ejus cauſa Suffraganeus Uratislavienſis Judex delegatus ſententiam pronunciavit ſuper ejus cultu immemorabili, & caſu excepto, eamque annuente Clemente XI. 20. Aug. an. 1712. Congregatio rituum confirmavit.

§. XXXIV.

De B. LIBERATO de LAURO, Sancto nuncupato, Ordinis Fratrum Minorum S. Franciſci de Obſervantia.

124 PLura in hujus cauſa acta ſunt in Congregatione rituum, quæ fuſe recenſentur in litteris Apoſtolicis Clementis XI, quibus in forma Brevis 2. Septembr. an. 1713. confirmavit decretum Congregationis rituum ejuſdem anni, ne quid ſupra ejus cultu innovaretur.

125 &c. Quod igitur ſpectat ad hujus cauſæ ſeriem, Congregatio rituum amoveri ab altaribus juſſit Imagines S. Liberati, cui in lecto decumbenti, B. Virgo Angelicis comitata Choris cibum ſubminiſtrabat; addiditque, probandum eſſe ejus cultum immemorabilem. Quapropter confecto auctoritate ordinaria proceſſu, Epiſcopus Camerinenſis ſententiam ſuper eodem cultu tulit. Cauſa ad Congregationem remiſſa, Benedictus XIV. tunc Fidei Promotor contendit, neceſſariam eſſe *Signaturam Commiſſionis*. Renitentibus Poſtulatoribus, utpote qui dumtaxat petebant, ne cultus amoveretur, Congregatio reſpondit, requiri in hoc caſu *Commiſſionem*, ut facilius nonnullæ occurrentes difficultates elucidarentur; ſiquidem ex Arturo (*a*), aliiſque inferri poſſe videbatur, hunc fuiſſe auctorem hæreſis *Fraticellorum*, *&* *Bizzocorum*. Verum ex pluribus, probatiſque Scriptoribus demonſtrarunt Poſtulatores, neque hunc, neque alium ex Ordine Minorum fuiſſe illius hæreſis auctorem: eumdem ab iiſdem Scriptoribus tamquam Sanctum commendari; demum nactum fuiſſe in Picero cultum immemorabilem; quibus omnibus in Congregatione diſcuſſis, hæc cenſuit, nihil ſuper eodem cultu eſſe innovandum.

a in Martyrol. Franc. ad 26. Aug.

§. XXXV.

De B. GREGORIO Papa X.

130 &c. OBiit Gregorius X. circa annum 1276., eique ſucceſſit Innocentius V, ſub quo nonnulla, interceſſione B. Gregorii, miracula patrata ſunt, quorum aliqua deſcripta fuerunt in quadam tabella, quæ in bibliotheca Vaticana aſſervatur. Hinc plerique hiſtorici affirmarunt, Innocentium V. Divinos honores ei decreviſſe. Poſt hæc Joannes XXII., ſupplicante civitate Placentina, cauſam Canonizationis commiſit Præſulibus Piſano, ac Mutinenſi, nec non Bindo de Senis Eccleſiæ Colonienſis Præpoſito. Extat hæc *Commiſſio* autographa in bibliotheca Vaticana, ejuſque meminit Joannes Andreas Juriſconſultus (*b*). Præſules Piſanus, & Mutinenſis proceſſum forte confecerunt; nam Commune, & Conſilium civitatis Aretinæ ſtatuerunt, ut Cathedrali offerrentur cerei in feſto B. Gregorii, & Poſtulatores ad Urbem ad promovendam Canonizationem mitterentur: verumtamen hi proceſſus nullibi inventi ſunt; propterea alios conſtrui oportuit auctoritate ordinaria, & Apoſtolica. His ad Urbem miſſis, ac nondum apertis, Poſtulatores Officium, & Miſſam in ejus honorem petierunt, ſed Congregatio reſpondit, procedendum eſſe via

ordi-

b in comm. ad cap. *Ubi periculum* n. 1. de elect. in 6.

ordinaria. Quare cauſa tribus Rotæ Auditoribus juxta illius temporis morem, commiſſa, hi validitatem proceſſuum, virtutes, & miracula approbarunt. Poſt hæc ſacra rituum Congregatio validitatem proceſſuum, & virtutes admiſit; ſed quod ſpectat ad miracula, cum nonnulla eſſent ex deſcriptis in prædicta tabella, Promotor Fidei, ita ejus *identitati*, & miraculorum probationi ſe oppoſuit, ut judicium de miraculis numquam fuerit abſolutum. Nibilominus cum immemorabilis cultus ex his proceſſibus ſatis evinceretur, Congregatio rituum poſt *Commiſſionem* a Pontifice ſignatam, ſine alia Judicis delegati ſententia, eumdem cultum, adeoque caſum a Decretis Urbani exceptum approbavit. Porro Clemens XI. per litteras in forma Brevis 11. Septembr. an. 1713. decretum Congregationis confirmavit.

139 &c. B. Gregorii vitam inter alios ſcripſit Antonius Maria Bonuccius e Societate Jeſu cauſæ Poſtulator. Eum adbuc Archidiaconum in magna veneratione babuit S. Ludovicus Rex Galliæ. In Palæſtina degens, ac nondum Cardinalis ad Pontificatum evectus eſt per Compromiſſum. Eumdem laudat S. Antoninus (*a*), ejuſque nomen cum inſigni elogio deſcriptum eſt in Martyrologio Eccleſiæ Aretinæ apud Bzovium ad an. 1276. n. 3.

a in 3. par. hiſt. tit. 20. c. 2. §. 4.

§. XXXVI.

De B. ALEXIO FALCONERIO uno ex Fundatoribus Ordinis Servorum Matris Dei.

143 &c. HIC fuit patruus S. Julianæ de Falconeriis, ac morruus eſt an. 1310. ætatis ſuæ 110. Plura de ejus virtutibus, & abſtinentiis ſcripſit Petrus de Tuderti Prior Generalis Ordinis Servorum. Eum animi demiſſione adductum ad Sacerdotium aſcendere noluiſſe, ac virginitatem uſque ad obitum intactam ſervaſſe, teſtatus eſt Petrus Nicolaus Piſtorienſis ejuſdem Ordinis, ejuſque virtutes, alii quoque memorarunt. In ejus cauſa ſignata a Clemente IX. Commiſſione, expeditiſque litteris remiſſorialibus, conſtructus eſt Florentiæ particularis proceſſus ſuper cultu immemorabili, & caſu excepto, ac ſuper iiſdem Archiepiſcopus Florentinus a Congregatione delegatus ſententiam tulit, quam poſtea Congregatio eadem annuente Clemente XI, 20. Novemb. an. 1717. confirmavit.

§. XXXVII.

De B. SERAPHINO de ASCULO, ſeu de MONTE GRANARIO Laico Profeſſo Ordinem Minorum Capuccinorum S. Franciſci.

146 &c. HUjus Beati virtutes, & miracula præter alios extollit Boverius (*b*), juxta quem obiit an. 1604. Paulus V. an. 1610., media Congregatione Inquiſitionis, indulſit, ut ante ejus ſepulcrum lampas arderet. Urbanus VIII. vero, editis decretis, ne Servi Dei nondum beatificati publice colerentur, permiſit, ut ejuſdem Beati cultus perſiſteret. Hinc Congregatio rituum, confectis auctoritate Apoſtolica proceſſibus, ac lata ſententia ſuper caſu excepto, 11. Mart. an. 1719. cenſuit poſſe ad ulteriora procedi, annuitque Clemens XI. Porro hoc Congregationis Judicium non cultui immemorabili, ſed prædictis indultis innixum fuit.

b to. 2. annal. Ord. Capuc. ad ann. 1604. pag. 718.

§. XXXVIII.

De B. HUMILITATE Faventina.

149 &c. OBiit an. 1310., & Archiepiſcopus Florentinus ſuper ejus virtutibus, & miraculis proceſſus confecit, quibus ad Congregationem miſſis, Urbanus VIII. ſignavit *Commiſſionem* introductionis: idcirco expeditis litteris *remiſſorialibus*, alii proceſſus auctoritate Apoſtolica

Digitized by Google

lica compilati, & ad Congregationem miſſi ſunt an.1630. Tandem an.1716. impetrata *Commiſſione* reſumptionis, ut oſtenderetur obedientia decretis Urbani præſtita, actum fuit de ejus cultu immemorabili, non per novum proceſſum, ſed ex gratia ſpeciali, per proceſſus Apoſtolicos ſuperius indicatos, utpote qui probationes etiam continebant, ad cultum immemorabilem pertinentes. Quapropter Congregatio rituum, annuente Pontifice, eumdem cultum, & caſum exceptum 9.Decemb. an. 1719. approbavit. Ejus vitam ex pluribus collectam exhibent Bollandiani (a). Feſtum ſolemni pompa Faventiæ celebratur: corpus vero in ſuburbio Florentiæ incorruptum manet, & recurrente feſto ad publicam venerationem exponitur. Sed & ex proceſſibus deſumitur, Miſſam de communi in ejus honorem fuiſſe celebratam, ac nomen in Litaniis invocatum.

a ad 22. Maji to.5.

§. XXXIX.

De B. DALMATIO Ordinis S. Dominici.

152 &c. DEceſſit hic an.1341. Deinde conſtructo auctoritate ordinaria proceſſu circa an.1714. ſuper ejus cultu immemorabili, Judices, ab Epiſcopo Gerundenſi delegati, ſententiam tulerunt. Tum Clemens XI. an.1719. *Commiſſionem* introductionis cauſæ ſignavit: tandem Congregatio rituum, 9.Aug.an.1721., annuente Innocentio XIII., prædictam ſententiam ſuper cultu immemorabili, & caſu excepto confirmavit. De hujus Beati virtutibus, miraculis, ac publico continuato cultu plura referunt Franciſcus Diegus (b), & alii Ordinis Prædicatorum. Inſignius vero de ejus vita monumentum reliquit Nicolaus Eymericus ejuſdem Ordinis, ejuſdem Beati coætaneus, & alumnus.

b in hiſt. provinc. Arag. Barcinone edita an.1599.

§. XL.

De B. ANDREA de COMITIBUS Ordinis Fratrum Minorum S. Franciſci.

155.156 HIC anno 1302. occubuit. Quod ſpectat ad ejus cauſam, Innocentius XIII., prævio reſcripto Congregationis rituum an.1723. ſignavit Commiſſionem introductionis. Inde Epiſcopus Anagninus proceſſum conſtruxit, ac ſententiam tulit ſuper illius cultu immemorabili, adeoque ſuper caſu excepto a decretis Urbani, quam poſtea eadem Congregatio confirmavit. Memoratus autem Pontifex decretum Congregationis per litteras Apoſtolicas in forma Brevis approbavit 15.Febr. an.1724.

157 &c. Waddingus (c), & alii teſtantur, librum *de partu* Virginis ab hoc Beato fuiſſe conſcriptum, ſed non invenitur. Cardinalitiam dignitatem, ab Alexandro IV, vel Bonifacio VIII. oblatam humillime recuſavit. Plures Scriptores ejus ſanctitatem laudant. Vitam conſcripſit Antonius Maria Bonuccius Societatis Jeſu. Conſtans eſt Auctorum ſententia, Bonifacium VIII. dixiſſe, ſe velle Andream inter Sanctos referre, ſi eidem ſupervixiſſet. Non perfecit tamen, licet ſupervixerit, ob temporum calamitatem. Sepultus eſt in Eccleſia Minorum Conventualium extra Caſtrum Pillei diœceſis Anagninæ. De ejus cultu autem plura habentur in proceſſu ſuperius indicato.

c de Script. Ord. Min. pag.17.

§. XLI.

De SEX ex SEPTEM FUNDATORIBUS Religioſi Ordinis Servorum B. Mariæ Virginis.

161 &c. HOrum nomina, juxta communem opinionem, ſunt Bonfilius Monaldinus, Joannes Manettus, Benedictus Antellenſis, Bar-

Bartholomæus de Amideis, Ricoverus Lippius. Gerardinus Soſteneus, Alexius Falconerius. Hi viri nobiles in eremum Montis *Senarii* ſeſe receperunt, ibique Ordine Servorum B. Virginis inſtituto, mortui ſunt. Solus Alexius in Conventu SS. Annuntiationis Florentiæ obiit, cujus corpus ad eumdem montem aſportatum una cum aliis ſub ara majori conditum eſt. Tanta ſenſuum mortificatione vixerunt, ut Gaufridus Cardinalis Legatus eos ſerio admonuerit de nimia in ſe ipſos auſteritate, quam propterea tantiſper remiſerunt. Demum cauſa Beatificationis, & Canonizationis Alexii, ſumptibus ejus nobiliſſimæ Familiæ, abſoluta eſt. Quod ad alios ſpectat, Congregatio rituum 7. Jul. an. 1725., annuente Benedicto XIII, affirmavit, conſtare de eorum cultu immemorabili, ſuper quo Ordinarius Florentinus ſententiam tulerat.

§. XLII.

De B. SERAPIONE Martyre Religioſo Profeſſo Ordinem B. Mariæ Virginis de Mercede Redemptionis Captivorum.

167 &c. HIC Beatus, natione Anglus; a S. Petro Nolaſco in Ordinem admiſſus eſt. Duas captivorum redemptiones perfecit: primam Murtiæ, alteram Algariæ, ubi, deficiente pecunia in pignus manſit, ac Chriſti Fidem libere annuntians, cruci affixus, Martyr occubuit, ejuſque Martyrium deſcribitur in Chronicis ejuſdem Ordinis. Antiquitus huic Beato altaria dicata ſunt; aliæ quoque publici cultus ſpecies memorantur in proceſſibus. Porro proceſſus ſuper cultu immemorabili confecti ſunt Barcinone, & Gerundæ. Barcinonenſis Epiſcopus ſententiam tulit ſuper caſu excepto; eamque annuente Pontifice, approbavit Congregatio rituum an. 1728., cujus decretum Benedictus XIII. litteris Apoſtolicis in forma Brevis 14. Jul. an. 1728. roboravit.

§. XLIII.

De B. JOANNE de Dukla Ordinis Minorum Obſervantium S. Franciſci.

170 &c. MOrtuus eſt Beatus hic vir an. 1484.: ejus virtutes, & miracula in Chronicis Provinciæ Poloniæ Minorum Obſervantium, a Wadingo (*a*) relatis recenſentur. De ejus cultu immemorabili actum fuit in Congregatione rituum an. 1657.: ſed ob quoſdam proceſſuum defectus, aliaque ob incommoda cauſa dilata eſt, donec expeditis novis litteris remiſſorialibus, ac novo proceſſu in civitate, & diœceſi Leopolienſi confecto, Congregatio eadem 17. Jan., annuente Clemente XII. an. 1733. affirmavit, conſtare de cultu immemorabili, & caſu excepto. In hac cauſa exhibitum fuit Breve Innocentii VIII. de transferendo privatim B. corpore ab uno ad alium locum intra eamdem Eccleſiam, ſed cum non eſſet in forma authentica, vim adminiculi dumtaxat habuit.

a ad ann. 1484. to. 14.

§. XLIV.

De B. BENEDICTO Papa XI. Ordinis Prædicatorum.

174. 175 HIC ex familia Bocaſia Tarviſii natus, in juventute grammaticam pueros docuit, ut refert Franciſcus Pipinus (*b*) ejus contemporaneus. Ordinem Prædicatorum ingreſſus, ac Lectoris ſacrarum Litterarum munere functus, Magiſter Generalis totius Ordinis electus eſt. A Bonifacio VIII. Cardinalis, & Epiſcopus Hoſtienſis creatus, & in Hungariam Legatus Apoſtolicus miſſus, poſtea eidem Bonifacio in Pontificatu ſucceſſit, pluribuſque laudabiliter geſtis, obiit Peruſiæ, non ſine veneni ſuſpicione. Humilitate præcipue fulſit, ejuſque ſanctitatem plures apud

b l. 4. chron. c. 48. inter Script. rer. Ital. to. 9.

Petrum Thomam Campana in ejus vita teſtantur. Miraculis poſt obitum clarus, ſtatim Tarviſii, & Peruſiæ publicum cultum obtinuit. Tandem, ſignata a Clemente XII. Commiſſione introductionis cauſæ, Congregatio rituum 21. April. an. 1736., eodem Pontifice annuente, Epiſcopi Peruſini ſententiam ſuper illius cultu immemorabili, & caſu excepto approbavit.

§. XLV.

De B. MICHELINA Tertiaria Ordinis Minorum Conventualium S. Franciſci.

176, 177 BEata hæc Piſauri orta, duodennis nobili viro nupſit, quo viduata, filii ex eo ſuſcepti curam geſſit. Bonis poſtea in pauperes diſtributis, ſuſceptoque habitu Tertii Ordinis S. Franciſci, Palæſtinam inviſit. In Monte Calvario Dominicam recolens Paſſionem, in ecſtaſim rapta eſt, tum ad ſenſus reverſa, memorans Redemptoris dolores, aſtantes ad lacrymas movit. Piſaurum reverſa ibidem obiit. Ejus geſta, præter alios, retulerunt Bollandiani (a). In ejus cauſa confectis ab Epiſcopo Piſaurenſi proceſſibus, ac lata ſententia ſuper cultu immemorabili, & caſu excepto, tum ſignata a Clemente XII. *Commiſſione* introductionis, Congregatio rituum ſententiam ipſam confirmavit, cujus decreto idem Clemens per litteras Apoſtolicas in forma Brevis 24. Apr. an. 1737. robur addidit. Acta hæc ſunt cura potiſſimum Fabii Cardinalis de Oliveriis Piſaurenſis, cujus etiam ſumptibus magnificentiſſimum Triduum in baſilica SS. Apoſtolorum de Urbe in honorem Beatæ celebratum eſt.

a ad 19. Jun. to. 3.

§. XLVI.

De B. RITA, ſive MARGARITA de CASSIA.

178 URbanus VIII, prævio conſilio Congregationis rituum, in ejus honorem Officium, & Miſſam de communi conceſſit diœceſi Spoletinæ, & Eccleſiis Eremitarum S. Auguſtini. Ejus vita deſcribitur in lectionibus propriis a ſacra Congregatione approbatis. Alias cultus ſpecies indulſit Benedictus XIII, ſed & illius nomen deſcriptum eſt in Martyrologio Romano. Quocirca Congregatio rituum caſum exceptum ex indultis Apoſtolicis approbavit.

§. XLVII.

De B. CLARA de MONTEFALCO Moniali Ordinis Eremitarum S. Auguſtini.

179, 180. EX alibi dictis, Canonizatio hujus Beatæ promota fuit apud Joannem XXII, cujus juſſu proceſſus conſtructi fuere, ſed ob graviſſima Sedis Apoſtolicæ negotia, cauſa non fuit abſoluta. Urbanus VIII. Officium, & Miſſam in ejus honorem indulſit Ordini Eremitarum S. Auguſtini, idque extenſum fuit ad diœceſim Spoletinam, approbatis lectionibus propriis ſecundi Nocturni. Hinc ſignata a Clemente XII. Commiſſione reſumptionis, ex dictis Indultis approbatus eſt caſus exceptus. Hujus B. nomen in Martyrologio Romano deſcriptum eſt, ubi etiam in ejus viſceribus Dominicæ Paſſionis myſteria renovata dicuntur. Ternos quoque globulos carneos, qui & ſinguli, & bini, & terni æquale pondus haberent, ex ejus corpore eductos fuiſſe teſtantur plures apud Fortunium Licetum (b).

b de 4. quæſit. per epiſt. c. 43.

§. XLVIII.

§. XLVIII.

De Venerabili Servo Dei JOANNE ANGELO PORRO Sacerdote Profeſſo Ordinem Servorum B. Mariæ Virginis Beato *nuncupato*.

181. 182 MOrtuus eſt an. 1506., ejuſque virtutum, & miraculorum meminerunt F. Michael Auguſtinus, aliique ejuſdem Ordinis. Ferunt, ejus corpus numquam in commune ſepulcrum inferri potuiſſe. Cum incorruptum repertum fuiſſet, ſuper quoddam altare Eccleſiæ, ſeu Ordinis Mediolani ſolemni pompa collocatum fuit, inde ad ſacellum honorificentius translatum. Occaſione proceſſus ſuper cultu immemorabili provide a Poſtulatoribus recognitum fuit, cum incorruptionem ex miraculo adſtruerent. Vicarius Generalis Mediolanenſis ad ſacram Congregationem epiſtolam miſit, affirmans, ejus cultum in dies auctum fuiſſe, nemine, ne ſancto quidem Carolo Borromæo, contradicente. In ejus cauſa, ſignata a Clemente XII. Commiſſione introductionis, Ordinarius Mediolanenſis proceſſus conſtruxit, ac ſententiam pronunciavit ſuper cultu immemorabili, & caſu excepto. Congregatio vero rituum, perpenſis proceſſibus, ſententiam ipſam, annuente Pontifice, 13 Jul. an. 1737. confirmavit.

§. XLIX.

De B. ANDREA CACCIOLA Sacerdote Profeſſo Ordinis Minorum S. Franciſci.

183 &c. HIC natione Hiſpellas fuit unus ex primis diſcipulis S. Franciſci. Plures regiones peragravit prædicans verbum Dei, ac in patriam reverſus obiit an. 1254. Illum virtutibus, & miraculis claruiſſe referunt Rodulphus Toſſinianenſis (*a*), aliique. Inter alias ſpecies antiquiſſimi cultus hujus Beati, feſtum ab an. 1360. celebratum invenitur. Super eodem cultu jam conſtructi fuerant proceſſus, ac ſignata Commiſſio introductionis: ſed exortis dubiis ſuper decretorum Urbani intelligentia, cauſa ſiluit, donec an. 1729. ſignata Commiſſione reaſſumptionis a Benedicto XIII, Epiſcopus Spoletanus auctoritate Apoſtolica novum proceſſum confecit, ac ſententiam tulit ſuper cultu immemorabili, & caſu excepto, quam Congregatio rituum, annuente Clemente XII, approbavit 19. Jul. an. 1738.

a hiſt. Seraph. l. 1. pag. 73.

§. L.

De B. COLETA Virgine Reformatrice Ordinis S. Claræ.

187 &c. GAndavi migravit e vita B. Coleta an. 1447. Ejus geſta deſcripſit Stephanus Ordinis Minorum, ejuſdem Beatæ coævus, & ex eo Surius, aliique. Statim poſt obitum venerationem obtinuit; & Nicolaus Epiſcopus Sareptanus ejus Reliquias ſolemni pompa elevavit, publicæque expoſuit venerationi. Addit Waddingus (*b*), Gericum Minoritam a S. Pio V. expetiiſſe, ut omnibus Coletanis Beatæ feſtum liceret celebrare: Pontificem exegiſſe documenta, hæc vero Romam perveniſſe, eo defuncto. Poſt hæc Clemens VIII. permiſit, ut in Monaſterio Gandavenſi ejuſdem Ordinis Miſſa, & Officium de communi in honorem B. Coletæ celebrarentur, anniverſario obitus die. Eamdem facultatem Gregorius XV, & Urbanus VIII. impertiti ſunt monaſterio Ambianenſi, & monaſterio Suburbii S. Honorati Pariſienſis, ejuſdem Ordinis: tum ſacra Congregatio rituum ad plura loca extendit, ac demum lectiones proprias ſecundi Nocturni approbavit, cum oratione propria. Quapropter 23. Jan. an. 1740. ſacra Congregatio, ſignata a Clemente XII. Commiſſione, affirmavit conſtare de cultu immemorabili, &

b ad ann. 1447. n. 59. n. 11.

Petrum Thomam Campana in ejus vita teſtantur. Miraculis poſt obitum clarus, ſtatim Tarviſii, & Peruſiæ publicum cultum obtinuit. Tandem, ſignata a Clemente XII. Commiſſione introductionis cauſæ, Congregatio rituum 21. April. an. 1736., eodem Pontifice annuente, Epiſcopi Peruſini ſententiam ſuper illius cultu immemorabili, & caſu excepto approbavit.

§. XLV.

De B. MICHELINA Tertiaria Ordinis Minorum Conventualium S. Franciſci.

176, 177 Beata hæc Piſauri orta, duodennis nobili viro nupſit, quo viduata, filii ex eo ſuſcepti curam geſſit. Bonis poſtea in pauperes diſtributis, ſuſceptoque habitu Tertii Ordinis S. Franciſci, Palæſtinam inviſit. In Monte Calvario Dominicam recolens Paſſionem, in ecſtaſim rapta eſt, tum ad ſenſus reverſa, memorans Redemptoris dolores, aſtantes ad lacrymas movit. Piſaurum reverſa ibidem obiit. Ejus geſta, præter alios, retulerunt Bollandiani (a). In ejus cauſa confectis ab Epiſcopo Piſaurenſi proceſſibus, ac lata ſententia ſuper cultu immemorabili, & caſu excepto, tum ſignata a Clemente XII. *Commiſſione* introductionis, Congregatio rituum ſententiam ipſam confirmavit, cujus decreto idem Clemens per litteras Apoſtolicas in forma Brevis 24. Apr. an. 1737. robur addidit. Acta hæc ſunt cura potiſſimum Fabii Cardinalis de Oliveriis Piſaurenſis, cujus etiam ſumptibus magnificentiſſimum Triduum in baſilica SS. Apoſtolorum de Urbe in honorem Beatæ celebratum eſt.

a ad 19. Jun. 10. 3.

§. XLVI.

De B. RITA, ſive MARGARITA de CASSIA.

178 Urbanus VIII, prævio conſilio Congregationis rituum, in ejus honorem Officium, & Miſſam de communi conceſſit diœceſi Spoletinæ, & Eccleſiis Eremitarum S. Auguſtini. Ejus vita deſcribitur in lectionibus propriis a ſacra Congregatione approbatis. Alias cultus ſpecies indulſit Benedictus XIII, ſed & illius nomen deſcriptum eſt in Martyrologio Romano. Quocirca Congregatio rituum caſum exceptum ex indultis Apoſtolicis approbavit.

§. XLVII.

De B. CLARA de MONTEFALCO Moniali Ordinis Eremitarum S. Auguſtini.

179, 180. Ex alibi dictis, Canonizatio hujus Beatæ promota fuit apud Joannem XXII, cujus juſſu proceſſus conſtructi fuere, ſed ob graviſſima Sedis Apoſtolicæ negotia, cauſa non fuit abſoluta. Urbanus VIII. Officium, & Miſſam in ejus honorem indulſit Ordini Eremitarum S. Auguſtini, idque extenſum fuit ad diœceſim Spoletinam, approbatis lectionibus propriis ſecundi Nocturni. Hinc ſignata a Clemente XII. Commiſſione reſumptionis, ex dictis indultis approbatus eſt caſus exceptus. Hujus B. nomen in Martyrologio Romano deſcriptum eſt, ubi etiam in ejus viſceribus Dominicæ Paſſionis myſteria renovata dicuntur. Ternos quoque globulos carneos, qui & ſinguli, & bini, & terni æquale pondus haberent, ex ejus corpore eductos fuiſſe teſtantur plures apud Fortunium Licetum (b).

b de 6. quæſit. per epiſt. c. 43.

§. XLVIII.

§. XLVIII.

De Venerabili Servo Dei JOANNE ANGELO PORRO Sacerdote Profeſſo Ordinem Servorum B. Mariæ Virginis Beato *nuncupato.*

181. 182 MOrtuus eſt an. 1506., ejuſque virtutum, & miraculorum meminerunt F. Michael Auguſtinus, aliique ejuſdem Ordinis. Ferunt, ejus corpus numquam in commune ſepulcrum inferri potuiſſe. Cum incorruptum repertum fuiſſet, ſuper quoddam altare Eccleſiæ, ſeu Ordinis Mediolani ſolemni pompa collocatum fuit, inde ad ſacellum honorificentius translatum. Occaſione proceſſus ſuper cultu immemorabili provide a Poſtulatoribus recognitum fuit, cum incorruptionem ex miraculo adſtruerent. Vicarius Generalis Mediolanenſis ad ſacram Congregationem epiſtolam miſit, affirmans, ejus cultum in dies auctum fuiſſe, nemine, ne ſancto quidem Carolo Borromæo, contradicente. In ejus cauſa, ſignata a Clemente XII. Commiſſione introductionis, Ordinarius Mediolanenſis proceſſus conſtruxit, ac ſententiam pronunciavit ſuper cultu immemorabili, & caſu excepto. Congregatio vero rituum, perpenſis proceſſibus, ſententiam ipſam, annuente Pontifice, 13. Jul. an. 1737. confirmavit.

§. XLIX.

De B. ANDREA CACCIOLA Sacerdote Profeſſo Ordinis Minorum S. Franciſci.

183 &c. HIC natione Hiſpellas fuit unus ex primis diſcipulis S. Franciſci. Plures regiones peragravit prædicans verbum Dei, ac in patriam reverſus obiit an. 1254. Illum virtutibus, & miraculis claruiſſe referunt Rodulphus Toſſinianenſis (a), aliique. Inter alias ſpecies antiquiſſimi cultus hujus Beati, feſtum ab an. 1360. celebratum invenitur. Super eodem cultu jam conſtructi fuerant proceſſus, ac ſignata Commiſſio introductionis; ſed exortis dubiis ſuper decretorum Urbani intelligentia, cauſa ſiluit, donec an. 1729. ſignata Commiſſione reaſſumptionis a Benedicto XIII, Epiſcopus Spoletanus auctoritate Apoſtolica novum proceſſum confecit, ac ſententiam tulit ſuper cultu immemorabili, & caſu excepto, quam Congregatio rituum, annuente Clemente XII, approbavit 19. Jul. an. 1738.

a hiſt. Seraph. l. 1. pag. 73.

§. L.

De B. COLETA Virgine Reformatrice Ordinis S. Claræ.

187 &c. GAndavi migravit e vita B. Coleta an. 1447. Ejus geſta deſcripſit Stephanus Ordinis Minorum, ejuſdem Beatæ coævus, & ex eo Surius, aliique. Statim poſt obitum venerationem obtinuit; & Nicolaus Epiſcopus Sereptanus ejus Reliquias ſolemni pompa elevavit, publicæque expoſuit venerationi. Addit Waddingus (b), Gericum Minoritam a S. Pio V. expetiiſſe, ut omnibus Coletanis Beatæ feſtum liceret celebrare: Pontificem exegiſſe documenta, hæc vero Romam perveniſſe, eo defuncto. Poſt hæc Clemens VIII. permiſit, ut in Monaſterio Gandavenſi ejuſdem Ordinis Miſſa, & Officium de communi in honorem B. Coletæ celebrarentur, anniverſario obitus die. Eamdem facultatem Gregorius XV, & Urbanus VIII. impertiti ſunt monaſterio Ambianenſi, & monaſterio Suburbii S. Honorati Pariſienſis, ejuſdem Ordinis: tum ſacra Congregatio rituum ad plura loca extendit, ac demum lectiones proprias ſecundi Nocturni approbavit, cum oratione propria. Quapropter 23. Jan. an. 1740. ſacra Congregatio, ſignata a Clemente XII. Commiſſione, affirmavit conſtare de cultu immemorabili, &

b ad ann. 1447. n. 59. n. 11.

caſu excepto ex Apoſtolicis indultis; annuitque Benedictus XIV., cum Clemens obierit. In hoc Congregationis decreto ſit mentio Commiſſionis, non vero introductionis, vel reaſſumptionis, cum hæ in cauſis caſus excepti ex indultis Apoſtolicis omitti poſſint, quod & factum eſt in cauſa S. Agnetis a Monte Politiano.

§. LI.

De B. STEPHANA de QUINZANIS Moniali Ordinis Prædicatorum.

194 &c. HÆC obiit an. 1530. Ejus vitam ſub nomine legendæ in compendium redegit F. Petrus Ordinis Prædicatorum, Beatæ contemporaneus, quam poſtea auxit. De hac legenda ſermo ſit ad calcem Martyrologii Ordinis Prædicatorum, & occaſione ſignaturæ Commiſſionis perpenſa fuit. Alii quoque ejus virtutes deſcripſerunt. Quare Judices ab Epiſcopo Cremonenſi delegati proceſſum confecerunt, ac ſententiam ſuper cultu immemorabili, & caſu excepto addiderunt. Hinc an. 1738, ſignata a Clemente XII. Commiſſione introductionis cauſæ, ac propoſito in Congregatione dubio, an dicta ſententia eſſet confirmanda, oppoſuit Promotor Fidei, non fuiſſe ab eo recognitam prædictam legendam, quam ſcripturæ Poſtulatorum memorabant, ideoque cauſa dilata fuit, donec legenda a Promotore reviſa, 10. Decembr. an. 1740. ſacra Congregatio, annuente Pontifice, ſententiam confirmavit.

§. LII.

De B. ALVARO de Corduba Sacerdote Profeſſo Ordinis Prædicatorum, Fundatore Cœnobii S. Dominici de Scala Dei civitatis Cordubæ.

198 &c. BEatus Alvarus ex nobili familia Cordubæ natus, in ſuæ ætatis flore Ordinem Prædicatorum ingreſſus eſt. Prædicationi verbi Dei ſe devovens ingentes labores, maximo cum animarum lucro, ſuſtinuit. Hiſpaniarum Reginæ a confeſſionibus eſſe recuſavit, conſtructoque cœnobio S. Dominici prope Cordubam, contemplationi, & auſteritati ſe dedit. Obiit an. 1430. Ejus ſanctitate, ac prodigiis permoti Cordubenſes, ſtatim, uti Sanctum, coluerunt. Plura referunt Joannes Marietta in ejus vita, aliique ejuſdem Ordinis. Plures cultus huic Beato exhibiti ſpecies numerantur; præcipuæ tamen ſunt, quas nonnulli Epiſcopi Cordubenſes præſtiterunt, & referuntur in proceſſu Apoſtolico. Hujus Beati cauſa ab Anno 1627. agitari cœpit. Etenim ſignata Commiſſione introductionis ſub Urbano VIII., & reaſſumptionis a Clemente X, expeditiſque literis remiſſorialibus, & compulſorialibus, Epiſcopus Cordubenſis Judex delegatus, compilato proceſſu, declaravit cultum Beati immemorabilem, adeoque caſum exceptum a decretis Urbani VIII. Verumtamen Congregatio rituum id confirmare reſpuit, quia teſtes, de immemorabili deponentes, non ſatis probabant cultum centenarium ante decreta Urbani, adeoque coadjuvandas eſſe probationes edixit. Vi hujus reſcripti novus proceſſus Apoſtolicus conſtructus eſt, ac nova ſuper antiquo cultu allata ſunt documenta. Hinc ſacra Congregatio, Pontifice annuente, 16. Septembr. an. 1741. caſum exceptum approbavit.

§. LIII.

De Ven. Servo Dei PETRO GONZALEZ Sacerdote Profeſſo Ordinis Prædicatorum, San-Telmo, *&* Beato *nuncupato.*

206 &c. NAtus eſt in terra Fromiſtæ diœceſis Palentinæ, cujus Cathedralis Decanatu abdicato, naſcentem Prædicatorum Ordinem ingreſſus eſt. Egregiis eluxit vir-

virtutibus, præcipue in concionibus obeundis, & excipiendis Fidelium confeſſionibus, in quo munere præſto fuit B. Ferdinando III. Caſtellæ Regi. Obiit in urbe Tudenſi circa an. 1246., uti habetur in antiqua ejus vitæ legenda manuſcripta, cui alii ſcriptores conſentiunt. Plura in proceſſus compulſata fuerunt monumenta, antiquiſſimum Beati cultum comprobantia, ejuſque ſub titulo Beati, ac ſancti meminerunt S. Antoninus (*a*), & alii. Magnam in eo fiduciam habent nautæ, quibus periclitantibus ſub ſpecie ignis apparere, & opem ferre dicitur, teſte Tamayo (*b*) de Salazar cum aliis. Quod ſpectat ad ejus cauſam, confecti fuerunt auctoritate ordinaria proceſſus ſuper vita, & miraculis, quibus acceſſerunt alii duo ex curia Tudenſi ſuper fama ſanctitatis, & miraculorum, tum ſuper cultu immemorabili, ſuper quo Epiſcopus Tudenſis ſententiam quoque protulit; quare Benedictus XIV. an. 1740. ſignavit Commiſſionem introductionis cauſæ. Poſt hæc pluribus allatis documentis ſuper cultu immemorabili, quin etiam exhibitis Indulgentiarum Brevibus, in ejus honorem expeditis a Clemente VIII, aliiſque Pontificibus, Congregatio rituum 9. Decembr. an. 1741., approbante Pontifice, ſententiam prædictam ſuper caſu excepto confirmavit.

a in chron. par. 3. tit. 23. c. 10. §. 5.

b in Martyrol. Hiſp. ad 14. Apr.

§. LIV.

De B. JOANNA VALESIA Regina Franciæ, & Fundatrice Ordinis B. Mariæ Virginis ſub Regula S. Franciſci.

212. &c. HÆC Beata ex Ludovico XI. Galliarum Rege, & ex Carolina a Sabaudia an. 1465. orta, virginitati ſervandæ ſtuduit; ſed, Genitoris juſſu, nupſit Duci Aurelianenſi, a quo dimiſſa auſteram vitam duxit, ac inſtituto Sanctimonialium Annunciationis Ordine, obiit an. 1504. cum magna ſanctitatis opinione. Ejus Acta recenſentur ab Arnoldo Ferroni Burdigalenſi (*c*), & ab aliis in pluribus monumentis. Plurimæ immemorabilis cultus ſpecies in ejus cauſa recenſitæ ſunt, ſed præcipue ex authentico monumento apparuit, proprias recitatas fuiſſe in ejus honorem centum annis ante decreta Urbani VIII. Litanias, Antiphonas, Orationes, & verſiculum. Præterea, combuſto a Calviniſtis ejuſdem corpore, cineribuſque diſperſis, cultus, populique concurſus ad ejus tumulum non eſt imminutus. Plura in hac cauſa referuntur Acta ſub Urbano VIII, & Alexandro VII. Tandem an. 1738. expeditis a ſacra Congregatione novis literis remiſſorialibus, & compulſorialibus, Archiepiſcopus Bituricenſis, ab ea delegatus, particulari proceſſu, ac ſententia cultum immemorabilem declaravit, Congregatio vero 14. Apr. an. 1742. ſententiam confirmavit. Benedictus XIV. reſcriptum Congregationis prius oretenus, inde per literas Apoſtolicas in forma Brevis 14. Jun. ejuſdem anni approbavit.

c in hiſt. de reb. geſt. Gall.

§. LV.

De B. GERIO PATRONO Montis Sancti.

218. EX nobili familia Comitum Lunelli in provincia Occitania ortus B. Gerius, cum iter in Palæſtinam inſtituiſſet, obiit ſæculo XIII. in confiniis Montis Sancti in Piceno. Ejus corpus, finitimis populis certatim exigentibus, immobile perſtitit, donec quadrigæ a juvencis indomitis actæ impoſitum, ad locum *Columbario* prope Montem Sanctum delatum eſt. Hæc, & ſimilia deſcribuntur in ejus vita, ſcripta an. 1326. quæ aſſervatur in archivo Archiepiſcopatus Firmani, & apud alios. Plures cultus ſpecies erga hunc Beatum recenſentur in eodem Codice, & in libris decretorum Montis Sancti. Præterea Pius II. Indulgentiam quamdam in ejus

in ejus honorem elargitus eſt. Quibus omnibus perpenſis 28. Jul. an. 1742. Congregatio rituum, ex diſpenſatione Apoſtolica, cultum immemorabilem ejuſdem Beati, & caſum exceptum, annuente Benedicto XIV, declaravit, ac Pro-Vicarii Generalis ab Archiepiſcopo Firmano delegati ſententiam ſuper iiſdem confirmavit.

§. LVI.

De B. BENEDICTO a S. Philadelphio Laico Profeſſo Ordinis Minorum Obſervantium Reformatorum S. Franciſci.

219 &c. **B**Eatus Benedictus ex parentibus genere Mauris, religione Catholicis, in pago S. Philadelphii, vulgo *S. Fradello*, diœceſis Panormitanæ ortus, Religioni Minorum Obſervantium Reformatorum S. Franciſci nomen dedit. Licet Laicus, & plane rudis eſſet, Præpoſitus tamen in Conventu Panormitano S. Mariæ de Jeſu renunciatus eſt, ubi non ſine magna ſanctitatis opinione obiit an. 1589., uti referunt Octavius Cajetanus Siracuſanus (*a*), & alii. In ejus cauſa, ſignata a Clemente XI. an. 1713. Commiſſione reaſſumptionis, Congregatio rituum ann. 1742. diſtulit approbationem caſus excepti, addens coadjuvandas eſſe probationes. His demum elucidatis, perpenſiſque ſuper cultu publico, & caſu excepto proceſſibus Apoſtolicis 11. Maji an. 1743., annuente Pontifice, eumdem cultum, & caſum approbavit. Huic approbationi fundamentum ſuppeditavit ejuſdem Congregationis permiſſio, ut corpus B. Benedicti e ſacrario in eccleſiam transferretur. Cumque prius non conſtiterit, id fuiſſe permiſſum ad introducendum, vel augendum publicum cultum, ideo Congregatio approbationem diſtulerat. Verumtamen ex circumſtantiis ejuſdem permiſſionis, ex literis Philippi III. Regis Hiſpaniarum, datis ad Archiepiſcopum Panormitanum pro translatione corporis impetranda a ſacra Congregatione; & ex cultu ejuſdem Beati in plures provincias diffuſo & aucto, apparuit, permiſſionem reſpexiſſe cultus introductionem, vel augmentum. Probationes vero adjuvit epiſtola Urbani VIII. in forma Brevis, qua laudavit civitatem Panormitanam, quod corpus Beati Benedicti veneraretur.

a Idea oper. de vit. SS. c. 2.

§. LVII.

De B. FRANCISCO PATRITIO Ordinis Servorum B. Mariæ.

224 &c. **N**Obilibus, piiſque parentibus Senis ortus, habitum Tertii Ordinis a S. Philippo Benitio prius ſuſcepit, inde Ordini Servorum B.M.V. ſe penitus mancipavit. Pietate in Beatiſſimam Virginem, humilitate, aliiſque virtutibus, ac miraculis clarus obiit an. 1326., juxta Archangelum Gianium (*b*), & alios. In ejus cauſa Acta quædam ſunt ſub Urbano VIII, & Clemente XII. Tandem, ſignata a Benedicto XIV. Commiſſione reaſſumptionis, expeditiſque literis remiſſorialibus, & compulſorialibus, Vicarius Generalis Senenſis a Congregatione rituum delegatus proceſſum ſuper immemorabili hujus Beati cultu, ſeu caſu excepto compilavit, ac ſententiam tulit, quam ſubinde Congregatio ipſa 31. Aug. an. 1743., annuente Pontifice, confirmavit. Plura ſunt ejus cultus argumenta, idoneis teſtibus comprobata.

b centur. 1. annal. Ord. Serv. l. 7.

§. LVIII.

De B. NICOLAO ALBERGATO S.R.E. Cardinali, & Epiſcopo Bononiæ.

227 **B**Enedictus XIV. Commiſſionem introductionis cauſæ hujus Beati ſignavit. Jampridem in Curia Bononienſi conditus fuerat proceſſus

ceſſus ſuper obſervantia decretorum Urbani VIII, unde deducebatur, cultum publicum huic Beato fuiſſe exhibitum, conſentientibus Epiſcopis Bononienſibus, immo ſuper eodem ſententiam tulerat Jacobus Boncompagni Cardinalis Archiepiſcopus Bononienſis. Jam vero idem Benedictus ejus Acta a Jacobo Zeno Epiſcopo Feltrenſi, & Belluoenſi conſcripta accurate edi juſſit. Cumque in Congregatione rituum ordinaria proponendum eſſet dubium de obſervantia decretorum Urbani VIII, ipſemet Benedictus omnia ad Beati vitam, & cultum ſpectantia fuſe expoſuit. Quapropter Cardinales omnes congregati, communi ſuffragio declararunt, obedientiam decretis Urbani fuiſſe præſtitam: hanc cauſam eſſe ab iis exceptam, adeoque B. Nicolai cultum eſſe canonicum. Cardinalium ſententiæ laudatus Pootifex aſſenſus eſt. Poſt hæc ſtatuit modum pingendi imagines Beati: permiſit, ut in civitate, & diœceſi Bononienſi, in baſilica Liberiaoa Romæ, & ab omnibus Carthuſianis in ejus honorem celebraretur Miſſa de communi, & Officium cum lectionibus propriis. Lectiones vero ipſe Benedictus compoſuit, ac ſingula, quæ ad cultum reſtrictum B. Nicolai pertinent, diſtincte decrevit, demum permiſit, ut nomen cum elogio inſcriberetur Romano Martyrologio. Omnia fuſe deſcribuntur io decreto in hac cauſa edito a Benedicto XIV. 25. Septembr. an. 1744., quod aliis literis Apoſtolicis in forma Brevis communivit.

§. LIX.

De B. PACIFICO A CEREDANO Ordinis Minorum S. Franciſci de Obſervantia.

428 &c. CEredani in diœceſi Novarienſi ortus eſt an. 1424. B. Pacificus, & a quodam Abbate Benedictino eruditus. Parentibus, cæteriſque conſanguineis orbatus Ordinem S. Franciſci amplexus eſt. Pluribus muneribus ſub Sixto IV. functus, in Sardiniam ſecundo appulit, ibique obiit an. 1482., ſive 1470. Ejus Reliquiæ in pluribus locis venerationem obtinuerunt. Pluribus modis ejus cultus introductus, & auctus eſt Proceſſum ſuper ſanctitate vitæ, virtutibus, miraculis, & cultu immemorabili compilaverat Ordinarius Novarienſis, & caſum exceptum declaraverat. Quapropter, ſignata Commiſſione introductionis cauſæ, Congregatio rituum, annuente Pontifice, 3. Jul. ann. 1745. ſententiam Ordinarii confirmavit.

Hæc ſuot, quæ pertinent ad caſus exceptos a decretis Urbani VIII., a Sede Apoſtolica hactenus approbatos.

CAPUT XXV.

De reviſione operum conſcriptorum a Dei Servis, de quorum Beatificatione, & Canonizatione tractatur.

1 &c. HUjuſmodi operum reviſio debet præcedere ſignaturam Commiſſionis. Eam ſtatuit Urbanus VIII. in ſuis decretis. Sed ex antiquioribus monumentis etiam deducitur. Nam Eugenius III. coacto in civitate Trevirenſi concilio, Hadelbertum Virdunenſem Epiſcopum miſit ad S. Hildegardem, ut libros ejus revelationum exciperet. Hos in Concilio publice legi juſſit: Sanctam, ut revelationes conſcriberet, & ad ſe mitteret, literis Apoſtolicis monuit, teſte Trithemio (a). Libri quoque revelationum S. Birgittæ a Cardinali de Turrecremata, aliiſque reviſi fuerunt.

5 &c. Sed ut apertius pateat, legem reviſionis non fuiſſe primo ab Urbano VIII. conditam, S. Raymundus de Pennafort, præter Canooum collectionem, compoſuit etiam ſummam caſuum conſcientiæ. Hæc ante ipſius Canonizationem perpenſa fuit, uti deſumitur ex relatione Auditorum Rotæ, & aliis. Iidem Auditores in cauſa Sancti Caroli Borromæi aſſeruerunt, diſcutienda eſſe opera, an ſanam doctrinam, & Ec-

(a) oper. hiſtor. par. 2. in chron. Hiſaugien. ad an. 1150.

& Eccleſiæ Catholicæ conformem continerent: ſecus abſtinendum eſſe a Canonizatione. Id ipſum teſtatur Grattarola (*a*).

a de ejus Canonizat. par. 1. c. 35.

8. 9 Ad hæc Auguſtinus Triumphus (*b*) negat, canonizandum eſſe quemquam *propter fructum ſcientiæ*, quia hæc eſt bonum intellectus: Canonizandus vero debet eſſe univerſaliter, & ſimpliciter bonus: cujuſmodi non eſt, *niſi qui habet bonam voluntatem Divina caritate informatam*. Addit Rocca (*c*), quod quamvis apud Eccleſiaſticum *vita æterna videatur promitti habenti donum ſcientiæ*, hæc tamen *non ex ſe tantum*, *ſed igne charitatis accenſa præmium illud promeretur*, *& conſequitur*. Ideoque, cum ſcientia ſit gratia gratis data, & cum peccato mortali ſtare poſſit, *nullum efficax ſanctitatis argumentum*, inquit Scacchus (*d*), *ex ſolo ſcientiæ infuſæ dono deſumi poterit*. Nihilominus docet Lezana (*e*), *quod ſi agatur de perſonis alias magnæ opinionis ſanctitatis, utique ſi adminiculata ea fuerit ſimili dono ſcientiæ, magnum inde argumentum deſumetur ad ipſam ſanctitatem comprobandam, & credendum, tale donum eſſe ſcientiæ a Deo infuſæ, & veram gratiam gratis datam, & proinde tales perſonas dignas eſſe, quæ ab Eccleſia Canonizationis honore decorentur*. Revera caritate ferbuit doctrina S. Pauli, Doctorum Eccleſiæ, aliorumque antiquiorum in Martyrologio Romano doctrina inſignium; ſed ne recedamus ab his, qui Canonizationem meruerunt, poſtquam hæ cauſæ Romanis Pontificibus reſervatæ ſunt, ejuſmodi fuit doctrina SS. Bernardi, Ludovici Toloſani, Thomæ Aquinatis, aliorumque plurium, quorum quidem ſcientia in bullis Canoniz. divinitus infuſa dicitur, ſed in eorum cauſis adminiculi dumtaxat locum obtinuit ad heroicas virtutes, & inſignem in Deum caritatem dignoſcendas.

b de poteſt. Eccl. q. 15. ar. 1.

c de Canoniz. SS. to. 1. c. 30.

d de not. & ſign. ſanct. ſect. 3. c. 5.

e ſum. Theol. ſacr. to. 3. tract. 4. diſp. 4. q. 3.

10. 11 Tandem convenit omnibus Sanctis ſcientia dirigens bona creata ad bonum divinum. Quæ vero Deum, ejuſque attributa reſpicit, ſi caritate perficiatur, illuſtriorem reddit Canonizationem, præcipue ſi fuerit infuſa. Sine hac tamen ſanctitas ſtare, & indoctus canonizari poteſt. Hinc profluit neceſſitas examinandi Canonizandorum ſcripta, quæ ſi Eccleſiæ proficiant, attendi poterunt in diſcuſſione virtutum. Sic Cardinalis Sacchettus laudavit opera S. Franciſci Saleſii, dum Acta ejus cauſæ in Conſiſtorio retulit. Quod ſi libri errores contineant, cauſæ Beatificationis, & Canonizationis ſilentium imponitur. Hæc ad ornatum dicta ſint, utque pateat neceſſitas revidendi opera Servorum Dei. De his enim in ſequentibus fuſius agetur.

CAPUT XXVI.

Quænam ſint opera Servorum Dei revidenda, & approbanda.

1. a REviſioni ſubjicienda ſunt opera, quæ Servi Dei, non quæ alii de Servis Dei ſcripſerunt, veluti affirmarunt Joannes Bona, poſtea Cardinalis, & Eſparza e Societate Jeſu electi ad examinanda opera, quæ cuidam Servæ Dei tribuebantur, & ut eruitur ex cauſa Servæ Dei Agnetis a Jeſu. Reviſionem quoque merentur, quæ nonnulli tamquam a Servis Dei accepta ſcripſerunt, uti contigit in cauſis Servorum Dei Joſeph a Cupertino, & Mariannæ a Jeſu, ac S. Aloyſii Gonzagæ: hæc enim habentur tamquam a Servis Dei ſcripta, ſi tamen hujuſmodi Scriptores fide digni ſint: nam ſi omnes, quæ audierunt a Servis Dei, referrent ea probitate, qua Confeſſarius B. Angelæ de Fulgineo omnia, quæ ab ipſa intellexerat, retulit, Reviſores tuto, ac facili judicio conſilium ſacræ Congregationi præbere poſſent; ſed cum interdum nonnulla vel tamquam a Servis Dei dicta confingantur, aut probe non referantur, Reviſores omnia diligenter expendere debent, antequam de his operibus judicium proferant. Quod ſi teſtes in proceſſu affir-

affirmarent, aliquem Dei Servum aſſeruiſſe aliqnam propoſitionem, hæc non a Reviſoribus, ſed a Cardinalibns, & Conſultoribus expendenda erit. Quæcumque igitur a Servis Dei, licet Martyribus, ſcripta ſunt, reviſionis legi ſubduntur, omnia enim decretis generalibus comprehenduntur, ſive ingentem molem conſtituant, ſive intra paucas pagellas contineantur: ſive compoſita fuerint, ut ederentur, vel ad aliorum inſtitutionem; ſive ut numquam lucem aſpicerent, aut ad privatam inſtitutionem, & commodum, ut colligere eſt ex cauſis SS. Paſchalis Baylon, Franciſci Borgiæ, & aliorum.

3 &c. Quod ad opera ſpectat ſummorum Pontificum, quorum Beatificatio, & Canonizatio pertractatur, prænotandum eſt, quatuor eſſe Pontificum cauſas, poſtquam judicialis ordo in examen cauſarum Beatificationis, & Canoniaationis introductus eſt, videlicet, S. Pii V, B. Gregorii X, Innocent. XI, & Benedicti XI. Jam vero opera ante Pontificatnm ſcripta reviſioni ſubdenda ſunt. Quæ in Pontificatu compoſita ſunt, ſi vim legis habeant, vel univerſalis Eccleſiæ regimen reſpiciant, a reviſione eximuntur, utpote a Pontifice vel ex cathedra, vel tamquam ſupremo Eccleſiæ Paſtore docente provenientia. Revidenda vero ſunt, quæ ab eo, tamquam privato Doctore ſcripta eſſent, ue in canſis eorumdem quatuor Pontificum factum eſt.

6 &c. Pro hac reviſione perficienda, opus eſt, ut opera autographa exhibeantur, ſi numquam typis edita fuerint, nti contigit in cauſis S. Paſchalis Baylon, & Servæ Dei Joannæ a Cruce. Si opera ſine Servi Dei nomine edita fuerint, eidem vero adſcribantur, tunc autographa afferenda ſnnt, ſi eodem mortuo typis impreſſa fuerint: ſecus, ſi eo vivente. In cauſa cujnſdam Servæ Dei Cardinalis Azzolinus Relator particularem Congregationem coegit, ut examinaretur quædam propoſitio, quæ in opere autographo diſcrepabat ab alio typis edito. Autographa poſt reviſionem Poſtulatoribus petentibus reſtituenda ſunt, dummodo exemplar cum autographo collatum in Actis ſacræ Congregationis remaneat, juxta Decretum ejuſdem Congregationis in cauſa S. Stanislai Koſtkæ.

9 Si autographi character difficulter intelligatur, Congregatio rituum permittere poterit, ut ſumatur exemplum, deputato ab Epiſcopo loci fideli ſcriptore, qui characterem intelligat. Exemplum vero cum originali conferri debet coram Epiſcopo per Notarios ab eodem eligendos: hi jurare debent, ſe munus fideliter executuros: omnibus adeſſe debet Promotor Fiſcalis: inde ſubſcribi exemplum debet ab Epiſcopo, Promotore, & Notariis, ſigillo Epiſcopi muniri, & per fidelem portitorem ad Congregationem deferri, ut colligitur ex decreto (*a*) edito a 15. Dec.
in cauſa Servæ Dei Annæ a S. Bartholomæo. 1691.
Si exemplum in Urbe ſumendum ſit, Cardinalis cauſæ Relator ſcriptorem deſignat: Notarius Congregationis collationem perficit coram Protonotario Congregationis, ac Promotore Fidei, vel Subpromotore, & uterque ſubſcribere debet. Portitor autem eſt ipſe Notarius: qui exemplum tradit vel Secretario Congregationis, vel Cardinali Relatori.

CAPUT XXVII.

Quando, per quos, & quomodo fieri debeat operum reviſio.

1 Juxta decreta generalia, libri Servorum Dei ante quemcumque inquiſitionis actum in cauſa Beatificationis, & Canonizationis eſſent in ſacra Congregatione expendendi; adeoque ante expeditionem litterarum remiſſorialium, niſi Pontifex diſpenſaverit, ut in cauſa Servi Dei Franciſci Gonzagæ factum eſt.

2 &c. Præterea juxta eorumdem decretorum litteram ſignatura Commiſſionis videtur præcedere debere

operum reviſionem; ſignatura enim Commiſſionis non eſt actus inquiſitionis, ſed ad illam via, & ab ea magna ex parte pendet Congregationis juriſdictio. Huic aſſumpto favet antiquior ejuſdem Congregationis uſus, ut inſinuant cauſæ SS. Franciſci Saleſii, & Laurentii Juſtiniani.

5 &c. Verum etiam juxta recentiorem uſum, reviſio operum præcedere debet ſignaturam Commiſſionis. Et merito, ne Poſtulatores tempus, & pecuniam perdant, quoties aliquo in operibus errore reperto, imponendum ſit cauſæ ſilentium. Nec obſtat, quod Congregatio tunc operum reviſionem ſine juriſdictione demandet: nam operum reviſio, & approbatio inter requiſita recenſentur ad obtinendam Commiſſionis ſignaturam. Interdum tamen, imminente probabili periculo mortis teſtium, ſignatura Commiſſionis præceſſit operum reviſionem, ut ſcilicet teſtes examinarentur, ne probationes perirent: addita tamen clauſula, ne, confectis proceſſibus, ad ulteriora, niſi reviſis operibus, procederetur. Id colligitur ex cauſis Servorum Dei Maffaldæ, & Joannis de Palafox: & huic praxi adhæſit Benedictus XIV. in cauſa Servi Dei Franciſci de Caſtillo.

8 Si Commiſſio introductionis cauſæ ſine diſpenſatione, operibus non reviſis, ſignata eſſet, cauſa ſuſpenditur, donec reviſio fiat, uti contigit in cauſis Servorum Dei Claræ Mariæ a Paſſione; Gregorii Lopez, & aliorum. Interdum etiam opera ante Beatificationem non examinata, fuerunt poſtea reviſa. Porro in cauſis introductis ante decreta Urbani VIII. regula eſt, ut non ſignetur Commiſſio reſumptionis, niſi opera, antea non reviſa, approbentur.

9 Hoc operum Servorum Dei examen committitur Cardinali cauſæ Relatori, cum facultate utendi opera, & conſilio Conſultorum Congregationis rituum, vel Inquiſitionis, aut aliorum. Aliquando relatio horum operum commiſſa fuit Promotori Fidei. Relatore abſente, nulloque in ejus locum ſuffecto, Congregatio ipſa Reviſores deſtinat. Abſentia Relatoris durante, alium Cardinalem eligere poteſt Congregatio, qui relationes operum a Reviſoribus exaratas perpendat, earumque ſenſum Congregationi exponat. Novo Relatore electo, Poſtulatoribus licet a Congregatione petere Reviſorum confirmationem, ipſa vero annuere conſuevit.

10 Reviſores ſecreto deſignantur, qui relationem reviſionis ſcriptam, ac ſigillo munitam ad Relatorem mittere debent, ut hic eorum, ſuamque in Congregatione ordinaria ſententiam aperiat. Si plures ex Congregatione ſuffragentur reviſioni, Secretarius Pontifici refert, quo confirmante, ad ulteriora proceditur: aliter perpetuum ſilentium cauſæ imponitur. Si aliquam ob cauſam unuſquiſque Cardinalis Congregationis relationes Reviſorum legere debeat, Relator eas pridie Congregationis ad ſingulos mittere tenetur. Difficultates in relationibus excitatas poterit Congregatio communicare Poſtulatoribus, ut reſponſiones parent. Communicantur autem, vel exhibendo relationes, ſubductis Reviſorum nominibus; vel omnia indicando Fidei Promotori, qui vel particulares animadverſiones, vel difficultates in compendium redigit, ut Poſtulatoribus innoteſcant, & Cardinalibus labor imminuatur.

11 Relator Reviſores deſignat, ſi opera ſint alicujus molis, & momenti: ſi vero ſit exigua, ipſe in eadem Congregatione legit: hæc ſuum interponit judicium, quod Secretarius Pontifici refert. Vel etiam dum petitur ſignatura Commiſſionis, exhibentur exemplaria unicuique Cardinali Congregationis, ut dum agitur de Commiſſione admittenda, opera etiam approbari poſſint.

12 &c. Denique Reviſores debent in relatione exprimere operis titulum, ſubſtantiam, diviſionem, propoſitiones cenſura dignas, & ſimilia; tum ſuum addere *votum* conſultivum, relatio-

tionem proprio charactere ſubſcribere, ac judicio Congregationis, & Pontificis ſubjicere. Ex decreto quoque Congregationis 10. Octobris 1661. exprimere debent Excuſoris nomen, locum, & tempus impreſſionis, numerum capitulorum, & paginarum, ut opera, & editio reviſa innoteſcant. Ante memoratum decretum cum reviſiones verbis generalibus abſolverentur; Congregatio proinde ſemper cenſuit, eas cauſis nondum abſolutis non ſuffragari, adeoque novas reviſiones demandavit, diverſimode tamen, ut colligitur ex cauſis S. Joannis de Capiſtrano, B. Alexandri Sauli, ac Ven. Cardinalis Bellarmini.

CAPUT XXVIII.

De advertendis in horum operum reviſione.

1 &c. Finis Judicii reviſionis eſt, ut videatur, an doctrina Servi Dei ſit ab omni theologica cenſura immunis: idcirco ſi aliquid aliud Reviſores adnotent, non attenditur. Colligitur id ex ſæpe laudatis decretis, & uſu Congregationis: nam in cauſis Servorum Dei Ludovici a Ponte, & Alphonſi Rodriquez, cum Reviſores aliqua præter doctrinam adnotaſſent, mandavit progreſſum ad ulteriora, addens, oppoſitiones Reviſorum a Fidei Promotore in animadverſionibus ſuper dubio virtutum eſſe recenſendas.

4 Hic reſcribendi modus admitti poteſt, vel cum Reviſores nonnulla adnotaverint virtutibus Servi Dei oppoſita: vel cum Congregatio, admiſſa doctrina, adhuc exiſtimet aliquid ex illa inferri adverſus mores ejuſdem Servi Dei, ut contigit in cauſa Ven. Cardinalis Bellarmini. Sepoſitis his circumſtantiis, judicium de reviſione operum abſolvi debet, neque ob ſanæ doctrinæ dubietatem remitti ad tempus, quo de virtutibus agendum eſt.

5 His poſitis, Reviſores, juxta decreta Urbani VIII, advertere debent, an operibus inſit error contra Fidem, vel bonos mores, aut doctrina nova, & a ſenſu Eccleſiæ aliena. Decreta ſingulas cenſuras theologicas non recenſent; at reviſores in ſuffragio, quod exhibendum Relatori eſt, unamquamque propoſitionem propria cenſura notare debent.

6. 7 Quod ad *novitatis* cenſuram ſpectat, neque nova, neque damnabilis eſt doctrina, quæ, licet aliquid noviter dicat, nova tamen non docet; ſicuti neque ſi vox nova uſurpetur, non ad ſignificandam rem novam, ſed ad Myſteria Fidei facilius exponenda, hæreſeſque refellendas. Quare doctrina nova erit, quæ vana, & inutilia, ſcripturiſve, & Patribus adverſantia exhibet, aut quæ ſtudio novitatis, vel ut novum aliquid adverſus Eccleſiæ regulas tradat, novas adhibet voces.

8 Præterea, qui regulas in legendis Patrum, aut Sanctorum operibus tradiderunt, affirmant, eorum dicta, quoad fieri poteſt, in benigniorem partem eſſe accipienda: ſi id non poſſit, errorem modeſte notandum eſſe: advertendam ſcriptoris ætatem: tempus, quo ſcripta prodierunt, & edita ſunt: an Auctor more concionantis, aut viri ſimpliciter loquentis ſcripſerit: metaphoricam locutionem a naturali diſtinguendam: demum obſcura unius loci per clariora alterius explicanda eſſe.

9. 10 Addunt, qui evulgarunt cautelas ſervandas ab iis, quibus Superiores committunt examinanda opera ſcriptoris Catholici: Scriptoris mentem, non ex aliqua particula, ſed ex tota ſcripturæ textura a Reviſoribus eſſe repetendam: benignitatem ſeveritati adjungendam: judicium de alienis ſententiis, non ex propria, ſed juxta doctrinæ probabilitatem eſſe ferendum. Enimvero, demptis, quæ de operibus Patrum, & Sanctorum adnotata ſunt, Reviſores huc uſque expoſita, & a dictis Auctoribus latius explicata obſervare debebunt. Recte tamen monet

Magiſter Ferre (*a*), cenſuras propoſitionibus probabilibus inuſtas, multoties caritati, & paci Fidelium adverſari. Quare Sixtus IV. animadvertit in nonnullos Theologos, qui cenſura notabant hanc opinionem: *neque abhorres peccatores, ſine quibus numquam fores tanto digna Filio*, teſte Diago (*b*), qui ſanum illorum verborum ſenſum explicat.

a tract. 2. de Fid. q. 16. n. 50.

b hiſt. provinc. Arag. l. 1. c. 33.

CAPUT XXIX.

Vtrum doctrina, quæ cum ſcripta fuit, non erat cenſura digna, eſt autem, cum examinatur, progreſſum impediat ad ulteriora in cauſa Canonizationis.

1 &c. HUic dubio negative reſpondendum eſſe, ſuadet hiſtoria Eccleſiaſtica. Profecto docuit S. Cyprianus, baptiſmum collatum ab Hæreticis eſſe irritum. Eum tamen excuſat S. Auguſtinus (*c*), quia tunc quæſtio nondum fuerat in Concilio generali definita. Præterea poſtquam idem Auguſtinus de Prædeſtinatione, & Gratia Pelagium confutaverat, nonnulli in Gallia Epiſcopi, aliique viri, quos eruditione, & ſanctitate fulſiſſe teſtatur S. Remigius (*d*), ſemipelagianis adhæſerunt. Ipſi tamen, inter quos numerantur Hilarius Arelatenſis, Caſſianus, Vincentins Lirinenſis, & Fauſtus Rejenſis, a Scriptoribus Eccleſiaſticis excuſantur ex eo, quod eorum opera Synodum Arauſicanam II. præceſſerint, in qua controverſia Semipelagianorum fuit definita.

c l. 1. de Bapt. contra Donat. c. 18. to. 9. oper.

d l. de 3. ep. apud Gilbert.

5 Porro certa eſt Hilarii ſanctitas, cum ejus nomen deſcriptum ſit in Martyrologio Romano ad 5. Maji, & colatur præſertim in eccleſia Arelatenſi. Quod autem ſpectat ad ejus doctrinam, plures eam ab omni errore vindicant: nam & poema *de Providentia*, quod apud Bellarminum *de ſcript. Eccl.* ſapit doctrinam Maſſilienſium, illi abjudicant: & alterum Hilarium laicum, qui iiſdem Maſſilienſibus patrocinabatur, ab eo diſtinguunt. Alii ipſum erroris Pelagiani inſimnlant; ſed ex nonnullis ejus ſententiis ante mortem reſipuiſſe putant.

6 Caſſiani quidem mentio fit in catalogo Sanctorum Petri Natalis, & in Martyrologio Ferrarii: quin etiam colitur apud Græcos, & Maſſilienſes: nonnullæ quoque ejus Reliquiæ juſſu Urbani V. ad publicam venerationem expoſitæ fuerunt: & S. Gregorius Magnus Sanctum appellavit. Plures tamen illius doctrinam, utpote a S. Proſpero impugnatam, a nota *Semipelagianiſmi* vindicari non poſſe affirmant.

7 Vincentins Lirinenſis inter Sanctos deſcribitur in Martyrologio Romano ad 24. Maji, ac ſtatim poſt obitum coli cœpit. Ejus Commonitorium laudant Baronius, Bellarminus, & alii. Nihilominus Natalis Alexander (*e*), aliique eumdem Semipelagianorum fautorem faciunt.

e ad ſæc. 5. c. 3. ar. 7. §. 5.

8 Fauſtus ex Monacho Epiſcopus Rejenſis colitur in Eccleſia Rejenſi, ubi in ejus honorem Officium recitatur. Molanus, Baronius, & Tillemontius eum e catalogo Sanctorum expunxerunt. Baronius tamen ad an. 490. ſententiam revocavit; at conſtanter aſſeruit, illius doctrinam Semipelagianorum erroribus eſſe infectam, licet Sirmondus apologiam pro Fauſto ediderit. Baronio alii plures ſubſcripſerunt.

9 Ex his igitur inferri poſſe videtur, nullam eſſe controverſiam de ſanctitate Hilarii, Caſſiani, & Vincentii: modicam de ſanctitate Fauſti. Deinde eorum doctrinam a nonnullis defendi, ab aliis impugnari, qui tamen conveninnt, nullam inde eorumdem ſanctitati notam eſſe inurendam, quia ſi docuerunt aliter, ac a Sede Apoſtolica definitum eſt, id fecerunt, antequam Eccleſiæ judicium prodiiſſet. Hæc itaque exempla oſtendunt, non obſtare Canonizationi opera Servi Dei, tempore examinis ſubjecta cenſuræ propter novam Eccleſiæ definitionem, ſi cum ſcripta fuere, ab omni cenſura erant immunia.

CA-

CAPUT XXX.

In quo antecedentis capitis ſententia confirmatur exemplis cauſarum Canonizationis.

1. 2 PRimum exemplum ſuppeditat cauſa Richardi Armachani Archiepiſcopi an. 1357. Hic aſſeruerat, Fideles, qui in Paſchate Regularibus peccata confiterentur, teneri ex præcepto Eccleſiæ eadem confiteri proprio Parocho. A Mendicantibus ad Curiam Pontificiam vocatus, de illa, aliiſque propoſitionibus adverſus Regulares egit coram Innocentio VI, & Cardinalibus in Conſiſtorio. Pontifex litem ſuſpendit, decrevitque, ne quidquam innovaretur. Lis poſtea adverſus opinionem Richardi pluries deciſa eſt, ac nonnulli Auctores eum tamquam hæreticum traducere auſi ſunt. Nihilominus cum prænotata ex bono zelo dixerit, ac de ejus ſanctitate, & miraculis fama vigeret, Bonifacius IX. *remiſſoriam* expedivit, ut in ea inquireretur.

3 &c. Accedunt recentiora exempla. Cum Fratres Ordinis Prædicatorum affirmarent, ſanguinem Chriſti, in Paſſione effuſum, permanſiſſe hypoſtatice unitum Divinitati: Fratres vero Ordinis Minorum id ipſum negarent; S.Jacobus de Marchia an. 1462. Brixiæ publice die Paſchatis prædicavit, ſanguinem Chriſti in triduo Paſſionis ab unione *hypoſtatica* excidiſſe, ideoque cultum latriæ tunc non meruiſſe. Hanc aſſertionem quidam ex Ordine Prædicatorum ſequenti die erroneam, & hæreticam in concione declaravit: Jacobus a Brixia Inquiſitor ejuſdem Ordinis, S. Jacobum literis familiaribus admonuit, ut aſſertionem revocaret, utpote juſſu Clementis VI. in Cathedrali Barcinonenſi tamquam hæreticalem, & erroneam publice damnatam. Nihilominus S.Jacobus feria tertia proxima aſſertionem in concione inſtauravit, quapropter Inquiſitor ipſum ſub anathematis pœna monuit, ut vel ſententiam revocaret, vel ad ſe accederet, de Fide reſponſurus.

7 &c. Epiſcopus Brixienſis contentionibus ſedandis ſtuduit, de qua re inſtrumentum in ejuſdem palatio exaratum refert Waddingus. Nihilominus inter utriuſque Ordinis Theologos contentio exarſit, ac magno animorum æſtu quæſtio agitata fuit ſub Pio II, qui tamen quæſtionis reſolutionem diſtulit, ut fuſe referunt Raynaldus, atque Spondanus ad an. 1463.: S.Jacobum ab omni hæreſis nota in nonnullis Brevibus vindicavit, ac demum ſub pœna anathematis latæ ſententiæ decrevit, ne quiſquam ex Prædicatorum, & Minorum Ordinibus de memorata controverſia publice, vel privatim diſſereret, neque alterutri ex adductis ſententiis hæreſis nota inureretur, donec Sedis Apoſtolicæ judicium prodiret. Hanc Pii II. conſtitutionem S. Jacobus reverenter ſuſcepit.

11. 12 A tempore Pii II. nulla prodiit expreſſa controverſiæ definitio. Sed cum ex Tridentino (*a*) ſanguis dicatur pars Chriſti, ideo Cardinalis de Lugo (*b*) negavit, ſententiam de ſeparatione ſanguinis Chriſti a divinitate in triduo Paſſionis poſſe amplius ſine nota ſuſtineri. Quapropter, exorta ſub Paulo V. controverſia, an reſumptioni cauſæ Canonizationis S. Jacobi obſtaret ejus de ſanguine Chriſti doctrina, negotium Cardinali Bellarmino commiſſum fuit; qui, perpenſis rebus geſtis ſub Pio II, retulit Congregationi, poſſe ad ulteriora procedi. Congregatio huic ſententiæ adhæſit, omnibuſque Pontifici relatis, hic Breve pro cauſæ reſumptione expediri juſſit.

13. 14 Urbanus VIII. formalem S.Jacobi Beatificationem peregit. Sed cum pro Canonizatione requireretur nova Commiſſio reſumptionis, reſtitit Promotor Fidei, opponens, quæ de ſanguine Chriſti S. Jacobus docuerat: dedecere enim videbatur, parari aditum

a ſeſſ. 13. c. 3

b de Incarn. diſp. 14. ſect. 7. n. 105.

aditum ad ultimum Eccleſiæ Judicium, cum adhuc ſub judice lis eſſet, an Canonizandus propoſitionem hæreticalem prædicaſſet. Ideo cauſa ſiluit uſque ad Innocentium XII: tum vero Congregatio rituum Theologos deſignavit, ut doctrinam S. Jacobi expenderent. His tandem aſſerentibus, opinionem S. Jacobi, cum ab eo promulgaretur, fuiſſe probabilem, cauſa reſumpta eſt, ac ſub Benedicto XIII. abſoluta. Hoc exemplum inſinuat, doctrinam, quæ, cum ſcriberetur, poterat ſine nota defendi, licet non poſſit tempore examinis, non obſtare progreſſui cauſæ Beatificationis, & Canonizationis.

CAPUT XXXI.

In quo alia ad antecedentium comprobationem exponuntur deſumpta ex relationibus Reviſorum exhibitis Congregationi ſacrorum rituum.

1. 2 IN reviſione operum cujuſdam Servi Dei adnotarunt Reviſores, eum in ſumma Theologica docuiſſe, poſſe ſummum Pontificem diſpenſare, ut in regionibus, vino carentibus, Miſſa ſine vino celebretur. Id Norvegis permiſiſſe dicitur Innocentius VIII. propter vini penuriam, eumque hoc Innocentii Breve, quod ab aliis ut fabuloſum rejicitur, pro genuino haberetur, dum Servus Dei ſcripſerat, prædicta propoſitio cauſæ progreſſum non retardavit.

3 &c. Alter Dei Servus docuerat; Eccleſiam Catholicam juxta præceptum Divinum ſtatuiſſe, ut homines, & mulieres, niſi voto Religionis, aut aliter impedirentur, matrimonium contraherent, ut creſcat genus humanum, donec electorum numerus impleatur. Hinc aſſeruiſſe videbatur, vigere adhuc præceptum Adamo impoſitum de multiplicandis hominibus. Verum cum communior Theologorum opinio hujus præcepti permanentiam adſtruat, ac ſolum difficultas ſit de ejus congruentia cum conſilio Evangelico ſervandi caſtitatem, propoſitio non impedivit cauſæ progreſſum. Porro quomodo præceptum illud vigeat, & cum conſilio Evangelico componatur, late explicant Theologi cum S. Thoma (*a*).

a 2.2.q.152 ar.2.ad 1.

7 Aerius diſcuſſa fuit ſententia alterius Servi Dei, qui in ſuis operibus proteſtabatur, ſe tanto Dei amore imbutum eſſe, ut ei libenter placere, & ſervire vellet ſine ullo præmio, etiam æternæ gloriæ. Jam vero Innocentius XII. damnavit hanc Archiepiſcopi Cameracenſis propoſitionem: *Datur habitualis ſtatus amoris Dei ... ſine ulla mixtura proprii intereſſe. Neque timor pœnarum, neque deſiderium remunerationum habent amplius in eo partem &c.*

8 &c. Nonnulli ex Reviſoribus ejuſmodi propoſitiones dimittendas eſſe cenſuerunt, utpote a probis viris ante deciſionem Innocentii uſurpatas. Sed Benedictus XIV. tunc nondum Fidei Promotor, invitatus a Poſtulatoribus, ut ſenſum ſuum exponeret, advertit, admiſſum fuiſſe ab Archiepiſcopo Cameracenſi prædictum ſtatum ab omni lucro ſemotum; alibi tamen, ne videretur excludere ſpem Theologicam, affectum quemdam naturalem mercedis ab eodem invectum: verumtamen adverſus hanc Cameracenſis doctrinam inſurrexiſſe Jacobum Boſſuet Epiſcopum Meldenſem (*b*), eamque pluribus argumentis convellere conatum fuiſſe. Cum tamen controverſia inter hos Præſules ab Innocentio XII. reſoluta, non actum, ſed habitum amoris reſpiceret; Servus Dei autem tantum de actu amoris locutus eſſet: Sacra Congregatio cenſuit, ejus doctrinam a reprobata Cameracenſi diſcrepare, præcipue cum in ſuo opere ſpei Theologicæ, & cupiditatis fruendi Deo ſæpe meminerit, adeoque ab objecto beatitudinis ſe tantum abſtraxiſſe videatur, in quo nullum eſt abſurdum juxta Theologos.

b In oper. Myſtici in tuto, Shola in tuto, Quietiſmus redivivus.

11 Similis controverſia agitata fuit in examine opuſculi cujuſdam Servi Dei aſſerentis, ſe velle libenter ſu-

ſtine-

ſtinere pœnas Inferni, ne ulla creatura condemnaretur, ac deſiderare omnium ſalutem, etiam cum propriæ diſcrimine. Hæc ordini caritatis adverſari, & prædictæ Archiepiſcopi Cameracenſis doctrinæ reſpondere viſa ſunt. Verum ipſe Benedictus, ſuadentibus cauſæ Poſtulatoribus, ſcripturam exaravit, & ultro admiſit, unumquemque magis ſe ipſum, quam proximum diligere debere, juxta doctrinam SS. Auguſtini (*a*), & Thomæ (*b*): at Dei Servum ita locutum ad denotandam maximam erga proximum dilectionem, ejuſque ſalutis deſiderium: quemamodum illud Moyſis *Exod.* 32. *aut dimitte eis, aut dele me de libro tuo*: & Apoſtoli *ad Rom.* 9. *Optabam anathema eſſe pro fratribus*, explicant Theodoretus (*c*), & Iſidorus Peluſiota (*d*).

a de diſcip. Chriſt. c. 6. oper. to. 6.

b 2. 2. q. 26. a. 4.

c oper. to. 3 par. 1. pag. 73.

d epiſt. 58. l. 2.

12. 13 Ejuſmodi locutio, etſi *hyperbolica* videatur apud Gagnæum *in epiſt. ad Rom.* 9., & reſpicere aliquod impoſſibile apud Cornelium a Lapide *in eamdem epiſt.*, nihilominus a plerisque Sanctis uſurpatam teſtatur idem Cornelius cum aliis; & ab omnibus, Deum ferventiſſime amantibus commendatam probat Boſſuet (*e*). Nec inde ſequitur, Dei Servum ſalutem aliorum propriæ antepoſuiſſe; aut hanc de caritate doctrinam poſt damnatas Archiepiſcopi Cameracenſis propoſitiones recipi non poſſe, uti ex doctrina S. Auguſtini (*f*), aliorumque colligitur.

e Inſtruct. ſuper ſtatu orat. l. 9.

f to. 3. oper. par. 2. q. 147 in Exod.

14 Tandem finis controverſiæ impoſitus eſt, attenta modificatione a Servo Dei adhibita, videlicet, quod propriæ ſalutis diſpendium intelligebat, non quoad culpam, aut privationem amicitiæ Dei, ſed quoad pœnam, & hanc temporalem: quæ deſideria meritoria ſunt apud S. Joannem Chryſ. (*g*), quem alii ſequuntur.

g homil. 16. in epiſt. ad Rom. c. 9. to. 9. oper.

15 Aliam demum controverſiam ſuppeditavit doctrina, ſeu factum cujuſdam Beatæ, in cujus vita dicebatur, eadem non curaſſe acquirere Indulgentias plenarias, cum vellet propriis operibus ſatisfacere Deo pro peccatis commiſſis. Huic ſententiæ obſtare videbatur doctrina Cajetani (*b*), & aliorum, ſcilicet, perfectos æmulari charismata meliora, ſectando etiam Indulgentias, ut expediti ſint ad vitam æternam. Verum, cum Poſtulatores repoſuiſſent, Beatam non contempſiſſe Indulgentias, pluraque etiam ex doctrina Theologorum congeſſiſſent, Congregatio rituum cenſuit, illud non officere approbationi virtutum Beatæ.

b in opuſc. to. 1. tract. 16. de Indulg. q. 2. ad 3.

CAPUT XXXII.

De adnotatis, & adnotandis per Reviſores ſuper viſionibus, revelationibus, & prophetiis.

1 Viſiones, revelationes, & prophetiæ, a Servis Dei, aut ab aliis, eorum juſſu, ſcriptæ, ſubjiciendæ ſunt reviſioni, priuſquam cauſæ ad ulteriora progrediantur.

2 &c. Reviſores itaque aliquando dubitarunt de revelationibus, in quibus Servi Dei dixerunt, nuntiatam ſibi ſuorum remiſſionem peccatorum: vel prædeſtinationem ad gloriam: aut nomen Angeli Cuſtodis: item de viſionibus Chriſti, quas exponens quædam Serva Dei, memoravit amplexus, oſcula, & tactus. At omnia hæc ex quibuſdam monumentis, & Scriptoribus admittenda eſſe videntur.

6 Nonnumquam notarunt revelationes continentes contraria probatis hiſtoriis, aut aliis revelationibus; vel ſtatuentes tamquam certa, quæ nondum ab Eccleſia definita ſunt. Sic in revelationibus S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis, & aliarum adnotarunt, Chriſtum dici tribus clavis in cruce confixum; cum tamen revelationes S. Birgittæ, & opinio communior quatuor clavos referant.

7 Alias adnotarunt, prophetias non fuiſſe eventu comprobatas: etſi ex S Gregorio (*i*) Prophetiæ ſpiritus mentes Prophetarum non ſemper irradiat.

i to. 2. oper. l. 2. dial. c. 21.

8 Hæc quoad notata: quod vero ſpe-

ſpectat ad notanda, judicium de prædictis inſtituitur in ſacra rituum Congregatione, ut inquiratur, an aliquid contra Fidem, mores, & Eccleſiæ ſenſum contineant: an ſint ſupra naturam; num approbandæ; an tolerandæ, vel prætermittendæ. Porro divina dici nequit revelatio pugnans cum ſacris literis, traditionibus, ac definitionibus Eccleſiæ. Quapropter ſi qua revelatio ſit hujuſmodi, ea quidem progreſſui cauſæ obicem afferet. Profecto cum Petrus Lucenſis Canonicus Regularis aſſeruerit, mulierem quamdam eximiæ ſanctitatis divinitus accepiſſe, Chriſtum Dominum non in utero, ſed juxta cor matris fuiſſe conceptum, ſuſpecta fuit hæc revelatio, utpote ſacris Literis contraria, teſte Joanne Baptiſta Mantuano Carmelita (*a*).

a to.4.tract. de Concept. Chriſti ad Cardin. Gonzaga.

9 Præterea Reviſorum erit adnotare, ſi quid tamquam divinitus revelatum dicatur, quod adhuc ſit ſub Eccleſiæ judicio. Id ſaltem proderit, ut, ſi ad ulteriora in cauſa procedendum ſit, ejuſmodi revelata inter Divina non recenſeantur. Huc referri poſſe videntur, quæ in meditationibus de Chriſti Paſſione aliquando confinguntur, ſed rejicienda eſſe affirmat Suarez (*b*).

b to.2.in 3. par.diſp.33 ſect.2.

10 Prædicta de remiſſione peccatorum, prædeſtinatione, & nomine Angeli Cuſtodis fuerunt a Reviſoribus ultra ipſorum munus adnotata. Ab ipſis enim doctrina expendenda eſt; in prædictis vero qualitas revelationis difficultatem affert. Laudabiliter tamen adnotarunt, cum ſic Congregationi innoteſcat neceſſitas perpendendi qualitatem revelationum, meditationum, viſionum, & prophetiarum.

11 Qualitas igitur revelationum expendenda eſt, quando proponitur dubium de virtutibus. Tunc Fidei Promotor debet ſtrictim perpendere qualitates ejus, cui factæ ſunt, earumque modum, & effectus. Earum approbatio eſt mera permiſſio, ut edantur ad Fidelium utilitatem: approbatis vero debetur aſſenſus tantum fidei humanæ. Si inter ſe opponantur, nullum inde ſequitur abſurdum, ut explicat Jo. Gerſon (*c*).

c to.1.oper. col.24.

12 Primum itaque in Congregatione rituum advertendum eſt, an revelationibus, viſionibus, & prophetiis inſit aliquid contra Fidem, & bonos mores, aut novum aliquid, & a ſenſu Eccleſiæ alienum. Quando agitur de virtutibus, inſpiciendum eſt, an is, cui revelationes factæ dicuntur, fuerit gratiis gratis datis a Deo illuſtratus. Tandem petentibus Poſtulatoribus, inſtituendum eſt judicium ſuper earum approbatione. Sæpe inſtitutum fuit examen revelationum, viſionum, & apparitionum, non tamen ſemper, aut eodem modo approbationem meruerunt.

CAPUT XXXIII.

An doctrina contra Fidem, vel Eccleſiæ regulas obſtet Beatificationi, & Canonizationi, ſi ante obitum a Dei Servo fuerit retractata, aut fuerit judicio Eccleſiæ ſubjecta, cum ſcripta fuit.

1 &c. Doctrina ab aliquo Servo Dei contra Eccleſiæ definitiones in rebus Fidei, vel morum ſcripta, ac mox ſerio retractata, Beatificationi, & Canonizationi non obſiſtit. Id comprobat doctrina S. Ambroſii (*d*); & eruitur ex S. Auguſtino (*e*), & Vincentio Lirinenſi (*f*) laudantibus S. Cyprianum, quod ſententiam de rebaptizandis baptizatis ab Hæreticis revocaverit. Conſonat exemplum ejuſdem S. Auguſtini, qui in libris retractationum multa in aliis operibus ſcripta correxit, erroreſque confeſſus eſt. In literis autem ad Renatum, & Petrum Presbyterum errores Victoris paucis confutavit, eidemque ſcripſit, ut eos corrigeret. Neque enim error, ſed animus obſtinatus facit hæreticum.

d to.1.oper. apol.1. David. c.2.

e to.9. l.2. de Baptiſm. c.4.

f in commonit.n.11.

6 Huc ſpectat etiam Eccleſiæ diſciplina, quæ inter Sanctos colit eos, qui

qui Chriſtum negarunt, ac poſtea pro eodem mortem ſuſtinuerunt. Accedit exemplum Petri Abaelardi. Hunc a Conciliis Sueſſionenſi, ac Senonenſi, & ab Innocentio II. tamquam hæreticum damnatum, & ab omnibus derelictum Petrus Venerabilis Abbas Cluniacenſis (*a*) ſuſcepit, ac Pontifici reconciliavit: inter Monachos receptus ab erroribus reſipuit, addita Fidei confeſſione, ut proinde multi merito contendant, non eſſe Hæreticis adnumerandum.

a apud Baron. ad an. 1140. n. 11.

7 His addi poteſt, quod Pius II. in ſua bulla 7. (*b*) retractat, quæ in minoribus conſtitutus pro Concilio Baſileenſi contra Eugenium IV. ſcripſerat. Cuncta hæc innuunt, retractationem erroribus remedio eſſe, eorumque maculam abſtergere.

b Bullar. nov. to. 3. par. 3.

8 Controverſia itaque ad eos redacta, qui errata non retractarunt, ſed Romanæ Eccleſiæ judicio ſubjecerunt, pertractanda eſt ex Canoniſtis, ex monumentis Eccleſiaſticis, & ab exemplis.

9 Docent itaque Canoniſtæ, non eſſe hæreticum, qui errorem ſuum ſupponat judicio Sedis Apoſtolicæ, vel Fidem Romanæ Eccleſiæ tenere confiteatur: propterea Joannem de Poliaco, a Joanne XXII. damnatum, fuiſſe hæreticum negant. Addunt, hæreticum fieri per intellectus errorem, & pertinaciam voluntatis; pertinaciam vero per dictam ſubjectionem eliminari. Concludunt, damnato libro, non proinde cenſeri damnatum Auctorem, ſi librum correctioni Pontificis ſubmiſerit, uti conſtat de Caſſiano, & Fauſto Rejenſi. Damnato autem Auctore, cenſeri damnatos etiam libros, ut fuſe docet Fagnanus (*c*).

c in cap. *Damnamus* de ſum. Trin., & Fid. Cathol.

10 Ex monumentis Eccleſiaſticis, voluntas emendationis errantem in Fide ab Hæreticorum, cætu excluſiſſet, ſi fuiſſet ſincera, ut colligitur ex facto Zoſimi Papæ in cauſa Cæleſtii, & Pelagii apud S. Auguſtinum (*d*). Aliquando errantes ex imperitia inter Hæreticos non recenſuit Eccleſia, teſte Caſſiano (*e*). Interdum debita Eccleſiæ ſubjectio errantes ab Hæreticorum numero excluſit apud Facundum Hermianenſem (*f*). Alii demum ab hæreſis nota ſe vindicarunt, correctioni ſe ſubjicientes, uti fecit Petrus Abaelardus (*g*).

d l. 2. Bonif. c. 3. to. 10. oper.

e collat. 10. c. 3.

f l. 12. c. 1. to. 10. Bibl. PP. pag. 100.

g in prol. introd. ad Theol.

11 Succedunt exempla. Joakim Ciſtercienſis Abbas monaſterii Florenſis in Calabria, vir cæteroqui pius, verum, ac ſimplicem eſſentiæ Divinarum Perſonarum unitatem negavit, & ſimilitudinariam, atque collectivam defendens, damnatus eſt in Concilio Lateranenſi ſub Innocentio III. At cum omnia judicio Sedis Apoſtolicæ ſubmiſiſſet, idem Innocentius noluit, præjudicium ullum in monaſterium Florenſe ab eo fundatum ex hac damnatione derivari. Ipſum poſtea verum Catholicum declaravit Honorius III. Plura in ejus defenſionem collecta recenſent Bollandiani (*h*), quæ tamen refellit Natalis Alexander (*i*). Miraculis etiam claruit, & cultum, ubi ſepultus eſt, obtinet: immo Monachi Florenſes inquiſitionem in ejus miracula petierunt. Hinc infertur, errantem non eſſe hæreticum, ſi omnia judicio Eccleſiæ ſubjecerit; & non eſſe ejus cauſæ ſilentium imponendum.

h ad 29. Maji to. 7. in diſq. hiſt. §. 4.

i diſſert. 2. ad ſæc. 13. & 14.

12 Neque periclitari videtur ſana doctrina, ſi inter Beatos, & Sanctos adſcribatur, qui eidem in rebus Fidei, & morum adverſatus eſt: In primis enim Reviſores referre poſſent, eum in aliquo deliquiſſe, ſed tamen excuſandum, cum omnia judicio Eccleſiæ ſubmiſerit: Deinde ſolus unanimis SS. Patrum conſenſus in explicandis ſacris Literis, & in rebus Fidei, & morum eſt *infallibile* Divinæ revelationis teſtimonium apud S. Auguſtinum (*k*), Vincentium Lirinenſem (*l*), & Concilium Tridentinum (*m*).

k to. 2. oper. epiſtol. 82. n. 3.

l in commonit. n. 39.

m ſeſſ. 4. in decr. de edit. libr.

13 Hæc diſputationis gratia dicta ſint, quæ tamen ad rem præſentem non faciunt: non enim agitur de homine inter Hæreticos adſcribendo, ſed de progreſſu cauſæ Beatificationis. Quod ſi Eccleſia proborum virorum ſimplici-

tati interdum ignovit, inde non infertur, idem agendum eſſe in cauſa Beatificationis, & Canonizationis, cum hæc non ſit cauſa neceſſario definienda. Tandem decreta generalia ſtatuunt, ut feratur judicium de qualitate propoſitionis, ut eſt in ſe, independenter ab intentione proferentis: adeoque ad ulteriora procedi non poterit, ſtatim ac conſtet, Servum Dei aliquid ſcripſiſſe contra Fidem, bonos mores, & Eccleſiæ ſenſum, etiamſi bona intentione ſcripſerit. Nec ſuffragatur exemplum doctrinæ retractatæ; hæc enim habetur veluti numquam tradita, quod dici nequit de doctrina, quæ ſolum ſubmiſſa ſit Eccleſiæ judicio.

CAPUT XXXIV.

De libris, ſive operibus Servorum Dei, quæ reperiri non poſſunt, & de aliis, quæ iiſdem falſo aliquando adſcribuntur.

1. 2 SI Dei Servus opera ſcripſit, nec reperiantur, ſacra Congregatio ſcribit ad Epiſcopos locorum, ut ea per ſe, vel per alios, in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutos perquirant, ut factum eſt in cauſis B. Alexandri Saulii, & Bernardini Realini. Epiſcopi, vel eorum Subdelegati cum Notario Curiæ Eccleſiaſticæ, & Promotore Fiſcali ad archiva, & bibliothecas, etiam monaſteriorum Regularium accedunt. Archiviſtas, & Bibliothecarios, Superiorem, & duos ſeniores monaſterii de operibus interrogant. Si iidem affirment, ſe neſcire, eadem ibi eſſe, id jurejurando confirmare debent. Tum Judex ſcrutatur archivum, & bibliothecam; & in tota diœceſi per publica edicta, etiam ſub comminatione cenſurarum, opera diligenter perquirit. Inventa diligenter expenduntur, & cum inſtrumento de actis in perquiſitione ad Congregationem mittuntur. Si reperiri nequeant, mittitur inſtrumentum de diligentiis adhibitis, & tunc Congregatio demandare ſolet, ut ad ulteriora in cauſa procedatur. Si in Urbe perquiſitio facienda ſit, Promotor Fidei, & Subpromotor prædicta præſtabunt.

3 &c. Quod ſi Poſtulatores contendant, opera non eſſe Servi Dei, cui adſcribuntur, id concludenter comprobare debent, juxta decreta generalia. Si opera manuſcripta ſint, Congregatio rituum mandat Ordinario, ut ea ad Urbem mittat. Si in Urbe ſint, præcipit Promotori, ut ea excipiat, & ad Secretarium deferat. Eorum veritas ex ſubſcriptione alicujus Notarii, vel per comparationem cum certa ſcriptura Servi Dei; vel per teſtes, illius characterem callentes exquiritur. Cumulantur adminicula ex communi opinione, & ab aſſertionibus Auctorum, præſertim contemporaneorum. Advocantur periti antiquorum characterum, quorum relationes, juramento firmatæ, in particularem proceſſum, qui conficitur, inſeruntur, ut Congregatio ex his omnibus ſtatuat, an opus ſit Servi Dei, ac reviſioni ſupponendum. Profecto in cauſa B. Humilitatis, aſſerentibus Peritis, characteres opuſculorum, quæ eidem tribuebantur, non pertinere ad tempora, quibus Beata vixerat, Congregatio rituum juſſit ad ulteriora procedi.

6 Hæc quoad opera manuſcripta. Si vero edita ſint, & Poſtulatores contendant, non eſſe Servo Dei attribuenda, id quoque perſpicuum reddere debent. Quomodo id fieri poſſit, ſuggerit Mabillonius (a). Præterea ſi in opere reperiantur auctoritas, res, aut vocabula Servo Dei poſteriora; ſi fabellæ, ac narratiunculæ ab ejus ingenio diſſonæ; ſi hæreſis ab eo alias impugnata, & ſimilia, liber erit Servo Dei abjudicandus: quemadmodum Baronius, & alii Sixto III. abjudicant opera, hæreſim Pelagianam præſeferentia, quam idem Pontifex impugnaverat. Omnia hæc locum habent in examine manuſcriptorum. Quapropter ſi Congregatio exiſtimet, opus non fuiſſe a Servo Dei compoſitum, proceditur

a de ſtud. Monaſt. to. 2. c. 13.

ditur ad ulteriora, quin illud expendatur; tec..s, ſi illius eſſ. appareat.

7 Huc uſque expoſita illuſtrantur exemplis. In cauſa S. Jacobi de Marchia Congregationi rituum innotuit quoddam opuſculum in modum Dialogi adverſus Fraticellos manuſcriptum, quod Waddingus (a) S. Jacobo adjudicaverat. Clemens XI. opuſculum ad ſe deferri juſſit, tum antiquorum characterum peritiſſimos delegit, ut perpenderent, an revera S. Jacobus illud conſcripſerit. Periti tempus, characteres, aliaque plura in opuſculo ad trutinam revocarunt, ex quibus ad ſummum ſuſpicio aliqua ſuboriebatur, S. Jacobum pauca addidiſſe. Ex his omnibus Pontifex advertens, non conſtare opus illud eſſe S. Jacobi, cum decreta Urbani in hoc non probabilitatem, ſed certitudinem exigant, Fidei Promotorem advocavit pro edendo decreto, ut, illo non obſtante, ad ulteriora in cauſa procederetur. Verumtamen, abſente Cardinali cauſæ Relatore, ac Poſtulatoribus negligentibus, decretum illud ſub Benedicto XIII. editum eſt, qui Canonizationem quoque S. Jacobi abſolvit.

a in ſyllab. ſcript. Ord.

8 &c. Alterum exemplum præbet cauſa B. Joannis Cantii. Nonnulla ſcripta ipſi tamquam Auctori tribuebantur, continentia propoſitiones, quæ ſanæ doctrinæ non conſonabant. Poſtulatores perpenderunt, Hiſtoricos ab ætate B. Joannis valde remotos, opera hæc B. Joanni adſcribere, ſilentibus tamen antiquioribus: characterem differre a vero charactere B. Joannis: Auctorem operum diverſa ſibi nomina impoſuiſſe. Ex his, aliiſque pluribus conjecturis, & circumſtantiis Congregatio rituum reſpondit, *non conſtare eſſe opera B. Joannis Cantii, & poſſe procedi ad ulteriora.*

11 In cauſa B. Benedicti XI. ante progreſſum ad ulteriora reviſioni fuere ſuppoſita quædam commentaria in *cap. 5. Matthæi*, quæ tamen fortaſſe non ab eo, ſed a Benedicto XII. ſunt compoſita. At vel Poſtulatores id neglexerunt, vel Congregatio cenſuit, non ita facile opus illud Benedicto XII. adſcribi poſſe.

12 His omnibus addendum, numquam dici poſſe doctrinam Servi Dei approbatam a S. Sede, etiamſi judicium Reviſorum, quod ea decretis Urbani VIII. non adverſetur, admiſſum a Congregatione fuerit, & a Pontifice confirmatum. Quare poteſt reverenter impugnari, etiamſi Auctor inter Beatos, aut Sanctos relatus fuerit, uti de doctrina S. Bernardi ſenſit Nicolaus Monachus in epiſt. ad Petrum Cellenſem.

CAPUT XXXV.

De ſignatura Commiſſionis in genere.

1 &c. HÆC ſignatura eſt ſupplicatio a Poſtulatoribus ſummo Pontifici exhibita, & ab eodem admiſſa, atque ſubſcripta, per quam Congregationi rituum impertitur facultatem procedendi in cauſa Beatificationis, & Canonizationis alicujus Servi Dei. Ex Conſtitutione 74. Sixti V. non videtur neceſſaria pro unaquaque cauſa; quod quidem teſtatus eſt etiam Cardinalis Geſualdus in cauſa S. Hyacinthi: nunc tamen omnino requiritur, cum ejus formula decretis Urbani VIII. inſerta ſit.

5 Ante inſtitutam rituum Congregationem, petentibus Principibus, aut populis alicujus Canonizationem, Pontifex, re Cardinalibus in Conſiſtorio expoſita, committebat Epiſcopis inquiſitionem in genere, & in ſpecie. Examen vero proceſſus prius Auditoribus, inde tribus Cardinalibus deferebat. Hæc vel vivæ vocis oraculo expediebantur, vel in libris Conſiſtorii deſcribebantur, cum in antiquis monumentis nulla ſit mentio *Commiſſionis*.

6 Inſtituta Congregatione rituum, conſuevit expediri Breve, ac dirigi eidem Congregationi. Aliquando Pontifex in eodem Brevi facultatem dedit Congregationi procedendi in genere,

Digitized by Google

& in ſpecie, ut in cauſa S. Philippi Nerii, & aliorum. Interdum in uno Brevi facultatem in genere; in alio facultatem in ſpecie conceſſit, ut in cauſa S. Tereſiæ.

7 Tunc quoque Auditores Rotæ examinabant proceſſus: quare ipſis dirigebantur Commiſſiones, expeditæ in ſcriptis a Cardinali Præfecto Congregationis poſt ſummi Pontificis oraculum. Aliquando tamen Pontifex ipſe has Commiſſiones ſignavit, ſed ſine Brevis expeditione.

8. 9 Editis Urbani VIII. decretis in deſuetudinem abierunt Commiſſiones per Breve, adeoque iiſdem decretis inſerta fuit forma Commiſſionis, complectens inquiſitionem in genere, & in ſpecie, reſervata tamen Pontifici facultate demandandi expeditionem Commiſſionum pro unoquoque articulo. Sæpe Advocati Conſiſtoriales in publico Conſiſtorio petierunt, ut hæ Commiſſiones ſignarentur. At ſive præceſſiſſet, ſive non, hujuſmodi inſtantia, cum ageretur de ſignanda Commiſſione introductionis cauſæ Beatificationis, & Canonizationis, cogebatur Congregatio præparatoria, in qua Cardinalis cauſæ Relator exponebat contenta in proceſſibus ordinariis, vel in documentis extrajudicialibus. Si ex his deſumeretur fama ſanctitatis, & virtutum, vel Martyrii, aut miraculorum, decernebatur, ut in prima Congregatione generali Commiſſio Pontifici exhiberetur. In Congregatione generali Relator prædicta repetebat, additis Principum petitionibus pro Canonizatione; tum ſi fama ſatis probata videretur, Pontifex Commiſſionem ſignabat. Hæc deſumuntur ex regeſtis Congregationis pro cauſa Servi Dei Alexandri Luzaghi.

10 Poſt hæc recenti conſuetudini viam aperuerunt decreta Innocentii XI. Nunc enim, aperto proceſſu ordinario, & electo cauſæ Relatore, Procurator informationem componit, quam una cum proceſſu Fidei Subpromotori communicat. Promotor Fidei animadverſiones exarat, quibus Procurator reſpondet. Cauſa deinde in Congregatione ordinaria proponitur; ſi hæc annuat, Procurator Commiſſionem componit, & Promotori communicat; hic in calce teſtatur, ſe eam vidiſſe. Exhibetur denique Secretario Congregationis, & per hunc Pontifici, qui eam ſignat per verbum *placet*, addita prima littera ſui nominis, quod ante Pontificatum habebat: prius tamen citandus eſt Fidei Promotor.

11 Signatura Commiſſionis nullum importat cultus initium; ſed ſolum efficit, ut obtineri poſſint litteræ remiſſoriales, & compulſoriales pro Apoſtolicis proceſſibus conſtruendis.

12 Signata Commiſſione, S. Sedes manum ad cauſam appoſuiſſe dicitur, nulluſque poteſt amplius ei ſe immiſcere. Sola Commiſſionis petitio ejuſmodi appoſitionem non inducit, juxta decretum in cauſa Servorum Dei Jacobi Saleſii, & Guillelmi Saltamochii 15. Febr. 1659. editum.

CAPUT XXXVI.

De ſignatura Commiſſionis in cauſis, quæ poſt Urbani VIII. decreta introducuntur, & quæ procedunt per viam non cultus.

1 Commiſſio introductionis in his cauſis importat facultatem expendendi ſententiam Ordinarii ſuper non cultu. Si Ordinarius proceſſum, & ſententiam ſuper eodem omiſerit, importat facultatem conſtituendi Delegatum pro iis peragendis, necnon inquirendi in genere, & in ſpecie. Ad hanc Commiſſionem obtinendam ſequentia requiruntur.

2 &c. Primum. Non eſt petenda in Congregatione rituum, niſi poſt decennium a die exhibiti proceſſus ordinarii, ut eruitur ex decretis Innocentii XI. Si Poſtulatores velint hanc petitionem ante decennium proponere, exquirenda eſt diſpenſatio Apoſtolica, quæ ſæpiſſime conceditur, ut ex pluribus

ribus cauſis colligitur. Conceditur vero vel ob gravem ætatem teſtium in proceſſu ordinario examinatorum, vel ob magnam temporis diſtantiam ab obitu Servi Dei ad ejuſdem proceſſus conſtructionem.

5 Secundum. Non eſt petenda in Congregatione ordinaria, niſi Pontifex permiſerit; nam ex decretis Urbani VIII. hæc petitio proponenda eſt in Congregatione generali. Sed cum hæc non tam frequenter cogi poſſit, & in eadem proponenda ſint dubia præcipua, Pontifex permittit, ut ſignatura Commiſſionis in Congregatione ordinaria petatur.

6 Tertium. Huic petitioni præmittenda eſt reviſio operum Servorum Dei, de quibus ſupra actum eſt.

7 &c. Quartum. Debent accedere petitiones ſpontaneæ, & repetitæ Regum, & Principum, aliarumque perſonarum authenticarum, ut eruitur ex
a ſect.6.c.1 Cæremoniali Romano (a) edito ſub nomine Archiepiſcopi Corcyrenſis, nec non ex decretis generalibus Urbani VIII, & ex pluribus cauſis, & monumentis. Authenticæ perſonæ ſunt Laici, & Clerici in dignitate conſtituti. Hæ petitiones debent exprimere magnam ſanctitatis, aut Martyrii, & miraculorum famam, piumque obtinendæ Canonizationis deſiderium. Principes aliquando per ſe, nonnumquam per Legatos preces ſummo Pontifici exhibuerunt. Nunc fere ſemper id fit per epiſtolas, quarum præcipuæ eduntur in ſummario informationis, reliquis ſolum indicatis, vel omnes in libello ſeparato imprimuntur.

11 Quintum. Exhibendi ſunt proceſſus omnes auctoritate ordinaria compilati. Olim Commiſſiones introductionis expediebantur, antequam hi proceſſus aperirentur, nec alium uſum decreta Urbani VIII. induxerunt. At nunc ex decretis Innocentii XI. omnes ante Commiſſionem aperiendi ſunt, & exhibendi Fidei Promotori, etiamſi Poſtulatores proteſtentur, aliquem ex iis eſſe nullum, eoque uti nolle, ut contigit in cauſa S. Vincentii de Paulis, & aliorum.

12 Sextum. Proceſſus Ordinarii ſuper fama virtutum, & miraculorum, quorum ope petitur Commiſſio introductionis, *nullitatis* vitio carere debent, juxta diſciplinam ſacræ Congregationis. Poſtulatores dum poſcunt, ut admittatur Commiſſio, indicant validitatem proceſſuum, Promotor Fidei vero adverſatur. Hæc tamen non ſufficiunt ad validitatem proceſſuum ſtatuendam, quamquam non ſunt ſuperflua, cum dedeceat introducere cauſam ex proceſſibus evidenter nullis.

13 Septimum. Fama virtutum, & miraculorum per proceſſus ordinarios plene comprobanda eſt, ut eruitur ex forma Commiſſionis generalis impreſſa in decretis Urbani VIII; pro obtinenda tamen hac ſignatura Commiſſionis non requiritur, ut probentur in ſpecie virtutes, & miracula, ut edicunt regeſta ſacræ Congregationis. In more autem poſitum eſt, ut Promotor Fidei famam impugnet, & Poſtulatores illius oppoſitiones diluant.

14 &c. Octavum. Nil obſtare debet cauſæ introductionis: idque eruitur ex decretis Innocentii XI. Hoc tamen obſtaculum tanti ponderis eſſe debere dixerunt Promotores Fidei, ut ſtatim appareat, non poſſe in diſcuſſione cauſæ ſuperari, & aſſimiletur exceptioni peremptoriæ, quæ in cauſis civilibus non ſinit introduci Judicium. Equidem licet Conſtantinus Magnus, & Joannes Jejunator Patriarcha Conſtantinopolitanus inter Sanctos recenſeantur in Menologio Græcorum, tamen ſi eorum Canonizatio apud Sedem Apoſtolicam pertractanda eſſet, introductioni cauſæ obicem poneret, quod primus Euſebianis artibus circumventus S. Athanaſium male acceperit: ſecundus Œcumenici nomen aſſumpſerit. Contra vero quamquam in cauſis Ven. Joannæ Franciſcæ Fremiot de Chantal, & S. Vincentii de Paulis Promotor Fidei negaſſet, ſignandam eſſe Commiſſionem introductionis, eo

quod

quod in prima teſtes ſolum auriti in proceſſu ordinario examinati eſſent ſuper fama ſanctitatis, & virtutibus: in ſecunda vero S. Vincentius familiaritatem habuerit cum quodam hæreſis labe infecto: ſignata tamen fuit Commiſſio ſub obtentu, quod in cauſæ decurſu oppoſita eluderentur. Cæterum ſacra Congregatio, ſublato penitus obice a Poſtulatoribus, ſignaturam Commiſſionis abſolute admittere conſuevit. Si obex non fuerit plene ſublatus, eamdem ſignaturam admittit, reſervata obicis diſcuſſione ad judicium de virtutibus, ut contigit in cauſa Servæ Dei Joannæ a Cruce, & aliorum. Hæc reſervatio, ſi in decreto omittatur, pro appoſita habenda eſt, cum Promotor Fidei, dum agitur de virtutibus, reſumere debeat obſtacula, quæ non omnino ſublata ſunt in ſignatura Commiſſionis.

19 Tandem ex decretis Innocentii XI. pro obtinenda ſignatura Commiſſionis opus eſt, ut poſt prædictum decennium Epiſcopi novis litteris teſtentur continuationem, & incrementum famæ. Quam quidem continuationem, & incrementum per has litteras abſque alio proceſſu probari cenſuit ſacra Congregatio in cauſis Servorum Dei Aloyſii La Nuza, & Veronicæ de Laparellis.

20. 21 Cum introducenda eſſet cauſa Servi Dei Joannis de Avila, Promotor Fidei exegit proceſſum in tribunali Inquiſitionis Hiſpaniarum, ad quod Servus Dei fuerat delatus, conſtructum, ut perpenderetur, num in eo quidquam ſignaturæ Commiſſionis, aut famæ ſanctitatis obſiſteret. Summus Pontifex Benedictus XIV. proceſſum ad ſe tranſmitti juſſit, perlegit, & clauſum ad idem tribunal remiſit; ac ſimul in decreto (*a*) ſuper hoc edito teſtatus eſt, Servum Dei fuiſſe a Judicibus *immunem a delicto declaratum*, ejuſque virtutes *concordi multorum teſtimonio clarius elucere*; ideoque nil amplius a Fidei Promotoribus ex hoc proceſſu inquirendum eſſe.

a 3. Apr. 1742.

CAPUT XXXVII.

De ſignatura Commiſſionis in cauſis, quæ poſt Urbani VIII. decreta introducuntur, & quæ procedunt per viam caſus excepti.

1 HÆC Commiſſio importat facultatem expendendi ſententiam a Judice ordinario latam ſuper caſu excepto: aut conſtituendi Judicem delegatum, qui proceſſum ſuper eodem caſu conſtruat, & ſententiam ferat, ſi Ordinarius hæc non præſtiterit: necnon inquirendi in genere, & in ſpecie ſuper virtutibus, aut Martyrio, & miraculis, poſt indultam venerationem patratis.

2 Quæ in antecedenti capite expoſita ſunt pro obtinenda Commiſſione in cauſis procedentibus per viam non cultus, locum ſibi vindicant in cauſis caſus excepti, niſi quod in his non eſt expectandum decennium a die exhibiti proceſſus ordinarii, ut reſpondit Congregatio rituum (*b*) in cauſa Servi Dei Ægidii a Laurentiana, & aliorum. *b* 9. Jul. 1695

CAPUT XXXVIII.

De Commiſſione, quæ dicitur Reaſſumptionis.

1. 2 DUplex eſt hæc Commiſſio. Alia reſpicit cauſas procedentes per viam non cultus poſt decreta Urbani VIII. introductas. Alia cauſas ante eadem decreta inchoatas, ac nondum abſolutas. Prima exigitur in tranſitu a formali Beatificatione ad Canonizationem, ut expendantur, quæ poſt indultam Beatificationem ſupervenerunt, ut conſtat ex cauſa S. Ludovici Bertrandi, & aliorum.

3. 4 Olim pro obtinenda hac Commiſſione fiebant proceſſus ſuper famæ ſanctitatis, & venerationis incremento. Nunc Poſtulatores exhibent ſupplicem

plicem libellum, *extrajudicialibus* atteſtationibus de eodem incremento refertum. Signatur, ſicut aliæ Commiſſiones: nec Promotor Fidei obſiſtit. Non requiritur tamen in cauſis, quæ introducuntur poſt decreta Urbani VIII, & procedunt per viam caſus excepti.

5 Quod ſpectat ad cauſas ante decreta Urbani introductas, ipſa decreta ſtatuunt, ne eædem agitentur, niſi obtenta a Pontifice facultate. Huic facultati ſubſtituta fuit *Commiſſio reaſſumptionis in ſtatu, & terminis*, per quam datur facultas reſumendi cauſam, conficiendi auctoritate Apoſtolica proceſſus, ac ferendi ſententiam ſuper non cultu, aut caſu excepto, ac cætera peragendi uſque ad Canonizationem.

6 &c. Pro obtinenda hac Commiſſione reaſſumptionis non exiguntur omnia, quæ neceſſaria ſunt in Commiſſione introductionis. Opus tamen eſt, ut reviſioni ſubdantur opera, quæ forte Servus Dei conſcripſit, ſed Congregatio nondum expendit: rurſus ut exhibeantur, & examinentur proceſſus omnes, ſi adſint, tam auctoritate ordinaria, quam Apoſtolica confecti: tandem ut oſtendatur fama ſanctitatis, ejuſque incrementum; nec non obſtacula in diſcuſſione cauſæ inſuperabilia abſint.

9 &c. Expendendi ſunt proceſſus, ſi adſint, ut conſtet, an ex eis probetur fama ſanctitatis, virtutum, aut Martyrii, & miraculorum, aut aliquod obſtaculum contineant. Quod ſi ante decreta Urbani VIII. virtutes a Rotæ Auditoribus, & a Congregatione approbatæ fuiſſent; aut proceſſus ordinarius non reperiatur, exhibitus tamen fuerit, dum ante eadem decreta ſignata fuit Commiſſio: vel demum proceſſus Apoſtolici, pariter ante decreta Urbani, initium, ſed non complementum habuerint, ſignatur Commiſſio reaſſumptionis, quin ejuſmodi proceſſus exhibeantur, ut ex pluribus cauſis colligitur. Demum evincenda eſt fama ſanctitatis, aut Martyrii, & miraculorum, ejuſque continuatio uſque ad petitionem Commiſſionis reaſſumptionis: ſed huic probationi ſufficiunt atteſtationes *extrajudiciales*, ut contigit in cauſa B. Benedicti a S. Philadelphio, & aliorum. Petitur vero, ac ſignatur Commiſſio reaſſumptionis eodem ordine, ac Commiſſio introductionis.

13. 14 In cauſis SS. Agnetis a Monte Politiano, & Peregrini Latioſi Sedes Apoſtolica ante decreta Urbani VIII. in eorum honorem conceſſerat Officium, & Miſſam, attentis dumtaxat monumentis, & atteſtationibus *extrajudicialibus*. Cum vero poſt decreta ageretur de expedienda Commiſſione, invaluit dubium, num hæc dicenda eſſet *introductionis*, an potius *reaſſumptionis*, eo quod cauſæ viderentur introductæ, dum Sedes Apoſtolica Officium, & Miſſam indulſerat. Verum iis nominibus omiſſis, Commiſſio appellata fuit *in ſtatu, & terminis*. Hac Commiſſione ſignata in cauſa S. Agnetis, cum diſcuterentur miracula, inter hæc unum erat, ſuper quo Ordinarius proceſſum compilaverat. Contendit Promotor Fidei, hoc miraculum non poſſe probari ex proceſſu ordinario, utpote nullo, cum conſtructus eſſet, poſtquam Sedes Apoſtolica per prædicta indulta manum ad cauſam appoſuerat. Hanc manus appoſitionem negarunt Poſtulatores innixi rationibus ab alio Promotore Fidei adornatis, ſcilicet introductionem cauſæ, adeoque manus appoſitionem deſumendam eſſe ex Actis judicialibus. Quapropter ſacra Congregatio proceſſum admiſit. Hinc appoſitio manus S. Sedis ex ſignatura Commiſſionis, non ex indultis ope documentorum *extrajudicialium* latis deducenda eſt.

CA-

CAPUT XXXIX.

De ſubſtantia, & uſu, ſeu praxi judicii in genere ſuper fama ſanctitatis, aut Martyrii.

1 &c. Signata Commiſſione introductionis cauſæ procedentis ſaltem per viam non cultus, expediuntur litteræ remiſſoriales, ut fiat auctoritate Apoſtolica proceſſus ſuper fama ſanctitatis, aut Martyrii. In his cauſis non eſt inſtituenda inquiſitio in ſpecie, niſi abſoluta inquiſitione in genere, ut eruitur ex Ordinibus Canonizationum apud Mabillon. (*a*), & alios. Suffragantur decreta generalia Urbani VIII., & Doctores communiter. Ac licet ante eadem decreta, aliquando ex *diſpenſatione* facta ſit inquiſitio In ſpecie, omiſſo proceſſu in genere; poſt eadem tamen vix hujus diſpenſationis exemplum invenietur in cauſis Confeſſorum, aut Virginum, vel nec Virginum, nec Martyrum procedentibus per viam non cultus; bene vero in cauſis Martyrum per quamcumque viam procedant; vel etiam in reliquis cauſis memoratis, ſi verſentur inter exceptas a decretis Urbani.

(*a*) muſ. Ital. to. 2.

5, 6 Superfluum eſſe proceſſum in genere ſuper fama ſanctitatis, utpote re nota, ſcripſit Contelorus (*b*) cum aliis. Fama vero in proceſſu ordinario comprobata, admitti poſſe *diſpenſationem* ab inquiſitione in genere, putarunt Auctores relationum cauſarum SS. Caroli Borromæi, & Ignatii. Sed utcumque hæc ante decreta Urbani VIII. probabilia eſſent; nunc omnino rejiciuntur. Oppoſitum enim eruitur ex formula litterarum remiſſorialium, cui aliæ rationes ſuffragantur.

(*b*) de Canoniz. SS. c. 33. n. 6.

7 Fama ſanctitatis in genere eſt communis opinio de integritate vitæ Servi Dei, ac de excellentibus ejus virtutibus, & miraculis. Fama Martyrii eſt communis opinio de morte pro Fide Chriſti, aut pro virtute ad eamdem ſpectante, patienter tolerata, ſignisque, aut miraculis ſuffulta.

8 &c. Quæ ad ſubſtantiam hujus judicii pertinent, continentur in decretis generalibus Urbani VIII. Ut autem veritas famæ eluceſcat, *interrogatoria* decretis inſerta proponunt inquirendum de ejus amplitudine, origine, incremento, & duratione.

11. 12 Quod ſpectat ad judicii praxim: miſſo ad Urbem proceſſu in genere, una cum epiſtola Epiſcoporum, qui Congregationi ſignificent fidem teſtium, & proceſſus momentum, petenda eſt in Congregatione ordinaria facultas illum aperiendi, eoque aperto, proponitur in Congregatione generali, vel, *ex diſpenſatione*, in ordinaria dubium de ejus validitate, & relevantia. A Promotore Fidei impugnanda eſt validitas proceſſus, & probatio famæ ſanctitatis: Poſtulatores diſtinctis ſcripturis utramque tueri debent. Si ſacra Congregatio utramque admiſerit, & Pontifex confirmaverit, abſolutum dicitur judicium ſuper fama ſanctitatis. Quæ dicta ſunt de epiſtola ab Epiſcopis ſcribenda, deſumuntur ex forma Commiſſionis generalis edita inter decreta generalia Urbani. Quæ de petitione proponenda in Congregatione generali, eruuntur ex iiſdem decretis generalibus. Nunc tamen omnis cauſa ſuper fama in genere per *diſpenſationem* proponitur in Congregatione ordinaria, eo quod Pontifex ſemel, aut bis tantum in anno Congregationi intereſſe poſſit.

13 Uſus recentior in quibuſdam diſcrepat ab antiquiori. Nunc enim fit proceſſus formalis ſuper inquiſitione in genere: olim proceſſus in genere fiebat cum teſtibus ad perpetuam rei memoriam examinatis. Nunc Judices proceſſum ad Urbem mittunt: olim abſoluta inquiſitione de fama ſanctitatis in genere, aliquando ſuſceperunt inquiſitionem in ſpecie, quin primam inquiſitionem ad Urbem mitterent, ut eruitur ex cauſis SS. Laurentii Juſtiniani, & Jacobi de Marchia.

CA-

CAPUT XL.

De Famæ probatione.

1 A Teſtibus, ab Hiſtoricis, a donariis, tabelliſque votivis, ſepulcro Servi Dei oblatis, hæc probatio deſumi poſſet; Sed cum forma Commiſſionis generalis loquatur ſolum de teſtibus; cætera erunt pura adminicula.

2. 3 Fama de jure probatur duobus teſtibus, ſed ex inſtituto ſacræ Congregationis ſex, aut octo examinantur. Non eſt neceſſe, ut ſint concordes, ſed ſufficiunt ſingulares ſingularitate *adminiculativa*, quia agitur dumtaxat de probatione in genere, ut explicant Molpheſius (*a*), Caſtellanus (*b*), & alii. Hanc doctrinam admiſit Congregatio rituum in cauſa Servi Dei Martini Porres, & aliorum. Si a die confecti proceſſus ad diem, quo in Congregatione proponitur dubium de fama ſanctitatis in genere, tempus notabile effluxerit, continuatio famæ ſatis probatur per epiſtolas Ordinarii, ac teſtes ad perpetuam rei memoriam examinatos, ut in cauſa Servi Dei Joannis Baptiſtæ a Conceptione.

a conſil. 46. n. 70. & ſeq.

b in tract. de Canoniz.

4 &c. In hoc diverſa ſentiunt Bartolus (*c*), & Baldus (*d*). Primus enim docet, teſti famam aſſerenti, nominandam eſſe perſonam, a qua rem audivit. Alter vero ſufficere, ait, ſi teſtis aſſerat, ſe audiviſſe rem publice dici. In judicio famæ ſanctitatis in genere retinenda eſt ſententia Bartoli: eamque, admiſit ſacra Congregatio in ultimo interrogatorio ſuper eadem fama, teſte Petro Franciſco de Rubeis, olim Fidei Promotore, in cauſa S. Philippi Benitii. Opinio Baldi admitti poteſt in factis antiquiſſimis, cum in his difficillime exprimi poſſit famæ origo; vel forte cum fama deducenda ſit ex proceſſu auctoritate ordinaria confecto pro obtinenda ſignatura Commiſſionis. Id forte ſentiunt Doctores, aſſerentes famam ſatis comprobari, ſi plures teſtes de illa deponant, licet non exprimant Auctores, a quibus ortum habuerit.

c in l. de Minore §. Plurimum n. 23. & ſeq. ff. de quæſt.

d in l. Prima n. 3. C. ad Macedonianum, & in cap. Præterea n. 10. de teſt.

8. 9 Famæ origo legitime deduci nequit ex vita Servi Dei recenter edita; ut aſſeruit Proſper Bottinius Fidei Promotor in cauſa Servi Dei Joannis de Ribera, & eruitur ex decretis generalibus Urbani VIII. Deduci tamen poteſt ex vita antiqua, typis edita a probato Auctore, vel ex conſcripta a recenti, & probato Auctore, ſi eadem proceſſibus inniteretur, eamque graves electi viri approbaſſent, & cum proceſſibus contuliſſent ac nonnulli Cardinales, juſſu Pontificis examinaſſent, typiſque tradi poſſe cenſuiſſent; horum vero judicium a ſummo Pontifice approbationem obtinuiſſet, ut contigit in vita S. Aloyſii Gonzagæ, quæ a P. Cepario conſcripta fuit.

CAPUT XLI.

De his, quæ famæ ſanctitatis obſtare poſſunt.

1 INquirendum eſſe ſpecialiter, an Canonizandus perſecutiones paſſus ſit, & cum caritate ſuſtinuerit, advertunt S. Antoninus (*e*), aliique plures. Omnes Sancti, præcipue clariores, paſſi ſunt calumnias. Ipſe Chriſtus, tamquam ſeditioſus (*f*), inſanus (*g*), & ſeductor (*h*) traductus eſt. Ab ejus exemplo argumentum conſolationis hauſiſſe viros probos, ait Hincmarus Remenſis (*i*). Paulus quoque, Stephanus, Athanaſius, aliique Patres calumnias non effugerunt. Hæc opera eſſe diaboli, ait S. Cyprianus (*k*). Conſilium Dei in permittendis piorum calumniis oſtendit S. Gregorius in epiſtola (*l*), qua ſolatur Theoctiſtam calumniis impiorum gravatam.

2 Argumentum latiſſime proſequitur Theophilus Raynaudus (*m*). Porro calumniæ adverſus Sanctos viventes, aliquando ante obitum, interdum cum obitu, quieverunt: nonnumquam poſt obitum verbis, & ſcriptis promotæ,

e in ſumm. Theol. par. 3. tit. 12. c. 8. §. 1.

f Luc. 23.

g Marc. 3.

h Matth. 27.

i in præf. ad opuſc. adverſ. Hincmar. Laud. oper. to. 2.

k epiſt. 52. ad Antonian.

l to. 2. oper. l. 11. epiſt. 45. alias 39.

m oper. to. 12. in hoplioth. contra ict. caluma.

aut excitatæ ſunt. Proinde non mirum, ſi in proceſſibus ſuper fama ſanctitatis, virtutum, Martyrii, & miraculorum, aut ſuper ipſis, teſtes, & Hiſtorici adverſantes reperiantur. Profecto, re adhuc integra, Promotor Fidei his teſtibus, & Hiſtoricis in animadverſionibus inhærere: Poſtulatores vero illius oppoſitiones diluere: Qui autem Congregationi rituum interſunt, cuncta mature perpendere debent.

3 Pluribus exemplis hæc illuſtrari poſſent. Pro cauſa Martyris ſit illud S. Thomæ Cantuarienſis, quem juſte damnatum ob rebellionem in Regem, adeoque nec Martyrem, nec Beatum eſſe, perperam dixit Rogerus Normannus. Pro cauſa Confeſſoris ſit aliud S. Bernardini Senenſis, qui Amadeum quemdam, Mediolani errores diſſeminantem, monitumque in perfidia obſtinatum denuntiavit Eccleſiæ, & in concione nominavit, ut Fideles eum vitarent. Amadeus ſententiam ſibi favorabilem ab aliis furtim obtinuit, ac mortuo Bernardino ad hujus famam denigrandam publicavit. Sed Nicolaus V. irritam, ac Bernardinum a culpa immunem declaravit.

4 &c. Hic nonnulla de teſtibus, & Hiſtoricis adnotanda ſunt, ut dignoſcatur, quando eis in hac materia fides tribuenda ſit. Si nonnulli teſtes famam ſanctitatis plene comprobent, alii eliminent, advertendæ ſunt qualitas teſtium, cauſa dictorum, & aliæ circumſtantiæ, ut rectum ſuper fama feratur judicium, juxta Maſcardum (a), & alios. Ideoque contemnendum eſt teſtimonium ex odio in Servos Dei ortum, ut ſiquis in cauſa S. Caroli depoſuiſſet, eum immane jugum impoſuiſſe, cum in ſuis repetitis Conſtitutionibus collapſam Cleri diſciplinam correxit. Idem dicendum de teſtibus, qui Divina, vel nullatenus, vel ſolum cum riſu percipiunt, ut ſi quis in cauſa Catharinæ Sveciæ filiæ S. Birgittæ famæ ſanctitatis obſtitiſſet, eo quod illius frater caſtitatem in matrimonio ab ea ſervatam irriſerit. Demum ſi rumor adverſus morea Servorum Dei cito evanuerit, fama vero ſanctitatis perſeveraverit, huic perſeverantiæ erit deferendum, ut monet S. Hieronymua in epiſt. 54. ad Furiam.

a de prob. concl. 750.

8 &c. Hæc Hiſtoricis aptari poſſent: ſed ut ſpecialia de his exponantur, S. Hilarius Arelatenſis Epiſcopus Celidonium e ſua Sede dejecerat: appellantem ad Sedem Apoſtolicam S. Leo coram Epiſcoporum Concilio, ac præſente Hilario, reſtituit. Hinc diſſidiorum origo inter SS. Hilarium, & Leonem. Auctor vitæ S. Hilarii (b) narrat, hunc, ut Celidonii appellationem agnovit, ad Romanum Concilium acceſſiſſe, & in eo humiliter ſe geſſiſſe: cumque vidiſſet Celidonium ſententia S. Leonis ad Sacra admiſſum, eumdem Pontificem tamquam allucinatum rogaſſe, ut factum ſecreto emendaret, demum, ne cum Celidonio communicaret, ab Urbe receſſiſſe. Sed aliter res ſe habuit, juxta epiſtolas S. Leonis (c), ex quibus S. Hilarium in pluribus exceſſiſſe deſumitur. Etenim de S. Leone injuſte conqueſtus Pontificale de Celidonio judicium ſprevit, hujuſque communionem reſpuit, & in Synodo ex iracundia inſolenter locutus eſt. Demum poſt abſolutum Celidonium, clam ex Urbe, Pontifice inſalutato, diſceſſit.

b to. 1. oper. S. Leonis pag. 363.

c to. 1. oper. epiſt. 10.

11 Cardinalis Baronius *in notis ad Martyrol.* (d) ingenue ait, ſe de Hilarii ſanctitate aliquando dubitaſſe, perplexitatem tamen depoſuiſſe, non quod narrationem Auctoris vitæ S. Hilarii, qui audita ſcripſerat, anteferendam cenſuerit epiſtolis S. Leonis, ſed quia totum ſe convertit ad placandum S. Leonem, teſte eodem Auctore, & exceſſuum pœnitentiam egit, adeo ut ejus nomen in pluribus Martyrologiis inter Sanctos recenſeatur, & præter alios S. Leo (e) ipſum poſt obitum, tamquam Sanctum laudaverit. Quapropter non videtur obeſſe cujuſpiam ſanctitati, aut ſanctitatis famæ, ſiquis falſa crimina, ab aliis accepta, de eo ſcripſe-

d ad 5. Maii

e epiſt. 36. cit. to. 1.

ſcripſerit, aut ſi, licet vera, per pœnitentiam tamen deleta fuerint.

12 Venerabilis Robertus de Arbriſello monaſterium fundavit in ſilva Fontis-Ebraldi, cujus regulam approbarunt Paſchalis II. & Calliſtus II. Ejus virtutes, & miracula referunt Bollandiani (*a*), aliique. Verumtamen tamquam cum fœminis nimis familiariter verſatum per epiſtolam (*b*) increpavit Goffridus Gallus Cardinalis S. Priſcæ. Nonnulli, ut genuinam, admittunt, alii apocrypham exiſtimant. Omnes conſentiunt, Roberti ſanctitati, ab egregiis, & coetaneis viris commendatæ, non officere, utpote ſcriptam a Goffrido falſis rumoribus decepto.

a ad 25. Febr. to. 3.

b 47. l. 4. in Bibl. PP. to. 21.

13 Mortuo Turſtino Eboracenſi Archiepiſcopo, nonnulli ex Canonicis Willelmum ejuſdem Eccleſiæ Theſaurarium, alii Henricum Murdach elegerunt. Primus ab Epiſcopo Wintonienſi conſecratus eſt; ſed cum in Synodo Pariſienſi Albericus Hoſtienſis Epiſcopus auctoritate Apoſtolica depoſuit ſub Eugenio III., qui etiam ſecundum conſecravit. S. Bernardus (*c*) ab aliis deceptus primum in quibuſdam epiſtolis male accepit: ſed iis omnibus mortuis, Anaſtaſius IV. Willelmum innocentem in ſuam Eboracenſem ſedem reſtituit; ac poſt obitum virtutibus, & miraculis clarum Honorius III. Sanctis adnumeravit. Quocirca ſi neque Willelmi, neque Bernardi Canonizationi obfuerunt ejuſmodi epiſtolæ, nec alterius ſanctitatem inficient crimina a gravi Scriptore objecta, ſed a legitimo Judice ſublata.

c volum. 1. oper.

14 Plura in S. Norbertum protulit Petrus Abaelardus (*d*). Alii adverſus SS. Vincentium Ferrerium, & Ignatium falſa crimina ſcriptis adornarunt, quin tamen aut primi cultum, aut ſecundorum Canonizationem impediverint; hinc ſanctitatem, aut famam Servi Dei nequit denigrare Hiſtoricus, qui malo animo, & per calumniam ſcripſerit.

d ſerm. de S. Joann. Bapt.

CAPUT XLII.

In quo expoſita confirmantur exemplis cauſarum in ſacrorum rituum Congregatione peractarum.

1. 2 Sanctum Jacobum de Marchia famæ nimis ſollicitum, dum de Sanguine Chriſti cum Inquiſitore Brixienſi contenderet, aſſerit Jo. Gobellinus (*e*). Pius II (*f*), S. Joannem de Capiſtrano tamquam inanis gloriæ cupidum ob victoriam a Chriſtianis adverſus Turcas in Hungaria obtentam traducit. Hæc famæ ſanctitatis eorumdem oppoſuit Promotor Fidei. Et quamvis Pius II. utrumque a miraculis laudaverit, & Calliſtus in bulla indictiva feſti Transfigurationis Domini de S. Joanne, utpote illi victoriæ præſente, honorifice locutus fuerit, Poſtulatores tamen, his omiſſis, eoſdem aliis argumentis ab impactis vitiis vindicarunt. Cumque ſacræ Congregationis judicium pro famâ ſanctitatis ſteterit, ſequitur, non obſtare ſanctitati Servi Dei, quod gravis Auctor judicium præcipitanter de illo tulerit, aut ab eo narrata non ſubſiſtant.

e in comment. Pii II pag. 278.

f l. de Europ. c. 4.

3 B. Gregorium X. defeciſſe diſſimulando ſcelus Turrianorum adverſus Othonem Archiepiſcopum Mediolanenſem, ſcribunt Stephanardus de Vicomercato, & Galvanus Flamma. Quin etiam nefarii conſilii participem faciunt Gregorius Merula, & Paulus Jovius. Hæc famæ ſanctitatis B. Gregorii oppoſuerunt Promotores Fidei, cum ejus cauſa poſt Urbani decreta reſumeretur. Scriptores tamen, utpote Othoni nimium addictos, fraudis, & mendacii ex pluribus Auctoribus, & monumentis egregie redarguit Petrus Maria Campus cauſæ Poſtulator in apologia typis impreſſa *in ſuis hiſtoriis Eccleſiæ Placentinæ par. 2.*, & in apologetico pro uſu ſacræ Congregationis exarato. His perpenſis, eadem Congregatio illibatam cenſuit famam ſanctitatis

Gregorii, & cauſæ reſumptionem admiſit: maxime cum diſſimulatio criminis, juxta reſponſum Hilarii Papæ, aliquando prudentiæ, non ignaviæ ſit adſcribenda. Exemplo hæc ſunt, famam ſanctitatis non corrumpi criminibus, quæ Scriptores objecerunt, ut rem gratam facerent his, quorum factionem tuebantur, mercede, aut præmii ſpe conducti, ut loquitur Cardin. Gotti (a).

a Theol. to. 1. qu. 3. de loc. Theol. dub. 12. §. 3.

4 &c. Narrat S. Petrus Damiani (b), B. Petrum Urſeolum obtinuiſſe dignitatem Ducis Venetiarum, quia Deceſſoris ſui Petri Candiani peremptoribus faverat: ad ſcelus expiandum, conſilio Abbatis Guarini, Marini, & Romualdi, abdicaſſe dignitatem, & Ordini S. Benedicti nomen dediſſe. Hac narratione uſus eſt Promotor Fidei, ne in bonorem Urſeoli Officium, & Miſſa concederentur. Poſtulatores oppoſuerunt Auctorem vetuſtiſſimi *chronici Veneti in Vaticana bibliotheca* aſſervati, qui teſtem oculatum ſe oſtendit, & Candiani necem referens, Petri ad Ducatum aſſumptionem tribuit ſanctitati, qua a primis annis floruit. Huic alii Scriptores ſuffragati ſunt. Quibus, aliiſque fundamentis innixi Poſtulatores, nullam S. Petro Damiani fidem in hoc præſtandam eſſe contenderunt, multo magis, quod in *prol. vitæ S. Romualdi* teſtatus ſit, ſe non agere Hiſtoricum, ſed collectorem Actorum S. Romualdi. His omnibus perpenſis, & attenta dignitatis abdicatione, per quam narrata a S. Petro Damiani, etiamſi vera, dicenda eſſent ſublata, ſacra Congregatio Poſtulatorum ſupplicationem admiſit.

b to. 2. in vit. S. Romualdi c. 5.

8 B. Benedicto XI. obloquitur in ſua hiſtoria Ferrettus Vicentinus (c): ſed illius virtutes commendat Dinus Compagnius (d) Auctor coævus; Ferreto autem plures adverſantur. Idcirco cauſæ B. Benedicti in Congregatione pertractatæ non obſuit odium unius Scriptoris.

c to. 9. Script. rer. Ital.

d l. 3. chron. Florent.

9 Inter alia, quæ de Joanne Verger de Haurane Abbate Sigiranni circumferuntur, Aloyſius Epiſcopus Abelly in vita S. Vincentii de Paulis refert, fuiſſe Cornelio Janſenio familiaritate junctum, hæreſi Calvinianæ addictum, & in pluribus a Fide Catholica defeciſſe. Edita S. Vincentii vita, prodiit liber anonymus, cujus Auctor hæreticus enixe contendit, Vincentium fuiſſe eidem Abbati familiaritate conjunctiſſimum, plurimumque faviſſe. Promotor Fidei omnia hæc in judicio famæ ſanctitatis, & virtutum Vincentii oppoſuit. Sed Poſtulatores ex multorum teſtimonio demonſtrarunt, Vincentium amicitiam cum Abbate penitus diſſolviſſe, poſtquam illum, licet fraterne correctum, in hæreſi tamen pertinacem cognovit, ejuſque doctrinæ venenum omnibus pateſeciſſe. His alii Auctores, pluraque monumenta conſentiunt. Ex quibus omnibus ſacra Congregatio cenſuit, nullum Vincentii famæ in genere, nullum virtutibus in ſpecie præjudicium ab Auctore hæretico fuiſſe illatum.

10. 11 Plura de fide Hiſtoricis tribuenda, alibi dabuntur. Adducta ſatis innuunt, non omnibus Hiſtoricis, Servos Dei male accipientibus, eſſe deferendum, ſed alios contemporaneos, gravioreſque conſulendos, præcipue ſi priores fuerint Hæretici, ut contra Hæreticos Magdeburgenſes S. Annoni obloquentes monet Baronius (e).

e In not. ad Martyrol. ad 4. Dec.

CAPUT XLIII.

De validitate Proceſſuum, & ſignanter eorum, qui auctoritate ordinaria conficiuntur.

1 TRes ſunt proceſſuum ſpecies in cauſis Beatificationis, & Canonizationis. Prima eorum, qui auctoritate ordinaria conſtruendi ſunt ſuper fama ſanctitatis, vel Martyrii, virtutum, & miraculorum. Altera eorum, qui ordinaria, & Apoſtolica auctoritate fiunt ſuper non cultu, vel caſu excepto. Tertia conficiendorum auctoritate Apoſtolica, vel ſuper fama ſancti-

ſanctitatis in genere, vel ſuper virtutibus, aut Martyrio, vel miraculis in ſpecie, ante, & poſt Beatificationem.

2 &c. Primi quoad validitatem juxta decreta Innocentii XI. examinandi ſunt in Congregatione rituum, dum petitur ſignatura Commiſſionis. Alteri ex decretis generalibus, niſi *diſpenſatio* Apoſtolica accedat, ſubeunt validitatis examen in Congregatione ordinaria, dum proponitur dubium de confirmanda ſententia Ordinarii, vel Delegati ſuper non cultu, vel caſu excepto. Ultimorum tandem validitas ex decretis Urbani diſcutienda eſſet in Congregatione generali, nunc tamen ex Apoſtolica *diſpenſatione* expenditur in ordinaria. Verumtamen validitas proceſſus ſuper fama ſanctitatis in genere diſcutitur cum dubio de eadem fama, aliorum vero ſeparatim a dubio.

5. 6 Validitas proceſſus ordinarii ſuper fama ſanctitatis, aut Martyrii iterum diſcutienda eſt, ſi Poſtulatores, ſignata Commiſſione, eodem una cum proceſſibus Apoſtolicis ſuper virtutibus, Martyrio, ac miraculis in ſpecie uti velint in *linea* æqualis probationis, & non tantum adminiculi, cum adminiculum quidem, ſed non probatio, ex proceſſu nullo deſumi valeat. Omitti poſſet hæc iterata diſcuſſio, ſi Promotor Fidei in ſignatura Commiſſionis omnia validitati oppoſuiſſet, & mox teſtaretur ſe nihil habere addendum, peteretque reſumptionem ſuarum animadverſionum, & reſponſionum Poſtulatorum.

7 &c. Ut Ordinarii proceſſum rite conſtruerent ſuper fama ſanctitatis, Martyrii, & miraculorum, exarata fuit (a) epiſtola *circularis* inſtructiva, ut ſcilicet, antequam proceſſum inchoarent, Pontificem certiorem facerent de iis, quæ ſuper poſtulatis occurrerent, & niſi neceſſitas urgeret, reſponſum expectarent: proceſſus vero ante compilatos ad Urbem mitterent. Epiſtolam hanc nec approbavit, nec miſit ſacra Congregatio; ſed aliam clariorem (b), in qua plura deſcripſit ab Ordinariis ſervanda in prædictis proceſſibus conficiendis. Nonnulla mox addidit Innocentius XI. in ſuis decretis.

a 13. Jan. 1631.

b 12. Mart. 1631.

13 Tam epiſtola, quam decreta memorata comprehendunt dumtaxat proceſſus informantes ſuper fama ſanctitatis, virtutum, & miraculorum, ut eruitur etiam ex conſuetudine ſacræ Congregationis in pluribus cauſis. Attamen juvat, ut, quæ diſponuntur in iiſdem decretis, & epiſtola, ſerventur etiam in compilandis auctoritate ordinaria proceſſibus ſuper non cultu, aut caſu excepto, ſi Vicarius Epiſcopi, aut alius ab hoc delegatus eos conficiat, ut in pluribus cauſis factum eſt.

14 Quod igitur ſpectat ad Epiſtolam *circularem*, Congregatio in ea requirit, ut Ordinarius in ſanctitatem vitæ non inquirat, niſi præceſſerit fama alicujus eminentis virtutis, vel miraculi: ut per ſe proceſſum conficiat: impeditus Vicarium Generalem, aut alium in dignitate eccleſiaſtica conſtitutum deleget: teſtes per extenſum deponant: & una cum Notario juramentum præſtent de ſervando ſecreto: Pontifex certior fiat: exemplar authenticum ad Congregationem rituum mittatur: autographa in archivo Ordinarii ſerventur. His Innocentius XI. addidit, ut; præter teſtes a Poſtulatoribus inductos, alii ex officio a Judice examinentur.

15 &c. Verum cum in epiſtola nullum ſit decretum irritans, proceſſus ſuper fama ſanctitatis, & Martyrii validi ſunt, etiamſi prædicta omnia in iis conficiendis non ſerventur, ut plures tradunt Auctores. Sic licet Concilium Tridentinum (c) prohibuerit, ne filiifamilias matrimonium contrahant ſine conſenſu parentum: neve contrahantur matrimonia ſine denuntiationibus, nec ſine præſentia Parochi, & teſtium: ſola tamen contracta ſine Parocho, & teſtibus irrita ſunt, quia hæc dumtaxat reſpicit decretum irritans

c ſeſſ. 24. c. 1. de ref. matr.

ibi

ibi poſitum. Sane Congregatio rituum numquam declaravit nullum proceſſum, etiamſi Promotor Fidei oppoſuerit, non fuiſſe confectum ad normam epiſtolæ. Idem dicendum, ſi juxta decreta Innocentii non examinarentur teſtes ex officio. Hinc tamen non ſequitur, validos quoque fore proceſſus Apoſtolicos, in quibus ejuſmodi teſtes omittantur, cum præceptum, ut hi examinentur, inferatur litteris remiſſorialibus decreto irritante munitis.

21.22 Ex dictis ergo colligitur, plura in epiſtola circulari, & decretis Innocentianis ſtatuta eſſe pro recta proceſſuum ordinariorum compilatione, hæc tamen reſpicere ſolos proceſſus ſuper ſanctitate vitæ, ac fama virtutum, & miraculorum: & hos validos eſſe, licet ſtatuta non ſerventur. Verum quando res eſt integra, congruum eſt, ut in proceſſibus ordinariis ſolemnitates proceſſuum Apoſtolicorum obſerventur.

CAPUT XLIV.

De validitate proceſſuum, & ſignanter eorum, qui auctoritate Apoſtolica conficiuntur.

1 &c. NOnnulla hic de poſitionibus, articulis, *interrogatoriis*, litteris remiſſorialibus, & compulſorialibus præmittenda ſunt. Poſitio eſt brevis verborum formula mentem Ponentis continens, & ad veritatem eliciendam concepta. Articulus eſt pars intentionis continens id, quod quis probare intendit. *Interrogatoria* inventa ſunt pro eruenda a teſtibus veritate: Litteræ remiſſoriales facultatem tribuunt Judicibus delegatis excipiendi probationes compulſoriales, & compellendi quoslibet, ut ſcripturas ad cauſam pertinentes exhibeant, quas deſcribit Penia in vita S. Raymundi de Pennafort (*a*). In his litteris, articulis, & interrogatoriis expediendis plura a Poſtulatoribus, Promotore Fidei, Procuratore cauſæ, Notario Congregationis, aliiſque peragenda ſunt.

a l. 3. c. 24. obſer. 1.

10 &c Antiquiſſimus eſt ritus mittendi in his cauſis *interrogatoria* ab Urbe. Ejus meminit Oſtienſis *in cap. Audivimus*; quin etiam exprimitur in Brevi Innocentii V. in cauſa Canonizationis Servæ Dei Margaritæ filiæ Regis Hungariæ. Suffragatur epiſtola Gregorii IX. ad Conradum de Marpurg Ordinis Prædicatorum delegatum in cauſa Canonizationis S. Eliſabeth Lantgraviæ Thuringiæ. Aliud hujus ritus monumentum exhibet Waddingus (*b*). Olim delegati a Pontifice, vel Rotæ Auditores interrogatoria componebant: nunc ex formula literarum remiſſorialium, & decretis Urbani VIII. ea componit Promotor Fidei.

b ad ann. 1236. to. 2.

13 In Remiſſoria, cujus formula edita eſt inter decreta generalia, numerantur, quæ neceſſaria ſunt ad proceſſuum Apoſtolicorum validitatem. Inter alia datur Judicibus delegatis facultas examinandi teſtes, & excipiendi quaſcumque probationes: deſtinandi Notarios, & Portitorem proceſſus. Præſcribitur locus, & modus examinis: & ut Judices a teſtibus, exceptis Epiſcopis, juramentum de veritate dicenda excipiant a Notariis, & Portitore de fidelitate ſervanda: iiſdem quoque Judicibus facultas tribuitur compellendi per cenſuras ad examen teſtes renitentes, alioſque ad exhibendas ſcripturas ad cauſam pertinentes: Demum jubentur Judices ſignificare Congregationi, an alicujus depoſitionem ſuſpectam habeant, ut ſepulcrum Servi Dei, aliaſque memorias adhuc exiſtentes deſcribant, & excommunicationem Romano Pontifici reſervatam imponant ponentibus aliquid in ſepulcro, aut ex eo ſubtrahentibus. In omnibus Actis citandus eſt Fidei Sub-Promotor.

14 &c. His Innocentius XI. in ſuis decretis addidit, ut Delegati, præter teſtes a Poſtulatoribus inductos, alios ex officio advocarent, & ſi quid ſanctitati obſtans deprehenderint, inquiſitio-

tionem ſuſpendant, donec Congregationis oraculum recipiant. Item ut interrogatoria ſemper, & ubique, niſi in actu examinis, clauſa, & Judicum ſigillis obſignata cuſtodiantur. Præſcripſit formam juramenti a Judicibus, Subpromotoribus, Notario, Protonotario, & teſtibus præſtandi de munere fideliter adimplendo, de ſecreto ſervando, ac de veritate dicenda ſub pœna anathematis Romano Pontifici reſervati. Tandem ſtatuit, ne exquirerentur teſtimonia extrajudicialia ſuper ſanctitate, aut miraculis, & recepta nihil probarent: neque proceſſibus infererentur.

18 Illa de teſtibus ex officio, & teſtimoniis extrajudicialibus ad proceſſus ordinarios extenduntur, cætera ad ſolos Apoſtolicos pertinent. Hi *nullitatis* vitio laborant, niſi obſerventur ſingula, quæ in Remiſſorialibus, & in decretis Innocentianis ſtatuta ſunt, niſi forte inobſervantia eſſet minima, vel per aliud ſuppleretur, aut ſuperfluæ cautelæ adderentur, ut docent Lezana (*a*), aliique.

a conſult. 1. n. 127. & ſeqq.

CAPUT XLV.

De his, quibus inſcribuntur Literæ remiſſoriales, & compulſoriales *pro conficiendis proceſſibus auctoritate Apoſtolica.*

1 &c. PRoceſſus Apoſtolici in his cauſis alii ſunt ſuper non cultu, aut caſu excepto, alii ſuper fama ſanctitatis in genere, alii ſuper virtutibus, Martyrio, aut miraculis in ſpecie. Si primi conficiendi ſint in Urbe, cum in hac Cardinalis Vicarius ſit tamquam Ordinarius, ſacra Congregatio, juxta decreta Urbani VIII, eum delegat cum facultate Epiſcopos ſubſtituendi, ut proceſſus conficiant, tam ſi Servi Dei in Urbe, vel prope, quam ſi in remotiſſimis regionibus ſepulti ſint, dummodo in Urbe adſint teſtes, & documenta neceſſaria, uti factum eſt ſuper non cultu Servi Dei Nicolai Factoris, & aliorum; ac ſuper caſu excepto B. Salvatoris ab Horta, & S. Agnetis a Monte Politiano. Id erat in uſu ante laudata decreta, ut colligitur ex Actis Canonizationis S. Tereſiæ. Sacra autem Congregatio indulget nunc, ut in Urbe perficiatur proceſſus ſuper non cultu Servi Dei in remotis regionibus ſepulti, quia Remiſſoria ante abſolutum ſuper non cultu judicium difficulter obtinetur, judicium vero nimis eſſet protrahendum, ſi in remotis partibus proceſſus hujuſmodi conſtruerentur. At ſi Dei Servus in locis non adeo remotis ſepultus ſit, ibi conficiendus eſt proceſſus, uti animadvertit Promotor Fidei in cauſa Servi Dei Joannis Baptiſtæ Cioni. Permittit quoque facilius, ut in Urbe fiat proceſſus ſuper caſu excepto ex indultis Pontificiis, quæ in ea facilius colliguntur; quam ſuper non cultu, qui in loco ſepulcri melius probatur. In his non expediuntur literæ remiſſoriales, & compulſoriales, ſed ſufficit decretum Congregationis. Judex autem a Cardinali Vicario ſubdelegatur, uſque ad ſententiam *excluſive*, hanc enim Vicarius ipſe ferre debet.

7 Ad hos proceſſus extra Urbem conficiendos ſacra Congregatio delegat Epiſcopum, in cujus diœceſi Servus Dei ſepultus eſt, eique inſcribuntur remiſſoriales, cum facultate aliquando ſubſtituendi alium Epiſcopum, qui ſententiam quoque ferre poteſt, ut contigit in cauſa Servi Dei Leonardi de Fuſco.

8 Olim literæ remiſſoriales, & compulſoriales inſcribebantur omnibus Epiſcopis, a quibus excipiendæ eſſent probationes ſuper non cultu, aut caſu excepto: nunc ſoli Epiſcopo, in cujus diœceſi ſepultus eſt Dei Servus: aliis ſcribuntur literæ particulares: hi ex decreto in cauſa B. Petri de Armengol edito (*b*), Compendiarias agunt inquiſitiones, notitiaſque excipiunt, mittendas ad Congregationem; vel ad Epiſcopum, qui proceſſum conſtruit. Omnes quoque diligentias, in proceſſibus uſurpari ſolitas, adhibere debent, ideo-

b 27. Jan. 1685.

Digitized by Google

ideoque nil ſine Promotore Fiſcali agendum eſt, a quo, & a Notario, ac Peritis juramentum de munere fideliter adimplendo exigere debent, ut colligitur ex particulari epiſtola ſacræ Congregationia ad Archiepiſcopum Ulyſſiponenſem data (*a*) in cauſa BB. Tereſiæ, & Sanciæ.

a 14. Dec. 1695.

9 Quod ſpectat ad proceſſus ſuper fama, ſanctitate, Martyrio, & miraculis in genere, vel in ſpecie in Urbe exarandos, ſacra Congregatio ſolet Cardinalem Vicarium, ut ſupra, ſubdelegare, cum facultate deſtinandi tres Epiſcopos, addita clauſula, ut duo ſaltem cuilibet actui interveniant; idque etiam in cauſis Servorum Dei in remotiſſimis regionibus defunctorum, cujus rei plura adſunt exempla.

10. 11 Quod ſi extra Urbem compilandi ſint, literæ remiſſoriales ex decretis Urbani VIII. inſcribuntur tribus Epiſcopis, inter quos ſit is, in cujus diœceſi proceſſus eſt conficiendus. Aliquo ex his impedito, alterum ſacra Congregatio ſubſtituere ſolet. Inter hos Epiſcopos numerantur Titulares, uti ex pluribus exemplis, & Auctoribus eruitur. Has literas olim inſcriptas fuiſſe uni dumtaxat, aut duobus Epiſcopis, ac nonnullis Regularibus, vel tantum uni, aut pluribns Regularibus; vel etiam Presbyteris ſæcularibus teſtantur Raynaldus (*b*), Bollandiani (*c*), & Contelorus (*d*).

b ad ann. 1233. n. 39.

c in append. ad 16. Mart. to. 2.

d de Canoniz. SS. c. 23. n. 1.

12 &c. Nunc vero ſi tres, vel duo Epiſcopi ſimul convenire nequeant, literæ remiſſoriales, & compulſoriales inſcribuntur, vel uni Epiſcopo cum quatuor Dignitatibus, ſen Canonicis Cathedralis, ab eo eligendis: vel duobus Epiſcopis una cum duobus Canonicis, qui ab iiſdem eligentur; adeout duo Canonici unius Epiſcopi vicem gerant: nonnumquam Vicarius Generalis unius Canonici locum habuit. Porro literis inſcriptis uni Epiſcopo, ac quatuor Canonicis apponitur clauſula, ut ipſe cum duobus ex iis, aut eo impedito, iidem quatuor procedant: ſi vero inſcriptæ ſint duobus Epiſcopis, totidemque Canonicis, addi ſolet clauſnla, ut ambo Epiſcopi, vel unus cum duobus Canonicia procedant. De his omnibus innumera pene exempla fidem faciunt.

15 Epiſcopis, & Canonicis deficientibus, ſacra Congregatio interdum literas inſcripſit Vicario Generali Epiſcopi, ut vicea unius ex Epiſcopis impleret, & ita ſe geſſit in cauſis Sancti Stanislai, aliorumque plurium. In aliis cauſis inſcripſit Vicario Capitulari, & Canonicis, itaut primus unius Epiſcopi, alteri duorum locum obtinerent. Canonicis impeditis, aliquando literas inſcripſit Epiſcopo *ſuffraganeo* diœceſis, ac tribus aliis in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutis, cum clanſula, ut ipſe cum duobus ex iis procederet. Nonnumquam inſcriptæ fuerunt Inquiſitoribus hæreticæ pravitatis. Non ſemel uni Epiſcopo cum facultate deputandi tres Sacerdotes cujuſcumque Ordinis, ut proceſſum ſimul compilarent, ſi in remotiſſimis, ac barbaris nationibus hæc eſſent peragenda.

CAPUT XLVI.

De exhibitione, ſeu præſentatione Literarum remiſſorialium, & compulſorialium, & de his, qui ad earum executionem procedere poſſunt.

1. 2 HÆ Literæ, ut plurimum inſcribuntur tribus Epiſcopis cum clauſula, *ut duo ſaltem ad executionem procedant*. Delegatio coram Notario, & teſtibus præſentanda eſt Delegatis, qui ſtatim ac literas autographas accipiunt, legitimam acquirunt juriſdictionem. Hinc Promotores Fidei ſæpe contenderunt, per ejuſmodi clauſulam reſpici, non exhibitionem literarum, ſed ſolam proceſſuum conſtructionem, adeoque hos eſſe *nullos*, ſi literæ tribus Epiſcopis inſcriptæ, duobus tantum exhibeantur. Poſtulatores contra utrumque eadem clauſula comprehendi affirmarunt. His adhæſit Congregatio rituum, quæ in pluribus

ribus cauſis tamquam validos admiſit proceſſus, etiamſi literæ duobus ſolum Epiſcopis exhibitæ fuerint. Id innuit etiam Proſper Bottinius Fidei Promotor in cauſis Servorum Dei Franciſci a Puero Jeſu, & Joannis Juvenalis Ancinæ. Itaque remiſſoriales, tribus Epiſcopis inſcriptas, duo dumtaxat acceptare, & aperire poſſunt. Utilius tamen tribus exhibentur, cum ſic, uno ex duobus deficiente, tertius Jure ſuo eas exequi poterit, ſecus, ſi ei non fuerint exhibitæ.

3 Inſcriptæ tribus cum clauſula, *ſi omnes intereſſe nequiverint, duo nihilominus exequantur*, omnibus pro actus validitate ſunt præſentandæ, nec duo procedere poterunt, niſi impedimentum tertii innoteſcat. Nam in his literis non datur duobus abſoluta juriſdictio, ſed ſub conditione, quod tertius ſit impeditus.

4 Quod ſpectat ad harum literarum executionem, Auditores Rotæ in cauſa S. Hyacinthi affirmarunt, poſſe a Judicibus delegatis, mortuo Pontifice delegante, proceſſum conſtrui, cumque eſſe validum. Nunc huic quæſtioni locus non eſt, cum litteræ remiſſoriales nomine Congregationis rituum expediantur.

5 Inſcriptas Epiſcopo, & quatuor Canonicis, valide exequi poſſunt ſoli Canonici, ſi Epiſcopus ſit legitime impeditus, ideoque in cauſa Servi Dei Joannis Maſſias ſacra Congregatio proceſſum, hoc modo conſtructum, admiſit.

6 Idem validis rationibus aſſeruerunt Auditores Rotæ in cauſa S. Iſidori Agricolæ, in qua literas remiſſoriales, inſcriptas Cardinali de Rojas, Epiſcopo Canarienſi, & Joanni Hozes Cantori Eccleſiæ Carthaginienſis, cum clauſula, ut omnes conjunctim, vel Epiſcopus, & Cantor, abſente Cardinali, procederent, executi fuerunt Cardinalis, & Cantor, abſente Epiſcopo: ideoque ſanationem a Poſtulatoribus petitam libenter indulſerunt.

7 Litteras inſcriptas Canonicis, vel Dignitatibus, cum clauſula, *ut ſucceſſores propter locorum diſtantiam eas valide exequi poſſint*: vel inſcriptas ſine expreſſione nominis proprii Canonicorum, & Dignitates obtinentium, poterunt exequi horum in Dignitate ſucceſſores: ſecus, ſi in litteris expreſſum fuerit nomen proprium tantum, vel ſimul nomen proprium, & Dignitatis: aut ſi expreſſo dumtaxat nomine Dignitatis, intelligatur electa induſtria perſonæ Dignitatem obtinentis. Delegatus in dignitate conſtitutus poterit abſolvere proceſſum, etiamſi dimiſerit Dignitatem, cujus nomen in litteris expreſſum fuit, ut contigit in cauſa S. Andreæ Avellini.

8 Hæc inſtituto ſacræ Congregationis conſona videntur. At cum Epiſcopo committatur Canonicorum, & Dignitatum electio, rectæ cauſarum directioni conducit, ut, iis decedentibus, alios idoneos Epiſcopus eligat, præcipue cum hanc facultatem obtineat ex decreto Alexandri VII.

9 Si alicui ex tribus Judicibus deſignatis in litteris remiſſorialibus cum clauſula, *ut duo ſaltem procedant*, Congregatio alterum forte ſubſtituat, addita clauſula, *firmis remanentibus cæteris, qui in præcedentibus litteris remiſſorialibus fuerant in Judices deputati*; is vero, cui facta eſt ſubſtitutio, ſe interponat in compilationem proceſſus; hic nihilominus validus erit: vel etiam, omiſſa illa clauſula, ſi alii duo, juriſdictionem habentes, proceſſui conficiendo interſint; ſecus, ſi unus dumtaxat cum eo, cui facta eſt ſubſtitutio, conficiat.

10 His demum addendum eſt, poſſe ſacram Congregationem in ſuis litteris remiſſorialibus Judices ſubdelegare ad conficiendos proceſſus, teſteſque examinandos. An autem id ipſum poſſint etiam Judices delegati, diſſentiunt Auctores. Verum ſi Congregatio abſolute in litteris præceperit Judicibus, ut ipſi procedant, iidem ſubdelegare nequeunt: poſſunt autem, ſi detur ſimul ſubdelegandi facultas, quemadmodum

dum hanc dedit Innocentius IV. in remiſſorialibus expeditis in cauſa Servi Dei Simonis de Collazzono, aliique Pontifices in aliis cauſis apud Waddingum (*a*), & Raynaldum (*b*). Immo ſi ex legitima cauſa Delegati, quibus præſcriptum fuerat, ut per ſe ipſos procederent, aliis examen teſtium commiſerunt; ſacra Congregatio aliquando hos proceſſus renunciavit validos; interdum defectum ſanatione reparavit.

a to. 1. annal. fol. 587 & tom. 2. fol. 481.

b ad ann. 1445. n. 27.

CAPUT XLVII.

De his, quæ fieri poſſunt, aut nequeunt a Judicibus remiſſorialibus, *& de aliis perſonis, quæ ad conficiendos proceſſus requiruntur.*

1 Diffidebant olim Fidei Promotores, & Poſtulatores an poſſent Judices compulſare ſcripturas, ſi in litteris remiſſorialibus facta non fuiſſet compulſandi facultas. Quapropter Alexander VII. ſtatuit, ut imposterum ejuſmodi facultas in litteris exprimeretur, & pro expreſſa haberetur in litteris antea editis, ſed nondum executioni demandatis: quod ſi proceſſus confecti eſſent, peteretur a ſummo Pontifice ſanatio. Addidit, ut Delegati poſſent exequi remiſſoriales in tota diœceſi, etiamſi in iis ſola civitas exprimeretur.

2 Teſtes in proceſſu ordinario examinandi, licet tutius coram Epiſcopo, aut Judicibus ab eo delegatis juramentum, & examen præſtent, valide tamen, Epiſcopo, aut ejus Delegatis ex juſta cauſa jubentibus, utrumque coram ſolo Notario præſtare poſſunt. At in proceſſibus Apoſtolicis, quidquid in more poſitum fuerit, antequam nova formula literarum remiſſorialium ederetur, poſt illam editam tam juramentum, quam examen teſtium coram Judicibus eſt perficiendum, ideoque neutrum amplius Judices remiſſoriales poſſunt ſoli Notario committere ſub pœna *nullitatis*.

3 Licet tamen iiſdem Judicibus nova *interrogatoria*, præter tranſmiſſa ab Urbe, componere: ſed non licere novos articulos, ſentiunt Contelorus (*c*), & Roſa (*d*). Verumtamen ex cauſis SS. Caroli Borromæi, Andreæ Avellini, & aliorum deſumitur, Auditores Rotæ, & Congregationem rituum interdum admiſiſſe examen teſtium ſuper quoſdam articulos a Judicibus remiſſorialibus additos. Tutius tamen eſſet, ut Poſtulatores, ſaltem in materia miraculorum, omnia ſpecificarent, &; habita notitia novi miraculi, articulos ad Urbem mitterent, ut Promotor Fidei *interrogatoria* componeret. Item, ut quoad proceſſus in remotiſſimis regionibus conficiendos, Promotor ipſe *interrogatoria* exararet ſuper novis miraculis, quæ præter ſpecificata a teſtibus referri poſſent.

c de Canoniz. SS. c. 25. n. 9.

d in addit. ad tract. de Execut. litt. Apoſt. n. 93

4 Præterea ſacra Congregatio in cauſis Servorum Dei Joſephi a Cupertino, & Joſephi a Matre Dei admiſiſſe videtur examen teſtium, ex officio inductorum, etiamſi interrogati fuerint ſuper *interrogatoriis* datis a Judicibus remiſſorialibus. Verum, re integra, tutius examinarentur juxta *interrogatoria* Promotoris Fidei.

5. 6 Proceſſibus conficiendis requiruntur etiam Procurator, Promotor Fidei, vel Subpromotor, Protonotarius, Notarius, Curſor, & Portitor. Communis olim erat opinio, quemlibet de populo poſſe agere ſine mandato *procuræ*. Nunc ex literis remiſſorialibus neceſſarius omnino eſt Procurator cum legitimo mandato. Quidam ſentiunt Procuratoris qualitatem ex conjecturis probari poſſe. Tutius tamen eſt, ut in Actis exhibeatur authenticum *procuræ* mandatum ſpeciale, vel generale, dummodo hoc ſit cum libera facultate.

7 Fiſci Procurator, ſeu Promotor Fidei in pluribus Canonizationum cauſis citatus reperitur; in quibuſdam non. Idcirco olim opinabantur Doctores, vel non eſſe de jure neceſſariam hanc citationem; vel incongruam; vel ſolum

lum requiri, ſi in remiſſoria fuiſſet demandata. Abſoluta ergo neceſſitas citandi ſub pœna *nullitatis* Promotorem Fidei in Curia, & Subpromotorem extra Curiam in ſingulis actibus proceſſuum Apoſtolicorum (nam in proceſſibus ordinariis congrua eſt citatio Promotoris Fiſcalis, non tamen ad validitatem neceſſaria) oritur ex literis Apoſtolieis in forma Brevis pro Fidei Promotore impreſſis inter decreta Urbani VIII, & decreto irritante munitis. Ita cenſuit Congregatio rituum in cauſa S. Joſephi a Leoniſſa, & aliorum. Nec validitati ſufficit ſola præſentia Promotoris, vel Subpromotoris, ſed citatio, aut monitio omnino requiritur.

8. 9 Protonotarius Congregationis intervenit Apoſtolicis proceſſibus, qui in Urbe fiunt. Notarii alii laica, alii Apoſtolica, aut Eccleſiaſtica auctoritate conſtituuntur. Olim Scriptores fere communiter opinabantur, Notarium laicum in cauſis Canonizationis ſufficere. Nunc juxta remiſſoriam debet eſſe Apoſtolicus, ſeu Eccleſiaſticus. Notarii munus probandum eſt. Probatio directa conſtituitur in exhibitione privilegii, & in aſſertionibus Judicum; Subſidiaria, quæ præſertim admittitur in antiquis, reponitur in pluribus adminiculis apud Auditores Rotæ multis in relationibus, & apud alios. Probetur etiam, oportet, Notarium fuiſſe deputatum in Actuarium proceſſus, idque ex teſtimonio alterius Notarii Eccleſiaſtici. Nonnunquam Notarius, propriam deſtinationem teſtatus, fidem meruit. Deficiente Notario Apoſtolico, aliquando validus fuit proceſſus per Regium Notarium conſtructus, ſi Judices defectum teſtati ſint. Regularibus in Notarios conſtitutis a Collegio Protonotariorum participantium pro cauſis piis ejuſdem Ordinis, non licet munus exercere in cauſis Servorum Dei ejuſdem Ordinis, juxta decretum Clementis XII. 18. Aug. 1731. editum.

10 Curſor eligitur a Judicibus remiſſorialibus. Præcipuum ejus munus eſt citare teſtes, & Promotorem.

11. 12 Iidem Portitorem eligunt, ut proceſſum ſigillis obſignatum ad ſacram Congregationem deferat. Antiquiſſimum eſſe in Eccleſia munus Portitoris deſumitur ex S. Cypriano (*a*). a epiſt. 22. 24. 29. & 82. Sed, quod ſpectat ad Portitorem prædicti proceſſus, hoc munus obire poteſt perſona legalis, a Judicibus non electa. Aliquando admiſſus fuit proceſſus a Portitore deſignato non exhibitus. Deſignatus, ſi iter perficere nequeat, poteſt perſonam legalem ſubſtituere; huic præſtandum eſt juramentum de munere adimplendo. Immo ſi abſque Poſtulatorum culpa proceſſus traditus eſſet apertus, comperta veritate, defectus vel ſanatur, vel jubetur Promotor ab hac oppoſitione abſtinere.

CAPUT XLVIII.

De Juramento a ſupradictis præſtando, deque Citatione, Inductione, & teſtium quoque Juramento.

1 JUdices remiſſoriales, antequam inchoetur proceſſus, jurare debent, ſe munus fideliter executuros, & ſecretum ſervaturos ſub pœna perjurii, & excommunicationis latæ ſententiæ ſummo Pontifici reſervatæ. Hujus juramenti antiquum exemplum ſuppeditat cauſa S. Vincentii Ferrerii apud Raynaldum (*b*). b ad ann. 1451. n. 16.

2 Simile fere juſjurandum juxta decreta Innocentii XI. emittendum eſt a Subpromotoribus, Protonotario, & Notario. Nuntius, & Portitor ſolum jurare debent de munere fideliter adimplendo. Primus tamen, ſicuti & Notarius, pro collatione deſtinatus, ſpeciale juramentum emittere debent, nec ſufficit emiſſum in primi officii aſſumptione.

3 Ad Procuratorem cauſæ pertinet exhibere articulos, & ad hos probandos adducere teſtes, & documenta. Juxta recentiorem juris Pontifieii di-

a in cap. Si de calumnia §. Quâvis, de juram. calumn. in 6.

diſpoſirionem (*a*) debet præſtare juramentum calumniæ, affirmans ſe cauſam ſuſcipere tantum honoris, & gloriæ Dei zelo. Hoc jurejurando omiſſo, proceſſus eſt validus, ſi Subpromotor Fidei omiſſionem non oppoſuerit: ſecus, ſi opponat, & ita ſemper ſenſit Congregatio rituum.

b de Canoniz. SS. par. 4. c. 20. n. 8.

4 &c. Teſtes a Procuratore inducuntur, qui etiam petit a Judice, ut citentur. Judex *citationem* dimittit, quam Curſor exequitur, & Notarius in Acta refert. Inducendi, & citandi ſunt, ne dicantur ultronei, adeoque inepti ad probandum, niſi Pars eos induxerit, vel Judex de examine monuerit, ut docet Matta (*b*) cum aliis, & ſæpe admiſit ſacra Congregatio. Regularea, ut teſtimonium dicere poſſint, præter prædicta, petere debent a Superiore licentiam; ſed hac non petita, Auditores Rotæ, & ſacra Congregatio paſſim admiſerunt eorum examen. Subſtantia depoſitionis teſtium in his cauſis, reſidet in juramento, quod juxta formam inſerendam litteris remiſſorialibus præſtare debent de veritate dicenda, & ſecreto cuſtodiendo ſub pœna perjurii, & excommunicationis ſummo Pontifici reſervatæ. Jurant, tactis Evangeliis, ut facilius a perjurio retrahantur. Etenim, quæcumque olim conſuetudo viguerit, nunc ex nova formula Remiſſoriæ, & decretis Urbani VIII, omnea teſtes, exceptis Cardinalibus, & Epiſcopis, jurare debent, tactis Evangeliis, idque ſub pœna *nullitatis*. Diſſidebant olim Auctores, an conditio ſervandi ſecretum in juramento judiciali impoſita eſſet teſtibus a jure communi. Sed in his cauſis inducta eſt a forma juramenti edita in decretis Innocentii XI, reſte Jacobo Saſſio (*c*) olim Notario Congregationis rituum.

c in atteſt. edita 27. Febr. 1699.

9 Omnes *citationis* actus die feriata validi cenſentur in cauſis Beatificationis, & Canonizationis, melius tamen omitterentur diebus Dominicis, cæteriſque in honorem Dei, & Sanctorum feriatis. Iiſdem diebus, quid quid nonnulli opinentur, abſtinendum eſt ab examine teſtium. Hoc interdiu peragendum eſt: nocturnum tamen eſt validum, præcipue ſi die inceptum per aliquot noctis horas protrahatur.

10. 11 Per diem ante examen teſtes in loco deſtinato coram Judicibus, & Subpromotoribus juramenrum, non turmatim, ſed ſucceſſive emittere debent, ac reperese in actu examinis, in quo ſolum jurant teſtes ex officio. Si alii in hoc actu dumtaxat jurarent, examen eſſet validum, præcipue non opponente Subpromotore. Nam de jure communi teſtes ſtatim ante, vel poſt examen jurare debent, poſterius vero debet eſſe ſpontaneum. His omnibus inhæſit ſacra Congregatio in pluribus cauſis. Quod ſi teſtis examen non abſolverit, non tenetur repetere juramentum, dum iterum ſe ſiſtit examini; niſi longum tempus tranſierit, aut novi articuli acceſſerint, aut duplex eſſet judicium. Has limitationes ſecuta eſt ſacra Congregatio in pluribus cauſis.

d diſcept. 60. n. 11.

12 Juramentum præterea probandum eſt. De jure communi non ſufficit huic probationi, ut Notarius *enunciative* affirmet teſtem juraſſe, niſi in quibuſdam circumſtantiis videndis apud Gratianum (*d*), & alios; ſed oportet ut *diſpoſitive* teſtetur, juraſſe tactis Evangeliis, quæ tamen expreſſio aliquando præſumi poterit, ut ex nonnullis Auditorum Rotæ relationibus colligitur. Quidquid de his ſit, nunc cum præſcripta ſit forma juramenti a teſtibus præſtandi, & inſeratur in litteras remiſſoriales, probatio hujus juramenti conſtituenda eſt in *diſpoſitiva* Notarii atteſtatione de juramento emiſſo tactis Evangeliis, & juxta eamdem formam, verbiſque eidem conſentaneis. Idem dicendum de juramento Judicum, Subpromotoris, & Protonotarii. Emiſſum a Notario Actuario probandum eſt per alium Notarium ad hoc eligendum.

13 &c. Ex alibi dictis Innocentius XI. decrevit, ut in proceſſibus auto-

ctoritate ordinaria, vel delegata conſtruendis examinarentur teſtes ex officio *ſuper vita, & moribus Servi Dei*. His verbis attentis, Ordinarius decreta non contemnit, ſi in proceſſibus ſuper obedientia præſtita decretis Urbani VIII. ejuſmodi teſtes omittat. Hos tamen examinare debet in proceſſibus ſuper fama Martyrii, cum dubium de Martyrio æquivaleat dubio de virtutibus, de quibus decreta Innocentii loquuntur. Ex his decretis non videtur opus eſſe, ut etiam ſuper miraculis teſtes ex officio examinentur, cum alii teſtes, præter inductos a Poſtulatoribus, difficulter inveniantur. Sed Clemens XII. novum generale decretum edidit (*a*), quo edixit, ut ſicuti ex præſcripto Innocentii XI. teſtes ex officio ſuper virtutibus, ſub pœna nullitatis proceſſus, examinandi ſunt a Judicibus ordinariis, ſive delegatis, ita ſub eadem pœna examinentur ſuper miraculis ad normam in litteris remiſſorialibus contentam.

a 21. ſeu 28 Mart. 1733.

17 &c. Hoc decretum videtur efficere *nullos* proceſſus ordinarios ſuper fama virtutum, ac ſuper miraculis, ſi ſuper his teſtes ex officio deficiant, ſicut his deficientibus *nulli* ſunt proceſſus Apoſtolici ſuper iiſdem, juxta ſuperius dicta. Nihilominus expedit quidem, ut in proceſſibus ordinariis ſerventur ſolemnitates, quæ ſervari ſolent in proceſſibus Apoſtolicis, ideoque & in primis teſtes ex officio examinentur. At ſi perpendatur Clementis decretum, quantum ad pœnam *nullitatis* ob deficientiam teſtium ex officio, afficit proceſſus Apoſtolicos, non ordinarios. Enim vero decreta Innocentii XI. de examinandis teſtibus ex officio inſeruntur in litteras remiſſoriales, decreto irritante munitas: decretum Clementinum præſcribit ejuſmodi examen ſub pœna nullitatis ad normam litterarum remiſſorialium: cum autem hæ litteræ ſpectent dumtaxat proceſſus auctoritate Apoſtolica conficiendos, hi ſolum quicumque ſint, non autem ordinarii ſuper miraculis, aut ſuper alia re, nullitatis vitio laborant, ſi teſtes ex officio non examinentur.

27 Demum Innocentii decreta mandant, ut teſtes ex officio a Judicibus inducantur. Nihilominus a Fidei Subpromotore induci conſueverunt, & hunc uſum in pluribus cauſis Congregatio rituum admiſit.

CAPUT XLIX.

De Teſtium examine.

1 Opinantur nonnulli, examinandos eſſe teſtes omnes, a Procuratoribus inductos: ſed verior eſt aliorum ſententia, opus non eſſe, ut omnes examini ſubjiciantur, nec ullum derivatur præjudicium, ſi aliqui omittantur, niſi Judex, aut Fidei Subpromotor exigat, ut omnium examen abſolvatur. Hanc ſententiam ſecuta eſt ſacra Congregatio in pluribus cauſis, teſte Proſpero Bottinio Fidei Promotore in ſuis animadverſionibus in cauſa B. Alexandri Sauli. Litteræ vero remiſſoriales præcipientes, ut omnes teſtes diligenter examinentur, non numerum teſtium, ſed diligentiam in examine adhibendam reſpiciunt.

2 Singillatim, non turmatim, de Jure examinandi teſtes ſunt; juxta Pavin. in relat. cauſæ S. Bonaventuræ (*b*), & alios. Sane cum in cauſa Mauritii Abbatis Ciſtercienſis Judices remiſſoriales teſtes turmatim examinaſſent, Honorius III. aliis commiſit, ut ſingillatim examen exciperent. In cauſis SS. Yvonis, & Ignatii admiſſi fuerunt teſtes turmatim examinati, ſed poſt alios ſingillatim admiſſos. Cur autem ſingillatim examinandi ſint, explicant Ancharan. (*c*), Joannes Andreas (*d*), & alii, idcirco examen aliter peractum *nullitatis* vitio laborat.

b part. 2. ar. 4.

c In cap. Venerabili de teſt. & atteſt. n. 1.

d In idem cap. n. 7.

3 &c. Eodem vitio inficitur examen teſtium, niſi factum fuerit ſuper omnibus omnino interrogatoriis. Et ſi enim alii aſſeruerint, oppoſitum, Re-

mif-

miſſoria tamen præcipit, ut teſtes examinentur ſuper interrogatoriis, & hæc in Remiſſoriam inſeruntur. Limitatur hæc regula, ſi omittantur interrogatoria, reſpicientia aliquid, quod teſtis edoctus non ſit: vel ſi ſuper uno interrogatorio negative reſpondeat, ideoque ſequentia omitterentur. Superfluum quoque eſt interrogatorium, & teſtis reſponſio ſuper quidditate miraculorum in ſpecie. Immo in ſacra Congregatione opinio invaluit, ut non vitietur teſtis examen per omiſſionem interrogatoriorum reſpicientium articulos, ſuper quibus teſtis non fuit inductus, aut ſi omiſſis interrogatoriis, ſatisfeciſſet in antecedentibus, ut ex pluribus cauſis colligitur.

7 Teſtes ſuper articulis non ſunt examinandi, niſi expleto examine ſuper interrogatoriis, aliter examen eſt nullum, Neque eſt neceſſe, ut omnes ſuper omnibus articulis examen ſubeant, ſed ut unuſquiſque ſuper illis examinetur, ſuper quibus inducitur, & ſuper quos edoctus eſt, juxta reſcriptum ſacræ Congregationis (*a*) in cauſa S. Stanislai Koſtkæ. Huc ſpectat clauſula a peritis cauſarum Patronis apponi ſolita in articulorum exhibitione, videlicet, ſe ſuperfluæ probationis onus ſubire nolle. Non eſt a jure ſtatutum, ut teſtes ſuper articulis examinentur; at forma juramenti teſtium, & litteræ remiſſoriales examen hujuſmodi memorant. Nihilominus communis opinio admiſſa a ſacra Congregatione ſuſtinet validitatem examinis, ſuper interrogatoriis abſolutis, etiamſi ſuper articulis omittatur. Formula vero juramenti teſtium ſolum edicit, ut teſtes veritatem fateantur, cum ſuper interrogatoriis, tum ſuper articulis. Litteræ autem remiſſoriales ſolum examinis ordinem præſcribunt. Ex quibus omnibus validus erit proceſſus, etiamſi examen ſuper articulis non acceſſerit.

a 16. Jun. 1663.

8. 9 An autem ſubſiſtat examen teſtium, conceptum depoſitionibus, quæ ad alias atteſtationes ab ipſis factas referuntur (quod quidem agitatum in cauſa S. Andreæ Avellini teſtatur (*b*) Caggianus) diverſæ ſunt Auctorum ſententiæ. Sed juxta litterarum remiſſorialium formam in cauſis Beatificationis, & Canonizationis debent teſtes integre deponere, quin ſe ad præcedens referant examen: niſi forte deponentes ſuper articulis ſe referant ad reſponſum datum ſuper interrogatoriis, aut deponentes ſuper aliquo interrogatorio ſe referant ad depoſita ſuper alio, quod ſacra Congregatio admiſit in cauſa Servi Dei Humilis de Biſiniano 29. Aug. 1716.

b in Act. cauſ. pag. 127.

10 Teſtes non teneri reddere rationem eorum, quæ dixerunt, niſi a Judice interrogentur, affirmat Gloſſa *in cap. Cum cauſam*, & alibi. At in cauſis Sanctorum, cum plerumque deponant de his, quæ ſenſibus non percipiuntur, vel de miraculis cauſam occultam habentibus, reddere debent cauſam ſcientiæ, licet non interrogentur; aliter eorum dicta contemnuntur, ut docet Innocentius in prædictum cap., quem alii ſequuntur.

11 &c. *Interrogatoria* ab Urbe mittuntur, ac ſolemniter Judicibus remiſſorialibus exhibentur: hi ea tradunt Subpromotori electo a Promotore Fidei. Aperiuntur in ſingulis ſeſſionibus, & cum teſtium depoſitionibus clauduntur, ac Judicum ſigillis obſignantur. Quod obſervandum eſt, donec omnium teſtium, tam a Poſtulatoribus, quam a Judicibus ex officio inductorum examen abſolvatur: eo abſoluto, interrogatoria & depoſitiones non amplius occluduntur. In proceſſu ſinguli actus aperitionis, & occluſionis ſunt adnotandi. Huic examini Judices, Notarius, & Subpromotor dumtaxat interſunt: ſi alii adſint, examen eſt *nullum*, niſi Poſtulatores oſtenderint, hos occluſioni dumtaxat interrogatoriorum, & depoſitionis interfuiſſe.

14. 15 Nunc juxta decreta ſacræ Congregationis (*c*), teſtium depoſitiones ſcribendæ ſunt idiomate, quo a teſti-

c 6. Febr. 1652. & 3. Decembr. 1672.

teſtibus proferuntur ; ſi per Interpretem excipiantur, ſcribuntur juxta ſermonem Interpretis : hic a Judicibus eſt eligendus , ac juramentum emittere debet de munere fideliter implendo , ac ſecreto ſervando . Subpromotor eas dictare poteſt : Notarius propria manu ſcribere debet , & quidem clare, & dilucide , qua claritate deficiente Gregorius IX. in cauſa S. Hildegardis, & Honorius III. in cauſa S. Guillelmi Archiepiſcopi Eboracenſis nonnullas teſtium depoſitiones rejecerunt.

16. 17 Poſt editam remiſſorialium formulam , Notario non licet amplius ſcribere, unum teſtem depoſuiſſe juxta alterius depoſitionem , ſed verba cujuſcumque teſtis integre referre debet. Rejicitur quoque teſtis depoſitio per ſolam articuli ſibi propoſiti approbationem ; proceſſus tamen ſubſiſtit , ſi aliorum depoſitiones claræ , & explanatæ fuerint , ut contigit in cauſa B. Bernardini de Feltro . Teſtes in proceſſu Apoſtolico confuſe deponentes, quidquid olim fuerit in uſu , nunc examen repetere nequeunt.

18 In fine cujuſlibet ſeſſionis teſtis ſubſcriptionem , vel ſignum crucis examini addere debet , inde Judices , Subpromotor, & Notarius ſubſcribunt. Quodſi teſtis examen inceptum non abſolvat , neque ſubſcribat, validum erit, ſi dum examen abſolvitur , examen præcedens coram teſte legatur , & hic ſubſcriptionem addat , licet hæc lectio non ſit ad validitatem neceſſaria. Interrogatoria poſt ultimam teſtis depoſitionem inſeruntur . Si vero ante omnes depoſitiones apponantur , proceſſus adhuc eſt validus , dummodo appoſita fuerint in ejuſdem extenſione , ut contigit in cauſa S. Julianæ de Falconeriis.

19. 20 Pontifices in his cauſis numquam teſtimonium reddiderunt , ſed in bullis Canonizationum aliquando , quæ ſciebant , expoſuerunt , ut Gregorius IX. in bull. Canoniz. SS. Franciſci, & Dominici : & Sixtus IV. in bul. Canoniz. S. Bonaventuræ . Reges nonnumquam per ſe , vel per alios ; ſicuti etiam Cardinales in his cauſis teſtimonium reddiderunt . Sed in Cardinalium depoſitionibus omittuntur interrogatoria generalia . Si abſque interrogatoriis , & non coram Judicibus deponerent , eorum atteſtationes haberentur pro extrajudicialibus . In cauſa Servi Dei Gregorii Cardinalis Barbadici ſacra Congregatio approbavit proceſſus ordinarios Florentinum , & Mutinenſem continentes atteſtationem Magni Ducis Etruriæ , & Ducis Mutinæ præſtitam per exhibitionem ſcripturæ , quam hi Principes legiſſe teſtati ſunt , ac veritatem contentorum jurejurando affirmarunt , inde ſubſcriptam , & ſecretiori ſigillo munitam Judici tradiderunt , præſentibus Subpromotore , & Notario . Eodem modo una cum fratre ſuo Etruriæ Duce teſtatus eſt Cardinalis Mediceus ; ſed hoc non obſtat iis , quæ dicta ſunt de Cardinalibus ; ſi enim ſeorſim a fratre teſtimonium perhibuiſſet , ejus examen non aliter , ac inſtar cæterorum Cardinalium excipi debuiſſet .

21 Demum decretum inter decreta generalia impreſſum , & a decretis Innocentii XI. ampliatum prohibet atteſtationes extrajudiciales . Si in aliquem proceſſum inſertæ reperiantur , ejus validitas ex aliis fundamentis approbatur cum clauſula , *demptis extrajudicialibus atteſtationibus* , ut contigit in cauſis Servi Dei Bernardini Realini , & aliorum.

22 Ad examinis , & proceſſus validitatem deſignandus eſt locus , in quo teſtes examinentur . In his cauſis juxta literas remiſſoriales pro loco deſignatur Eccleſia , pro loco loci deſignatur aliquod ejuſdem ſacellum , ut teſtes a perjurio , & a veritatis perturbatione abſterreantur . Antiquitus ex diſpenſatione , vel ſanatione nonnumquam admiſſum fuit examen extra Eccleſiam peractum . Nunc ſacellum palatii Epiſcopalis habetur pro loco ſacro , ideoque ſæpe in eo examen valide receptum eſt ; quemadmodum etiam in ora-

Digitized by Google

oratorio domus privatæ. Immo ad hoc deſtinari poſſe ſacellum palatii gentilitii Epiſcopi, & clauſtrum monaſterii, docet Roſa (a). Moniales in loco Confeſſionis, vel Communionis, aut in collocutorio examinandæ ſunt. Si infirmæ ſint, petenda eſt a ſacra Congregatione facultas ingrediendi clauſuram. Quoad moniales ſtrictiſſimæ obſervantiæ, quæ videri nequeunt, etſi nonnulli ſentiant, examinari poſſe, quin videantur, conſultius tamen eſſet, ut permittente Pontifice, in actu examinis viderentur ab iis, qui proceſſui interveniunt. In parva Eccleſia ſuperfluum eſt deſignare locum loci. Locus, & locus loci in quolibet actu ſunt exprimendi: hac expreſſione omiſſa, examen adhuc eſt validum.

a in addit. ad tract. de exec. litt. Apoſt. num. 295. & 299.

CAPUT L.

De aliis neceſſariis ad conſtructionem Proceſſus.

1 ABſoluto examine, Judices pro tranſcribendo proceſſu Scribam eligere debent. Ad hoc munus quicumque eligi poteſt. Electus debet juramentum præſtare de fidelitate, & ſecreto ſervando. Urgente neceſſitate proceſſus exſcribi poteſt, antequam abſolvatur, obtenta facultate, ſervatiſque conditionibus a ſacra Congregatione in cauſa B. Hyacinthæ de Mareſcottis præſcriptis 26. Apr. 1692.

2 Exſcriptus conferendus eſt cum originali. Judices Notarium Apoſtolicum, vel Eccleſiaſticum eligere debent, ut cum primo Notario collationem perficiat emiſſo juramento de munere fideliter implendo. Perficienda autem eſt coram Judicibus, & Subpromotore, & ita eſſe abſolutam Judices declarare debent, quemadmodum etiam Notarios a ſe ipſis factam teſtari oportet. Correctioni errorum omnes ſubſcribere tenentur. Unus Judex nequit ſeorſum ab alio prædictum Notarium addere, aliter collatio eſſet nulla, juxta decretum Congregationis in cauſa B. Hieronymi Æmiliani 26. Septembr. 1631. editum.

3 Poſt hæc deſtinandus eſt Portitor, inde Judices, Subpromotores, & Actuarius ad calcem proceſſus ſubſcribunt. In Urbe ſubſcribit etiam Protonotarius, ut proceſſus fidem faciat. Tranſumptum ſigillis Judicum interius obſignatur. Hæc Notarius actuarius teſtari debet: mox addenda eſt legalitas Epiſcopi, in cujus diœceſi proceſſus conficitur, ut hic in Urbe facilius agnoſcatur, juxta decretum ſacræ Congregationis, & formulam literarum remiſſorialium. Tandem occluditur tranſumptum, exteriuſque obſignatur ſolo Epiſcopi diœceſani ſigillo. Exterior inſcriptio exprimere debet, illud eſſe tranſumptum proceſſus Apoſtolici in cauſa talis Servi Dei, ac dirigitur Congregationi rituum. De occluſione, obſignatione, ac traditione Portitori fit diſtinctum inſtrumentum, eidemque traditur, Romam cum tranſumpto deferendum, & in Actis Congregationis exhibendum.

4. 5 Judices Epiſtolam ſacræ Congregationi ſcribere debent de fide teſtibus tribuenda. Morem hunc antiquiorem eſſe epiſtola encyclica, & formula literarum remiſſorialium, eruitur ex Actis cauſarum SS. Raymundi, & Andreæ Avellini, Epiſtola circularis ſolum præcipit Ordinario, ut S. Sedem moneat de proceſſu a ſe confecto: neceſſitas vero reddendi certiorem eamdem S. Sedem de fide teſtibus tribuenda oritur a literis remiſſorialibus, adeoque proceſſus Apoſtolicos dumtaxat reſpicit. Si proceſſus fiat a Subdelegatis, hi ſcribunt ad Delegatum, qui aliam epiſtolam Congregationi ſcribit, habens rationem epiſtolæ Subdelegati, eamque ſimul mittit. Hæc locum non habent, ſi proceſſum ſuper non cultu, aut caſu excepto conſtruat Subdelegatus a Cardinali Vicario.

6. 7 Ad ſubmovendas inter Fidei Promotores, & Poſtulatores contro-

ver-

verſias de termino, intra quem proceſſus ſit abſolvendus, Alexander VII. (*a*) decrevit; ut terminus in literis remiſſorialibus deſignaretur, a die conceſſionis computandus, eoque elapſo, nec prorogato, proceſſus nullius eſſet roboris, nullamque probationem conſtitueret. Prorogationem ſæpius indulget Congregatio ordinaria. At ſi remiſſoriales non exprimant, terminum computandum eſſe a die conceſſionis, computabitur a die exhibitionis earumdem. De jure enim (*b*) in reſcriptis gratiæ, tempus incipit decurrere a die datæ, uti ſtatuit ſacra Congregatio Indulgentiarum (*c*). Sed in reſcriptis juſtitiæ, & contentioſis, (*d*) adeoque in cauſis Beatificationis, & Canonizationis incipit a die exhibitionis, quod admittit Congregatio rituum in cauſa Servi Dei Joannis Maſſias 14. Jun. 1714.

a 2. Octob. 1655.

b in cap. *Si eo tempore* de reſcr. in 6.

c 18. Maji 1711.

d ex cap. *Super eo* 12 de appell.

8 Authenticum tranſumptum proceſſus ordinarii, ſive Apoſtolici mittitur ad Congregationem rituum: originalia in archivo Epiſcopali conſervantur, ut ſi de aliqua particula tranſumpti dubium inſurgat, aut tranſumptum deperdatur, ad autographum confugi poſſit, ut contigit in cauſis B. Hieronymi Æmiliani, & aliorum. Si dubium fuerit de ſola particula, Congregatio per epiſtolam mandat Epiſcopo, ut, præſente Promotore Fiſcali, accitoque Notario Eccleſiaſtico, advertat, an particula concordet, vel non, cum originali, ac de his publicum mittat inſtrumentum. Si proceſſus deperditus ſit, adeoque novum conficiendum ſit exemplum, obſervandæ ſunt ſolemnitates, in primo deperdito ſervatæ, ut ex cauſis B. Luciæ de Narnia, Martini Porres, & aliorum eruitur.

CAPUT LI.

De nonnullis aliis requiſitis in confectione nonnullorum proceſſuum, & de omnium proceſſuum apertione in Urbe facienda auctoritate ſacræ Congregationis.

1. 2 PRæſcribunt literæ remiſſoriales, & compulſoriales, ut in conficiendis Apoſtolicis proceſſibus in ſpecie Judices viſitent Servi Dei ſepulcrum. Sed in proceſſibus ſuper virtutibus, & miraculis viſitandum eſt interius, & exterius: ſuper non cultu, aut caſu excepto, dumtaxat exterius, niſi corpus incorruptum ſit, aut e ſepulcro odor ſupernaturalis emanet. Hæc viſitatio omittenda eſt in proceſſu ſuper ſolis miraculis, niſi agendum ſit de iiſdem odore, & integritate, ut accidit in cauſis S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis, & aliorum.

3. 4 Ut rite perficiatur viſitatio, Judices cum teſtibus, Subpromotore, & Notario ſepulcrum per ſe ipſos inviſere, & Notarius inſtrumentum conficere debent: expedit etiam, ut teſtes ibidem ſtatim examinentur. Si corpus ſit incorruptum, aut odorem emittat, advocandi ſunt Medici, aut Chirurgi, delato a Judicibus juramento de veritate dicenda. Notarius locum, & capſam deſcribit: corpus e capſa educitur, ac poſtea reconditur: Medici autem die a Judicibus deſignanda judicium ſuum coram ipſis, Promotore, vel Subpromotore, & Notario in ſcriptis exhibent.

5 Notarius in hoc non poteſt eſſe laicus. Citandus eſt Promotor Fidei; non requiruntur tamen teſtes ex officio, niſi Remiſſoria jubeat, vel corpus incorruptum ſit, aut odorem afflet.

6 Si ſepulcrum non inveniatur, Pontifex, aut Congregatio rituum, eodem approbante, indulget, ut ad ulteriora procedatur, viſitatione omiſſa, ut in cauſa B. Bernardi Ptolemæi, qui cum cæteris, graſſante peſte, ſepultus fuit.

7 Romani Pontifices *nullitates* in his viſitationibus occurrentes aliquando ſanarunt, ut per litteras in forma Brevis ampliſſime præſtitit Clemens X. in cauſa B. Ludovicæ Albertoniæ.

8 Si proceſſus fiat ſuper non cultu, vel caſu excepto, ſententia ferenda eſt, expleta viſitatione, ac citato Subpromotore, eamque a Judice ſubſcriptam Notarius coram teſtibus publicare debet.

9. 10 Proceſſus ad Urbem deferuntur, utque juxta alibi dicta aperiantur, examinandi ſunt teſtes, qui ſigilla, & characteres Judicum recognoſcant. Jam vero interdum non ſolum Epiſcopus diœceſis, in qua compilatus eſt proceſſus, ſed alii Conjudices ſubſcriptionem, & ſigillum in parte exteriori apponunt: Notarius vero in parte interiori negligit recognitionem characterum, vel deſcriptionem ſigillorum; Et Epiſcopus diœceſanus *legalitatem* omittit. Cumque ut plurimum teſtes in Urbe non reperiantur, qui omnes ſubſcriptiones, & ſigilla recognoſcant, id ſacræ Congregationi indicandum eſt, & ab ipſa petendum remedium.

11. 12 Si certum ſtemma, vel certus character Judicum in Urbe reperiatur, per quorum omnium, vel per alterutrius comparationem prædictæ ſubſcriptiones, & ſigilla, deficientibus teſtibus, recognoſci poſſint: aut ſi aliunde characteres ſaltem recognoſcantur, vel per teſtes, aut comparationem aliqua ex ſigillis dignoſci poſſint, ſacra Congregatio permittit, ut, omiſſa integra recognitione, proceſſus aperiantur. Si nec ſigilla, nec characteres ullo modo recognoſci poſſint, aliquando ſcribit Epiſcopo diœceſis, in qua proceſſus factus eſt, ut formam ſigillorum, & ſubſcriptionem bene formatam mittat, per quarum comparationem ſigilla, & ſubſcriptiones partis exterioris dignoſcantur: frequentius tamen permittit, ut, omiſſa penitus exteriorum recognitione, proceſſus abſolute aperiantur. Omnia hæc ex pluribus cauſis deſumuntur, ac locum ſibi vindicant, proportione ſervata, in recognitione characterum, aut ſigillorum partis interioris. In his tamen, numquam ab omnium recognitione conceditur diſpenſatio. Quare conſultius videtur, ut ſolus Epiſcopus diœceſanus ſigillum in parte exteriori apponat: in interiori vero omnium Judicum ſigilla, & ſubſcriptiones ponantur cum Notarii atteſtatione, & Epiſcopi *legalitate*.

CAPUT LII.

De proceſſu compulſoriali, *& ejus validitate*.

1 HIC proceſſus fieri poteſt ſeorſum, vel ſimul cum proceſſu ordinario, aut remiſſoriali. Seorſum ab ordinario fieri poteſt, antequam Sedes Apoſtolica manum ad cauſam appoſuerit, ſervatis, quæ in conficiendo proceſſu ordinario ſervantur. Poſt manum appoſitam conficiendus eſt auctoritate Apoſtolica, ſervatis, quæ de proceſſu remiſſoriali expoſita ſunt. Si conjunctim cum alterutro fiat, inchoandus eſt ſtatim poſt ultimi teſtis examen.

2 Jura, quæ *compulſantur*, ut plurimum ſunt hiſtoriæ, opera Servorum Dei, de quibus agitur, monumenta eorum cultum comprobantia, & atteſtationes teſtium proceſſus ordinarii. Harum compulſatione approbata, non cenſetur approbata validitas proceſſus ordinarii, ut colligitur ex cauſa Servi Dei Humilis de Biſiniano.

3. 4 Ut proceſſus compulſorialis validus ſit, monendi ſunt detinentes jura *compulſanda*, & hæc ab his exhibenda ſunt, & recognoſcenda a teſtibus peritis, quos Judices elegerint. Procurator libros *compulſandos* producere debet: Judices, Promotor, vel Subpromotor jura diligenter inſpicere. Periti citandi ſunt, ac ſingillatim interrogandi, nec non veritatem juxta peritiam jurejurando ſpondere, inde judicium, viſis ſcripturis, proferre debent. Poſ-

ſunt

ſunt etiam ſcripturæ per teſtes, vel per comparationem recognoſci, ut infra. Demum Periti, Judices, Promotor, vel Subpromotor, & Notarius quamcumque recognitionem ſubſcribere debent. Exemplum conferri debet cum autographo, hoc vero reſtitui iis, qui commodaverunt. Non tamen opus eſt, ut examinentur teſtes, qui probitatem teſtium in proceſſu ordinario examinatorum, & quorum dicta compulſantur, adſtruant.

5. 6 Si ſcriptura *compulſanda* recognoſci debeat per comparationem cum alia ſcriptura, hæc recognitio, ut valida ſit, exigit, ut deficiat quæcumque alia probatio: Procurator præſtet juramentum calumniæ: Scriptura, ad quam fit comparatio, ſit certa: eligantur Periti, qui, & juramentum calumniæ emittant, ac judicium ſcriptum referant. Hæc tamen recognitio probationem dumtaxat ſemiplenam conſtituit. Si comparatio fiat per teſtes, indubia erit ſcriptura, ſi iidem juraverint, ſe recognoſcere characteres, & ſcripturæ exaratæ interfuiſſe. Item ſi jurent dumtaxat, ſe characterem cognoſcere; dummodo ſcriptura ſine teſtibus confici conſueverit, eorumque dicta adminiculis fulciantur, ut adnotavit Rubeus (*a*) cum aliis.

a de teſtam. c.28.n.385.

7 Scripturæ in cauſis Sanctorum *compulſandæ*, utplurimum ex archivis extrahuntur. Sed ut probationem conſtituant, archivum debet eſſe publicum; ſi privatum ſit, debet eſſe peculiariter cuſtoditum, & alia adminicula fidem ſcripturæ concilient, ut ex pluribus cauſis colligitur, præcipue ex cauſa S. Aloyſii Gonzagæ, in qua admiſſa fuit Relatio Auditorum Rotæ deſumpta ex bibliotheca Coccini, quæ in Collegio Romano Societatis Jeſu aſſervatur; quæ quidem relatio pluribus aliis probationibus innitebatur.

CAPUT LIII.

De nonnullis petitionibus, quæ aliquando ſacrorum rituum Congregationi exponuntur pro felici exitu cauſarum Beatificationis, & Canonizationis.

1 &c. SI metus occurrat de obitu teſtis, qui conſcius ſit virtutum, aut miraculorum Servi Dei, Poſtulatores petant, ut ſignata Commiſſione, examinetur ante inchoatum, vel abſolutum proceſſum ſuper non cultu, vel caſu excepto. Hæc diſpenſatio difficulter conceditur, cum deroget decretis generalibus, & Conſtitutioni Urbani VIII. eadem confirmanti. Conceſſa tamen fuit in cauſis Servorum Dei Franciſci de Capillas, Joſephi a Matre Dei, & aliorum.

4 &c. Frequentior eſt neceſſitas examinandi teſtes in ſpecie, ſenes, valetudinarios, aut cito abfuturos, ante abſolutum judicium ſuper fama ſanctitatis in genere. Ideo cauti Poſtulatores petere conſueverunt literas remiſſoriales pro utroque ſimul judicio. Huic petitioni paſſim annuit ſacra Congregatio, ut ex pluribus cauſis colligitur: ſicut enim regula Juris communis, ne teſtes examinentur ante litem conteſtatam (*b*): limitatur in teſtibus ſenibus, & ſimilibus; ita in cauſis Sanctorum per diſpenſationem, ob eamdem cauſam, invertitur ordo judicii in genere, & in ſpecie. Nec obſtat, quod hæ cauſæ æquiparentur criminalibus, in quibus (*c*) non ſunt examinandi ejuſmodi teſtes ante litem conteſtatam, aut ſi examinentur poſt litem conteſtatam repetuntur, cum in cauſis Beatificationis, & Canonizationis non repetantur. Nam hæ cauſæ non in omnibus æquiparantur criminalibus, nec eſt ita certum in jure, ut teſtes, ante litem conteſtatam examinati poſt ipſam repetantur.

b In cap. Quoniam, frequenter ut lit. non conteſt.

c in cap. cit.

7. 8 Proceſſus ab Ordinario conſtructi poſt manum a S. Sede appoſitam, *nulli* ſunt. Olim aliquando admiſſi fuerunt,

runt, ut in cauſa S. Raymundi. Nonnumquam ſacra Congregatio, annuente Pontifice, hos proceſſus ſuper non cultu ſanavit: id forte locum habebit ſuper caſu excepto. At hi proceſſus ſuper virtutibus, vel miraculis de jure purum adminiculum conſtituunt, ut contigit in cauſa S. Stanislai Koſtkæ. Nihilominus etiam in his interdum conceſſa fuit ſanatio, ut in cauſis SS. Thuribii, & Julianæ de Falconeriis, cujus ſanationis ſeriem refert Anaſtaſius Nicoſilli in vita S. Thuribii. Sanatione impetrata, ſi Poſtulatores uti velint proceſſu in gradu probationis, diſcutienda eſt ejus validitas quoad alias partes.

9 &c. Conſtructo Apoſtolico proceſſu ſuper fama in genere, & ſuper virtutibus, aut Martyrio, & miraculis in ſpecie, cauſaque in Congregatione propoſita, ſi omnia hæc ex probationibus perſpicua non reddantur; de jure (a) non licet novos teſtes ſuper iiſdem examinare, & ſi examinentur, nihil probant, ut inter alia eruitur ex cauſis S. Thomæ de Aquino, & B. Hieronymi Æmiliani. Nihilominus ex rationabili cauſa poſſet Judex ex officio novum examen ſuper iiſdem demandare. Immo ſacra Congregatio in cauſis SS. Petri Regalati, & Cajetani permiſit, ut probationes novis teſtibus adjuvarentur, quod tamen peculiari decreto (b) vetuit Alexander VII. Hoc decretum proceſſus omnes Apoſtolicos comprehendit, tum propter gravitatem cauſæ, tum quia in hoc judicio omnes diligentiæ adhibendæ ſunt, tum demum quia aliter nimis periculoſa aperiretur indulgentiæ via.

a in cap. Fraternitatis de teſt. & atteſt.

b 29. Nov. 1658.

13 &c. Nonnulli tamen ſunt caſus, qui hoc decreto comprehendi non videntur. Si enim ante illud ſacra Congregatio facultatem feciſſet adjuvandi probationes, ſed litteræ remiſſoriales non fuiſſent expeditæ: aut ſi articulata in proceſſu Apoſtolico adjuvanda ſolum eſſent per exhibitionem, & *compulſationem* ſcripturarum: vel exaratis informatione, & ſummario ſuper quocumque dubio, excitetur difficultas ſuper probatione alicujus virtutis, vel miraculi, quæ ſubmoveri poſſit per teſtium aſſertiones, in proceſſu exiſtentes, ſed in ſummario non relatas: vel novæ remiſſoriales petantur ad probandum miraculum, non articulatum in proceſſu Apoſtolico: aut probanda ſit continuatio facti, cujus exiſtentia in proceſſu jam probata ſit, ut ſi probato cultu immemorabili, vel non cultu, aut miraculoſa ſanatione, probanda eſſet horum continuatio: vel demum ſi agatur de re exiſtenti, ſed variabili, ut ſi probata incorruptione corporis, ſacra Congregatio novas exigat probationes ſuper actuali ejuſdem ſtatu: in his, inquam, omnibus coadjuvari poſſunt probationes, quin Alexandri decreto derogetur, ut plures Beatificationis, & Canonizationis cauſæ inſinuant. In cauſa vero S. Fidelis a Sigmaringa eidem derogatum fuit, ſed gravi maturitate.

CAPUT ULTIMUM.

In quo aliæ petitiones Poſtulatorum proponuntur, & examinantur.

1 URbanus VIII. in ſuis decretis expreſſe prohibuit, ne diſcuterentur virtutes, aut Martyrium alicujus Servi Dei ante lapſos ab obitu ejuſdem Servi quinquaginta annos. His decretis numquam intelligitur derogatum, niſi in reſcripto ſummi Pontificis expreſſum ſit.

2. 3 Putarunt nonnulli, vi horum decretorum non poſſe intra hos quinquaginta annos fieri proceſſus ordinarios, nec Apoſtolicos, quod magnum attulit pleriſque cauſis detrimentum. Verum decreta non conſtructionem proceſſuum, nec diſcuſſionem proceſſus Apoſtolici in ſpecie, ſed diſcuſſionem dubii virtutum Theologicarum, & Cardinalium intra illud tempus prohibent.

4 &c. Poſtulatores nonnumquam poſcunt, ut ante elapſos quinquaginta an-

annos virtutes, aut Martyrium diſcutiantur. Hujuſmodi petitioni minime annuit Congregatio rituum in cauſa S. Aloyſii Gonzagæ; nec ſe annuere poſſe Urbanus VIII. reſpondit Ferdinando Imperatori, & Eleonoræ Imperatrici eamdem Canonizationem petentibus. In cauſis tamen Joſaphat Pollocenſis, S. Franciſci Saleſii, & aliorum, hæc diſpenſatio conceſſa eſt. Petitur a Pontifice: hic petitionis examen remittere conſuevit ad Congregationem ordinariam, qua annuente, & Pontifice confirmante, diſpenſatio intelligitur conceſſa. Cauſæ conceſſionis ſunt inſignia Servi Dei Martyris, vel Confeſſoris merita erga Catholicam religionem, accedentibus alicujus Regis, Antiſtitum, & Procerum nationis ſupplicationibus: ſpes particularis boni ſpiritualis: ac modicus annorum defectus a numero quinquagenario.

7 Nonnullæ antiquæ Canonizationes ante quinquageſimum ab obitu Servorum Dei annum peractæ ſunt, ut S. Petri Martyris, & aliorum. Aliæ poſt ducenteſimum, trecenteſimum, & quadringenteſimum, ut SS. Joannis a Capiſtrano, Hyacinthi, Bennonis, & aliorum. Inter Canonizationis requiſita notabilem temporis lapſum enumerant Fr. Severinus de Cracovia in Act. S. Hyacinthi (*a*), & Caſtellinus (*b*). Urbanus VIII. quinquaginta annos ſtatuit, cujus Conſtitutionis rationem reddit P. Philippus a SS. Trinitate in vita Ven. Dominici a Jeſu Maria (*c*).

a l. 3. c. 2. pag. 154.

b tract. de dilat. Canoniz. SS.

c l. 7. c. 11.

8 &c. Olim virtutes Theologicæ, & Cardinales in diſtinctis Congregationibus expendi conſueverant, ideoque Poſtulatores petebant, ut in una ſimul diſcuterentur, quod quidem permiſſum fuit in cauſa S. Franciſci Solani, & aliorum. Nunc ſine diſpenſatione in eadem Congregatione ſimul diſcuti poſſunt, cum decreta generalia id non vetent. Nonnulli aliquando ſuadebant, ut, ſuſpenſo dubio de virtutibus, diſcuterentur miracula. Sed id ex Ordine Romano Jacobi Card. Cajetani apud Mabillon. (*d*) adverſatur ordini judiciali harum cauſarum; nec amplius hujuſmodi ſuffragia recipi poſſunt, ut colligitur ex cauſis B. Hyacinthæ de Mareſcottis, & Servæ Dei Joannæ Franciſcæ Fremiot de Chantal. In cauſa vero Servi Dei Franciſci Caraccioli Congregatio particularis (*e*), annuente Pontifice, permiſit, ut in fine informationis dubii ſuper virtutibus proponeretur quodammodo hiſtorice dubium de miraculis, ut ſuffragaturi de virtutibus judicium efformare poſſent. In cauſa vero Servi Dei Cardinalis de Aretio, cum Secretarius ſacræ Congregationis ſummo Pontifici Bened. XIV. retuliſſet, ſuffragia Conſultorum eo collimaſſe, ut daretur facultas proponendi dubium de virtutibus cum dubio de miraculis, laudatus Pontifex id peculiari decreto (*f*) ſtrictius prohibuit. Itaque ſi vel defectus probationum, vel actuum ambiguitas difficilem reddat virtutum diſcuſſionem, non eſt ſuſpendendum judicium ſuper iiſdem, ut examinentur miracula, quæ quidem licet poſt mortem patrata ſint ſanctitatis ſigna, tamen, quidquid alii ſenſerint, ex his non abſolvitur Beatificatio, & Canonizatio, niſi probentur virtutes in ſpecie; quemadmodum nec ex virtutibus, niſi probentur etiam miracula.

d Muſ. Ital. to. 2.

e 18. Sept. 1736.

f 10. Apr. 1742.

11. 12 Nonnumquam in diſcutiendis virtutibus, & Martyrio in Congregationibus antepræparatoria, & præparatoria aliquod inſurgit dubium, quo ſuſpenſo, impeditur progreſſus ad ulteriora, & Conſultores hærentes non audent ferre ſuffragium. Poſtulatores inſtant, ut dubium in Congregatione ordinaria, cui Cardinales ſoli interveniunt, expendatur. Porro, ſi dubium pendeat a cognitione factorum, quæ ignota ſint Conſultoribus; perſpecta autem Cardinalibus, inſtantiæ annuendum videtur, ut annuit Benedictus XIV. in cauſis Servorum Dei Joannis de Britto (*g*), & Joannæ Franciſcæ Fremiot de Chantal (*h*), cum ipſe etiam Congregationi ordinariæ intereſſe voluerit.

g 2. Jul. 1741.

h 10. Sept. 1741.

13. 14 Ju-

Digitized by Google

13. 14 Juxta decretum ejuſdem Pontificis 23. Aprilis 1741. in cauſis antiquis procedentibus per viam non cultus, probatis virtutibus, aut Martyrio per ſolas probationes ſubſidiarias, quatuor requiruntur miracula, quæ per teſtes de viſu probata ſint, ad Beatificationem formalem: duo vero poſt indultam venerationem patrata ad Canonizationem obtinendam. Cum in cauſa S. Petri Regalati quatuor miracula ante approbatas eo modo virtutes approbata fuiſſent, laudatus Pontifex per aliud decretum (a) affirmavit cauſam hanc non eſſe primo decreto comprehenſam, adeoque duo miracula poſt indultam venerationem patrata, pro Canonizatione obtinenda ſufficere.

a 2. Aug. 1741.

15 Petunt interdum Poſtulatores, ut dubium de virtutibus, aut Martyrio, vel miraculis, ſemel propoſitum in Congregatione generali coram ſummo Pontifice, iterum examinentur. Id admitti poteſt, ſi Pontifex nullum edidiſſet reſponſum: ſecus, ſi ſententiam tuliſſet. Cæterum dubia non diu ante diſcuſſa, ſi iterum proponenda ſint, proponuntur in Congregatione generali: quæ diu ante diſcuſſa fuerant, proponuntur in præparatoria, & in generali. Hæc de dubiis, quæ in Congregatione generali expenduntur, intelligenda ſunt: quæ in Congregatione ordinaria exponuntur, ex ejuſdem permiſſione iterum examinari poſſunt.

16 Sanatio *nullitatis* proceſſus, qui compilatus ſit extra terminum in litteris remiſſorialibus, & compulſorialibus ſtatutum, vel prorogatum, petenda eſt a Congregatione ordinaria, quæ ut plurimum annuit, ſi Pontifici placuerit. Et ita conceſſa fuit ſanatio in cauſis B. Salomeæ, S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis, & aliorum.

17 Ex alibi dictis Clemens XII. vetuit, ne Regulares Notarii munus exercerent in cauſis Servorum Dei ejuſdem Ordinis, ſub pœna *nullitatis*. Si proceſſus hoc modo ante illud decretum conſtructus reperiatur, licet Poſtulatoribus petere ſanationem, ut contigit in cauſa Servi Dei Petri de Urraca.

18 Præcipua ad validitatem proceſſuum ſpectantia adducta ſunt. Monentur iterum Poſtulatores, ut in conficiendis proceſſibus ordinariis ſervari curent, quæ in proceſſibus Apoſtolicis obſervari ſolent, cum in omnibus fere cauſis vix ad ulteriora procedatur, niſi ordinarius proceſſus cum Apoſtolico in linea æqualis probationis conjungatur.

19 Demum cum in ſacra Congregatione diſputetur de validitate proceſſuum, ſolent Poſtulatores in quadam tabella indicare nomina teſtium, & reliqua ad eoſdem ſpectantia, cujus exemplar alibi dabitur.

LIBER

L I B E R III.

CAPUT I.

De teſtibus de auditu in cauſis antiquis Beatificationis, & Canonizationis.

1. 2 Teſtes de viſu, ſive de virtutibus, ſive de miraculis agatur, cæteris potiores eſſe ſentiunt Innocentius (*a*), & alii communiter: oculorum enim teſtificatio phyſicam parit teſtibus evidentiam, Judicibus vero ſummam moralem, qua major de ſanctitate haberi nequit.

a in cap. Cum cauſam 37. de teſt.

3 &c. Teſtibus de auditu probari ſufficienter virtutes, & miracula in cauſis, poſt multos annos ab obitu Servorum Dei introductis, affirmat Contelorus (*b*) cum pluribus, & huic ſententiæ adhæſerunt Auditores Rotæ in pluribus relationibus. Porro antiquitatem, ad hos teſtes admittendos neceſſariam, alii in lapſu centum annorum, alii in ſeptuaginta, iidem Auditores in ſexaginta conſtituerunt, probavitque duobus decretis (*c*) Congregatio rituum.

b de Canoniz. SS. c. 14 n. 7. & 8.

c 19. Jan. & 4. Maji 1630.

6 &c. Eadem ſententia validis innititur fundamentis. Nam in his cauſis proceditur de bono, & æquo, ac probatio plena, non vero pleniſſima requiritur. Accedit neceſſitas, quæ deficientibus teſtibus de viſu, ad alios de auditu admittendos impellit, quos propterea inter certiſſima documenta recenſuit Card. Bellarminus in ſuo ſuffragio pro Canonizatione S. Raymundi. Suffragatur diſpoſitio juris *in cap. Licet de teſt.*, quod *caput* etſi nonnulli ad ſolum caſum in eo expreſſum coarctent, ad omnes tamen cauſas, in quibus teſtes de viſu deſiderantur, extendit verior ſententia Joannis Andreæ (*d*), Felini (*e*), & aliorum. Sane ex *cap. Præterea de teſt.*, & ex jure civili *in l. Si arbiter ff. de prob.*, & *in l. In ſumma ff. de aqua pluvia arcen.*, teſtes de auditu in aliis caſibus admittuntur. Canones vero Jus civile non reſpuunt.

d in idem cap. n. 3.

e ibid. n. 1.

9 &c. His favent exempla a primis, mediis, & ultimis temporibus deſumpta. S. Eucherius apud Ruinart (*f*) commendat Martyrium S. Mauritii, & ſociorum Thebæorum, quod ab aliis audiverat. Idem facit S. Paulinus de Martyrio S. Geneſii apud eumdem (*g*). S. Gregorius Magnus (*h*) Auguſtino Anglorum Epiſcopo reſpondit, non eſſe colendum quemdam aſſertum Martyrem, ſi nullus cjus paſſionem ab aliis acceptam teſtaretur. Subſecutis temporibus Stanislaus Cracovienſis Epiſcopus, Conradus Placentinus, aliique apud Bollandianos (*i*), & Caſtillum (*k*) inter Sanctos, vel Beatos relati ſunt, probatis virtutibus per teſtes de auditu. Eodem modo expeditæ ſunt cauſæ Canoniz. SS. Hyacinthi, Raymundi, & aliorum. Ex quibus omnibus admittendi videntur in cauſis antiquis teſtes de auditu, quibus ſi unus de viſu addatur, plena conſurgit probatio, præcipue ſi teſtes de auditu aſſerant, ſe, quod referunt, audiviſſe ab iis, qui viderunt, ut in pluribus relationibus docuerunt Auditores Rotæ, aliique.

f in Act. Marty. pagina 241.

g pag. 473.

h to. 2. oper. l. 11. regiſt. epiſt. colum. 1157.

i ad 7. Maji & to. 3. Feb. pag. 160.

k in hiſt. S. Dom. par. 1 l. 2. c. 63.

CAPUT II.

De Teſtibus ſingularibus in cauſis Beatificationis, & Canonizationis.

1 Hi teſtes alii dicuntur ſingulares ſingularitate *obſtativa*, ex quibus dictum unius obſtat dicto alterius. & his nulla habenda eſt fides. Alii ſingulares ſingularitate *adminiculativa*, vel *cumulativa*, qui unius actus continui partes ſingulariter oſten-

ſtendunt. Alii ſingularitate *diverſificativa*, qui ſcilicet vel actus diverſos inter ſe non repugnantes eidem adſtrunnt; vel actus diverſos, ad unum aliquid generale determinatum relatos, teſtantur.

2 &c. Teſtes ſingulares ſingularitate *adminiculativa*, vel *diverſificativa* ſecundo modo, admittunt communiter Scriptores, & Rota (*a*) ad probandam in civilibus rem generalem, vel quæ ex actibus ſucceſſivis coaleſcit. Eoſdem admittunt in criminalibus Caccialupus (*b*), & alii ad probandum habitum vitioſum, & uſum delinquendi. Sane, quidquid ſenſerit Polydorus Ripa (*c*), ſatis probatur ſpecies, ſi duo teſtes ſingulares duos actus individuos probent. Plura de his ſcribit Souſa (*d*), addens majorem fidem præſtandam eſſe multis teſtibus ſingularibus, in eamdem ſpeciem convenientibus, quam duobus conteſtibus, præcipue in delictis occultis. Suffragatur Conſtitutio 85. S. Pii V. de confidentia beneficiali (*e*), & Conſtitutio 34. Gregorii XV. de crimine ſollicitationis (*f*).

a decíſ. 338 n. 4. coram Celſo, deciſ. 311. n. 8 par. 1. rec. & alibi.

b in l. Admonendi col. 39. verſic. Patet igitur ff. de jureju.

c obſervat. 204.

d tract. de aphor. inquiſ.

e Bull. to. 2.

f Bullar. Rom. to. 4.

6. 7 In hanc ſententism abierunt Auditores Rotæ in relat. cauſ. SS. Thomæ de Villanova, Catharinæ de Ricciis, & aliorum, aſſerentes, probatas eſſe virtutes ex teſtibus ſingularibus, quorum unus de uno, alii de aliis ejuſdem virtutis actibus depoſuerint. Idem docuerunt de dono prophetiæ in relat. cauſ. S. Ludovici Bertrandi, & , B. Joſaphat Pollocenſis. Concordat Ceparius in direct. Canoniz. SS. (*g*).

g par. 2. c. 7

8 Quod ſpectat ad miracula, Vincentius *In cap. Venerabili de teſt.* apud Malvetinm (*h*), & alios, opinatus eſt, omnia omnino per teſtes concordes eſſe comprobanda. At opinionem hanc inter alios late refellit Contelorius (*i*), ab eaque ſemper receſſerunt Auditores Rotæ in ſuis relationibus; quin, immo in relat. cauſ. SS. Franciſci de Paula, Raymundi, Didaci, & Hyacinthi aſſeruerunt, miracula ſufficienter probari per teſtes ſingulares, etiamſi unus de uno, alius de alio miraculo deponat, quamvis Congregatio rituum in cauſa S. Didaci hujuſmodi probationem rejecerit.

h de Canoniz. SS. inter tract. magn.

i de Canoniz. SS. c. 18. n. 10.

CAPUT III.

De ſententia Congregationis ſacrorum rituum, & præſenti Sedis Apoſtolicæ praxi, quoad teſtes de auditu in cauſis Beatificationis, & Canonizationis ſuper examine virtutum, aut miraculorum in ſpecie.

1 &c. PRobationes in cauſis Beatificationis, & Canonizationis eſſe debere æqualis ponderis, ac in cauſis criminalibus aſſerunt Scacchus (*k*), Matta (*l*), & alii contra Contelorium cit., quibus adhæſerunt ſeniores Cardinales, & Conſultores Congregationis rituum. Quare ſicue in cauſis criminalibus adhibendi ſunt teſtes de viſu proprio, ſi agatur de re, quæ cadit ſub ſenſum viſus, vel de auditu proprio, ſi res cadat ſub ſenſum auditus, nec ſufficit unus teſtis de viſu cum aliis de auditu: ita in cauſis Beatificationis, procedentibus per viam non cultus, eodem modo virtutes, & Martyrium in ſpecie probari debent. Verumtamen in cauſa criminsli homicidii, utplurimum non infligitur pœna ordinaria, niſi Judex, vel ejus Curia corpus delicti inſpexerit; at in cauſis Martyrum teſtes de viſu mortem illatam ſatis comprobant.

k de not. & ſign. ſanct. ſect. 11. c. 5.

l de Caniz. SS. par. 4. c. 1. n. 10. & ſeqq.

4 &c. His non obſtat, quod in his cauſis procedatur ex bono, & æquo, nullique inferatur præjudicium. Nam *in cap. Venerabili, de teſt.* ſtatutum eſt, ut ſuper vita, & miraculis examinentur teſtes æquali, immo majori diligentia, quam quæ in recipiendis teſtibus adhiberi ſolet, & Rotæ Auditores in relat. S. Andreæ Corſini adnotarunt, in his agi de præjudicio Eccleſiæ. Nec urget, quod, deficientibus teſtibus de viſu, de jure admittantur, ſaltem in factis antiquis, teſtes de auditu: hæc enim juris regula non congruit judi-

cio

cio criminali, multoque minus cauſis non neceſſario definiendis, uti ſunt cauſæ Beatificationis, & Canonizationis. Quod ſi dicatur, hodie in proceſſibus Apoſtolicis examinari teſtea de auditu ſuper virtutibus, & Martyrio, etiamſi cauſæ procedant per viam non cultus; iterum ſubditur, evidentes probationes in his eſſe neceſſarias, neque ſufficere præſumptivas. Non tamen abſolute rejiciendi ſunt teſtes de auditu, quia aut adminiculi vim habere poſſunt, aut etiam ſufficiunt, quando aliquid per teſtes de viſu probari nequit. In cauſa S. Joannis Franciſci Regis Congregatio rituum ex pluribus circumſtantiis cenſuit, ſatis probatam eſſe per teſtes de auditu ſanctitatem mortis, cum cauſa in aliis articulis inſtructa eſſet teſtibus de viſu, & ii, qui mortem ſpectaverant, ante proceſſum obiiſſent. Quapropter, ſi aliqui actus probentur per teſtes de auditu, quibus alii de publica voce, & fama concordent; nonnulla vero ſolum per teſtes de auditu probari poſſint, eo quod teſtes de viſu præmortui ſint, cauſa non eſt derelinquenda, neque prædicta inſuperabilem oppoſitionem ſuppeditabunt.

7. 8 In cauſis antiquis procedentibus per viam caſus excepti virtutes, aut Martyrium in ſpecie a teſtibus de auditu ab iis, qui viderunt, vel audiverunt, comprobanda ſunt, uti colligitur ex cauſis SS. Catharinæ de Bononia, Joannis Nepomuceni, & aliorum. Anteferendi tamen ſunt teſtes de viſu, ſi inveniri poſſint, ut contigit in cauſis S. Stanislai Koſtkæ, & B. Seraphini de Aſculo. Idem aſſerendum videtur, ſi declarato caſu excepto ex indultis Apoſtolicis paulo poſt obitum Servi Dei, teſtes de viſu haberi poſſent. Quod non facile eveniet, cum Sedes Apoſtolica cultum publicum hodie non indulgeat, niſi longe poſt obitum Servi Dei, & poſt approbatas virtutes, vel cultum immemorabilem.

9 &c. Nonnullæ cauſæ poſt decreta Urbani VIII. introductæ ſunt, in quibus non præceſſit declaratio caſus excepti, & in quibus proceſſus ſuper virtutibus, & Martyrio in ſpecie compilati fuerunt, ſine teſtibus de viſu, ſed ſolum teſtibus de auditu, præſertim ab iis, qui viderunt. Hujuſmodi ſunt cauſæ B. Hieronymi Æmiliani, & Ignatii Azevedi, ac ſociorum, quibus omnibus exhiberi cœpit publicus cultus, qui ſublatus tamen fuit, ſupervenientibus Urbani decretis, ideoque eorum cauſæ viam non cultus ingreſſæ ſunt: Sacra Congregatio tamen (a) aſſeruit, habendam eſſe rationem præcedentis cultus, & antiquitatis. Hic accenſentur cauſæ Servarum Dei Agnetis a Jeſu, & Joannæ Franciſcæ Fremiot de Chantal, in quibus, fatentibus Poſtulatoribus, non adeſſe teſtes de viſu, eadem Congregatio annuit ſignaturæ Commiſſionis.

(a) 18. Apr. 1693. & 5. Apr. 1704.

13 Contendunt Poſtulatores, virtutes, & Martyrium in ſpecie in hujuſmodi cauſis probari poſſe per teſtea de auditu, eo quod defectus teſtium de viſu ipſis non ſit imputandus, cum prævidere nequiverint remotionem cultus introducti: vel quia Congregatio reſpondens, habendam eſſe in diſcuſſione cauſæ rationem præcedentis cultus, & antiquitatis ſatis oſtendit, ſe a teſtibus de auditu non abhorrere: immo Poſtulatoribus defectum teſtium de viſu fatentibus, annuit ſignaturæ Commiſſionis, ideoque expeditæ fuerunt litteræ remiſſoriales, ut conficerentur proceſſus Apoſtolici.

14 Expedit ſane, ut quid agendum ſit, ſacra Congregatio reſpondeat. Interim aſſerendum videtur, in poſterum excludendas eſſe probationes ex teſtibus de auditu in cauſis procedentibus per viam non cultus, admittendas tamen in cauſis antiquis, & per viam caſus excepti: non eſſe in cauſis non cultus ſignandas Commiſſiones, niſi ſaltem in proceſſu ordinario adſint teſtes de viſu: in cauſis tamen introductis, & in quibus Pontifex, aut Congregatio dixit, habendam eſſe rationem præcedentis cultus, & antiquitatis, Conſultores, cæteroſque ſuffra-

gaturos, iis ponderatis, propitium, juxta conſcientiam, ferre poſſe ſuffragium, uti reſpondit Congregatio ordinaria (a) in cauſa B. Hyeronymi Æmiliani: & hoc etiam in cauſis valere, in quibus Congregatio, licet deficerent teſtes de viſu, annuit tamen ſignaturæ Commiſſionis, ideoque confectus fuit proceſſus Apoſtolicus ſuper virtutibus, aut Martyrio in ſpecie; dummodo in hoc, & in præcedenti caſu in ordinario proceſſu ſint teſtes de auditu ab iis, qui viderunt.

a 18. Apr. 1693.

15 Fundatur hæc opinio in cauſis SS. Bonaventuræ, Hyacinthi, & aliorum, quæ ob antiquitatem expeditæ fuerunt, probatis virtutibus per ſolos teſtes de auditu. Neque tamen proinde per teſtes dumtaxat de auditu expediri cauſas dici poterit, nam miracula per alios teſtes de viſu probanda remanent. Item nulla lex prohibet, ne virtutes, aut miracula in ſpecie aſſerantur a teſtibus de auditu, immo ex his declaratum fuit Martyrium Gorcomienſium.

16 Hoc exemplo uſi ſunt præfati Poſtulatores, ſed Benedictus XIV. tunc Fidei Promotor reponebat, cauſam Martyrum Gorcomienſium proceſſiſſe per viam caſus excepti. At vere ſic ſe res habuit: eorum Reliquiæ publicæ venerationi auctoritate dumtaxat Epiſcopali expoſitæ fuerant, & tolerari id poſſe, immo in eorum cauſa oſtenſum fuiſſe caſum exceptum, cenſuit Congregatio rituum (b), ſed ejus decretum Innocentius X. (c) non approbavit.

b 13. Novemb. 1621 & 3. Jul. 1648.

17 &c. Poſt hæc alius Fidei Promotor ſuper dubio virtutum Servæ Dei Joannæ Franciſcæ Fremiot de Chantal animadvertit, nullum conſtituendum eſſe momentum in Commiſſione ſignata, cum teſtes de viſu cauſæ deeſſent. Immerito tamen, cum Commiſſio ſignata prodeſſe poſſit, ut in ſimilibus cauſis teſtes de auditu ab iis, qui viderunt, admittantur una cum Hiſtoricis contemporaneis. Poſtulatores timentes, ne defectus teſtium de viſu retardaret favorabilem reſolutionem virtutum ejuſdem Servæ Dei, quas in Congregatione proponere meditabantur, petierunt a ſummo Pontifice, ut cogeretur particularis Congregatio, quæ perpenderet, an cauſa ulteriorem progreſſum habere poſſet. Rurſum deinde inſtiterunt, ut iſte articulus in Congregatione ordinaria expenderetur; his omnibus Pontifex annuit. Porro Poſtulatores uſi ſunt atteſtationibus SS. Franciſci Saleſii, & Vincentii a Paulo, ac quorumdam teſtium, qui in cauſa ejuſdem S. Franciſci virtutes Servæ Dei narraverant: addiderunt teſtes de auditu a videntibus, & hiſtorias de vita ejuſdem Servæ Dei. Oppoſuit Promotor Fidei defectum teſtium de viſu, allataſque probationes eſſe extrajudiciales. At Congregatio ordinaria reputans, teſtes de viſu deſiderari citra Poſtulatorum culpam, neque proinde ex hoc defectu omiſſam fuiſſe introductionem cauſæ; & præterea ex allatis documentis validiſſimum deſumi adminiculum pro teſtibus de auditu, cenſuit (d), procedendum eſſe ad ulteriora. Hoc oſtendit, quid in ſimilibus agendum ſit.

c 13. Jul. 1649.

d 16. Febr 1737.

23 Approbatæ pariter fuerunt virtutes B. Hieronymi Æmiliani (e), licet teſtes de viſu deeſſent: cum ſcilicet ſacra Congregatio, & ſummus Pontifex antea reſcripſiſſent cultum eidem exhibitum, etſi poſtea ſublatum, eſſe attendendum: ſed monumenta etiam contemporanea, & teſtes de auditu a videntibus ſuffragabantur.

e 25. Aug. 1737.

24 &c. In cauſa Servi Dei Franciſci Caraccioli, quæ per viam non cultus procedebat, Conſultores, & Cardinales approbarunt virtutes, etſi per teſtes dumtaxat de auditu probatas: & Benedictus XIV. (f) ad ulteriora deveniri poſſe declaravit. Per generale ſubinde decretum (g) confirmavit praxim admittendi probationes ſubſidiarias per teſtes de auditu ſuper dubio virtutum, aut Martyrii in cauſis procedentibus per viam cultus immemorabilis, aut caſus excepti; immo etiam in

f 23. Apr. 1741.

g 23. Apr. 1741.

Digitized by Google

In cauſis non cultus, ſi abſque Poſtulatorum culpa teſtes de viſu deſiderentur, & ſubſidiariæ probationes efficiant certas moralitee virtutes, aut Martyrium. Statuit præterea, ut in cauſis per viam cultus immemorabilis, aut indulti Apoſtolici quatuor oſtendantur miracula pro impetranda Canonizatione: in cauſis vero non cultus, ſi probatæ fuerint virtutes, aut Martyrium per teſtes de viſu duo miracula ſufficiant pro Beatificatione, & duo pro Canonizatione, at ſi probatæ fuerint per teſtes de auditu, quatuor pro Beatificatione, duo pro Canonizatione afferantur: addidit etiam miracula per teſtes de viſu ſemper probanda eſſe. In cauſa Servorum Dei Ignatii Azevedi, & Sociorum, quæ paritee viam non cultus tenet, declaravit (*a*), Martyrium, etſi ſubſidiariis ſolum probationibus niteretur, ita probari, ut ad ulteriora procedi poſſet, attentis cauſæ antiquitate, & publico cultu eiſdem exhibito ab eorum obitu uſque ad tempora Urbani VIII, quæ duo attendenda eſſe Clemens XI. jam antea (*b*) reſcripſerat.

a 21. Septembris 1742.

b 8. April. 1704.

CAPUT IV.

De ſententia Congregationis ſacrorum rituum, & de præſenti Sedis Apoſtolicæ praxi quoad teſtes de auditu, cum agitur de miraculis; & quoad teſtes ſingulares, quando agitur de virtutibus, aut de miraculis in cauſis Beatificationis, & Canonizationis.

1 &c. NEceſſaria eſſe miracula per teſtes oculatos probata pro obtinenda Canonizatione, reſpondit Urbanus II. Benedicto Abbati, petenti Canonizationem B. Gurleoſii, apud Chriſtianum Lupum (*c*), & alios. Concordat uſus ſacræ Congregationis, quæ ad probanda miracula teſtes oculatos ſemper exigit, & numquam teſtes de auditu admittit, teſte de Lauræa (*d*) olim ejuſdem Congregationis Conſultore, & Cardinali. Pluribus hæc confirmat Matthæuccius *in pract. Theologo-can. ad Beatif., & Canoniz.* (*e*). Ipſique Poſtulatores nonnumquam faſſi ſunt, latam eſſe legem de probandis per teſtes oculatos miraculis in cauſis tam per viam non cultus, quam per viam caſus excepti procedentibus.

c in Concil. provinc. & gener. to. 3. pag. 569. antiq. edit.

d in 3. ſent. to. 4. diſp. 30. art. 25. §. 4. n. 1119. & ſeqq.

e tit. 3. c. 5. §. 1. n. 19.

4. 5 In cauſis, quæ per viam non cultus procedunt, miracula perpenduntur facta ante Beatificationem, ſed pro Canonizatione obtinenda, diſcutiuntur, quæ poſt Beatificationem patrata ſunt. In cauſis vero per viam caſus excepti, examinantur, quæ indultam venerationem ſecuta ſunt. Unumquodque miraculum probandum eſſe per teſtes oculatos concordes, nec ſufficere probationem teſtium ſingularium, ideſt, ſi unus de uno, alius de alio miraculo deponat, ſentiunt Antonius a Butrio (*f*), Felinus (*g*), aliique Scriptores communitee. Idque etiamſi agatur de miraculis pro Canonizatione obtinenda allatis. Favet praxis Congregationis rituum, quæ probationem miraculorum a teſtibus ſingularibus provenientem ſemper reſpuit. Miracula igitur per hos teſtes probata ornatui cauſæ, non judicio deſervire poterunt, ut indicant Auditores Rotæ in prima relatione miraculorum S. Tereſiæ.

f in cap. Cum opoeteat ſub. n. 20. de accuſ.

g in cap. Licet ex quadam ſub n. 2. de teſt. & atteſt.

6. 7 Virtutum quoque actus per eoſdem teſtes concordes probandi ſunt, nec ſatis probant teſtes ſingulares, etiam ſingularitate adminiculativa. Cauſæ enim Beatificationis, & Canonizationis, quoad probationes, æquiparantur criminalibus, in quibus teſtes ſingulares ſemiplene dumtaxat probant, ut explicant Raynaldus (*h*), Card. Albitius (*i*), aliique. Accedit praxis ſacræ Congregationis: aliquando enim opponente Fidei Promotore, virtutes, aut Martyrium probari per teſtes ſingulares, Poſtulatores elenchum teſtium eoſdem virtutis actus conteſtantium deſcribere coacti ſunt; probatio vero teſtium ſingularium adminiculo tantum fuit.

h in ſuppl. oper. crim. ſuppl. 7. ad c. 32. dub. 3.

i de inconſt. in Fid. c. 15. n. 8. & ſeqq.

8 &c. His poſitis, relationes Au-

ditorum Rotæ, quæ adverſari videntur, explicari poſſunt de teſtibus ſingularibus circa actus determinatæ virtutis, cujus alii actus a teſtibus concordibus perſpicui fiant. Quoad relationes admittentes miracula a teſtibus ſingularibus probata, notandum eſt primo, in iis fere ſemper miracula inveniri a teſtibus convenientibus probata: ſecundo, non prodeſſe, ſi quid in relationibus Rotalibus adſtruatur, niſi a Congregatione admiſſum, & a Pontifice confirmatum ſit. Enim vero in cauſis SS. Caroli, Eliſabethæ, & aliorum, Rota miracula quædam, & virtutes approbaverat, quorum tamen nonnulla ſacra Congregatio reſpuit, alia prætermiſit, quædam autem a Rota omiſſa, poſtea approbavit.

CAPUT V.

De numero teſtium in cauſis Beatificationis, & Canonizationis adhibendorum.

1 &c. DUobus, vel tribus teſtibus concordibus de proprio ſenſu deponentibus, non uno tantum teſte, aliquid ſufficienter probari, indicant ſacræ literæ Deuteron. 17., & alibi. Conveniunt jura Eccleſiaſtica, & ſæcularia. Alexander III. *in cap. Relatum*, valida ſtatuit teſtamenta ad pias cauſas condita coram duobus teſtibus. *In cap. cum eſſes* valida quoque eſſe voluit, quæ non eſſent ad pias cauſas, ſi coram Parocho, & duobus teſtibus facta ſint. *In cap. Veniens* 1. *de teſt.* edicit, ne unius teſtimonio quiſquam condemnetur. Similia habentur *in l. Jurisjurandi*, *C. de teſt.*, & alibi. Sed cum in quibuſdam cauſis plures, quam duo teſtes requirantur, ut indicat idem Alexander *in cap. Licet* 1. *de teſt.*, & cum nonnulli cauſarum articuli, immo fortaſſe quædam cauſæ unius dumtaxat teſtimonio abſolvi poſſint, videndum eſt, an prædicta ſubſiſtant, & cauſis Beatificationis, & Canonizationis conveniant.

4 &c. Canones *Præſul.*, & *Nullam 2. quæſt.* 5. ingentem teſtium numerum exigunt ad damnandum Præſulem, vel Cardinalem. In Synodo Sinveſſana ſeptuaginta duo adhibiti ſunt in cauſa Marcellini Papæ. Concilium Troslejanum (*a*) ſeptem, aut plures teſtes requirit in accuſatione Presbyterorum. Centum adhiberi voluit Clemens IV. (*b*) in cauſa Epiſcopi Toloſani. Hos tamen Canones 2. *quæſt.* 5. explicari poſſe de teſtibus vitæ non probatæ, qui accuſent Præſules, monet Gratianus (*c*). Synodum Sinueſſanam commentitiam eſſe, oſtendit Card. Noriſius (*d*). Præceptum veteris Legis de duobus, vel tribus teſtibus erat judiciale, quod morte Chriſti deſiit, nec amplius obligat, niſi a poteſtatem habente inſtauretur. Quod ſpectat ad Decretales Alexandri III, *cap. Relatum* reſpicit dumtaxat teſtamenta ad pias cauſas, adeoque non efficit, ut omne negotium Eccleſiaſticum duobus, vel tribus teſtibus abſolvi poſſit, & debeat. Quod neque evincit aliud *cap. Cum eſſes*. Nam etſi apud Fagnanum (*e*), & alios, comprehendat quæcumque teſtamenta ubique condita: tamen præter alia, quæ notat Covarruvias (*f*), Alexander illam legem tulit pro ſuis dumtaxat in utroque Foro ſubditis, adeoque voluit, ut in terris Romanæ Eccleſiæ ſubjectis Canonum conſuetudo obſervaretur. Quare nunc non ſolum in locis Romano Pontifici non ſubjectis, ſed etiam in Urbe, ejuſque diſtrictu ſeptem teſtes, ut jus Civile ſtatuit, requiruntur ad validitatem teſtamenti, quod ad pias cauſas non ſit factum.

9 Hinc colligitur, nullam adhuc latam eſſe legem, ut unumquodque negotium duobus teſtibus abſolvi poſſit, & debeat, cum in quibuſdam caſibus amplior numerus requiratur, in aliis in jure expreſſis unicus teſtis ſufficiat. Regula ergo eſt, ne unius teſtimonio negotium expediatur; quæ tamen regula plures patitur limitationes apud Specul. (*g*), Farinac. (*h*), & alios.

a cap. 9. (to. 6. par. 1. collect. Hard. col. 531.

b in epiſt 326.

c to. 4. diſcept. 738.

d in hiſt. Donat. par. 2. oper. to. 4. col. 128. & ſeq.

e in idem ca n. 68. & in cap. Relatum n. 4.

f to. 1. oper. in cap. Cum eſſes 10., ſub n. 2.

g in tit. de teſt. n. 3.

h de teſt. quæſt. 63. n. 26.

10. 11 Quod

10. 11 Quod ſpectat ad Canonizationis cauſas, Caſtellan. (*a*) Contelor. (*b*), & alii ad eas extendunt regulam de legitima, & ſufficienti duorum teſtium probatione. Actus itaque virtutis, & Martyrium duobus teſtibus de viſu, vel de proprio auditu, ſi res pertineat ad ſenſum auditus, dummodo ſint conteſtes, ſufficienter probantur. Idem dicendum de miraculis, ſi duo teſtes utrumque extremum, e. g. mortem, & reſuſcitationem probent, ut aſſeruerunt Auditores Rotæ in relat. SS. Franciſci Xaverii, & Franciſcæ Romanæ. Nec ſufficit, quod unus teſtis de uno, alius de altero extremo teſtimonium reddat, ut bene innuit Card. de Lauræa (*c*), cum ſtatus prior idem non ſit neque per unionem, neque per aggregationem cum poſteriori. Quod ſi duo teſtes concordes primum extremum aſſerant, & duo ſecundum, ſatis probant miraculum ſecundi, non tertii generis.

a de Canoniz. SS. q. 7. n. 105.

b tract. eod. c. 18. n. 3.

c in 3. ſent. to. 4. diſp. 20. art. 25. de mir. §. 2. n. 1079. & ſeqq.

12 &c. His opponere conſueverunt Fidei Promotores, non ſatis conſtare de miraculis, & Martyrio, niſi alii teſtes, ſaltem de auditu addantur. Hæc oppoſitio difficulter excitari poteſt in dubio virtutum, niſi Poſtulatores vim magnam in aliquo ſpeciali actu conſtituant. Matthæuccius igitur (*d*) tutius eſſe ait, ſi de Martyrio alii teſtes addantur, vel ſaltem ratio reddatur, cur alii deſiderentur. Card. de Lauræa (*e*) id ipſum docet de miraculis, dum in Judicio Beatificationis, & Canonizationis probanda aſſumuntur: addit hanc eſſe praxim Congregationis rituum, cui favet doctrina D. Thomæ (*f*). Sane in cauſa S. Stanislai Koſtkæ Clemens XI. quoddam miraculum non approbavit, niſi poſtquam Poſtulatores demonſtrarunt, cur non alii, præter duos teſtes, ſuper eo examinari potuerint.

d tit. 4. c. 2. n. 9.

e loc. cit. n. 1083.

f 2. 2. q. 70. ar. 2.

15 Inquirendum ſupereſt, an aliqua unius teſtimonio probari poſſint. Nonnumquam examinantur miracula ſanationum, in quibus ſanati referunt, Dei Servum, vel Beatum ſibi apparuiſſe, & hæc apparitio dicto tantum illius, cui facta eſt, probari poteſt. Sæpe Congregatio rituum hæc miracula approbavit, nulla apparitionis facta mentione, itaut inducta videatur praxis prætermittendi in his eventibus apparitiones: ſed de his probandis alibi diſſeretur.

16 &c. Neceſſe eſt inſuper, ut miraculum probetur patratum interceſſione Servi Dei, de cujus Beatificatione, aut Canonizatione agitur. Cumque interceſſio, teſte Caſtellano (*g*), probetur per invocationem, quæritur quomodo hæc oſtendi poſſit. Invocatio fieri poteſt, vel ab eo, qui ſanitatem recipit, ut a leproſo *Matth.* 8., vel ab alio pro ægrotante, qualis fuit invocatio Reguli pro filio. *Joan.* 4., & aliorum alibi. Quomodocumque fiat, ſolo teſtimonio invocantis comprobatur, ut oſtendunt Card. de Lauræa (*h*), & Matthæuccius (*i*). Si invocans moriatur, antequam fiat proceſſus ſuper miraculis, invocatio oſtendenda eſt per duos teſtes concordes, aſſerentes, ſe audiviſſe invocantem, cum invocaret, vel eumdem de invocatione teſtantem. Teſtibus deficientibus, probari poteſt ex votiva tabella, delata ab invocante ad altare Beati, aut ex alia voti ſolutione. In relat. cauſæ S. Caroli Borrom. infans propriam invocationem teſtatus dicitur, ſed duo teſtes additi ſunt, qui eumdem invocantem audiverunt. In relat. cauſæ B. Hieronymi Æmiliani approbatur ejus invocatio ex dictis teſtium, & ex antiqua tabella, ad Altare B. Virginis, quam invocaverat, appenſa, & manu ejuſdem inſcripta.

g de Can. SS. q. 7. in

h cit. diſp. 20. ar. 25. §. 3. n. 1109.

i cit. oper. tit. 3. c. 44. n. 18.

CAPUT VI.

De qualitate teſtium in cauſis Beatificationis, & Canonizationis adhibendorum.

1. 2 NON ſolum teſtes plurimi, ſed fide etiam omnino digni in univerſo Beatificationis, & Ca-

Canonizstionis judicio excipiendi ſunt, ne Hæretici illud irrideant. Quapropter ne dum Judices remiſſoriales epiſtolam ſacræ Congregationi ſcribere debent de fide teſtibus habenda, ſed etiam Promotoris Fidei, Conſultorum, & Cardinalium diligentis præcipuo in hoc verſari debet. Teſtes vero, qui in aliis cauſis repelli ſolent, multo magis ab his ſunt repellendi.

a 2.2.q.70. art.3.

b controv. l.7.declam. 5.

3 S. Thomas (a) infirmum vocat puerorum teſtimonium: magni autem feeit Seneca (b). Verum minor quatuordecim annis in his cauſis teſtem agere nequit. Adulti teſtimonium de his, quæ in pupillari ætate, ſi ejus intelligentiam non excedant, vidit, admittendum erit tamquam adminiculum, uti colligitur ex relat. cauſæ S. Raymundi.

c de dilat. Canoniz. pag.106.

d l. Ex eo ff, de teſt. & l. Qui teſtamento §. Muller, ff. de teſtam.

e Can. Ex eo 15. q.3.

f de Can. SS. part.4. c.17. n.12.

g direct. Canon. par 2. cap.7.

h de teſt. q.59. n.26. & ſeqq.

4 &c. Feminæ in criminalibus teſtimonium ferre nequeunt *ex cap. Quoniam*, & alibi, adeoque a cauſis Beatificationis, & Canonizationis repellit Caſtellinus (c). Nihilominus cum jus Civile (d), & Canonicum (e) ſæpe admittat feminæ teſtimonium, proinde excludendum non eſt a cauſis Sanctorum, ſi tamen ſit honeſta mulier, nullamque, præter ſexus, patiatur exceptionem, & ſi de facto, ſenſuque proprio deponat, ſitque firmi judicii, ac ſufficientis cognitionis, uti doeent Matta (f), Ceparius (g), & alii: Et merito. Si enim fæmina invocato Dei Servo, hujus intereeſſione, ſanitatem obtinuerit: ſi ejus Martyrio adfuerit: ſi multos Chriſtianæ Caritatis actus ab eo experta ſit, cur de his teſtimonium dicere nequeat, præcipue ſi dictis virorum confirmetur, quod etiam in criminalibus admittit Farinaccius (h)? Itaque de puro facto, ejuſque circumſtantiis teſtimonium mulieris non videtur rejiciendum.

i in addit. ad tract. de Exec. litt. Apoſtol. n. 125. & ſeqq.

k tit.5. c.2. n.17.

8 Paupertas fidem teſti non adimit, ideoque pauperum teſtimonium, ſi ſint honeſtæ vitæ, admittunt Roſa (i), Matthæuecius (k), & alii. Si pauper ſpe lucri de miraculis teſtimonium ferat, animadverſionibus Promotoris Fidei, & examine Congregationis fraus detegetur. Præterea unico teſti non defertur, ſed plures requiruntur, Medicuſque utplurimum examini ſubjicitur.

l de Can. SS. c. 6.

m in diar. mss.

9. 10 Sueeedunt, qui affectione aliqua in Dei Servos feruntur, de quibus Rocca (l), & Paris de Craſſis (m). Poſtulator itaque, Advocatus, & Procurator cauſæ Beatificationis, & Canonizationis in teſtes non ſunt admittendi, uti deſumitur ex deereto Congregationis rituum in cauſa B. Bernardini de Feltro. Si, dimiſſo officio, examinentur, adminieulum ſuppeditare poterunt.

11 Miraculoſe ſanatus ad ſanitatem obtentam, ejuſque circumſtantias atteſtandas admittitur, adeout miraculum ſatis probetur, juxta relat. S. Franciſci Xaverii, & aliorum, ſi teſtimonium ſanati alius teſtis comprobet: id tamen in iis caſibus, in quibus alii teſtes examinari nequiverint, ut contigit in cauſa S. Stanislai. Nec obſtat ſanati affectio erga Dei Servum, vel Beatum propter acceptum beneficium, cum præſumi nequeat, teſtes ex ſolo piæ mentis affectu rem, prout eſt, non eſſe relaturos.

12. Conſanguinei, & affines ejus, qui ſanitatem obtinuit, de miraculoſa ſanatione teſtimonium reddere poſſunt. Judæi ſane de modo, quo cæcus natus a Chriſto illuminatus eſt, teſtimonium parentum exquiſierunt *Joan.9.* : & in criminalibus conſanguinei, & affines ad detegendam rei innocentiam aliquando non repelluntur a teſtimonio ferendo. SS. Laurentii Juſtiniani, & Franciſci Saleſii vitas nepotes ſcripſerunt, earumque habita eſt ratio in cauſarum diſcuſſione. Idem de familiaribus eruitur ex relat. cauſæ S. Pii V. Horum igitur omnium in his cauſis teſtimonium non eſt rejiciendum, niſi alias patiantur exceptiones, & niſi amore conjunctionis a veritate aberrent, ut innuit Pius II. in bulla Canoniz. S. Catharinæ Senen. (n) Nam & Bonifacius IX. admiſit teſtimonium filiæ S. Birgittæ

n pag.183. in cod. Canoniz.

Digitized by Google

gittæ ad probanda miracula matris, teſte Pavino in relat. cauſæ S. Bonaventuræ (a): & Pritanius (b) bene caſtigat Phereponum hæreticum, qui S. Auguſtinum accuſat, quod S. Monicam matrem laudaverit.

a par. 2. ar. 4.
b de ingen. moder. l. 3. c. 17.

13 &c. Religioſos ejuſdem inſtituti, cujus fuerunt Servi Dei, teſtes agere poſſe pro eorum Beatificatione, aut Canonizatione, inſtar teſtium univerſitatis in ejuſdem cauſa, oſtendit Ceparius *in direct. Canoniz.* (c), cui inter alios conſentiunt Auditores Rotæ in relat. cauſ. SS. Jacobi de Marchia, Hyacinthi, & aliorum. At in relat. cauſæ S. Andreæ Corſini addiderunt, liberum eſſe Judici, aliquid minus illorum depoſitioni tribuere propter præſumptam affectionem. Quod & in pluribus cauſis oppoſuerunt Promotores Fidei. Revera tamen Religioſi idonei ſunt ad probandam Servorum Dei regularem obſervantiam, ut indicat Bordonus (d): Quinimmo Matthæuccius (e) neceſſarios exiſtimat. Delegati in cauſa S. Joannis Franciſci Regis Societatis Jeſu renuerunt examini ſubjicere Patres Societatis, ut in epiſtolis ad Clementem XI. expoſuit Archiepiſcopus Viennenſis unus ex Delegatis. In dubio virtutum oppoſuit Promotor Fidei defectum teſtium ſuper regulari obſervantia; ſed hanc Poſtulatores perſpicuam reddiderunt ex dictis teſtium in proceſſibus examinatorum: ex epiſtola Encyclica, ſcripta a Rectore Collegii paulo poſt obitum Sancti: ex Menologio Societatis: & ex epiſtolis, quas Rectores, & Conſultores Collegiorum ad *Generalem* quotannis ſcribere ſolent.

c part. 2. c. 7.
d de mir. medit. 32. n. 28.
e cit. 5. c. 2. n. 22.

17. 18 Poſtulatores igitur utantur teſtibus Religioſis ad probandam regularem obſervantiam Servorum Dei: nec præſumpta affectio fidem detrahit Religioſis, cum obſervantia aliter probari nequeat. De hac, cæteriſque intra clauſtra effectis idem quoad Moniales inſinuant Cepar. (f), Matta (g), & Bordon. (h) In reliquis, quæ exteris innotuerunt, curent Poſtulatores, ut teſtibus Religioſis extranei addantur ad avertendum omnino vitium affectionis, uti de teſtibus Univerſitatis monent Doctores, & colligitur ex cauſa S. Camilli de Lellis. Religioſos teſtimonium perhibuiſſe de Sanctis ejuſdem Ordinis, conſtat ex cauſis SS. Bonaventuræ, Franciſci de Paula, & Philippi Nerii. Immo Hiſtorici Regulares fide digni, qui virtutes Servorum Dei Ordinis ejuſdem retulerunt, probationem, & adminiculum conſtituunt, ut contigit in cauſis S. Hyacinthi, B. Seraphini, & aliorum.

f cit. direct. c. 7. n. 2.
g cit. oper. par. 4. c. 17. n. 12.
h loc. cit. n. 32.

CAPUT VII.

De Confeſſariis, & Medicis, quorum atteſtationes excipiuntur in judicio Beatificationis, & Canonizationis, & de nonnullis aliis rebus ad teſtes pertinentibus.

1 Confeſſarius prohibetur revelare, quæ in Confeſſione audivit, & quorum detectio Confeſſionem redderet odioſam, niſi Pœnitentes permittant. Virtutes vero, revelationes, & ſimiles gratiæ ſub ſigillo ſacramentali, juxta veriorem ſententiam, non comprehenduntur, niſi ad melius declarandum peccatum exponantur, ideoque paſſim poſt Pœnitentium obitum pateſiunt.

2 &c. In cauſa Beatificationis, aliquando Confeſſarii teſtimonium reddunt de puritate conſcientiæ Servorum Dei, de revelationibus, & ſimilibus. Gerſon (i) adhærere videtur ſententiæ, qua his teſtibus fides detrahitur. Benedictus XIV, cum Fidei Promotorem ageret, hujuſmodi atteſtationes aſſerebat inſufficientes, ſi producerentur, neceſſarias, ſi deeſſent. Uti Conſultor ſacræ Congregationis non neceſſarias, ſed valde utiles exiſtimabat. Non neceſſarias, cum nulla lex eas exigat: interna, & occulta ex miraculis dignoſcantur, ut dicitur in bull. Canoniz. S. Franciſci de Aſſiſ., & plures cauſæ ſine iis expeditæ ſint. Utiles.

i to. 1. oper. tract. de exam. doct. par. 2. conſid. 3. col. 16.

les: tum quia ex his plura deſumi poſſunt, quæ recto de virtutibus judicio faveant, tum quia concors eſt praxis Sedis Apoſtolicæ apud Ceparium (*a*), & alios, & hanc utilitatem admiſerunt Auditores Rotæ in pluribus relationibus. B. Gregorius X, cum introducenda eſſet cauſa Canoniz. S. Ludovici Galliæ Regis, ab hujus Confeſſario exegit ſecretam relationem vitæ, quam Rex in occulto duxerat. Id tamen intelligendum eſt de iis, quæ Confeſſarius extra Confeſſionem noverat: Quamquam juxta doctrinam D. Thomæ (*b*). Confeſſarius, urgente neceſſitate, revelare poteſt, quæ ex confeſſione Sacramentali novit, dummodo ea etiam extra Confeſſionem compererit, nulla tamen Confeſſionis facta mentione. Sed quidquid ſit de exemplo S. Ludovici, bullæ Canoniz. SS. Homoboni, Petri Martyris, & Thomæ Aquinatis ſummopere extollunt Confeſſorum atteſtationes. Demum in cauſis SS. Catharinæ Senenſis, Franciſcæ Romanæ, & aliorum plurimum in dubio virtutum Confeſſariis delatum eſt: in cauſa vero S. Margaritæ de Cortona magnum ejus vita, a Confeſſario ſcripta, momentum obtinuit.

a cir. oper. par. 2. ar. 7. n. 4.

b in 4. ſent. diſt. 21. q. 3. ar. 3. & in ſuppl. q. 11. ar. 5.

7 Nonnulla ſuperſunt addenda de teſtibus, qui affectione inimicitiæ anguntur. *In can. Si Hæreticus*, Infidelis, aut Hæreticus pro Catholico teſtari poteſt, ideoque etiam in cauſis Beatificationis, & Canonizationis, quod utplurimum contingit in cauſis Martyrum, in quibus ſane ſacra Congregatio ſæpe plurimi fecit teſtimonia Heterodoxorum, & Infidelium pro Martyrio declarando.

8. 9 Nonnulli opinantur, Medicos adverſari miraculis. Utile tamen eſt, examinare Medicos, & Chirurgos, qui infirmos, miraculoſe ſanatos, curarunt: nonnumquam, deficiente hoc examine, miracula rejecta ſunt. Neceſſarium proinde, ne dum utile hoc examen videtur: etſi enim nonnulli cum Contelorio (*c*) putent, miraculum ſanationis approbari poſſe ex Medicorum, vel Chirurgorum depoſitione, qui nec miraculo, nec ægroto adfuerunt: nihilominus cum juxta Gaſparem Rejes (*d*), alioſque Medicus abſens vix tutum de morbo judicium, aut conſilium præſtare poſſit, caute admodum hujuſmodi miracula approbanda ſunt, ſi deſit teſtimonium Medici, qui infirmum curavit. Ad ſummum illa admitti poſſent, ſi reliqui teſtes qualitates morbi clare aſſererent, medicamina adhibita exprimerent, ac antecedentem deſperatum ſtatum, ſubitamque ſanationem ad Beati invocationem teſtarentur.

c c. 18. n. 12.

d in jucund quæſt. Elyſ. camp. q. 10.

10. 11 Ad felicem cauſarum Beatificationis, & Canonizationis exitum curent Poſtulatores, ut ſemper examinentur viri fide digni. Conſultores ſerio advertant oppoſitiones Promotoris Fidei circa teſtium contradictionem. Interdum neceſſaria eſt teſtium diſcordia non in ſubſtantialibus, ſed in accidentalibus: concordia in omnibus fidem minuit, non conciliat ex D. Thoma (e). Contradictio in ſubſtantialibus fidem tollit, uti adnotarunt Auditores Rotæ in relat. SS. Franciſcæ Rom., Pii V., & aliorum. Non ſunt contrarii teſtes, ſi quod unus referat, alius omittat; ſed ſi unus affirmet, quod alius negat. Demum ſi unius teſtis dictum a Poſtulatoribus allatum horum intentioni adverſetur, & Conſultores agnoverint aliorum dicta prævalere, his, non illi deferendum eſſe concludit Farinaccius (*f*).

e 2. 2. q. 70. ar. 2. ad 2.

f de teſt. q. 62. n. 252. & ſeqq.

CAPUT VIII.

De hiſtoriis, quam ſcilicet probationem conſtituant in judicio Beatificationis, & Canonizationis.

1 &c. AN, & quæ fides hiſtoriis præſtanda ſit, non una eſt Auctorum ſententia. In cauſis Beatificationis, & Canonizationis regula generalis eſt, ut miracula per ſolas hiſtorias, & chronica numquam probari poſſit, etiamſi duo Hiſtorici ſe vi-

ſe vidiſſe miraculum jurejurando teſtentur. Oportet enim, ut teſtes nedum miracula de viſu unanimiter referant, ſed etiam interrogentur, & reſpondeant juxta Fidei Promotoris interrogatoria. In cauſis procedentibus per viam caſus excepti, & in cauſis antiquis per viam non cultus, in quibus ob antiquitatem teſtes de viſu haberi non potuerunt, adeoque locum obtinent probationes ſubſidiariæ, virtutes, & Martyrium juxta Sedis Apoſtolicæ praxim ſatis probantur ex hiſtoricis monumentis, ſi his teſtes de auditu, ac de publica voce, & fama addantur; Sedes enim Apoſtolica mittit literas remiſſoriales, & compulſoriales, ut teſtes de auditu examinentur, & hiſtoriæ in proceſſum inſerantur. Majorem fidem merentur diplomata, quam Hiſtorici: hi vero, & teſtes de auditu æqualem probationem efficiunt, dummodo teſtes cauſam ſcientiæ reponant in continuata fama, quam a Majoribus fide dignis accepere. Si in hiſtoriis reponant, conſtituent adminiculum, aut inferiorem probationem, adeoque Hiſtorici magis probabunt. Demum conſentiunt omnes, quod Hiſtorici fide digni, ac teſtibus de viſu concordes validum adminiculum ſuppeditant ad probanda miracula, virtutes, & Martyrium in cauſis procedentibus per viam non cultus, & directas probationes exigentibus. Conſuevit enim ſacra Congregatio expedire literas compulſoriales ad inſerendas in proceſſum hiſtorias.

7 In legendis, & admittendis Hiſtoricis ad vim probationis, vel adminiculi ſingulari delectu opus eſſe monet Bodinus (*a*) Nonnulli enim apud Gevvaldum (*b*) res geſtas Sanctorum referunt, quas a veris fontibus non hauſerunt de quibus conqueruntur Canus (*c*), & Ludovicus Vives (*d*).

8 Quatuor ſunt Hiſtoricorum gradus. Primus eorum, qui viſa referunt: Secundus narrantium, quæ a videntibus acceperunt: Tertius ſcribentium, quæ audiverunt ab iis, quibus videntes narraverant: Quartus eorum, qui monumenta, quæ edunt, ex hiſtoriis collegerunt. *Hi omnes*, inquit Bollandus (*e*), *fidem merentur, ſi boni prudentes*, & ſinceri ſint. Addit, ſe non reſpuere omnino alios Scriptores, qui hiſtorias Sanctorum ex fama a Majoribus accepta, aut ex monumentis non ſatis certis collecta adornarunt.

a de methodo. hiſt. c.4.

b de Septemvir. ſive de Elect. c. 7. n. 2.

c l. 11. c. 6. pag. 317.

d l. 2. de cauſ. corrupt. art. pag. 371.

e in præf. gen. in vit. SS. tom. 1. Jan. c. 3. §. 1.

9 &c. Primum fidei, & auctoritatis pondus Hiſtoricis primi, & ſecundi generis, ſi probi, ac fide digni fuerint, tribuunt Theodoretus (*f*), Baronius (*g*), ac præter alios S. Maruthas Epiſcopus Tagritenſis in hiſtoria Martyrum ſub Sapore (*h*). *Probitas tamen*, ait Canus, *ex ſcriptis ipſis, ſed præcipue ex fama, & frequenti præteritorum hominum teſtimonio cognoſcetur*. Talem non eſſe Hiſtoricum ſtudio partium occupatum, affirmant Bollandus cit., & alii. Subdit Mabillonius (*i*) Hiſtoricum non contemporaneum præferri contemporaneo, ſi hic negligens, rerum inſcius, & commodi ſpe ſcripſerit. Adeoque plura in Scriptoribus attendenda eſſe monet Boſius (*k*). Plus tamen deferendum eſt primis, quam ſecundis, minus autem Hiſtoricis tertii gradus. Scriptorum quarti gradus tanta erit auctoritas, quanta eorum, a quibus hiſtorias hauſerunt. Huc ſpectat illud Baronii in appar. ad annal. *quod in recentiore Auctore de rebus antiquis ſine alicujus vetuſtioris teſtimonio profertur, contemnitur*, idque locum habet, etiamſi plures ſint Hiſtorici quarti gradus, & factum narratum ad tempora adeo remota non pertineat. Quare Conringius (*l*), & Maſſonus (*m*) Hiſtoricos, ætati rerum geſtarum propiores antefecerunt. Omittitur Hiſtoricorum gradus a Bollando additus, quia ad rem hanc vim concludentis probationis non habent.

12 &c. In cauſis procedentibus per viam non cultus, & exigentibus teſtes de viſu conteſtes, Hiſtorici quicumque adminiculum dumtaxat pro virtutibus, aut Martyrio ſuppeditant,

f in præf. hiſt. SS. PP.

g ad an. 34. n. 173.

h to. 1. Bibl. Orient.

i de ſtud. Mon. par. 2. c. 8. n. 2.

k in introd. ad notit. Scrip. Eccleſ. c. 5. n. 21.

l to. 1. pag. 677.

m inter Script. Hiſt. Franc. apud du Cheſne tom. 1. in hiſt. calam. Gall.

ut innuit Scacchus (*a*), & eruitur ex praxi ſacræ Congregationis. In cauſis per viam caſus excepti, vel in quibus antiquitas locum præbet teſtibus de auditu, & probationibus ſubſidiariis, Hiſtorici primi, & ſecundi gradus, probi, prudentes, ac fide digni vim probationis obtinent. Quapropter virtutes in cauſis SS. Joannis de Capiſtrano, Catharinæ de Bononia, Peregrini Latioſi, Agnetis de Monte Politiano, & Julianæ de Falconeriis, Martyrium in cauſa S. Joannis Nepomuceni admiſſo caſu excepto a decretis Urbani VIII, approbationem obtinuerunt ex teſtibus, de auditu, probatiſque primi, & ſecundi gradus, aliiſque ſequioris ævi, ſed fide dignis Hiſtoricis. Idem contigit in cauſis S. Catharinæ Januenſis, & B. Joannis Cantii, quæ pariter per viam caſus excepti procedebant: nec non in cauſis B. Hieronymi Æmiliani, Franciſci Caraccioli, & Martyrum Ignatii Azevedi, ac ſociorum, licet viam non cultus tenerent, cum antiquitas, aliæque circumſtantiæ teſtibus de auditu, ac probationibus ſubſidiariis locum darent.

a de not. & ſign. ſanct. ſect. 1. c. 6. pag. 882.

21 Canonizationes SS. Chunegundis, Virgilii Archiepiſcopi Salisburgenſis, & aliorum olim peractæ ſunt, approbatis virtutibus per teſtes de auditu, & per Hiſtoricos non coævos. At nunc ſi Poſtulatores, approbato caſu excepto, Canonizationi obtinendæ ſtudeant, ſedulo advertant, an Hiſtorici primi generis cauſæ ſuffragentur: *his* enim deficientibus, conſultius ab ulteriori opere abſtinendum videtur.

CAPUT IX.

In quo nonnullæ explicantur, & reſolvuntur controverſiæ ad eamdem hiſtoriarum materiam pertinentes.

1 Hiſtoria de virtutibus, & Martyrio alicujus Servi Dei; numquam typis impreſſa, vim probationis, aut adminiculi, juxta regulas in ſuperiori capite recenſitas, habere poteſt in Judicio Beatificationis, & Canonizationis, ſi Majores genuinam, & integram agnoverint. Si ſub ſilentio prætermiſerint, non eſt contemnenda, ſed juxta alibi dicta expendetur, an, & quale auctoritatis pondus mereatur. Multa enim adhuc latent manuſcripta, quæ, teſte Auctore ſupplementi ad opus Card. Bellarmini de Script. Eccleſiaſt. (*b*), lucem merentur. Enimvero, ſi manuſcripta diu in archivis, & bibliothecis latitantia rejicerentur, operam perdidiſſent recentiores eruditi, qui tot, ac tanta ediderunt.

b in præf.

2 Opus anonymum auctoritate carere videtur *ex can. Sancta Romana diſt. 15.*, ubi Gelaſius I. affirmat, Acta Martyrum in Eccleſia Romana non legi, ſi Scriptorum nomina ignorentur. Verumtamen de hujus decreti ſinceritate diſputant eruditi. Quidquid tamen ſit, ex eo non infertur, anonymas Martyrum, & Confeſſorum hiſtorias parvipendendas eſſe in cauſis Beatificationis, & Canonizationis, quia Gelaſius loquitur de Actis compoſitis, vel interpolatis ab Infidelibus, ſubdens, legi in Urbe, & extra Urbem hiſtoriam S. Silveſtri, licet ignotum ſit nomen Scriptoris. Profecto cum in Congregatione rituum ageretur de virtutibus S. Julianæ de Falconeriis, & B. Joannis Cantii, ac de Martyrio S. Joannis Nepomuceni, nil profecerunt Promotores Fidei opponentes, præſtandam non eſſe fidem monumentis coævis, cum ignota eſſent Auctorum nomina, vindicarunt enim Poſtulatores monumentorum ſinceritatem.

3 Succedunt Hiſtorici, qui in Sanctorum vitas, aut in Paſſiones Martyrum conciones a ſe confictas inſeruerunt. Hæ, & ſimilia encomium potius, quam hiſtoriam redolent, quæ, teſte Luciano (*c*), maximopere diſtant inter ſe. Simeon Metaphraſtes vitas Sanctorum collegit. Centum viginti duas, dumtaxat eſſe genuinos illius fœtus, cæteras vero ſuppoſititias eſſe oſtendit

c to. 2. oper. de modo ſcrib. hiſt. pag. 9.

Leo

Digitized by Google

Leo Allatius (*a*). Multa de ſuo addidiſſe Metaphraſten tradit Bellarminus (*b*), quem ſequuntur Aubertus Miræus (*c*), Ruinart (*d*), & Baillet (*e*). Sed pro illo pugnant Bollandus (*f*), Cave Heterodoxus (*g*), & Honoratus a S. Maria (*h*). Non eſt tamen adimenda Scriptoribus auctoritas ex hac ſola ratione, quod in ſuas hiſtorias orationes, tamquam a Sauctis prolatas inſeruerint. Laudantur Hiſtoriei Gentium apud Famianum Strada (*i*), qui interponunt opportune orationes, & hortationes tamquam a Ducibus factas ad milites, imminente pugna, quin hiſtorica veritas detrimentum ullum patiatur.

4 Nec ſunt rejiciendæ hiſtoriæ Sanctorum, unum, aut alterum errorem continentes, uti monet Baronius in adnot. ad Martyrol. (*k*) Cum eo conſentit Bolland. (*l*), etiamſi error ſit circa loca, aut tempora, aut hiſtoria alteri antiquæ hiſtoriæ non congruat. Idem docet Mabillonius (*m*).

5 Si Hiſtorici inter ſe diſſentiant, uti ſunt plures profani, putat Honoratus cit. adhærendum eſſe narrantibus veroſimilia. At in re præſenti, ſi Auctores æqualis auctoritatis diſcordent in ſubſtantialibus, res incerta erit; ſi in accidentalibus, ſubſtantia facti indubia remanebit. Ita Ruinart. in *Apologia Miſſionis S. Mauri* (*n*); Natalis Alexander (*o*), & Calmet (*p*) diſſerentes de S. Petri adventu Romam. Præterea dicendi non ſunt contrarii Hiſtorici illi, quorum unus non refert relata ab alio, uti de teſtibus dictum eſt. Nam licet verba illa epiſt. 1. S. Joan. *Tres ſunt, qui teſtimonium dant &c.* in quibuſdam codicibus non reperiantur, iiſque nonnulli Patres minime utantur, pro canonicis tamen habentur, cum in aliis codicibus ſint, aliique Patres uſurpent apud Graveſon (*q*). In præſenti materia hanc contrarietatem rejicit Caſtellinus (*r*), quam antea rejecerat S. Hieronymus (*ſ*).

a in diatr. de Simeon. ſcript.
b de ſcript. Eccl. pag. 289.
c in auctar. de ſcript. Eccl. n. 302. in Bibliot. Eccl. Alberti Fabr.
d in præf. gen. ad Act. Mart. §. 1. n. 8.
e diſſert. præl. ad hiſto. SS. §. 28. & 29.
f to. 1. Feb. in præf. c. 2.
g de ſcript. Eccl. in ſæc. obſc. pag. 402.
h in animadverſ. ad reg. Crit. to. 1. diſſert. 2. ar. 4. §. 5. & ſeqq.
i l. 2. proluſ. 3. par. 2. pag. 225.
k ad 9. Octobr.
l in præf. in vit. SS. Jan. c. 3. §. 4.
m de ſtud. mon. c. 8. n. 5.
n c. 8. §. 3.
o hiſt. Eccl. ſæc. 1. diſſert. 13. propoſ. 3.
p to. 8. com. pag. 543.
q tract. de ſacr. Script. pag. 324.
r de inquiſ. mir. in cauſ. Matt. pag. 64.
ſ In comment. in ep. ad Gal. c. 2. col. 409. to. 7. oper.

CAPUT X.

In quo aliæ explicantur, & reſolvuntur controverſiæ ad eamdem hiſtoriarum materiam pertinentes.

1 &c. PRimum hic expendendum occurrit, an fide careat Hiſtoricus, nonnulla referens, quæ antiquiores, & coevi ſiluerunt. Argumentum negativum contemnunt Thiers, Honoratus a S. Maria (*t*), aliique: contra defendunt illud Launojus (*u*), Papebrochius (*x*), Muratorius (*y*), & plures eruditi. Alii vim illi adſtruunt in theſi negativa. Cæteri argumentum pure negativum diſtinguunt a negativo habente admixtum aliquid poſitivi, cujuſmodi argumenti exemplum vulgatum eſt iſtud: Nullus Auctor ante Martinum Polonum legitur memoraſſe Joannam Papiſſam, omneſque Auctores ſynchroni Benedict. III, non Joannam, immediate ponunt poſt Leonem III: igitur hæc præſumpta Papiſſa merum eſt commentum a Martino Polono confictum. Mabillonius (*z*), quem alii laudant, majorem exiſtimat vim ſecundi, quam primi argumenti. Quod ſpectat ad Martinum Polonum, ejus opera ab Hæreticis adulterata fuiſſe oſtendit Echard. (*aa*), ab iiſque inſertam fuiſſe fabellam Papiſſæ eruitur ab exemplari eorumdem operum, quod in bibliotheca Angelica Urbis extat. Martino præivit Marianus Scotus apud Launojum cit., ſed revera etiam Mariani opera corruperunt Hæretici, & fabellam Papiſſæ addiderunt.

5 Sed ut hæc argumenti negativi controverſia enucleetur, ſerio in primis perpendendum videtur, an revera negotium redactum ſit ad punctum argumenti negativi. Aliud enim eſt, aliquem dicere, ſe in Scriptoribus æquævis rem aliquam non legiſſe: aliud, rem in nullo Auctore, aut monumento æquævo inveniri, itaut impoſſibile ſit, ut ab Auctore poſterioris æta-

t to. 1. diſſert. 3. ar. 2. & ſeqq.
u in libell. de auct. negat. arg.
x in propyl. menſ. Maji diſſert. 5. pag. 30. n. 9. & in reſp. ad exhib. err. ar. 19. n. 4.
y anecd. to. 2. c. 21.
z de ſtud. mon. c. 13. to. 2.
aa tom. 1. ſcript. Ord. Prædic. ad ann. 1278. pag. 361.

ætatis lecta fuerit, ut indicat Mabillonius cit. Celeberrimam S. Franciſci viſionem, Indulgentiam *Portiunculæ*, & translationem almæ Domus Lauretanæ, tamquam fabuloſas nonnulli audacter traduxerunt, & Vincentium Bellovacenſem fecerunt ſummæ Theologicæ S. Thomæ Auctorem, eo quod Scriptores quidam coævi illarum non meminerint. Merito tamen refelluntur, cum apud alios Scriptores, & apud monumenta contemporanea reperiantur. Alii incertam dixerunt SS. Fauſtini, & Jovitæ in armis aureis apparitionem ad tuendam Brixiam a Nicolao Picinino obſeſſam, ſilentibus Brixianis Hiſtoricis coævis. Sed eam vindicat Card. Angelus Maria Querinus in epiſtola ad P. Cyprianum Benagliam, affirmans, duas a ſe inventas fuiſſe litteras Ludovici Fuſcareni, qui Brixiæ paulo poſt obſidionem adminiſtrator fuit, ad S. Laurentium Juſtinianum, in quibus apparitio clare deſcribitur.

6 Redacto negotio ad punctum argumenti negativi, hujus vis non videtur indiſtincte admittenda, aut rejicienda, cum materia ipſa, aut temporum circumſtantiæ fidem, & auctoritatem ei conciliare poſſint. Joannes Diaconus in vita S. Gregorii Magni (*a*) narrat, animam Trajani fuiſſe ejuſdem Sancti precibus ab Inferis liberatam. Id ex antiquorum Scriptorum ſilentio rejiciunt Baronius, & alii, & ſilentio quidem vim addit materia, cum Eccleſia Inferni pœnas credat æternas. Circumſtantias, a quibus validum, aut inane poteſt eſſe argumentum negativum, Launojus (*b*) judicio viri ſapientis, & æquanimi relinquit expendendas. Demum attendendus eſt finis, ad quem dirigitur argumentum negativum; cum aliud ſit eo uti in re hiſtorica, aliud in cauſis Servorum Dei. Si enim Promotor Fidei vitium aliquod, ex teſtimonio recentis Auctoris, alicui Servo Dei opponat, Poſtulatores oppoſitionem diluere poterunt ex Antiquiorum ſilentio, cui aliæ circumſtantiæ faveant, ut contigit in cauſa B. Gregorii X. Quod ſi Poſtulatores Scriptori non coævo, Promotor vero ſilentio coævorum nitantur, res difficillima fiet, cum probationes firmas judicium illud exigat, quales non eſſent a Poſtulatoribus allatæ: ex ſuperius autem dictis, in cauſis, quæ probationes ſubſidiarias admittunt, virtutes, & Martyrium, probanda ſunt ex Hiſtoricis ea referentibus, quæ viderunt, aut quæ a videntibus audiverunt.

a l. 2. c. 44.

b in epiſt. ante diſſert. de auct. arg. neg. par. 1. to. 2. oper.

7 Utcumque probus, & Sanctus fuerit Hiſtoricus, ejus narratio, ut vim veræ probationis obtineat, examinanda eſt juxta regulas ſuperius recenſitas. Baronius (*c*) refellens hiſtoriam a S. Joanne Damaſceno traditam de anima Trajani precibus S. Gregorii ab inferis liberata reverenter monet, quod *in his, quæ ſunt facti, non dogmatis, potuit quiſque ſanctiſſimus, atque doctiſſimus falli*. Idem affirmat Canus (*d*).

c ad ann. 604. n. 40.

d de loc. Theol. l. 11. c. 6.

8 Hiſtoricum, qui vitam Beati deſcribens, ridicula, aut improbabilia admiſcet, qualia de SS. Franciſco, & Dominico ab aliis concinnata deridet Canus cit., corrigendum potius, atque emendandum, quam penitus rejiciendum exiſtimat Bollandus (*e*), cui ſuffragantur Tillemontius (*f*), & alii. Nam, ut animadvertit Touron in vita S. Thomæ de Aquino (*g*), prudentia Chriſtiana nos admonet, ne nimis creduli; pietas, ne nimis increduli ſimus. Sed quidquid de his ſit, adhuc ejuſmodi Hiſtoricus argumentum ad virtutes, aut Martyrium in ſpecie probanda ſuppeditabit in cauſis Canonizationis, ſi quæ vidit, aut a videntibus audivit, ſcripſerit, dummodo improbabilitates, & inveriſimilitudines non adeo frequentes fuerint, & craſſæ.

e in præf. menſ. Jan. c. 3. §. 4.

f not. 13. ad vit. S. Jacob. Min. to. 1.

g l. 3. c. 8.

9. 10 Librum genuinum vocat Huetius (*h*) ſcriptum ab Auctore, a quo ſcriptus dicitur, eoque circiter tempore, quo ſcriptus fertur, coævum vero, qui eo circiter tempore exaratus eſt, quo res in eo ſcriptæ contigerunt. Scacchus (*i*) coævos exiſtimat Hiſto-

h in demonſt. Evang. poſt præf. definit. 1.

i de not. & ſign. ſanct. ſect. 11. c. 6.

Digitized by Google

Hiſtoricos, qui floruerunt intra quinquaginta annos ab obitu Servi Dei, vel Beati, cujus vitam referunt. Alii hoc tempus protrahunt ad unum, aut duo circiter ſæcula. Verumtamen ad probandas virtutes, aut Martyrium poſt approbatum caſum exceptum, in more poſitum eſt, ut ii dumtaxat Hiſtorici admittantur, & pro coævis habeantur, qui viſa ſcripſerunt, aut viſa ab aliis, ipſiſque relata retulerunt. Nec ſatis eſt, ut Hiſtoricus ſanctitatem vitæ, aut Martyrium teſtetur: ſed, ſi res ſit de Confeſſore, curſum vitæ: ſi de Martyre, omnia ad verum Martyrium ſpectantia exponat oportet.

11 Poſt hæc quæſtio occurrit, an ad probandas virtutes ſufficiant, quæ Servi Dei, vel Beati de ſe ipſis conſcripſerunt. Id quippe exigunt Conſtitutiones Societatis Jeſu (*a*), ut ſcilicet ejus Alumni rationem propriæ conſcientiæ ſcriptam reddant ſuis Superioribus. Similes relationes diſcuſſæ fuerunt in cauſis Servorum Dei Alphonſi Rodriquez, Card. Bellarmini, & Alphonſi de Oroſco, ex quibus ſane relationibus Promotor Fidei Jactantiam, & inanem gloriam oppoſuit. Sed hic non quæritur, an propriæ vitæ relatio ſanctitatem inficiat, ſed an vim probationis obtineat, cum nemo in propria cauſa pro ſe teſtimonium ferre poſſit. David utique (*b*), Jeremias (*c*), Paulus (*d*), & ipſe Chriſtus (*e*) de ſe ipſis teſtimonium perhibuerunt. Hæc tamen præſenti indagini aptari nequeunt, cum Chriſtus eſſet etiam Deus, & reliquorum ſanctitatem Scripturæ prædicent. Idem dicendum de Canonizatis. Quapropter quæſtio contrahitur ad nondum Canonizatos; utrum ſcilicet, quæ hi de ſe ipſis ſcripſerunt, probationem in eorum cauſis faciant. Sulpitius Severus *de virtutibus B. Martini* (*f*) teſtatur, ſe nonnulla ſcripſiſſe, quæ *ipſo referente* cognoverat. SS. Perpetua, Ignatius, aliique Martyres apud Ruinart (*g*) plura, quæ a Tyrannis paſſi ſunt, deſcripſerunt. Dicendum itaque videtur, viſiones, apparitiones, & revelationes, quas ſibi contigiſſe Servi Dei referunt, probationis efficaciam obtinere, ſi vere cœleſtes fuerint: idemque dicendum de aliis, quæ ſolo Servorum Dei teſtimonio probari poſſint, ſi ex aliis documentis eorumdem virtutes, aut Martyrium perſpicua appareant; etiamſi relata a Servis Dei per alios teſtes probari potuiſſent, ſed hi tempore, quo proceſſus confectus eſt, mortui eſſent. Auctoritatem igitur ejuſmodi relationibus ſpectati mores conciliare poterunt, ex quorum defectu inter mendacia, vel fanaticas Dæmonis illuſiones referenda eſt viſio, quam ſibi contigiſſe Eraſmus (*h*) refert, videlicet S. Franciſcum ſibi apparuiſſe, & gratias egiſſe, quod notaverit *eos, qui cœlum promittunt iis, qui in veſte Franciſcana ſepeliuntur*.

12 Scripturæ authenticæ, non ad alicujus petitionem, nec ad effectum Canonizationis, ſed ad perpetuam rei memoriam exaratæ, in qua teſtes de viſu, ac jurati miraculum referant, vim plenæ probationis attribuit Card. de Laurea (*i*). Verum cum ad hoc, ut teſtes in hoc judicio Beatificationis, & Canonizationis probent, opus ſit, ut auctoritate ordinaria, vel Apoſtolica, ſingillatim; ac ſub interrogatoriis examen ſubierint ejuſmodi ſcriptura vim dumtaxat adminiculi obtinebit. In cauſa B. Gregorii X. exhibita fuit tabella, quæ miracula prædicto modo continebat, cui quidem alia monumenta, & Auctores auctoritatem conciliaverant, ſed deficiente teſtium examine, ſacra Congregatio miracula hæc nullatenus attendit. Idem dicendum de ſcriptura antiquum miraculum exhibente, quæ manu Epiſcopi de viſu referentis ſubſcripta ſit, aut ejus ſigillo munita. Honorius III. Epiſcopo, & Abbati commiſerat, ut proceſſum ſuper miraculis Mauritii Abbatis conſtruerent. Ipſi paginam miracula continentem, propriiſque ſigillis munitam miſerunt: hanc reſpuit Honorius *in cap. Venerabili de teſt.*, eo

quod

a par. 6. c. 1. n. 2.

b Pſal. 7. v. 4. & 5.

c c. 15. v. 16 & 17.

d 1. ad Cor. 4. v. 4.

e Joann. 8. v. 13. & 14.

f dialog. 3. n. 5.

g in præf. gen. ad Act. Mart. §. 1. n. 3.

h to. 3. par. 2. ep. 1230.

i to. 4. in 4. ſent. diſp. 20. de mir. ar. 2. c. §. 6. n. 1178.

quod teſtes non fuerint rite examinati. Similia contigerunt in cauſa S. Margaritæ de Cortona, cum Poſtulatores ex inſtrumento exarato a Notario Apoſtolico coram Cardinali cauſæ Relatore, Secretario Congregationis rituum, & Epiſcopo Cortonenſi, miraculoſam adipis incorruptionem proponere vellent in Congregatione examinandam.

13 Tandem atteſtationes extrajudiciales ab his cauſis Urbanus VIII. prorſus ablegavit, & a quocumque proceſſu, ex gradu probationis excluſit. Innocentius XI. id extendit ad atteſtationes ante decreta exceptas. Suffragatur jus commune (*a*), adimens probationis vim teſtibus non juratis, & ſine interrogatoriis examinatis. Quocirca atteſtationes ejuſmodi ſuper virtutibus, aut miraculis, etiamſi a Cardinalibus, aliiſque dignitate, & probitate præclaris, ante, vel poſt decreta latæ ſint, vim adminiculi dumtaxat obtinebunt.

a in cap. Nuper de teſt. & in l. Jurisjurandi C. de teſt.

CAPUT XI.

De Martyrio, & primum de Perſecutore, ſeu Tyranno.

1 MArtyr apud Sanctum Auguſtinum (*b*) idem eſt, ac teſtis Fidei; Martyrium vero teſtimonium Fidei Divinæ ſignificat, & eſt voluntaria mortis tolerantia propter Chriſti Fidem, vel alium virtutis actum, relatum in Deum. Duæ diſtinctæ perſonæ requiruntur ad Martyrium, Perſecutor videlicet, & Martyr, ut innuit Chriſtus Joan. 21. *Cum ſenueris alius te cinget*. Ex Matth. 10. *Tradet frater fratrem in mortem &c.*

b l. 22. de civit. c. 9.

2 Multa tamen ſunt, quæ Martyrium ſine Perſecutore dari poſſe ſuadent. Nonnulli Patres apud Iſidorum (*c*) ex Simeonis prophetia, *Tuam ipſius animam pertranſibit gladius*, B. V. Mariam gladio, ideoque Martyrio ſublatam putarunt. Quidquid de hoc ſit, Ildefonſus de Flores (*d*) Martyrem exiſtimat ob internum maximum dolorem, quem in Filii paſſione ſuſtinuit. Alii Theologi Martyrium agnoſcunt in vehementi ejuſdem deſiderio, juxta Canonem 26. *de Pœnit. diſc. 1. in Dei Servis, apud quos . . . . Martyrium mente concipitur animus ad bonum deditus, Deo Judice coronatur*. Præterea Patientia apud SS. Gregorium (*e*), & Petrum Damianum (*f*): Clauſtralis obſervantia apud S. Joannem Damaſcenum (*g*): Virginitas, ac Divina intentiſſima Caritas apud S. Joannem Chryſ. (*h*), alioſque: longa ægritudo patientiſſime tolerata, apud Bolland. *in vita B. Veronicæ de Binaſco* (*i*), Martyrii prærogativa plurimos decorarunt. Demum inter Martyres recenſentur, qui peſte laborantibus ſubvenientes, contracta lue obierunt. Quare in Martyrol. Rom. *ad 28. Febr.* refertur *commemoratio (Alexandriæ) SS. Presbyterorum, Diaconorum, & aliorum plurimorum, qui cum peſtis ſæviſſima graſſaretur, morbo laborantibus miniſtrantes, libentiſſime mortem oppetiere, quos velut Martyres religioſa piorum fides venerari conſuevit*. Hinc Carolus Delarue (*k*) plures Martyrum ſpecies veteribus notas ex Svicero enumerat.

c l. de vit. & mort. SS. c. 68.

d in append. ad tract. de agon. Mart.

e homil. 3. n. 7. in Evang.

f l. 6. epiſt. 30.

g l. 4. de Fid. c. 15. to. 1. oper.

h homil. 25 in epiſt. 2. ad Cor.

i ad 13. Jan. tom. 1. c. 6. n. 8.

k in not. ad to. 1. edit. omn. oper. Orig. pag. 309.

3 &c. Verumtamen B. Virginem Mariam *corporalis necis paſſione ex hac vita non migraſſe*, ait S. Ambr. l. 2. in Luc. Ob dolorem vero, quo in Filii Paſſione affecta eſt, Martyrem dumtaxat *ſecundum quamdam ſimilitudinem* ex S. Hieronymo appellat S. Thomas (*l*), cui ſubſcribunt Soto (*m*), Capiſucchius (*n*), & alii; & ob defectum quidem mortis a Perſecutore irrogatæ eam a veris Martyribus abjudicat Theophilus Raynaudus (*o*). Quod ſpectat ad eos, qui ob ardens Martyrii deſiderium Martyribus accenſentur, Martinus de Magiſtris (*p*) utique a ratione veri Martyrii actualem excluſit voluntariam mortis paſſionem; ſed oppoſitum docuerat S. Thomas (*q*), cui obſequens Card. Cajetanus *in commen-*

l in 4. ſent. diſt. 49. q. 5. ar. 3. quæſtiunc. 2. ad 4.

m in 4. ſent. diſt. 49. q. 5. ar. 2.

n in contr. de Mart. §. 3.

o oper. to. 18. de Mart. per peſt. p. 2. c. 1. n. 4.

p de Mart. q. 1. & 4.

q 2. 2. qu. 124. ar. 4.

mentariis late oſtendit, nudum moriendi propoſitum, aut electionem executionis mortis non ſufficere ad Martyrium. Doctrinam Martini improbabilem, & temerariam vocat Hurtado (*a*). Æquale tamen meritum habere poſſe eum, qui mortem pro Chriſto deſiderat, ac qui reipſa ſuſtinet, fuſe oſtendit laudatus Raynaudus, cui præluxerat S. Paulinus *natali 3. S. Felicis*. Immo S. Thomas (*b*) docuit, quod, *conſiderata radice merendi, quia aliquis ex majori caritate poteſt velle ſuſtinere Martyrium, quam alius ſuſtineat, voluntarie Martyr poteſt mereri ſua voluntate præmium eſſentiale æquale, vel majus eo, quod Martyri debetur*: addit tamen, *aureolam voluntarie tantum Martyribus non deberi*. Sane probatiſſimi Scriptores teſtantur, SS. Dominicum, Franciſcum, Tereſiam, Joannem de Capiſtrano, Romualdum, Martinum, & Franciſcum Xaverium, ardenti Martyrii deſiderio flagraſſe. Verum cum deſiderium effectu caruerit, eos inter Confeſſores colit Eccleſia, quod ſatis firmat, ad verum Martyrium non ſufficere enixum ejuſdem deſiderium.

a in reſol. de ver. Martyr. reſ. 35. §. 1. & ſeqq.

b in 4. ſent. diſp. 49. q. 5. ar. 3. quæſtiunc. 2. ad 13.

7 &c. De Martyribus patientiæ, Clauſtralis obſervantiæ, & reliquis ſupra recenſitis plura diſſerit S. Antoninus (*c*), eoſque inter Martyres enumerant Rotæ Auditores in relat. cauſ. S. Aloyſii Gonzagæ. Sed hæc minus proprie Martyria appellari, eruitur ex vita S. Anſcharii Archiepiſcopi Amburgenſis apud Bolland. (*d*), & admittit Raynaudus cit., qui tamen in opere *de Martyrio per peſtem* pluribus contendit, inter Martyres eſſe recenſendos contactis ex caritate immorientes; ſed hunc Raynaudi librum ſacra Congregatio proſcripſerat an. 1646. Raynaudo ſubſcribit Joannes de Andrada (*e*): adverſantur Hurtado (*f*), Card. de Lauræa (*g*), & alii. Addit Card. Capiſucchius (*h*), Chriſtianos, quos Tyrannus peſte laborantium ſervitio addiceret, ut lue contracta perirent, eſſe proprie Martyres. Idem affirmat Berti (*i*). Nec urget exemplum Presbyterorum, & aliorum, qui commemorantur in Martyrol. Rom. *ad 28. Febr.* His enim non aſſeritur ibi cultus Martyrum, ſed a religioſa piorum Fide coli dicuntur *veluti Martyres*. Et Dionyſius Alexandrinus de iis loquens in epiſt. ad Hieracem ait, quod *iſtud mortis* (per peſtem) *genus..... nihil a Martyrii ſplendore abeſſe videretur*. Porro verba *veluti*, & *videretur* ſimilitudinem, non veritatem indicant, adeoque eos non vere Martyres, ſed inſtar Martyrum fuiſſe. Quo ſenſu intelligenda ſunt S. Bernardini Senenſis verba, quibus apud Bollandian. (*k*) fructum Martyrii promiſerat iis, quos ad ſerviendum peſte infectis invitaverat. Quocirca in correctione prædicti operis Theophili Raynaudi demandata a Congregatione Indicis, additur (*l*), iis, qui inter miniſtrandum peſte contactis vitam ex caritate amittunt, Martyrii nomen convenire: *non tamen in ea acceptione, qua Patres, Doctores, & Eccleſia vocant illos, qui in certamine cum Tyranno propter Deum vitam ponunt*. Anno 1591. graſſante in Urbe contagio S. Aloyſius Gonzaga ſervitio contagioſorum in Noſocomiis ſe expoſuit, eumque unum amplecteretur, contagione contracta, feliciter occubuit, uti viginti teſtes in proceſſibus aſſeruerunt. Rotæ Auditores in examine cauſæ, adducti exemplo prædictorum, quorum in Martyrologio commemoratio fit *ad 28. Febr.*, cenſuerunt mortem Aloyſii fuiſſe ſpeciem quamdam Martyrii, quod fuſius comprobavit P. Budriolus (*m*) Canonizationis Poſtulator. Nihilominus inter Sanctos relatus colitur ritu Confeſſoris. Similem mortem oppetiiſſe B. Hieronymum Æmilianum retulerunt Auditores Rotæ; ſed ejus cauſa, uti Confeſſoris ſolum, agitata fuit. Luem quoque in ſuſcepta contagioſorum cura contraxit S. Franciſcus Solanus, miraculo quodammodo ſervatus, nec tamen Poſtulatores ejus cauſæ propoſuerunt Martyrii arti-

c in ſum. Theol. par. 3. tit. 31. c. 9.

d ad 3. Februar.

e in apol. pro ver. Mart. per peſt.

f de ver. Mart. reſ. 6. 2.

g in 3. ſent. par. 2. to. 3. diſp. 10. ar. 5.

h in contr. de Mart. §. 11.

i to. 6. l. 31. c. 24. n. 2.

k ad 20. Maji c. 1.

l tom. 20. pag. 256.

m in ſuis ſcript. pat. 3. §. 4.

articulum. Quæ quidem omnia ſatis, ſuperque oſtendunt, non eſſe proprie Martyres, qui inſervientes peſte infectis, morbo contracto, occumbunt.

10. 11 Huc uſque ſoluta ſunt argumenta, quæ Perſecutorem, ſeu Tyrannum non eſſe de neceſſitate Martyrii innuere videbantur; ſuperſunt enodanda, quæ pœnam a Perſecutore inflictam a Martyrio excludere videntur. Plerique enim coluntur Martyres, qui mortem ſibi conſciverunt, occaſionem ad ſummum præbente Perſecutore, non pœnam infligente. S. Apollonia, quam laudat S. Dionyſius Alexandrinus apud Euſebium (*a*), ne impia verba, ab hoſtibus inſinuata, proferret, in ignem inſiliit, & conflagravit. Pelagia Virgo Antiochena, ejuſque mater, & ſorores, quarum cultum teſtatur Baronius (*b*), aquis ſeſe dederunt, ne libidine fœdarentur. Idem feciſſe dicuntur Bernites, & Proſdoces, quas Græci colunt 4. Octobr., & quarum mortem laudat S. Joannes Chriſ. (*c*). In Martyrol. Rom. 24. Aug. mentio fit trecentorum Martyrum, qui *Maſſa candida* appellati ſunt: eum ſimul, ne Jovi thus adolerent, in ignem ſe injecerint, & hoc quidem Martyrium verſibus exornat Prudentius *in hymno* 5. *de S. Cypr.* Danis Scotiam invadentibus, Ebba cœnobii Collinghamenſis Abbatiſſa, ejuſque exemplo cæteræ Sorores vultum ſibi deſormarunt, ne conſtuprarentur, incenſoque a Danis Monaſterio, concrematæ ſunt, & inter Martyres coluntur. Adſtipulantur exempla ex veteri Teſtamento, Saul. 1. Reg. 31., ne ab incircumciſis occideretur, *arripuit gladium, & irruit ſuper eum*. Samſon Judic. 16., ut Philiſthæos perderet, concuſſis domus columnis, ſub ruina obiit. Razias 2. Machab. 14., ne a Nicanoris militibus comprehenderetur, gladio ſe petiit.

a l. 6. hiſt. Eccl. c. 41.

b ad ann. 309. a n. 12. ad 17.

c tom. 2. oper. homil. 70.

12. 13 Verumtamen nullum ex his exemplis urget, cum agatur nunc de Martyrio juxta regulas ordinarias, non juxta extraordinarias. quæ a ſpeciali Dei inſtinctu cauſam habent. Laudat quidem S. Hieronymus (*d*) mortem, quam aliquis ſibi ſponte inferat, ne caſtitatis detrimentum patiatur. At S. Auguſtinus (*e*) ingenue faſſus eſt, ſe non audere de memoratis SS. Fœminis quidquam temere judicare. Notat Coquæus (*f*), S. Doctorem id dixiſſe ob Circumcelliones, qui ſtulta Martyrii opinione, paſſim ſibi mortem inferebant. Addit tamen S. Auguſtinus, quod ſi Sanctæ id fecerint, *non humanitus deceptæ, ſed divinitus juſſæ, ſicut de Samſone aliud nobis fas non eſt credere . . . quis obedientiam in crimen vocet? quis obſequium pietatis accuſet?* Quamobrem ſicuti Samſonem, qui ſe cum hoſtibus ruina domus oppreſſit, excuſat, eo quod, inſpirante Deo id fecerit, ita Sanctas Virgines, quæ ne libidini perditiſſimorum nebulonum ſubjicerentur, ſe præcipites flumini dederunt, excuſandas, neque e Martyrum catalogo delendas eſſe affirmat, cum ex Divina inſpiratione id patraverint. Profecto harum Virginum mortem ad ſpecialem Dei inſpirationem Theologi unanimiter referunt. Ideoque Sophroniam Romanam, quæ in manibus Maxentii Tyranni relicta gladio ſe transfixit, inter ſanctas non eſſe relatam exiſtimat Baillet (*g*), eo quod ejuſmodi inſpirationis indicia Eccleſia non habuerit. Quoad exempla ex veteri Teſtamento, omittendum eſt illud Saul, cum de æterno ejus exitio apertiſſimum ſit teſtimonium Paralip. 10. Samſonem inter Sanctos enumerat Apoſtolus *ad Hebr.* 11. Sed ex dictis ejus mortem S. Auguſtinus ad Dei juſſum refert, cui adhæret S. Thomas (*h*). Quod ſpectat ad Raziam, obſervat Calmet (*i*), ejus factum in ſcriptura referri, non commendari. Conſueverant Donatiſtæ, qui ſibi mortem voluntarie inferebant, hoc exemplo ſe excuſare; at S. Auguſtinus (*k*) factum diſcutiens, ejus cauſam non a virtute, ſed a vitio repetit. Subſcribit S. Thomas cit., oſtendens illicitum eſſe ſe ipſum occidere, niſi Deus præcipiat,

d to. 6. oper. in c. 1. Jon. col. 402

e l. 1. de civit. c. 26. to. 7. oper.

f in oor. ad cit. c. 26.

g In differ. gen. ad vit. SS. §. 79.

h 2. 2. q. 64. art. 5. ad 4.

i in diction. bibl. V. Razias.

k epiſt. 104. o. 6. & 7. to. 2. oper.

cipiat, quod fuſe exponunt Cardinales de Lugo (*a*), & Capiſucchius (*b*).

CAPUT XII.

De pœna a Perſecutore, ſeu Tyranno infligenda.

1 &c. DUO in Perſecutore requiruntur ad verum Martyrium conſtituendum. Primum, ut mortem naturalem inferat, vel cauſam mortis neceſſariam ponat. Alterum, ut id faciat ex odio in Fidem, vel in aliud ad Fidem pertinens. Hoc ſecundum alibi expendetur. Interim quoad primum, S. Thomas (*c*) affirmat, *ad perfectam rationem Martyrii requiri, quod aliquis mortem ſuſtineat propter Chriſtum*. Martyres quoque appellat, qui accepto lethali vulnere ſupervivunt, quive carceres, exilia, ærumnas pro Chriſto uſque ad mortem ſuſtinent. S. Thomæ conſentiunt communiter Theologi, Martyribus etiam accenſentes, quos Deus a lethalibus pro eo acceptis vulneribus miraculoſe liberaverit. Scribentes quoque de Canonizatione paſſim docent, mortem eſſe de neceſſitate Martyrii. Accedunt exempla. S. Joannes Evangeliſta ſenio confectus quievit: nihilominus colitur 6. Maji, ut Martyr, quia Romæ in ferventis olei dolio cruciatus eſt, licet incolumis Divina protegente gratia evaſerit, ideoque calicem (ideſt Martyrium) a Chriſto prædictum Matth. 20. bibit, teſte S. Hieronymo, aliiſque Patribus apud Tillemont. (*d*) S. Theclam Patres appellant *Protomartyrem*, cum prima ex fœminis Martyrium pro Chriſto ſubierit damnata ad beſtias, a quibus illæſa remanſit ſpeciali ope Divina, apud S. Ambroſium (*e*). Putant nonnulli, eam Martyrium morte conſummaſſe, ſed probabilius a periculis divinitus erepta in ſolitudine quievit juxta Tillemont (*f*), & alios. S. Felix Nolanus in pace poſt tormenta obiiſſe dicitur in Martyrol. Rom. (*g*). Et licet in quibuſdam Miſſalibus, & Sacramentariis colatur ut Confeſſor, in aliis tamen authenticis monumentis apud Ruinart (*h*) cultum Martyris obtinet, & uti talem laudat S. Paulinus (*i*). Eodem ritu colitur S. Gregorius magnæ Armeniæ Epiſcopus in Officio, quod auctoritate Congregationis rituum aliquibus in locis recitatur; quia ſcilicet tormenta pro Fide ſuſtinuit, licet miraculoſe ſervatus longam poſtea vitam duxerit. Præterea S. Cyprianus tres Pueros in fornacem Babylonis, & Danielem in lacum leonum immiſſos, Martyres vocat in epiſt. 58. ad Lucium Papam, licet a Deo protecti incolumes evaſerint. Si igitur hucuſque recenſiti Martyribus adnumerantur, non videntur e Martyrum catalogo excludendi, qui licet in pace quieverint, talia tamen tormenta ſuſtinuerunt, ut niſi Divina omnipotentia reſtitiſſet, mortem oppetiiſſent.

9 Idem dicendum de iis, qui ex ærumnis uſque ad mortem continuatis in carcere, vel exilio mortui ſunt, de quibus plura referunt Antonius Gallonius (*k*), & Guyet (*l*). Sufficiant hìc exempla SS. Marcelli, & Martini Pontificum, quorum primus in libro Pontificali *damnatus* dicitur *in catabulum*, quia Dæmonibus ſacrificare renuerat, ibique *in ſervitio animalium nudus, amictus cilicio, defunctus eſt*. Alter ex eodem libro in exilio Cherſonæ ærumnis confectus obiit. Nonnulli addunt S. Silverium, quem in exilio inedia conſumptum putant; ſed alii ex Procopio (*m*) ferro necatum dicunt.

10 Hucuſque adductis non obſtant dicta *lib. 1. c. 2.*, quoſdam videlicet antiquitus tormentis ſuperſtites appellatos fuiſſe Martyres, quod etiam deſumitur ex Tertulliano (*n*), & S. Cypriano (*o*); ex quibus proinde inferri poſſe videtur, nec miraculoſam a morte liberationem requiri, ut quis Martyr dicatur. Sed hæc non evincunt, mortem regulariter non requiri ad Martyrem conſtituendum. Nam primo, alii inter antiquos tormentis ſuperſtites

a de juſt. & jur. diſp. 10. ſect. 1. n. 10. & 13.

b cit. controv. §. 9.

c 2. 2. q. 124. art. 4. & in 4. diſt. 49. q. 5. ar. 3. quæſtiun. 2.

d to. 1. in hiſt. Eccl. primor. ſæc. in vit. S. Joan. Evang. art. 5.

e to. 2. oper. l. 2. de Virg. c. 3.

f to. 2. in vit. S. Thec. & not. 4. ad eamd.

g ad 14. Jan.

h In adm. ad ejus vit. & Paſſ. inter Act. Mart. pag. 214.

i natal. 3.

k de cruc. SS. Mart.

l de feſt. prop. SS. l. 2. c. 7. q. 10.

m in hiſt. arc. c. 1. p. 4. to. 2.

n In lib. ad Mart.

o ep. 8. ad Martyr. & Conf. & ep. 11. 14. & 30.

tes apud Euſebium (*a*), Martyris titulum reſpuerunt, affirmantes, illos eſſe vere Martyres, *quos Chriſtus propter Fidei confeſſionem ad ſe recipere dignatus eſt, & quorum Martyrium ipſo præclaro vitæ exitu, tamquam ſigillo certiſſimo obſignavit*. Deinde juxta antiquum Eccleſiæ morem plures enumerantur Martyrum gradus, inter quos unus eſt *initiativus*, eorum ſcilicet, qui tormentis ſupervixerunt: alius abſolutus, ideſt eorum, qui mortem oppetierunt, & de his in præſenti ſermo eſt.

11 &c. Poſt hæc quæſtio occurrit, an Martyr dicendus ſit, qui tormentis expoſitus nullum dolorem, vel cruciatum, Divina protegente gratia, expertus eſt. Card. Capiſucchius in cit. oper. reſpondet, hunc non eſſe *rigoroſe* Martyrem, idque docuerat Card. Cajetanus (*b*): oppoſitum fuſe, & merito oſtendit Teophilus Raynaudus (*c*). Id ſane legitur in Actis SS. Tryphonis, & Reſpicii apud Ruinart (*d*), & in Paſſione S. Theodoti Ancyrani ſcripta a Nilo teſte oculato apud Bollandian. (*e*), qui alios plures hujus generis Martyres enumerant (*f*). Sed quia reponi poſſet, hos eſſe Martyres, quia poſtea violenta morte pro Fide Chriſti affecti ſunt, idcirco opportuniora exempla videntur adtexenda. Sidrach, ejuſque in camino ſocios, *ignis non contriſtavit, nec quidquam moleſtiæ intulit* (Daniel. 3.), attamen S. Cyprianus (*g*), & Tertullianus (*h*) appellant Martyres. S. Joannes Evangeliſta in Sacramentario Gallicano apud Mabillon. (*i*) una cum S. Jacobo fratre inſignitur titulo Martyris, quem pariter titulum obtinuerunt S. Thecla, aliique ſuperius ſimul recenſiti, licet in tormentis dolorem non ſenſerint. His addi poteſt S. Theodorus, Martyrum catalogo adſcriptus, qui cum aliis Chriſtianis ſepulcrum S. Babylæ, juſſu Juliani apoſtatæ, aſportantibus hymnum cantans, a Salluſtio Juliani Præfecto in carcerem conjectus, & crudeliſſime tortus eſt: in tormentis vero *ita delectatum eſſe, ut mæſtior factus ſit, quando deponi equuleo juſſus eſt*, ipſemet poſtea affirmavit, teſte Rufino (*k*), & ex eo Ruinart (*l*). His forte objici poſſet exemplum S. Benedicti Monachi, quem S. Gregorius Magnus (*m*) projectum a Gothis in clibanum ſuccenſum, divinituſque ab omni carnis, & veſtium læſione ſervatum memorat. Quidquid de hoc ſit, prædicta non corruunt. Incertum enim eſt, quo ritu colatur, & licet coleretur ritu Confeſſoris, expendendum eſſet, num id fieret ex conſuetudine particularis Eccleſiæ, an auctoritate Sedis Apoſtolicæ, ſeu Congregationis rituum: adeoque, re diſcuſſa, poſſet ritus mutari. In eccleſia S. Juliani civitatis Ulyſſiponenſis Occidentalis recitabatur in honorem SS. Juliani, & Baſiliſſæ conjugum Officium de communi Martyrum. Et Baſiliſſa quidem, licet multa paſſa fuiſſet, ob quæ Baronius (*n*), & Guyet (*o*) Martyrem appellarunt, in pace tamen quieverat. Petitæ fuerunt lectiones eorum propriæ; ſed cum Baſiliſſa nec in tormentis obiiſſet, nec quidquam paſſa eſſet mortis inductivum, conceſſæ fuerunt lectiones, retento ritu Martyrum, ſed itaut fieret mentio etiam ſociorum, quorum ſane, ſicuti & Juliani Martyrium certum erat. Quare licet Baſiliſſa revera non fuerit Martyr, id non obſtitit conceſſioni ſub Martyrum ritu, quum Juliano, & ſociis conveniret.

15 Martyrem non eſſe, qui ex accepto pro Chriſto vulnere lethali, medicorum cura, liber evaſit, merito affirmat Soto (*p*). Martyr tamen dicendus erit, qui ex vulnere non lethali obiit, medico citra propriam culpam non accerſito, quemadmodum Soto proſequitur, & ante ipſum docuerat S. Thomas (*q*), & eruitur ex Actis Martyrii SS. Viginti Monachorum in Laura S. Sabæ prope Hieroſolymam, apud Bollandian. (*r*).

16 &c. Expendendum ſupereſt, utrum juxta præſentem Eccleſiæ diſci-

pli-

b ad 2. 2. q. 124. ar. 4.

c to. 18. de Mart. per peſt. par. 2. c. 1. n. 5.

d pag. 139.

e to. 4. Maii ad diem 18. c. 4.

f to. 5. Jul. pag. 386. to. 6. Jul. pag. 148. & 417. tom. 3. Aug. pag. 455.

g epiſt. 58.

h in ſcorp. c. 8.

i muſ. Ital. to. 1. p. 234.

k l. 10. hiſt. Eccl. c. 36.

l In Act. Mart. ſinc. pa. 515.

m l. 3. dial. c. 18. to. 2. oper.

n in not. ad Martyr. ad 9. Jan.

o de feſt. SS. l. 2. c. 7. q. 8.

p in 4. ſent. diſt. 49. q. 5. ar. 2.

q in 4. ſent. diſt. 49. q. 5. ar. 3. q. 2. ad 7.

r ad 20. Mart. to. 3. c. 6. n. 64.

plinam inter Martyres recenſendi eſſent, an inter Confeſſores, Servi Dei, qui per miraculum a tormentis lethalibus liberati in pace morerentur. Soto cit. id Eccleſiæ judicio definiendum relinquit. Itaque, ſi hujuſmodi cauſæ Beatificationis, & Canonizationis introducerentur, una cum præmiſſis probationibus vulneris, ſeu tormenti lethalis, ac miraculoſæ liberationis, oſtendendum eſſet, Servum Dei miraculoſe ſervatum, reliquo vitæ curſu numquam caritate excidiſſe, & virtutibus heroicis floruiſſe, & ſerio diſcutiendum eſſet, utrum ad Confeſſorum, an ad Martyrum claſſem pertineret. Card. Gotti (*a*), Suarez (*b*), aliique Theologi, Martyribus adnumerandum exiſtimant, eo quod miraculoſe a Deo liberatus, etiam in gratia confirmatus dicendus ſit. Sed hinc difficultas potius augetur, cum de hac confirmatione in gratia nullum appareat in ſacra auctoritate documentum: Immo apud Procopium (*c*) nonnulli a morte, quam pro Chriſto paſſuri erant, per miraculum liberati, lethalibus criminibus ſe poſtea inquinarunt. Ideoque ſi probatio ex actibus externis, conſiſtentibus in continuato virtutum exercitio deſumenda eſt, profecto difficultas inſurgit: utrum ſic morientium cauſa introducenda eſſet ſub titulo Confeſſorum, an ſub titulo Martyrum. Hæc applicanda ſunt iis, qui ex ærumnis pro Fide Chriſti inflictis, & uſque ad obitum continuatis moriuntur. Nedum enim probandum eſſet, eos fuiſſe pro Chriſti Fide ærumnis addictos, & pro eadem cauſa ærumnas acceptaſſe, ſed etiam in ea voluntate, & virtutum exercitio perſeveraſſe; Quapropter Poſtulatores caute advertere deberent, an potius eſſet expetenda Beatificatio, & Canonizatio, non uti Martyrum, ſed uti Confeſſorum, attentis tormentis, & ærumnis pro aſtruendis virtutibus heroicis, quod innuit Guyet (*d*) loquens de morientibus in obſequio peſte laborantium.

a Theol. to. 13. q. 2. de ſacr. B pt. dub. 5. §. 3. n. 20.

b to. 3. in 3. par. D. Tho. q. 69. art. 10. diſp. 29. ſect. 3.

c l. 1. de bell. Vand. 568.

d oper. ſæpe cit. l. 2. c. 7. q. 14.

20 Quotquot in cauſis apud S. Sedem, & ſacram Congregationem pertractatis, recenſiti ſunt inter Martyres, aut recenſendi ſuperſunt, mortem in tormentis oppetierunt: Solum in cauſa S. Joſephi a Leoniſſa, qui dicebatur fuiſſe Conſtantinopoli a Turcarum Tyranno damnatus ad unci ſupplicium, & poſt triduum ab Angelo liberatus, Poſtulatores nonnulla ad Martyrium ſuadendum attulerunt: at excitatis a Promotore Fidei difficultatibus quoad probationem facti, & quoad neceſſitatem probandi perſeverantiam, & virtutum exercitium uſque ad obitum, proſecuti ſunt cauſam uti Confeſſoris. Hinc infert Berti (*e*) morientes in ſuppliciis eſſe veros Martyres; qui vero ſupervixerint, non haberi tamquam Martyres, niſi certiſſime conſtet, mortem divinitus evaſiſſe, nec poſtea a caritate, & gratia excidiſſe. Et ut antiqua addantur, S. Anthuſa, quæ ſub Conſtantino Copronymo ob cultum SS. Imaginum verberibus cæſa, & exilio relegata quievit in Domino, colitur ut Virgo, non ut Martyr, apud Bollandian. (*f*).

21 Prædictis non obeſt antiqua Eccleſiæ diſciplina, quæ ſic morientes catalogo Martyrum adſcribebat. Id enim ſuaſit Divina auctoritas innixa teſtificationibus fide dignis, quod etiam hodie fieri deberet, ſi conſimiles adeſſent teſtificationes, quibus deficientibus dubium ex prædictis urget, an hujuſmodi cauſæ introducendæ ſint potius uti Martyrum, quam uti Confeſſorum, præcipue ſi longum tempus inter tormenta, aut ærumnas, & obitum interceſſit. Apud Bollandian. (*g*) S. Fredericus Epiſcopus, & Martyr dicitur paulo poſt accepta vulnera obiiſſe.

e de Theol. diſcipl. to. 6. l. 31. c. 14. n. 2.

f to. 6. Jul. pag. 447.

g to. 4. Jul pag. 468. n. 42.

CAPUT XIII.

De cauſa Martyrii quoad Perſecutorem, ſeu Tyrannum.

1. 2 MArtyrem non facit pœna, ſed cauſa, & hæc quidem ad Martyrium ſufficiens requiritur tam in Martyre, quam in Perſecutore. Quando in Congregatione rituum proponitur dubium, *an conſtet de Martyrio, & cauſa Martyrii*, inquiritur, quænam cauſa fuerit in Tyranno, ut mortem infligeret, & quæ in Martyre, ut mortem obiret. In cauſa Servorum Dei Alfonſi Navarrete, Petri de Avila, aliorumque Martyrum Japponenſium, ſacra Congregatio, annuente Pontifice, affirmavit, *conſtare de Martyrio ex parte Tyranni*, cum Imperator Japonenſis non ob aliam rationem ſuis ſubditis vetuerit commercium cum Portugallicis, niſi quia hi illuc invexerant Prædicatores Chriſtianos, ut notavit Card. Gottus (*a*). In cauſis Martyrum Rodolphi Aquavivæ, & ſociorum, nec non SS. Joannis Nepomuceni, & Fidelis a Sigmaringa, nullum editum fuit decretum, *conſtare de Martyrio ex parte Tyranni*, tamen cauſa eumdem reſpiciens ſedulo inveſtigata fuit, an ſcilicet eſſet apta Martyrio. Cumque Martyrium, juxta Viguer (*b*), Caſtellinum (*c*), & alios, ſit voluntaria mortis perpeſſio propter Chriſti fidem, vel alium virtutis actum in Deum relatum; cauſa ex parte Tyranni debet eſſe odium in Fidem, vel in opus ab ea præſcriptum, ut fuſe docent Henriquez (*d*), Benedictus Pereira (*e*), aliique plures. Hujuſmodi cauſæ neceſſitatem in Perſecutore ſemper concorditer admiſerunt Promotores Fidei, & cauſarum Poſtulatores.

a de ver. Eccl. to. 1. cap. 3. §. 4. n. 14.

b inſt. Theol. tit. de virt. Fort. c. 6. §. 1.

c de cert. glor. SS. c. 8. pun. 20. §. 4.

d Theol. mor. to. 1. l. 2. de Bapt. ſacr. c. 37. n. 3. & 4.

3 Tyrannus pro Martyrio eſſe poteſt Gentilis, Hæreticus, vel etiam Catholicus. Chriſtus enim Matth. 10. v. 18. inquit: *Ad Præſides, & Reges ducemini propter me*: & v. 21. *Tradet frater fratrem in mortem, & pater filium*. Quæ quidem priora verba Patres ad Perſecutores Gentiles referunt; poſteriora ad improbos Chriſtianos. Quocirca, tam inter Martyres recenſentur SS. Petrus Martyr, aliique ab Hæreticis interempti, quam Stanislaus Cracovienſis, Thomas Cantuarienſis, & Joannes Nepomucenus a Catholicis ex odio in virtutem, practice relatam ad Fidem, occiſi, uti animadvertit Hurtado (*f*). Addi poſſunt alii plurimi, quos furor Henrici VIII, & Eliſabethæ Angliæ Regum ſuſtulit.

e in elucid. Theol. mor & jur. utr. l. 2. eluc. 23. ſect. 1. num. 1464.

f de ver. Mart. re. ſol. 39.

4 &c. Ad Martyrium ſufficit, ut Perſecutor, non ex odio in Fidem, ſed ex opinione vindicandi verum crimen, mortem Servo Dei decernat, dummodo Accuſator ex odio in Fidem crimen per calumniam objecerit, ut oſtendit Card. Capiſucchius (*g*). Ex Actis Martyrum, & ex veteribus Patribus compertum eſt, Chriſtianos Thyeſtearum epularum, & Œdipeorum concubituum a Chriſtiani nominis hoſtibus per calumniam fuiſſe accuſatos, a quibus tamen ſceleribus Fideles ſe vindicarunt, ut colligere eſt ex apologiis Juſtini, Quadrati, & Athenagoræ. Nihilominus ea opinio ita apud Magiſtratus invaluit, ut non ſolum calamitates ſceleribus Chriſtianorum adſcriberentur, teſte Tertulliano (*h*): Verum etiam nonnulli de iis criminibus perperam accuſati atrociter torquerentur, & necarentur, qui Martyribus adnumerati ſunt, ut legitur in epiſt. Eccleſiarum Viennenſis, & Lugdunenſis apud Euſebium (*i*), in qua deſcribitur Martyrium S. Pothini Epiſcopi, & aliorum. Falſo pariter accuſatos fuiſſe, quod eſſent Imperatorum inimici, colligitur ex Paſſione S. Victoris apud Ruinart (*k*), quam tamen calumniam ſtrenue retundit Juſtinus apol. 1. Teſtatur Lampridius, Alexandrum Severum Chriſtianis plurimum faviſſe, Chriſti imaginem in ſuo Larario retinuiſſe, ac publicum locum iis potius ad colendum Deum, quam Popinariis Romæ adjudicaſſe. Calliſtus Pontifex tamen, aliique plures ſub eo

paſſi

g cit. controv. 27. §. 16.

h in apolog. c. 40.

i hiſt. Eccl. l. 5. c. 1. & ſeqq.

k in Act. Mart. n. 7. pag. 257.

paſſi ſunt, non quod Chriſtianam Fidem odiſſet, ſed quod atrocia crimina vindicare exiſtimaret, quæ Ulpianus Chriſtianorum hoſtis infenſiſſimus, aliique juriſconſulti, quorum conſiliis, & ſuaſionibus plurimum deferebat, falſo adornabant, ut bene Baronius (*a*) obſervat.

a ad ann. 225. n. 4.

7 &c. Subſiſtit quoque Martyrium, ſi Tyrannus ex odio in Fidem revera motus mortem irrogaverit, licet cauſam omnino diſparatam jactet. Ita Borellus (*b*), Theophilus Raynaudus (*c*), aliique plures, quibus calculum addunt, quotquot de Anglica perſecutione ſcripſerunt. Suffragatur Eccleſiæ diſciplina. Nero enim, primus Chriſtianorum Perſecutor apud Tertullianum (*d*), Urbem incendit, atque ut populi declinaret invidiam, incendii reos ſubdidit Chriſtianos, diverſiſque, & quæſitiſſimis pœnis affecit, teſtibus Tacito (*e*), & Sulpicio Severo (*f*). Nihilominus eos, qui mortem tunc ſuſtinuerunt, inter Martyres commemorat Romanum Martyrologium. Coluntur quoque, ut Martyres, & colebantur tempore S. Joannis Chryſoſtomi SS. Juventinus, & Maximinus, paſſi ſub Juliano *Apoſtata*, quem Chriſtianorum Perſecutorem nemo negaverit. *Cauſam vero ſupplicii*, inquit Theodoretus (*g*), *prætexuit, non pietatem, pro qua interfecti ſunt, ſed linguæ petulantiam . . . . cum nomen, atque honorem Martyrii veritatis Athletis invideret*. Eadem invidia ductus Valens Arianus Imperator Chriſtianos, prætextu quidem falſorum criminum, revera tamen ob Fidei Catholicæ profeſſionem cruciabat, uti refert S. Gregorius Nazianzenus (*h*). Martyrio igitur non officit, ſi Tyrannus, qui ex odio in Fidem mortem inflixerit, aliam mortis cauſam falſo prætexat, veluti prædictis enumeratis, concludit Papebrochius *in reſp. ad P. Sebaſt. a S. Paulo* (*i*). Maria Stuarta Jacobi V Scotiæ Regis filia poſt varias viciſſitudines, & ærumnas, alternante fortuna, in arctam cuſtodiam non ſemel conjecta eſt, tandem falſis hæreticorum calumniis tamquam particeps conjurationis in Eliſabetham Angliæ Reginam accuſata, revera ob Fidei Catholicæ profeſſionem interempta eſt. Si de ejus Reginæ Martyrio quæſtio inſtitueretur, opponi poſſet mortis ſententia, & cætera, quæ Georgius Buchananus in libello, *Detectio Mariæ*, aliique Hæretici adverſus Reginam impie confinxerunt. At ſi vera mortis cauſa expenderetur, quæ ex odio Catholicæ religionis ortum habuit, & alia multa, quæ illuſtrem ejus pro Fide Catholica mortem reddiderunt, nihil forte deeſſet ex iis, quæ ad verum Martyrium requiruntur. Legendi Spondanus (*k*), Conæus (*l*), aliique de eodem argumento ſcribentes apud Samuelem Jebb. His addenda epiſtola, quam Regina eadem, imminente morte, ſcripſit Sixto V., & ex Gallico idiomate in Latinum converſam Benedictus XIV. in appendicibus ad hæc opera exhibet.

b de Reg. Cath. præſt. c. 27. ſub n. 29.
c oper. to. 18. de Mar. per peſt. par 2. c. 1. n. 14.
d in ſcorp. c. 15.
e 15. annal. pag. 276.
f ſacr. hiſt. l. 2. c. 29.
g hiſt. Eccl. l. 3. c. 15.
h Orat. 32. n. 14.
i ar. 11. §. 17.
k ad ann. 1567. 1570. 1587.
l in vita Reg. Mariæ.

11 Ad verum Martyrium neceſſe non eſt, ut Perſecutor, interfici Servum Dei expreſſe jubeat, ſed ſatis eſt, ut verba proferat, quibus alii incitati, Dei Servum occidant, ut contigit in Martyrio S. Thomæ Cantuarienſis, qui occiſus fuit ab Henrici Regis ſatellitibus, quos, ſæpe ex ira increpabat, *quod ipſum de uno Sacerdote* (Thoma) *non vindicarent*, ut refert Herebertus (*m*). Idipſum colligere eſt ex Martyrio Thomæ Prioris S. Victoris Pariſienſis, de qua S. Bernardus epiſt. 158., & 159. ad Innocentium II.

m in Quadripart.

12 Satis quoque eſt, ſi Tyrannus ex odio in fidem Martyri mortem inferat, licet occaſionem inferendæ mortis deſumat ex alia re, quæ nihil ad Fidem, vel ſolum per accidens pertineat. Celebratur in Martyrol. Rom. (*n*) Martyrium S. Abdæ, ſeu Audæ, qui, ut narrat Theodoretus (*o*), cum *Pyreum*, templum videlicet a Perſis Igni conſecratum, deſtruxiſſet, ac licet Iſdegerdes Perſarum Rex juberet, reædificare renuiſſet, occiſus eſt. Id clarius deſumitur ex cauſis BB. Joſaphat

n ad 16. Maji.
o l. 5. Hiſt. Eccl. c. 3.

phat Pollocenſis, & Petri de Arbues. Contendentibus enim Fidei Promotoribus, occiſos fuiſſe non ex odio in Fidem, ſed quia nonnullos carceribus Inquiſitionis mancipaverant; Poſtulatores clare demonſtrarunt, mortis cauſam ex odio in Fidem ortum habuiſſe, cætera fuiſſe dumtaxat occaſionem. Demum in Eccleſia PP. Prædicatorum civitatis Septempedanæ colitur B. Camilla Gentili, olim interempta a proprio viro, quod contra hujus præceptum cum Brandina Graſſi genitrice fuiſſet collocuta. Cum conſtruendi eſſent proceſſus ſuper cultu immemorabili, nonnulli a Benedicto XIV. quæſierunt, an poſſet titulo Martyris decorari, utpote quæ, contemptis mariti minis, matrem juxta Domini præceptum honoraverit. Caute procedendum eſſe, reſpondit laudatus Benedictus, cum enim maritus occidiſſet conſanguineum Brandinæ, & familiam Graſſam odio proſequens uxori prohibuiſſet, ne cum matre loqueretur, poterat quidem Camilla dici innocens interfecta, ſed valde dubium ejus Martyrium, cum mors inflicta ex odio in Fidem non videretur.

CAPUT XIV.

De modo, quo probari poteſt, Perſecutorem, ſeu Tyrannum ex odio in Fidem motum fuiſſe ad mortem Martyri infligendam.

1 &c. ID primo demonſtrari poteſt ex ſententia, quam Perſecutor publica auctoritate tulerit. Hujuſmodi ſententiam legere eſt in Actis S. Symphoriani, aliorumque plurium apud Ruinart (a), in quibus lata dicitur a Judicibus juxta leges. Secundo ex diſceptatione inter Tyrannum, & Martyrem, in Actis deſcripta, qualem exhibent Acta Paſſionis SS. Pionii, & ſociorum, necnon Acta SS. Fructuoſi Epiſcopi, Augurii, & Eulogii Diaconorum, apud eumdem Ruinart. (b). Idem videre eſt in Actis S. Mercurii ſcriptis a S. Simeone Logotheta apud Surium (c). Alia hujus Sancti Acta ſcripſerunt Arichiſius, qui Beneventi morabatur ſæculo VIII, & Landulphus Archiepiſcopus Beneventanus Scriptor ſæculi XII, quæ Victorius Giovardus edidit notis illuſtrata. Tertio ex beneficiis, ſeu muneribus a Tyranno oblatis Martyri, ſi hic a propoſito reſiliret. Plura magno Martyri Theodoro oblata deſcribit S. Gregorius Nyſſenus (d). Beneficiis quoque, & muneribus callide tentatam conſtantiam S. Gordii, & SS. Quadraginta Martyrum, teſtatur S. Baſilius (e). Idemque legitur in Actis S. Quirini, & in Actis SS. Claudii, & Aſterii. Quarto ex impunitate, quam Tyrannus pollicitus eſſet Martyri, ſi hic Fidem Chriſti relinqueret. Id oſtendunt Acta SS. Epipodii, & Alexandri, quorum primo interempto, Perſecutor alteri ſuaſit, ut Deorum veneratione ſibi conſuleret. Suffragantur Acta S. Quirini, necnon Acta S. Nicephori, in quibus dicitur Sapricius morte perterritus Diis ſacrificaſſe, Nicephorus vero mortem potius ſuſtinere voluiſſe. Similia leguntur in Actis SS. Victoris, & aliorum, & in Martyrologio Romano (f) de multis Martyrum millibus, qui Nicomediæ Jovi thus adolere nolentes, in Eccleſia juſſu Diocletiani igne conſumpti ſunt. Hic obiter notare fas ſit, pœnitentiam juxta leges Romanas non excuſare delictum, præcipue reo ad tribunal Judicis conſtituto, ſed ad ſummum prodeſſe ad pœnam temperandam. Tamen ob nimiam Chriſtianorum multitudinem neceſſarium viſum fuerit, iis etſi coram Judice conſtitutis veniam dare, ſi Fidem Chriſti abjicerent, uti Plinius (g) Trajano ſuaſit. Huc ſpectat exemplum Thomæ Mori Martyris, licet nondum vindicati, qui cum decreto Senatus Anglicani de Rege in Eccleſiæ Anglicanæ caput conſtituendo repugnaret, reus læſæ majeſtatis habitus eſt: veniam quidem illi a Rege nonnulli promiſerunt, ſi a propoſito reſiliret, ſed mori maluit.

6 &c. Quin-

a pag. 50. 71. 75. 133. 143. 189.

b pag. 126. & 191.

c ad 25. Novemb. to. 6.

d to. 2. oper. pag. 1015.

e to. 2. pag. 146. n. 5.

f ad 25. Decembr.

g l. 10. epiſt. 97.

Digitized by Google

6 &c. Quinto : mortem ex odio in Fidem fuiſſe illatam clare deſumitur ex Actis, in quibus manifeſte dicatur inflicta Servo Dei, eo quod Chriſtianus eſſet : quemadmodum irrogata dicitur SS. Martyribus Ptolemæo, Lucio, & alii Anonymo apud Euſebium (a), necnon Uſthazani Eunucho, & nutritio Saporis Regis Perſarum apud Sozomenum (b) : vel eo quod noluerit facere aliquid, quod receſſum a Fide Chriſtiana ſignificaret. Hujuſmodi fuerunt Martyres interempti, quod Diis ſacrificare detrectaverint, vel cibos Diis immolatos reſpuerint, in quo præcipue enituerunt Agatho, Agape, eorumque ſociæ. Idolothita enim, cujuſcumque generis eſſent, vetita fuerant Chriſtianis in Apoſtolicis Concilii Hieroſolymitani decretis, quippe quæ eſſent ſigna, & irritamenta idololatriæ: monet autem Apoſtolus 1. *Cor.* 10. abſtinendum eſſe ab his, quæ falſam religionem redolerent. Quare Idolothita reſpuens Martyrio coronatus eſt S. Lucianus Presbyter Antiochenus apud S. Joannem Chryſ. (c), S. Sabas, & alii in epiſt. Eccleſiæ Gothicæ. Item ex Actis, in quibus mors illa dicatur, eo quod Martyres noluerint facere aliquid a Fide Chriſtiana vetitum, vel quod ratione circumſtantiarum ſtare non poterat cum præceptis Chriſtianæ religionis. Primum eruitur ex Martyrio S. Polycarpi, occiſi, quia per fortunam Cæſaris jurare detrectaverit, cum enim fortunam, & genium Cæſaris Gentiles pro Diis haberent, non licebat Chriſtianis per illa jurare, etſi liceret per Cæſaris ſalutem, uti deſumitur ex Actis SS. Potamianæ, Marciani, & Nicandri. Huc ſpectant, qui Exceptoris munere fungentes, officium abdicarunt, ne ſententias capitales in Chriſtianos ſcriberent, & ideo mortem ſubierunt, ut fuit S. Caſſianus Martyr in Tingitano, de quo Martyrologium Rom. (d) Alterum oſtendunt Acta S. Maximiliani, ad mortem damnati, quia militem agere noluit; non quod militia per ſe mala ſit, cum multi numerentur Martyres militiam ſecuti; ſed quia frequentes ſub Ethnicis Imperatoribus peccandi occaſiones præberet, qua de cauſa S. Marcellus Martyr Vitem, & cingulum militarem projecit. Tandem mors ex odio in Fidem illata dignoſcitur ex Actis, in quibus Martyres occiſi dicantur, eo quod facere noluerint aliquid, quod religioni Chriſtianæ detrimentum afferret, cujus rei exemplum ſuppeditant, qui, publicato ab Imperatoribus edicto de tradendis ſacris Scripturis, ut comburerentur, obtemperare noluerunt. Et hac de cauſa Felix Tulzocenſis Epiſcopus Martyrio coronatus eſt apud Venuſium Apuliæ urbem, Vincentius Archidiaconus apud Prudentium (e), aliique ex Actis S. Saturnini Presbyteri, & ſociorum : vel eo quod fecerint aliquid religioni Chriſtianæ conſentaneum, licet injuſtis Imperatorum legibus vetitum. Exemplum deſumere eſt ex memoratis Actis S. Saturnini, & ſociorum, ubi SS. Martyres ad judicium deducti ſunt, eo quod Dominicum, ideſt ſacra myſteria, contra Imperatoris præceptum egiſſent.

a hiſt. Eccl. l. 4. c. 17.

b l. 2. hiſt. Eccl. c. 9. & ſeqq.

c hom. in S. Luc. to. 2. oper. p. 524.

d ad 3. Decemb.

e periſteph. hymn. 2.

13. 14 Hæc ex Actis ſinceris Martyrum a Ruinartio collectis deprompta lucem affundere poſſunt, dum in Congregatione rituum expenditur Martyrium, & cauſa Martyrii. In cauſa viginti ſex Martyrum Japonenſium, ut oſtenderetur, mortem cauſam habuiſſe ab odio in Fidem, magnum momentum in ſententia mortis repoſitum fuit. In cauſa B. Joannis de Prado momentum ſtetit in conteſtatione, quam cum Infideli Rege Marochitano habuit de veritate Chriſtianæ religionis, & falſitate ſectæ Mahumetanæ. In cauſis BB. Joſaphat Pollocenſis, Petri de Arbues, & S. Fidelis à Sigmaringa Poſtulatores mortis cauſam a promotione Catholicæ religionis ortam oſtenderunt. In alia Martyrum Japonenſium cauſa finem perſecutionis, & media ad finem directa allegarunt, ut ejuſmodi odium demonſtrarent : ex mediis enim ſæpe dignoſcitur finis, a Perſecutore intentus.

rus. In alia cauſa quorumdam Martyrum magnum pondus habuerunt difficultates a Promotoribus excitatæ, mortem ſcilicet non proveniſſe ex odio in Fidem, cum Tyrannus interfeciſſet Religioſos unius, non alios alterius Inſtituti. Demum nomine odii in Fidem univerſim intelligitur directa Fidei inſectatio, ut Fideles eam negent, vel Divinam Legem violent. Item inſectatio alicujus propter opus ex Chriſti doctrina neceſſarium: aut aliquo modo tendens ad Fidem propagandam, vel tuendam, aut illuſtrandam. Infauſta, & inſolita Tyrannorum mors adminiculum ſaltem ſuppeditat, ut pie credamus, Servos Dei fuiſſe ab illis ex odio in Fidem interemptos. Hujuſmodi conjecturis ſcatet liber Lucii Cæcilii Firmiani Lactantii *de mortibus Perſecutorum*. In Actis S. Cæſarii apud Surium (*a*), Luxurius, qui eumdem Sanctum morti dederat, dicitur a ſerpente mirum in modum conſumptus, uti paulo ante Cæſarius ei prædixerat.

a ad 1. Novemb. to. 6.

CAPUT XV.

De requiſitis in Martyre neceſſariis ante Martyrium.

1 &c. Martyrium dicitur Baptiſmus ſanguinis *Marc.* 10. In adultis eſt actus Fortitudinis, & Caritatis: quoad infantes, ſufficit occiſos fuiſſe ex odio in Chriſtum, ut Martyrium ſuppleat vicea Baptiſmi aquæ, deleatque ex opere operato peccatum originale quoad culpam, & pœnam, ut docet S. Thomas (*b*), quem Theologi communiter ſequuntur apud Vaſquez (*c*). Id comprobant, quæ *lib.* 1. *cap.* 14. expoſita ſunt, pueros ſcilicet ab Herode interfectos cultum Martyrum in Eccleſia obtinere, quod aſſerit etiam S. Auguſtinus (*d*), ſuffragantibus cæteris Patribus collectis a Sandino (*e*). Neque omnes hi pueri ſimul indiſcriminatim colerentur, niſi Martyrium deleret originale peccatum: in iis enim ſolum, qui octavam ætatis diem exceſſerant, per circumciſionem deletum fuiſſet. Hoc adducti exemplo conſentiunt Theologi, infantes omnes, pro Chriſto occiſos, quidquid ſine fundamento excogitaverit Joannes Major (*f*), veros eſſe Martyres, cum omnibus eadem ſit cauſa, quemadmodum, Scholaſticis, & Patribus citatis, oſtendit cit. Vaſquez. Immo id ipſum extendunt ad infantes in uteris maternis occiſos. Quin obſtet textus *in can. Qui in maternis de conſecr. diſt.* 4., ubi dicitur: *Qui in maternis uteris ſunt, ideo cum matre baptizari non poſſunt, quia qui natus adhuc ſecundum Adam non eſt, renaſci ſecundum Chriſtum non poteſt.* Hoc enim ad Baptiſmum aquæ referunt Hurtado (*g*), Card. Capiſucchius (*h*), & alii. Solum ex D. Thoma (*i*) Martyribus parvulis negant *Aureolam*, qua Martyres adulti decorantur. *Aureola* hæc eſt præmium accidentale Beatorum, ideſt gaudium quoddam de operibus factis, quæ habent rationem victoriæ excellentis, adeoque *eſt quoddam privilegiorum præmium*, inquit S. Thomas (*k*) *privilegiatæ victoriæ reſpondens*. Porro privilegiata victoria tres præcipue pugnas reſpicit, videlicet contra carnem, mundum, & Diabolum, ideoque triplex datur Aureola, Virginum, Martyrum, & Doctorum, ut late explicant Sotus (*l*), Theophilus Raynaud. (*m*), & alii. Quocirca, ſi pueri non pugnarunt, nec Aureolam obtinent, licet ſint Martyres.

b 2. 2. qu. 124. art. 1. ad 1.

c in 3. par. D. Tho. to. 2. q. 68. ar. 3. diſp. 153. c. 7.

d i. 3. de lib. arb. c. 23. n. 68.

e in hiſt. famil. ſacr. pag. 60.

f in cap. 2. Matth. dub. 2.

g de ver. Mart. reſol. 20.

h controv. cir. ſq. 2. ſ. 3.

i in 4. ſent. diſt. 49. q. 5. ar. 3. quæſtiunc. 2. ad 12.

k loc. cit. ar. 5.

l in 4. ſent. diſt. 29. q. 5. ar. 2. concluſ. 1.

m de Mart. per peſt. par. 2.

6 Quorumdam puerorum Martyrum exempla adducta ſunt *cit. lib.* 1. *c.* 14. Alia his addi poſſunt. In Martyrologio Rom. (*n*) legitur: *Tharſi in Cilicia SS. Martyrum Quirici, & Julittæ matris ... quorum Quiricus triennis puellus cum matrem ... lugeret, ad gradus tribunalis illiſus interiit.* De horum Martyrio teſtimonium perhibet epiſtola Theodori Epiſcopi Iconii, quam edidit Combefiſius, ac licet ſcripta fuerit labente ſæculo VI, Quiricus vero, & Julitta initio ſæculi IV. Martyrium

n ad 6. Jun.

Digitized by Google

tyrium ſubierint; tamen inter Acta ſincera Martyrum locum obtinuit apud Ruinart, cujus rei rationem reddunt Tillemont (*a*), & Baillet (*b*). Alia exempla cumulant Bollandiani (*c*), Euſebius (*d*), Prudentius (*e*), & Baronius (*f*). Sed hìc de celebri nuper expoſito exemplo SS. Quirici, & Julittæ repetere juvat, quod *cit. lib.* 1. dictum eſt: ab exemplis ſcilicet ibi relatis non undequaque concludendum eſſe, quod infantes in odium Fidei occiſi inter Martyres recenſeantur. Licet enim S. Quiricus ob ætatem infans dici potuerit, ex Divinæ tamen gratiæ auxilio, ut adultus haberi debuit: nam in cit. epiſt. Theodori additur, quod *accepto Prætor manu puero, blande deliniens, a fletu cohibere nitebatur ... Puer vero intentis in matrem luminibus. Prætorem abs ſe ſubmovebat ... ejusque faciem unguiculis ſcalpebat ... ac clamans Chriſtianus ſum: calcibus quoque Judicis latus petebat*. Repetere quoque fas ſit, quod ibidem dictum eſt, nempe, expectandum eſſe judicium Sedis Apoſtolicæ, ſi cauſa Beatificationis, aut Canonizationis formalis alicujus pueri in odium Fidei inſtituenda ſit, cum nullum adſit hujuſmodi rei præcedens exemplum: illud vero Simeonis pueri Tridentini a Judæis occiſi in odium Fidei, de quo eodem *lib.* 1., ad quamdam Beatificationem dumtaxat referri poſſe. Demum advertendum eſſe, Beatificationes, & Canonizationes non ſolum fieri, ut habeamus apud Deum interceſſores, ſed etiam, ut res geſtas imitari poſſimus. Nulla vero imitandi ratio ab infantibus deſumi poteſt.

7 Quod ſpectat ad adultos, doctrina Eccleſiæ eſt, Martyrium in iis ſupplere vices Baptiſmi aquæ, ac delere peccata originale, & actuale, quoad culpam, & pœnam, ut explicant SS. Cyprianus (*g*), & Auguſtinus (*h*), quibus acceſſit Antonius Epiſcopus civitatis Conſtantinæ in epiſt. ad Arcadium. Suffragatur Eccleſiæ conſuetudo, quæ nec preces, nec ſacrificia offert pro Martyribus, juxta

a to. 5. pag. 349.

b ad 16. Jun.

c ad 19. Maji to. 7. & ad 12. Jul. to. 3.

d l. 2. de reſurr.

e hymno. 14.

f ad an. 311.

g in præf. ad lib. de exhort. Mar. col. 514.

h l. 13. de Civit. c. 7.

illud Innocentii III. *in cap. Cum Marthæ: Injuriam facit Martyri, qui orat pro Martyre*, quod ex S. Auguſtino (*i*) deſumptum eſt. Solum controverſia viget inter Theologos, num Martyrium pariat effectum illum ex opere operato, an ex opere operantis. Nonnulli cum S. Tho. (*k*). id adſcribunt actui caritatis. Sotus, Bellarminus, aliique apud la Croix (*l*) repetunt ex quodam privilegio propter imitationem Paſſionis Chriſti, adeoque quaſi ex opere operato. Quomodocumque gratia conferatur, adulti quaſdam diſpoſitiones præmittere debent, ut eorum Martyrium conſequatur effectum. Ideoque Catechumenus Baptiſmo fluminis, ſi poſſit, initiandus eſt ante Martyrium: Baptizatus, qui peccata commiſiſſet, confeſſionem ſacramentalem præmittere debet, ſi poſſit: ſin minus, de peccatis doleat oportet, ac demum Euchariſtiam ſumat, ſi facultas ſumendi detur. Hæc jure Divino præcepta ſunt conſtitutis in mortis articulo, nec Martyrium ab his ſolvit. Hæc eſt D. Thomæ doctrina (*m*), cui præiverat S. Cyprianus (*n*), & ſubſcripſerunt Soto (*o*), Eſtius (*p*), aliique plures. Quidquid enim ſit de Theologorum placitis in controverſia, an aliquis juſtificari poſſit per actum amoris Dei ſine formali pœnitentia de peccatis commiſſis, ſemper verum eſt, urgente præcepto confitendi, & pœnitendi, conſtitutum in mortis articulo conſcium, peccati lethalis non remiſſi debere formaliter pœnitere, & confiteri, ſi poſſit, itaut aliter nec dilectio Dei ſuper omnia, nec Martyrium juſtificationem inducant, ut proſequuntur Silvius (*q*), Gordonus (*r*), & alii. Cohærenter ad hæc Benedictus XIV, cum approbaret Martyrium, & cauſam Martyrii Venerabilium Rodulphi Aquavivæ, Ignatii Azevedi, & ſociorum, ſedulo perpendit actus, quos Servi Dei morituri præmiſerant, inter quos magnum pondus habuerunt ſacramenta Confeſſionis, & Communionis.

i tract. 84. in Joan. col. 709. tom. 3. oper. par. 2.

k 3. par. q. 66. art. 12. ad 2.

l to. 2. l. 6. par. 1. tract. 2. n. 238.

m in 4. ſent. diſt. 4. q. 3 art. 3. ad 1

n epiſt. 54.

o in 4. ſent. diſt. 15. q. 2. art. 2. concl. 3.

p in 4. ſent. diſt. 4. §. 21. to. 2.

q in 3. par. q. 66. ar. 11. & q. 88. artic. 2.

r to. 2. l. 6. q. 19. c. 4.

 11 &c. In-

11 &c. Inquirunt ulterius Theologi, an nondum baptizatus pro Chriſto moriturus baptiſmum exoptare debeat. Putat Eſtius cit., ſatis eſſe, ut non contemnat. Sed Clericatus (*a*) probabilius votum baptiſmi fluminis exigit, ut moriens pro Chriſto inter Martyres recenſeatur. Quærunt præterea, an is, cui mors pro Chriſto inſtat, teneatur elicere contritionem, ſi conſcius ſit alicujus peccati. Bellarminus cit., quem alii ſequuntur, affirmat ſufficere attritionem, uti ſufficit ad Baptiſmum aquæ. Suarez (*b*), & Maurus (*c*) requirunt contritionem. Alii, inter quos Card. Gotti (*d*), probabiliter exiſtimant, virtualem contritionem per accidens ſufficere poſſe. Sed hæc indicaſſe ſatis: cum reſpiciant actus internos, de quibus Eccleſia non judicat. Quocirca, ut reſumatur materia actuum externorum, ſi in Congregatione rituum ageretur de Martyrio, & cauſa Martyrii alicujus Catechumeni, quem Promotor Fidei oſtenderet potuiſſe recipere aquam Baptiſmi, ſed non recepiſſe, cauſæ imponendum eſſet ſilentium. Huic aſſumpto favet Paſſio SS. Montani, Lucii, & aliorum apud Ruinart (*e*), inter quos Donatianus, & Primolus ante Martyrium baptizati dicuntur. Addi poſſunt Acta SS. Rogatiani, & Donatiani apud eumdem (*f*), quorum primus cum Baptiſmum nondum recepiſſet, Baptiſmum flaminis Martyrio præmiſiſſe dicitur. Nec ulteriorem habebit progreſſum cauſa Martyris, quem gravi peccato inquinatum, nec doluiſſe, nec ſacramentalem confeſſionem, habita Confeſſarii copia, expleviſſe, appareret. Narrat S. Petrus Damiani (*g*), quaſdam meretrices Martyrium ſubiiſſe, eo quod Saracenos reſpuiſſent, licet Chriſtianos paſſim admiſiſſent. Theophilus Raynaudus (*h*) has a Martyribus ſemovet, niſi peccata cum Chriſtianis commiſſa averſatæ eſſent, quod feciſſe dignoſcitur ex eo, quod Chriſtus apparuiſſe, & ad certamen animaſſe dicitur. Idem de ſancta Afra cum ſociis, e poſtribulo Martyribus, oſtendunt ejuſdem Acta apud Ruinart (*i*). Refert item Baronius (*k*), Joannem, & Benedictum Monachos, S. Romualdi diſcipulos, invicem confeſſos fuiſſe, cum adventum Perſecutorum præſenſiſſent. Ad ulteriora pariter procedendum non eſſet in cauſa Martyris, qui cum ante Martyrium Euchariſtiam ſumere potuiſſet, non recepit. In Actis SS. Perpetuæ, Felicitatis, & ſociorum Chriſtus habitu paſtoris oves mulgentis apparuiſſe dicitur, ac buccellam caſei Perpetuæ porrexiſſe, qua junctis manibus ſumpta, aſtantes dixerunt *Amen*. Inde Perpetua ſociis futuram Paſſionem annunciavit. In hoc adumbratum eſſe ritum ſumendæ Euchariſtiæ exiſtimant Petrus Poſſinus, & Bollandiani (*l*). Et hunc ritum antea docuerat Sanctus Cyprianus (*m*).

15. 16 Hic pauca adtexere juvat ex his, quæ olim Fideles erga Dei Servos in carceribus detentos, & Martyrium expectantes præſtabant. Conveniebant enim ad eos viſitandos, idque non glomeratim, ſed caute faciendum eſſe monuit S. Cyprianus (*n*). Tum opera potiſſimum Diaconorum neceſſaria ad victum, & veſtitum miniſtrabantur, ut colligere eſt *ex hiſtoria Paſſionis SS. Dativi, Saturnini, & Sociorum* apud Albaſpinæum (*o*) a Donatiſta ſcripta. Tanta aliquando fuit liberalitas, ut, teſte Tertulliano, Confeſſor vino myrrha condito inebriatus Præſidi reſpondere nequiverit; ideoque S. Cyprianus cit. enixe commendavit, ut neceſſaria tantummodo darentur. Temporalem Diaconorum curam ſequebatur cura ſpiritalis Sacerdotum, qui carceres ingrediebantur, ut coram Confeſſoribus Sacrum facerent, & in hoc quoque prudentiam inſinuavit S. Cyprianus. Præterea ſalutaribus monitis ad mortem pro Chriſto ſuſtinendam præparabant: quo munere functus videtur Tertullianus *ex lib. ad Martyr.*, in eoque fulſerunt inſignes Sacerdotes Germanicus, in epiſt. Eccleſiæ Smyrnenſis de Martyrio S. Polycarpi, Numidicus, & Tertullus

a deciſ. 27. n. 9. de Bap.
b in 3. par. D. Tho. to. 3. diſp. 29. q. 69. ar. 10. ſect. 3.
c Theol. to. 3. l. 8. q. 98. n. 9.
d Theol. to. 13. q. 2. de Bapt. dub. 4. §. 1.
e pag. 201. n. 2.
f pag. 247. n. 5.
g opuſc. 47. c. ult.
h cit. oper. par. 2. c. 5. n. 25.
i pag. 400. n. 1.
k ad ann. 1000. n. 15.
l ad 7. Mart c. 1. to. 1.
m epiſt. 54.
n epiſt. 4.
o poſt obſer. ad S. Optat. pag. 291.

tullus apud S. Cypr. (*a*). Ab hac cura non fuiſſe exemptos Epiſeopos deſumitur ex epiſt. 31. Cleri Romani ad eumdem S. Cypr.

a epiſt. 37.

17 &c. Huc uſque adducta apertiſſime oſtendunt, in cauſis Martyrum inquirendum eſſe, quomodo ad Martyrium ſe præparaverint, & an media ad ſalutem æternam conſequendam neceſſaria, atque utilia adhibuerint. Quod ſi hujuſce rei ulteriora exquirantur documenta, præſto eſt Martyrium Emmerami Epiſcopi Ratiſponenſis apud Baronium (*b*) Epiſcopus hic crudeliſſime in pluribus membris truncatus, aquam refrigerantem a Vitali Presbytero petiit, acceptoque reſponſo, mortem potius optandam eſſe, repoſuit, *neminem ad mortem feſtinare debere, ſed potius optare, ut differatur... ut detur ſpatium infirmis ad agendam pœnitentiam...* Suffragantur exempla cauſarum, quæ in Congregatione rituum diſcuſſæ ſunt, videlicet viginti ſex Martyrum Japonenſium, SS. Joannis Nepomuceni, Fidelis a Sigmaringa, & aliorum, in quibus Poſtulatores oſtenderunt, quibus actibus SS. Martyres ad mortem ſe præparaverint. Expedit quoque, ut pro felici cauſæ exitu vita Martyrum anteacta exponatur: licet enim juxta S. Petrum Chryſol. (*c*) nemo poſſit Martyrium de condigno mereri: poteſt tamen de congruo, apud S. Euſebium Gallicanum (*d*). Expedit, inquam, ſed non eſt neceſſarium, cum contingere poſſit, ut aliquis, magnis obſtrictus ſceleribus, ſi pro Chriſto moriatur, Martyrum catalogo adſeribi poſſit. *Plurimos*, inquit S. Ambroſius (*e*), *comperimus ſe denuo reformaſſe poſt lapſum, & pro nomine Dei paſſos. Non poſſumus his Martyrum conſortia negare, quibus Dominus Jeſus non negavit.* Suffragantur SS. Hieronymus (*f*), Auguſtinus (*g*), & Eulogius (*h*) exempla referentes. Alia videre eſt apud Ruinart ſæpe cit. Bollandianos (*i*), Raynaldum (*k*), & Auguſtinum Orſi. Demum cum agetur de introducenda cauſa Martyrii F. Alipii a S. Joſeph, qui, ejurata Catholica Fide, pœnitentia ductus, ſanguinem pro Chriſto fudit, negata fuit introductio, non ex eo, quod Alipius a Fide defeciſſet, ſed quia neceſſaria ad *ſignaturam Commiſſionis* non aderant. In cauſa Ven. Joannis de Britto, obſiſtente Promotore Fidei ulteriori cauſæ diſcuſſioni, quod Servus Dei in Miſſione Madurenſi uſus fuiſſet ritibus illarum regionum, a Sede Apoſtolica vetitis, reſpondit Benedict. XIV, ad ulteriora procedendum eſſe, non ſolum, quia Joannes ritus ſolum adhibuerat prout a Sede Apoſtolica permiſſos, ſed quia reatus quicumque cenſendus erat deletus per ſubſecutum Martyrium.

b ad ann. 702. n. 8.

c ſer. 152. to. 7. Bibl. PP. Lugd. pag. 962.

d to. 6. Bibl. PP. Lugd. pag. 671.

e l. 2. de pœnit. c. 11. to. 2. oper.

f epiſt. ad Pamach. & Ocean. de err. Orig. to. 2. oper.

g l. 1. de Bapt. contra Donat. c. 18. to. 9. oper.

h tom. 15. Bibl. veter. PP.

i to. 4. Jul. pag. 651.

k ad ann. 1333. n. 44. ad an. 1358 n. 7.

CAPUT XVI.

De Martyrii deſiderio, ejus acceptione, ſpontanea ad ipſum oblatione, & fuga, urgente perſecutione.

1. 2 MArtyrium laudabiliter deſiderari poſſe innuit Apoſtolus 1. *ad Timoth.* 5. *Si quis Epiſcopatum deſiderat, bonum opus deſiderat*; quod ab Apoſtolo dictum, ait S. Gregorius, quo tempore ille, qui plebi præerat, primus ad Martyrium ducebatur. Idem ſentit S. Thomas (*l*). Aliter Chriſtus nos ad Martyrium non eſſet cohortatus: *Chriſtus paſſus eſt pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut ſequamini veſtigia ejus*, inquit S. Petrus *epiſt* 1. Accedunt Eccleſiaſtica monumenta. Celerinus Confeſſor, ſcribens ad Lucianum Confeſſorem, ſe Martyrii cupidum exhibet, eumque laudat S. Cyprianus (*m*). Alios hoc deſiderio flagraſſe, memorat S. Hieronymus de vita Pauli Eremitæ (*n*): ac tales ſe exhibuerunt SS. Montanus, & ſocii, nec non Mater Flaviani, & ipſe Flavianus in Actis apud Ruinart (*o*). Huic deſiderio non obeſt, quod per illud videatur optari peccatum Tyranni. Nam, ut advertit Card. de Lu-

l 2. 2. q. 185. ar. 1. ad 2.

m epiſt. 22. col. 78.

n to. 2. oper. col. 3. n. 2.

o pag. 205. n. 15.

a de juſt.& jur. tom.1. diſp.10.ſect. 1. n.45.

go (a), poſſumus a Deo petere, ut nos conſtituat in occaſione Fidem profitendi coram Tyranno, quod contingere poteſt ſine Tyranni peccato; adeoque petere, ut in ea occaſione poſitos confirmet Gratiæ ſuæ auxilio ad Fidem non negandam. Hurtado (b), Eſtius (c), & alii docent, peccatum Tyranni non cadere ſub Martyris electionem, ſed præſupponi, eoque præſuppoſito, Martyrii deſiderium eſſe meritorium. Ipſe Chriſtus Paſſionem ſuam voluit, licet ſine crucifigentium peccato haberi non poſſet.

b de ver. Mart. reſol. 38. §. un.

c in 2. ſent. diſt. 23. §. 2.

3 &c. Acceptio mortis per actum voluntatis antecedit mortem tempore, vel ratione. In iſto actu duæ rationes intelligi poſſunt: una generalis, quæ ſit abſolute acceptio mortis; altera ſpecialis, quæ ſit acceptio mortis Fidei defendendæ cauſa, & hæc conſtituit actum in ſpecie Martyrii, ſed hic ſolum quæritur, an generalis acceptio mortis ſit de eſſentia Martyrii. Non eſſe putavit Goffridus Abbas Vindocinenſis, & Cardinalis S. Priſcæ (d), ſcribens ad Paſchalem II. non debuiſſe Henrico IV. Imperatori concedi privilegium ſacris juribus adverſum, licet propterea nonnulli mortem ſubiiſſent; addens hoc futuros fuiſſe Martyres, quamvis inviti paterentur uti fuerunt pueri ab Herode occiſi. Idem innuit S. Cyprianus in epiſt. ad Tibaritanos, ubi Martyrem dicit, qui fugiens Tyrannum, in ſolitudine, a fera, vel latrone occiditur. Quibus auctoritatibus innixus Hurtado (e) contendit, nullam, ſaltem in homine juſto, requiri Martyrii acceptionem per actum voluntatis. Oppoſitum docet communior, & admittenda Theologorum ſententia, ut adultus, in odium Fidei occiſus, Martyr ſit. Huc ſpectat illud Matth. 16. *Si quis vult poſt me venire, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me*. Negatio enim ſui, crucis aſſumptio, ſequela Chriſti actum voluntatis important. Accedit ratio, quia Martyrii ſuſceptio eſt actus meritorius, idcirco voluntarius, & liber. Ad hoc optima eſt voluntas actualis; ſufficit tamen virtualis non retractare, vel etiam habitualis, non vero interpretativa. Ita Theophilus Raynaudus (f) Rotæ Auditores in relat. cauſæ B. Joſaphat Pollocenſis, & alii. Poſtulatores cauſæ Ven. Servi Dei Joannis Juvenalis Ancinæ Salutiarum Epiſcopi putarunt, de hoc agi poſſe ſub titulo Martyris, eo quod Sacerdos, quem propter ſcandaloſam cum quibuſdam Monialibus converſationem redarguerat, venenum ei propinaſſet: ſed opponente Fidei Promotore, venenum propinatum fuiſſe Servo Dei penitus inſcio, adeoque defuiſſe voluntariam mortis acceptionem, Martyrium Congregatio rituum non admiſit. His non obſtat epiſtola Vindocinenſis, quæ innititur Martyrio infantium, a quibus non valet illatio ad adultos. S. Cyprianum de Martyribus late ſumptis interpretantur Cardinales Capiſucchius, & Gotti: vel credendum eſt, in eo eventu præceſſiſſe formalem Martyrii acceptionem, ut ſubdit Card. de Lauræa. Sed hæc indicaſſe ſufficiat, cum forum potius internum reſpiciant. Quamvis enim dormiens ex odio in Chriſtum occiſus Martyr coram Deo eſſe poſſit, ſi nempe formalis ſubeundi Martyrium voluntas præceſſerit, tamen hujuſmodi cauſa difficilem haberet progreſſum in Congregatione rituum, quæ claras exigit cauſæ mortis, & perſeverantiæ finalis probationes, quæ in adducto caſu deeſſent.

d l.1. epiſt. 7. tom. 21. Bibl. PP. pag. 7.

e reſol. 26. §. 1.

f oper. ſæpe cit. c. 3. n. 3. & 7.

7 Spontaneam ad Martyrium oblationem vetuerat antiqua Eccleſiæ diſciplina, ut colligere eſt ex Actis Proconſularibus S. Cypriani, qui hoc ipſum docuerat, ejuſque doctrinam laudavit S. Auguſtinus *contra epiſtolam Gaudentii* (g). Quin etiam ante hos Sanctos oblationem hanc reprobaverat epiſtola Eccleſiæ Smyrnenſis de Martyrio S. Polycarpi apud Ruinart. (h). Nec placuiſſe Menſurio Epiſcopo Carthagineinſi, ideoque noluiſſe ſic morientes admit-

g to. 9. oper. l. 1. n. 40.

h pag. 28. n. 4.

admittere inter Martyres, teſtatur S. Auguſtinus in breviculo collationis cum Donatiſtis (a).

8 &c Permiſſa tamen erat his, qui Fidem abjuraverant, ut ſcilicet, qui Chriſtum pro tribunali abnegaſſent, ibidem confiterentur, ut docuit S. Cyprianus (b), & pluribus comprobat Verricellus (c). Alii plures coluntur ut Martyres, licet Tyrannis ſe obtulerint, apud Lucianum (d), Juſtinum (e), & Tertullianum (f). Hac de cauſa a Chriſtianis perſequendis obtinuiſſe Julianum Apoſtatam refert S. Joannes Chryſoſtomus (g). Phocam Martyrem, alioſque morti ſponte oblatos refert P. Auguſtinus Orſi in diſſert. apologetica pro SS. Perpetua, & Felicitate. Plures hujuſmodi Martyres commemorant Martyrologium Rom. (h), Menologium Græcorum, juſſu Baſilii junioris Imperatoris conſcriptum, & Bollandiani (i). Addit laudatus Orſi, hos Martyres ultro ſe obtuliſſe Tyrannis ex ſpeciali Spiritus Sancti impulſu. Enimvero Capraſius Martyr in Rom. Martyrol. (k) dicitur non deſcendiſſe ad certamen, niſi poſtquam a Deo ſignum obtinuit. Alibi hic Spiritus Sancti impulſus expendetur. Interim advertere juvat, poſſe aliquem ex aliis circumſtantiis pie, & laudabiliter ſe Martyrio ſponte offerre, nempe ut alios ab idolo-latria detrahat, uti S. Romanus apud Euſebium Cæſarienſem (l): vel ut nutantes in Fide Chriſtiana exemplo ſuo confirmet, quod præſtitit S. Gordius apud S. Baſilium (m). Demum nil in Actis Martyrum vulgatius vocibus illis ſpontaneis: *Chriſtianus ſum: mori volo*, & ſimilia, ut notavit Balutius (n.) Narrat Baronius, plures ſponte Martyrio ſe exhibuiſſe, cum Abdaramenus Rex Mahumetanus Cordubæ in Hiſpania Chriſtianos perſequeretur. Hoc Martyrium, eodem Baronio teſte (o), damnavit, & vetuit Conciliabulum Epiſcoporum, hortante Recafredo Epiſcopo, qui a Fide defecerat, collectum: ſed ſtrenue vindicavit S. Eulogius *in Memoriali pro his SS. Cordubenſibus exarato* (p). Cumque oſtenderit, Fidem tunc ex ſilentio fuiſſe periculis expoſitam, ejuſque depreſſionem conſecuturam, niſi veritatis teſtes profeſſionem ſuæ Fidei hoſtibus ingeſſiſſent, eoſque generoſa confeſſione provocaſſent; cauſa hæc apta, & forte neceſſaria erit, ut quis Martyrio ſe offerat: multo magis cum prædicti Martyres Cordubenſes colantur in Martyrol. Rom. Præterea juſta videtur, nec Martyrio oppoſita ſpontanea oblatio ad grave imminens malum avertendum. Cum S. Petrus Alexandrinus, pro Fide in carcere detentus, proxime interficiendus diceretur, Chriſtiani ad carcerem properarunt, ut militibus reſiſterent. Petrus autem timens, ne ſui cauſa Chriſtiani cum militibus manus confererent, Tribunum ſecreto admonuit de modo, quo ipſum ſine impedimento de medio tolleret, quod & factum eſt, ut fuſe refert Baronius (q). Idem dicendum, quando quis ſe offert, ne pro ipſo alii ad ſupplicia, & tormenta trahantur. Id a S. Marco Epiſcopo Arethuſio factum deſcribit S. Gregorius Nazianzenus (r), & de SS. Virginibus Flora, & Maria Martyribus Cordubenſibus refert S. Eulogius (ſ).

12 Antiquiori diſciplinæ ſubſcribunt Theologi aſſerentes, non ſolum ex Spiritus Sancti impulſu poſſe aliquem ſe Martyrio offerre, verum etiam zelum Fidei, & fraternam caritatem cauſas eſſe ſufficientes ſpontaneæ oblationis, ut docet S. Thomas (t), quem alii communiter ſequuntur, alias quoque cauſas ſpeciatim exprimentes. Ut paucis omnia complectamur, ad rectum de hac oblatione ferendum judicium, advertenda eſt diſpoſitio ejus, qui ſe obtulit, & finis, ob quem ſpontaneam fecit oblationem, veluti diſſerit laudatus Verricellus.

13. 14 Succedit conſideratio fugæ, an ſcilicet urgentem perſecutionem quis fugere poſſit, itaut ſi apprehenſus pro Chriſto moriatur, antecedens fuga eum a numero Martyrum non exclu-

a coll. 3. die I c. 13. to. 9. oper.
b ep. 52. ad Antonian.
c de Apoſt. Miſſ. tit. 1. q. 9. ſect. 3. n. 19.
d de mort. pereg. n. 13.
e apol. 1. n. 11.
f ad ſcap. c. 1.
g hom. in SS. Juvent. & Max. to. 2. pag. 579.
h ad 14. Mart. & ad 25. Jan.
i ad 24. Mart. to. 3. p. 478.
k 20. Octob
l de Mart. Palæſt. c. 2. pag. 409. to. 1.
m orat. de S. Gord. n. 3.
n in not. ad c. 11. Auct. de morte Perſ. (to. 2. miſcell.)
o ad an. 852 n. 11. & 16.
p l. 1. p. 148. (to. 15. Bibl. PP.
q ad an. 310.
r orat. 3. to. 1. oper.
ſ loc. cit. l. 2. c. 8. pag. 261.
t 2. 2. q. 124. ar. 3. ad 1.

cludat. Tertullianus (*a*) hanc fugam damnavit, ſed ejus ſententiam Eccleſia communi conſenſu reprobavit, ut dictum eſt *lib.*1. Plura de hoc diſſerunt Suarez (*b*), Cardinales Baronius (*c*), de Lugo (*d*), aliique. Ex quibus fugam per ſe loquendo licitam eſſe patet: *Cum perſequentur vos in civitate iſta*, inquit Chriſtus Matth.10., *fugite in aliam*. Ipſe Chriſtus ſæpe fugit a Judæis perſequentibus Matth.12, Joan.8., & alibi: Petrus ab Herode *Act.*12, Paulus ab Areta Rege 2. *Corint.* His exemplis S. Athanaſius (*e*) fugam ſuam tutatus eſt. Hujuſmodi enim fuga non eſt Fidei negatio, ſed virtualis confeſſio.

a l. de fug. ab Fab. c. 12. & 13.

b de Fid. ſpe, & Char diſpu. 14. ſect. 3. n. 10.

c ad an. 205 n. 11.

d de virt. Fid. diſp. 14. ſect. 2. n. 41.

e to. 1. oper. par. 1. pag. 320.

15 Epiſcopis, cæteriſque curam animarum gerentibus fuga vetita eſt, ſi præſentes gregi prodeſſe poſſint, abſentes obeſſe. Id innuit Chriſtus Jo.10. *Bonus paſtor animam ſuam dat pro ovibus ſuis. Mercenarius .... videt lupum venientem .... & fugit*. Fuſe quoque exponitur *in can. Sciſcitaris* 7. *qu.*1., & egregie explicat S. Thomas (*f*), itaut qui animarum curæ præſunt, urgente perſecutione, ex juſtitia teneantur remanere, non fugere, nec ſe occultare, niſi forte ex eorum abſentia nulla Divini honoris injuria, nulla ſubditorum ſubverſio timeatur, expediatque, eos in aliud tempus reſervari. Quapropter Petrus, Paulus, Athanaſius, aliique ſancti viri, qui in perſecutione fugerunt, aut ſe occultarunt, veri fuerunt Paſtores, cum id fecerint, ut tempore opportuniori gregem juvarent. S. Cyprianus in epiſt. *ad Presbyteros, & Diaconos Romæ conſiſtentes* fugam ſuam defendit, quod abſens corpore, ſpiritu præſens muneri ſuo non deeſſet. Rationem fugæ reddiderat, inquiens: *orto turbationis impetu primo, cum me clamore violento, frequenter populus flagitaſſet, non tam meam ſalutem, quam quietem Fratrum publicam cogitans, interim ſeceſſi*. Ex quibus verbis colligitur, eo magis poſſe Præſulem fugere, ſi ſpecialiter ipſe quæratur; dummodo gregi ſuo ante conſulat, uti docet S. Auguſtinus (*g*), & de eodem S. Cypriano ſcribit Pontius Diaconus in ejus vita.

f 2. 2. q. 185. ar. 5.

g epiſt. 180. vel. 228. ad Honorat. o- ver. to. 2.

17 Perſonæ privatæ laudabiliter, & meritorie in perſecutione remanere poſſunt, ſi utilitati proximorum, aut gloriæ Dei expediat, & in Fide conſtantes fore ſperent. Immo nonnulli ex laudatis Theologis id a caritate imperatum cenſent, & antea innuerat S. Auguſtinus paulo ante laudatus.

18. 19 Paucis: aliquando licet fugere; interdum præceptum eſt remanere; nonnumquam ſolum meritorium: & cohærenter ad hæc ferendum eſt judicium de fuga in cauſis Martytum. Verricellus (*h*) affirmat, fugam *Matth.*10. eſſe permiſſam, cum aliquando melius ſit fugere, quam permanere: præceptam vero Prædicatoribus Evangelii, ſi declinando perſecutionem ſine ſcandalo Fidelium, latius Evangelium diſſeminatur, & aliis de cauſis, quas ipſe enumerat, & admittunt Suarez cit., & alii. Maldonatus in *Matth.*10. inter alia docet, majorem Dei gloriam, & Eccleſiæ utilitatem hujuſmodi fugæ regulam eſſe debere. Ideoque cum in expeditione litterarum remiſſorialium in cauſa Servorum Dei Iguatii Azevedi, & ſociorum oppoſitum fuiſſet, eos debuiſſe fugere, Card. de Lugo, ac duo alii Societatis Jeſu Theologi ſuper hoc ſcribentes, poſtquam plura ſuper fuga, *Matth.*10. inſinuata, ex Patribus expendiſſent, tandem in Maldonati convenerunt ſententiam, Ignatium ſcilicet, ſocioſque fugere non debuiſſe, cum eorum iter, urgente licet mortis periculo, ad Fidei Catholicæ exaltationem, majoremque Dei gloriam tenderet.

h loc. cit. ſect. 5. n. 47.

20 Quæſtio demum eſt, an qui jurat, ſe ad carcerem iterum rediturum, ſi certo ſciat, ſe injuſte damnandum, teneatur redire, & non rediens ſit perjurus. Affirmant Cajetanus (*i*), & alii. Negat Covarr. (*k*), quem nonnulli ſequuntur, cum Judici injuſte fidem poſtulanti, fides ſervanda non ſit, niſi

i 2. 2. q. 89. ar. 7.

k l. 1. var. reſol. cap. 2. n. 2.

niſi alia ſubſit cauſa virtutis. Ceſſaret omnis controverſia in eo, qui ex odio in Fidem carceribus mancipatus, prædicto modo dimitteretur; ſubeſt enim cauſa virtutis, ideſt, caritatis in Chriſtum, & Chriſtianæ fortitudinis.

CAPUT XVII.

De provocatione Tyranni.

1. 2 PRovocatio, quæ forte ex ſpontanea Martyris oblatione proveniat, ſatis ſuperius expenſa eſt: hic expendenda occurrit provocatio, qua Martyr dictis, vel factis Tyrannum inflammat ad Martyrium inferendum. Regula generalis eſt, non licere Martyri provocare Tyrannum ad mortem ei inferendam, ut eruitur ex S. Thoma (*a*), præterquamquod qui ſic ageret, ſe exponeret periculo deficiendi a Fide, & intraret in tentationem contra præceptum Chriſti Marc. 14., ***ut non intremus in tentationem***. Hæc late proſequuntur Card. de Lauræa (*b*), Hurtado (*c*), & alii. Cum vero nonnulli Sancti Martyrum catalogo adſcripti ſint, licet Tyrannos provocaſſe dicantur; hanc provocationem ad Spiritus Sancti impulſum referunt. Quoad eos, de quibus quæritur, an Martyrum catalogo adſcribendi ſint, nonnullas proferunt notas ad dignoſcendum, utrum ex eo impulſu, an ex animi levitate, vel deliberationis præcipitantia provocatio provenerit, adeoque obſtet Martyrio. A ſubſequentibus miraculis id declarari, ait Matthæuccius (*d*). Verricellus vero (*e*) ex perſeverantia in confeſſione uſque ad mortem id repetit. Huc nullo negotio trahi poſſunt, quæ probant voluntariam ad Martyrium oblationem a Spiritus Sancti impulſu cauſam habuiſſe.

a 2.2.q.124. ar.1.ad 3.

b in 3.ſent. par.2.to.3. diſp.20. ar. 13. n.2;7.

c reſol. 37. pag.68.

d in pract. Theologo-Can. tit. 4. c.1.§.3.n.62

e tit.1. q.9. ſect.4. ſub n.43.

3 Verum ut hæc materia clare explicetur, provocationes in ipſo actu Martyrii, vel ante Martyrium contingere poſſunt. Quæ in actu Martyrii fiunt, nullatenus vero Martyrio obſtant, teſte Verricello (*f*). Ejuſmodi fuerunt provocationes junioris ex fratribus Machabæis Martyribus, *Machab.2.*, S. Stephani *Act.7.*, S. Gordii apud S. Baſilium (*g*), & S. Symphoriani apud Ruinart (*h*). His addendi, qui, vel mortis executores, vel beſtias, ad quas erant damnati, factis excitarunt ad mortem celerius ſibi inferendam. Id ſe facturum ſcripſit S. Ignatius Antiochenus in epiſt. ad Romanos, & feciſſe dicitur Germanicus in epiſtola Eccleſiæ Smyrnenſi idemque de SS. Andronico, & Tharaco, necnon Perpetua, refertur in eorum Actis apud Ruinart (*i*). Hos ſpeciali Spiritus Sancti impulſu ad provocationem adductos oſtendunt ſubſecuta prodigia, & miracula. Verumetiam hoc impulſu ſecluſo, aliæ circumſtantiæ provocationem reddere poſſunt juſtam, & laudabilem. Quis enim criminetur Martyrem, qui in poteſtate Tyranni conſtitutus, aut tormentis ſubjectus, vel proximus, ejus iniquitatem redarguat, Evangelium annuntiet, iniquas ſectas condemnet, aut ad ſacrificandum idolis adactus, idola frangat, etiam in regionibus Infideli Principi ſubjectis? Quod quidem ſapienter adnotavit Mendoza (*k*), & admiſſum videtur a Congregatione rituum in cauſa B. Joannis de Prado.

f ſub n.45.

g hom. in eumd. S.to. 2.oper.pag. 145. n.4.

h pag. 69. n.2.

i pag. 12. 33. 88. & 392.

k in not. ad can. 6 Conc.Illib. c.48. apud Lab. to.1. col.1317.

4. 5 Majorem difficultatem ingerunt illi Servi Dei, qui, antequam in poteſtatem Tyrannorum deveniant, dictis, aut factis provocant ad mortem inferendam. ***Si quis idola fregerit***, inquit Concilium Illiberitanum ***can. 60. & ibidem fuerit occiſus.... placuit in numero eum non recipi Martyrum***. Porro adnotavit Mendoza cit., Patres naſcentis Eccleſiæ optaſſe, ut templa, & idola Ethnicorum, non vi, & armis, ſed pietate, ac religione deturbarentur, ne Eccleſiæ progreſſus humanis auxiliis tribueretur. Hurtado autem (*l*) animadvertit, ſi ab Infidelibus Fideles occidantur, dum eorum aras, & idola deſtruunt, mortem non odio in Fidem, ſed rerum ſuarum defenſioni

l reſol. 34. pag.107.

eſſe

eſſe adſcribendam. Ideoque concludit Card. de Lauræa (*a*), Fideles ſic agentes male agere, & ſuæ neci, necnon peccatis Infidelium cauſam dare: Martyres vero, qui ſpeciali Spiritus Sancti impulſu ea deleverunt, non imitatione, ſed admiratione dignos eſſe.

a loc. cit. n. 246. & 248.

6. 7 Multi tamen referuntur, qui antequam in Tyrannorum poteſtatem deveniſſent, dictis aut factis provocantes Martyrio cauſam dedere. S. Satyrus Martyr in Martyrologiis Bedæ, Uſuardi, & Romano (*b*), aliique in Menæis Græcis (*c*), & apud Bollandianos (*d*) idola inſufflando contriviſſe dicuntur, & ideo occiſi ſunt. S. Publia Abbatiſſa alapis cæſa eſt juſſu Juliani Apoſtatæ, cum eodem tranſeunte, caneret illud Davidicum: *ſimulacra Gentium argentum, & aurum, & ſimiles illis fiant, qui faciunt ea*. S. Artemius Præfectus Auguſtalis, cum eumdem Imperatorem ſevitiæ in Chriſtianos arguiſſet: SS. Trophimus, & Sabbatius, cum preces ad Deum elata voce fudiſſent, dum populus feſta Apollinis ageret: S. Georgius Limnæota cum Leonem Iſaurum ſacras imagines, & Reliquias Sanctorum abſumentem vehementer redarguiſſet, Martyres occubuerunt, apud Baronium (*e*), & ex aliis monumentis. Sed hæc exempla nil, aut parum huic quæſtioni reſolvendæ proſunt. Idolorum enim ex afflatu everſio manifeſtum Spiritus Sancti impulſum oſtendit. S. Publia mortem non ſubiit. Quæ a reliquis facta narrantur, ad provocationem referri nequeunt, licet ex iis occaſionem injuſtæ mortis inferendæ Tyranni deſumpſerint.

b 12. Jan.

c to. 1 ad 5. Febr.

d to. 3. Febr. pag. 492.

e ad an. 562 n. 94. & ad an. 281.

8 Quapropter ad urgentiora deſcendendo, inſignis quidem Martyr, quem alii Joannem appellant, alii celebrem Georgium credunt, edictum contra Eccleſias publice Nicomediæ affixum ſub Diocletiano, & Maximino audacter diſcerpſit; ideoque crudeliſſime occiſus eſt, teſte Euſebio (*f*). Æmilianus ex Doroſtoro urbe Miſiæ, cum Chriſtum coleret, idolorum ſimulacris contritis, & ſacrificiis diſperſi, Martyrium ſuſtinuit apud Bollandian. (*g*), & in Martyrol. Rom. Refert Socrates (*h*), SS. Macedonium, Theodulum, & Tatianum, videntes quoddam idolorum templum jam obſoletum inſtaurari, & ſtatuas expoliri, noctu in illud irruiſſe, & ſtatuas omnes confregiſſe. Cum propterea multi innocentes ſupplicio afficiendi eſſent, Auctores facinoris ultro ſe prodierunt, ac maluerunt ipſi occumbere, quam ſinere, ut alii ipſorum vice occiderentur. Horum quoque commemoratio fit in Martyrol. Rom (*i*). Plures alii in Menologio Græcorum, & in eodem Martyrologio (*k*), nec non apud S. Gregorium Nazianzenum (*l*), Baronium (*m*), & alios commemorantur, Martyrio inſignes, eo quod vel idolorum fana everterint, vel idola ipſa comminuerint, vel Evangelium, prohibentibus locorum incolis, aut Magiſtratibus, prædicaverint, & falſas ſectas oppugnaverint.

f hiſt. Eccl. l. 8. c. 5.

g ad 18. Jul. to. 4. pag. 370.

h hiſt. Eccl. l. 3. c. 15. to. 2.

i ad 12. Septembr.

k 9. April. 14. Aug. 26. Jun. & 15. Octobr.

l orat. 4. contr. Julian. to. 2. oper.

m ad ann. 1028. n. 10.

9. 10 Quod ſi horum eventuum circumſtantiæ expendantur, facile dignoſci poterit. quando liceat dictis, vel factis provocare Tyrannum, quin provocatio Martyrio officiat. Lactantius (*n*) factum Joannis, ſeu Georgii non laudat, impulſui tamen Spiritus Sancti tribuere videtur. Alii, vel prædicta patrarunt poſt leges Chriſtianorum Imperatorum, qui idolo-latriam proſcripſerant, poſt quas proinde jure poterant idola, eorumque templa everti; vel ad tollenda penitus in provinciis Catholica Fide imbutis quæcumque antiquæ idolo-latriæ veſtigia, uti præſcripſit Concilium Toletanum XIV., & egregie præſtitit S. Benedictus in Monte Caſſino; vel ad avertendum innocentium periculum; vel quia alius non ſupererat modus populos a ſuperſtitione avertendi, niſi fana everterentur; vel demum quia Evangelium annunciandi provincia illis fuerat demandata, quare omnem prohibitionem merito contemnere poterant, ut muneri ſuo ſatisfacerent. Ex his ergo colligitur,

n de mort. Perſec. cap. 13. apud Baluz. to. 2. miſcell.

tur, Martyrium non inficì a provocatione, quæ dictis, vel factis, etiam antequam Dei Servus in poteſtatem deveniat Tyranni, fiat, ſi hæc a Spiritus Sancti impulſu proveniat, aut circumſtantiæ innuant, Servum Dei ſic agere debuiſſe pro Fidei, & religionis bono: aut publica Principum auctoritas provocationibus locum fecerit, quemadmodum ſcite animadvertunt Theophilus Raynaudus (*a*), Baronius (*b*), & alii.

11 Verum ut hoc explicetur uberius, advertendum eſt primo, Principes Catholicos, juxta S. Auguſtini doctrinam (*c*), debere Paganos ſubditos compellere ad legis naturalis obſervantiam, præcipue in iis, quæ veri Dei cultum reſpiciunt. Id egregie præſtitit Conſtantinus, ut teſtatur Euſebius (*d*), cum & deteſtanda idolorum cultus ſacrificia prohibuerit; & eorum templis, ac ſimulacris evertendis ſtuduerit. Similes leges tulit Honorius Imperator, quas laudat S. Auguſtinus (*e*), curavitque, ut ab eodem Imperatore confirmarentur contra rumores Gentilium, & Donatiſtarum, qui ad eas infirmandas, mortuo Stilicone, ab eo latas eſſe dictitabant. Plura de hac Principum poteſtate diſſerunt Bannez (*f*), Suarez (*g*), aliique Theologi. Addit Scotus (*h*), Principes poſſe compellere ſuos ſubditos Paganos ad capeſſendam Catholicam Fidem, quam numquam ſuſceperant, cui adhæſiſſe videtur Ven. Card. Franciſcus Ximenius, qui Mauros Granatæ ad Fidem Chriſtianam adegit, teſte Gomeſio in ejus vita (*i*). Scoto adverſatur S. Thomas (*k*), cui ſuffragantur jura Pontificia (*l*), ejuſque ſententiam docte propugnant Dominicus Soto (*m*), Suarez, (*n*), & alii.

12 Advertendum ſecundo, Principes aliquando prudenter agere, ſi alibi hujus poteſtatis uſu abſtineant, ſaltem ad tempus, quando nimirum ſeveritas Infideles ſubditos a recipiendo Evangelio potius averteret, aut graviora mala timerentur. Id inſinuavit S. Auguſtinus (*o*) docens, idola in Paganorum cordibus eſſe frangenda, priuſquam ex eorum manibus eripiantur. Quare docuit S. Thomas (*p*), ritus Infidelium, urgente gravi cauſa, tolerari poſſe.

13 Tertio, Hæreticos, ſeu Schiſmaticos prius ſuaviter alliciendos eſſe: poſtea minis, & terroribus ad Fidem compelli, pertinaces autem morte puniri poſſe docent Patres, & Theologi. Oppoſitum quondam opinatus fuerat S. Auguſtinus (*q*); ſed experientia edoctus ab hac opinione receſſit, cum Donatiſtas vidiſſet legibus Imperialibus territos ad unitatem Catholicam rediiſſe. Propter hanc ſententiæ mutationem Phereponus non eſt veritus, S. Doctorem, tamquam Proteum traducere, ſed ab his calumniis eum docte vindicat Lamindus Prytanius (*r*). S. Auguſtinum ſequitur S. Thomas (*ſ*), cui morem gerunt Soto cit., & alii. Conſentit Natalis Alexander (*t*) oſtendens, Eccleſiam juſte tradidiſſe Hæreticos Albigenſes ſæculari Poteſtati puniendos. Calvinus ipſe apud Natalem cit. late probavit, Hæreticos jure gladii coercendos eſſe, quin etiam a Magiſtratu Genevenſi obtinuit, ut Servetus, erroris Arii inſtaurator, vivus combureretur.

14 Ultimo advertendum: poſſe Infideles ab Eccleſia compelli ad audiendam Evangelii prædicationem, quemadmodum adiguntur Judæi Romano Pontifici, aut Principibus Chriſtianis ſubditi. Quoad alios Principibus Catholicis non ſubditos, etſi communior ſit Theologorum ſententia eos adigi non poſſe ad audiendam Evangelii prædicationem; nihilominus Eccleſia poteſtatem habet annunciandi Evangelium in toto terrarum orbe. *Euntes in mundum univerſum*, inquit Chriſtus Marc. *ult.*, *prædicate Evangelium omni creaturæ*, & Matth. 28. *Euntes ergo docete omnes gentes*. Omnibus ſane Epiſcopis Jure Divino, & Eccleſiaſtico mandatum eſt, ut Evangelium prædicent, Infideliumque converſioni ſtu-

a oper. ſæp. cit. c. 5. n. 18. & 19.
b in not. ad Martyrol. Rom. ad 9. Apr.
c ep. 185. to. 2. oper. n. 19.
d in ejus vit. l. 2. c. 45. 55. 56. & 58.
e l. 18. de civit. c. 54. to. 7. oper.
f 2. 2. q. 10. ar. 10. dub. 2.
g de Fid. diſp. 18. ſect. 4. n. 6.
h in 4. ſent. diſt. 4. q. ult.
i tom. 1. Hiſp. illuſt. l. 2. pag. 959
k 2. 2. q. 10. art. 8.
l can. de Judæis diſt. 45.
m in 4. ſent. diſt. 5. q. un. ar. 10.
n loc. cit. ſect. 3. n. 4.
o to. 5. oper. ſer. 62. de ve. b. Dom.
p 2. 2. q. 10 ar. 11.
q to. 2. oper. ep. 93. ad Vinc. c. 5. n. 17.
r de mod. ing. l. 2. c. 9.
ſ 2. 2. q. 10. ar. 8.
t diſſ. 3. ſæc. 13. & 14.

dcant , ut monet Apoſtolus *ad Titum* 1. & ipſe Dominus Ezechiel.34 : enixe id etiam commendavit S. Gregorius *in epiſt. ad Jannarium Epiſcopum Calaritanum* (*a*) . Non tamen iis impoſitum eſt onus prædicandi extra ſuam diœceſim, eum ſucceſſores ſint Apoſtolorum, non in totius orbis , ſed in propriæ diœceſis Apoſtolatu, intra cujus fines jus Epiſcopale a ſacris Canonibus coercitum eſt . Quoad alia loca in more poſitum eſt , ut Epiſcopi , aliique Infidelibus prædicaturi , miſſionem petant , & impetrent a Romano Pontifice , qui jus habet Fidem per ſe, vel per alios prædicandi omnibus nationibus , Juxta illud Joan.21. *Paſce oves meas*; ac proinde omnem curam adhibere tenetur , ut Evangelium , ubicumque opus fuerit , prædicetur , ut fuſe demonſtrat Card. de Lauræa (*b*) .

a to.2.oper l. regiſt.4. indict.12.

b loc. ſæp. cit. diſp.17. ar.6.& ſeqq

15 Poſt hæc, ut ad inſtitutum de Martyribus redeamus , quiſque cognoſcere poteſt , potentiores Tyrannorum provocationes , etiamſi a Dei Servis prodierint , antequam in eorum eſſent poteſtate , non obſtare vero Martyrio , ſi Principum Catholicorum imperio factæ ſint in regionibus , in quibus degunt Infideles Principibus ipſis ſubditi . Quis enim Martyrii gloriam negare auderet iis , qui a Ferdinando Corteſio Mexici debellatore excitati ad Mexicanam Regiam urbem devenerunt , ſi utentes poteſtate data collidendi idola , & eccleſiam fabricandi, mortem pro Chriſto toleraſſent ? Quis S. Franciſcum Xaverium reprehendat , qui in ſimilibus propemodum circumſtantiis idola Coccinenſium demoliri juſſit , ut legitur in relat. Auditorum Rotæ ? Nec aliud ſentiendum eſſet de eo, qui ad oras Infidelium a Romano Pontifice miſſus , ut Evangelium prædicaret, ad prædicationem , contra injuſtam Tyrannorum prohibitionem , ſtrenue , ſed prudenter incumberet , ideoque Martyrium ſubiret. Prudentis prædicationis exemplum ſuppeditant cauſæ BB. viginti ſex Martyrum Japonenſium , Joannis de Prado , & S. Fidelis a Sigmaringa : Prædicationi enim Chriſtiana manſuetudine, ac legitima auctoritate ſuffulti initium dederunt ; & alter ex eis ferventioris zeli ſigna dumtaxat dedit , cum Chriſtum , ejuſque Fidem a Gentilibus impie damnari audiviſſet . Addi poſſunt BB. Berardus , ejuſque ſocii , qui a S. Franciſco miſſi ad Chriſti Fidem Infidelibus prædicandam , contra Tyranni interdictum in prædicatione conſtantes perſtiterunt . Hucuſque adductis parum obſtat canon ſupra allatus Concilii Illiberitani ; nam , Interprete Mendoza , non decernit , occiſos in idoli confractione non eſſe veros Martyres : ſed Martyrum catalogo non eſſe adſcribendos . Quapropter nil prohibet , quin Eccleſia aliquem ſic occiſum , qui Martyr ſit coram Deo , Martyrum quoque catalogo adſcribat. Gonzalez (*c*) , & alii putant , canonem illum editum fuiſſe adverſus Circumcelliones , ſed cum Eruditi dubium ingerant , an epocha Concilii Illiberitani concordet cum epocha Circumcellionum , admittenda videtur explicatio Suarez (*d*) , qui hunc canonem exponit de Chriſtiano , qui idola frangit privata auctoritate , ſine diſcrimine , aut modo , & imprudenter ſe gerit . Hanc ſententiam ſequitur Card. de Lauræa (*e*) , & Baronius (*f*) . De idolorum confractione actum eſt in cauſa Servorum Dei Rodulphi Aquavivæ , & ſociorum , quos ſtrenue defendit Vaſquez (*g*) , quem ſecuti ſunt , qui in cauſa ſuffragium tulerunt .

c In comm. ad dict. can.

d loc. cit. ſect.4. n.8.

e oper. ſæp. cit. diſp.20. art. 13. n. 247.

f In not. ad Martyrol. ad 9. Apr.

16 Demum ne aliqua de provocatione Tyranni ambiguitas irrepat , notandum eſt, poſſe Dei Servos laudabiliter exercere aliquos virtutis actus , licet periculum mortis urgeat , quemadmodum Tobias , licet mortis ſubeſſet periculum , proximos tamen ex odio in Moſaicam religionem interfectos ſepeliebat , quod , quam fuerit Deo acceptum , teſtatus eſt Angelus Raphael *Tob.*12. Quare , qui hoc modo occideretur , inter Martyres eſſet recenſendus , quin obſtet provocatio ,

g in 3. par. q.21. ar.3. diſp.105. c. 2. n.18.

cum

cum ipſe ſolum voluerit virtutis actum, licet Tyrannus inde occaſionem ſumpſerit mortis inferendæ. Deſumitur id ex D. Thoma (*a*) juxta Cajetani explicationem. Provocatio itaque deſumitur proprie ex actibus, qui ſint talis indolis, ut dubitari poſſit, utrum Tyrannus ex odio in Fidem, an ex alio extraneo motivo mortem inflixerit. Propterea ponderandæ eſſent omnes circumſtantiæ antea expoſitæ.

a 2.2.q.124 ar.1.ad 3.

CAPUT XVIII.

De Martyris repugnantia, ut mortem ſibi inferendam evadat; & de neceſſaria Martyri patientia, atque in Fide, ac voluntate moriendi pro Fide conſtantia uſque ad obitum, nec non in ipſo obitu.

1 CUm ex ſuperius dictis voluntaria mortis acceptio neceſſaria ſit, ut quis inter Martyres recenſeatur, inferri poſſe videtur, opus eſſe, ut Martyr non repugnet, ſed mortem patienter ſuſtineat: itaut Martyr non ſit, qui Perſecutori ſe invadenti reſiſtit, tentatque ei mortem inferre, ut ſe a morte liberet, & in hac contentione occiditur; licet ex odio in Chriſtum occidatur, & pro Chriſti Fide quodammodo pugnaverit.

2 &c. Verumtamen in hoc Theologi non conveniunt. S. Tho. (*b*) ſentire videtur, milites, in bello pro Fide ſuſcepto occiſos, Martyres eſſe poſſe, licet pugnando obſiſtant, mortemque Infidelibus inferre tentent. In hanc ſententiam conveniunt Silvius (*c*), S. Antoninus (*d*), Card. Capiſucchius (*e*), & alii. Fundamentum eſt, quod ſi inter Fideles, & Infideles bellum cauſa religionis fiat, & Fideles pugnent, ut ſe defendant, & ne hoſtes Fidem corrumpant, mors cauſam habet ab odio in Fidem Catholicam, & propter hanc ſuſtinetur. Neque martyrio obeſt repugnantia, ſi cauſa communis Eccleſiæ, & veritas Fidei principaliter defendantur, vita vero duntaxat ſecundario; ut proſequuntur Serarius (*f*), Lazareda (*g*), & alii. Capiſucchius tamen hanc ſententiam explicat de milite, qui, accepto vulnere, datoque intervallo, mortem voluntarie acceptet. Salmanticenſes (*h*) intelligunt de militibus, qui pugnantes contra Infideles, in horum manus deveniant, ac tentati ad Fidem deſerendam, mortem ſubire malint, ut eveniſſe legitur in epiſt. S. Ludovici Regis Francorum (*i*). Probabilis quidem videtur hæc Salmanticenſium ſententia; nam pugna præcedens Martyrium non inficit, cum Martyr in novo ſtatu poſitus mortem voluntarie pro Chriſto ſine nova repugnantia excipiat. Hic caſus differt ab alio apud Card. de Lauræa (*k*); Catholici videlicet, qui a Principe Infideli ad mortem ob delicta damnatus mortem pro Fide ſubit, & mortem ſe propter Fidem acceptare extrinſecus profitetur. In hoc enim mors non provenit ab odio in Fidem, ut provenit in primo caſu, quare moriens non eſt Martyribus accenſendus. Sed difficultas eſt quoad eos, qui Perſecutori obſiſtunt, ut mortem evadant, & qui pugnant in bello cauſa religionis inito, & pugnando moriuntur. Profecto ſententia ſuperius expoſita, quæ Martyrio favet, multos habet contradictores apud Auditores Rotæ in relat. cauſ. B. Joſaphat Pollocenſis: & merito, nam, ut docent Raynaudus (*l*), Card. de Lauræa (*m*), aliique plures, ad Martyrium requiritur, ut mors patienter acceptetur, adeoque morientes in prælio pro religione non ſunt in albo Martyrum deſcribendi, cum non voluntate, ſed neceſſitate moriantur.

b loc. cit. ar. 5.

c in add. ad q. 96. ar. 6. ad 12.

d 3. part. ſumm. tit. 30. c. 8. §. 1.

e controv. de Mart. §. 12.

f in lib. Judith. c. 16. q. 32.

g in eumd. lib. to. 2. c. 10. v. 11. n. 100.

h tom. 3. trac. 9. diſp. 3. dub. 2. §. 2. n. 24.

i to. 1. par. 2. Geſt. Dei per Franc. pag. 1199.

k loc. cit. ar. 8. n. 121.

l de Mart. per peſt. par. 2. c. 5. a n. 1. ad 6.

m cit. tr. 3. in 3. ſent. par. 2. diſp. 20. ar. 24. n. 266.

5. 6 Huic ſententiæ fundamentum præbet exemplum Chriſti Martyrum exemplaris, qui patiendo, non armis pugnando, aut reſiſtendo teſtimonium veritati perhibuit, 1. Petri 2., *Actor*. 8., & alibi in ſacris litteris. Suffragatur Tertullianus adverſus Marcionem (*n*), Martyres appellans oves, quales non eſſe ait, *qui in bello armati, & ipſi ex eadem feritate certantes cadunt*. SS. Mau-

n l. 4. c. 39.

Cc 2 ritius,

Digitized by Google

ritius, & ſocii Martyres legionis Thebææ, apud Ruinart (*a*), licet pugnare poſſent, maluerunt tamen pro Chriſto mori. In Actis SS. Philææ, & Philoromi, apud eumdem (*b*), Philæas dicitur appellationem a fratre interpoſitam reſpuiſſe. Phocas quoque enixe petiit, ut morientes in bello adverſus Chriſtianæ Fidei hoſtes, inter Martyres recenſerentur. At Conſtantinopolitanus, aliique Antiſtites oppoſuerunt auctoritatem S. Baſilii ſtatuentis (*c*), ne ſine pœnitentia daretur Communio his, qui in bello feciſſent homicidium, cui quidem auctoritati Phocas ceſſit, ut poſt Balſamonem refert Baronius (*d*), apud quem pariter (*e*) S. Bonifacius famulos ad reſiſtendum Lictoribus armatos compeſcuit: & S. Thomas Cantuarienſis Æditus eccleſiæ, qui portas militibus ipſum occiſuris occludebant, reprehendit, juxta Herebertum in *Quadripartita*. His ſi addatur, neminem hactenus inter Martyres eſſe relatum, qui reſtiterit, ne moreretur, & nullum ex tot millibus Cruce ſignatorum, ſeu Militum Hieroſolymitanorum, qui in bello pro Fide occubuerunt, cultum Martyrum habniſſe, aut habere in Eccleſia, indubitatum videtur, repugnantiam obſtare Martyrio, & mortis acceptionem eſſe debere omnino voluntariam.

a pag. 543. n. 4.
b pag. 436. n. 3.
c ep. 188. ad Amphil. to. 3. pag. 275.
d ad ann. 610. n. 4.
e ad ann. 755. n. 39.

7 His objici poſſe videtur, nonnullos pios Martyrii honorem attribuiſſe militibus Chriſtianis in bello pro Fide morientibus. Id aſſeruiſſe dicuntur Epiſcopus Convenarum apud Raynaldum (*f*), & S. Joannes a Capiſtrano apud Waddingum (*g*), cum milites ad prælium contra Infideles hortarentur: idemque de fratre ſuo Comite Atrebatenſi in pugna interempto affirmavit S. Ludovicus Galliæ Rex in epiſt. ſuperius cit. Refert Mabillonius (*h*), quoſdam Epiſcopos, alioſque in Saxonia a Paganis in prælio pro ſalute patriæ inito occiſos, habitos fuiſſe tamquam Martyres. Hæc tamen, & ſimilia explicari poſſunt de Martyrio minus proprie ſumpto, & admitti tamquam apta ad excitandos pugnantes, utpote retributionem habituros, ſi pugnando contra Infideles, in caritate moriantur, ut perpendit Raynaudus. Profecto Joannes VIII. a Gallorum Epiſcopis ſuper hoc conſultus, eos, qui uti ſupra ceciderant, non agnovir, ut Martyres. Neque uti tales agnovit S. Leo IX. illos, qui ipſum in Apuliam ſecuti pugnantes occubuerunt, uti exponunt laudatus Raynaudus (*i*), & alii. Pius II. Chriſtianos ad ſacram expeditionem invitavit, non tamen, morituros in eo bello fore Martyres ſignificavit. Ita ſe geſſit S. Leo IV. in concione, quam habuit apud Francorum exercitum, qui contra Saracenos erat pugnaturus. Bonifacius VIII. in bul. Canoniz. S. Ludovici Regis Franciæ Comitem Atrebatenſem pro Fide interemptum memorat, non tamen appellat Martyrem. His non prævalet factum a Mabillonio relatum: cum originem traxerit, vel a pio Fidelium affectu erga occiſos, vel a tacita Epiſcoporum conniventia.

f ad ann. 1213. n. 57.
g ad 1456.
h Annal. Bened. to. 3. l. 38. n. 40.
i cit. oper. c. 5. ſub n. 4.

8. 9 Huc ſpectat hiſtoria S. Proculi Martyris Bononiæ Protectoris. Ferunt, hunc Marino Præſidi, qui Chriſtianos Bononiæ perſequebatur, mortem intuliſſe, & poſt aliquod tempus a Judæo accuſatum ſub Juſtino Imperatore martyrium ſubiiſſe: unde inferri poſſe videtur, vero Martyrio non obſtare, ſi Perſecutori invadenti Martyr reſiſtat, eumque interficere tentans occumbat. Verum ſicuti certa eſt Proculi ſanctitas, teſte S. Paulino (*k*), ita valde dubia ſunt ejuſdem Acta. Ac primo quidem percipi nequit, quomodo Proculus ſub Juſtino Imperatore, vel, ut alii dicunt, ſub Theodorico Rege mortuus ſit, cum S. Paulinus, qui S. Proculum memorat, vixerit ante annum 400. Rurſus factum illud, licet a S. Antonino relatum, ab aliis *inauditum, ac vix credibile* dicitur. Demum notat Baronius (*l*), vera S. Proculi Acta deperdita eſſe, & hinc datam fuiſſe commentandi occaſionem. Jubetur quidem Deuteron. 13. interfici, qui Deorum alie-

k Natal. 9.
l ad an. 303 n. 121.

alienorum cultum ſuadet, idque executi ſunt Elias 3. *Reg.* 18., Jehu 4. *Reg.* 10., Mathathias 1. *Machab.* 2. Sed S. Auguſtinus (*a*) occiſiones damnat, niſi lege, aut Deo jubente fiant. Oſtendunt hæc omnia, factum S. Proculi a veriſimilitudine alienum eſſe; ejuſque Acta vel falſa eſſe, vel vitiata, etſi indubia ſit ejuſdem ſanctitas. Hercules Maria Zanottus Bononienſis Canonicus conatur oſtendere, id Spiritus Sancti impulſui tribuendum eſſe: ſed tutius eſt factum reſpuere, quam factum non probatum ad Numen Divinum referre.

a l. 1. de civit. c. 21. to. 7. oper.

10 &c. Quod ſpectat ad neceſſariam Martyri patientiam, conſtantiam in Fide, & in voluntate moriendi pro Fide uſque ad obitum, & in obitu: attendenda ſunt, quæ de Martyribus canit Eccleſia: *cæduntur gladiis more bidentium, non murmur reſonat, non querimonia, ſed corde impavido mors bene conſcia conſervat patientiam*. Similia docet S. Auguſtinus (*b*). Quapropter ut quis Martyrum catalogo adſcribatur, non ſufficit, ut mortem pro Chriſto voluntarie acceptet, ſed opus eſt, ut in eadem voluntate invicte, & patienter perſeveret, uti animadvertunt Card. de Lauræa (*c*), & Clericat. (*d*), ac deſumitur ex commiſſione a Joanne XXII. data Epiſcopo Valentino in cauſa Cathalani Fabri, & Paſchalis Ordinis Minorum, qui Martyres dicebantur, apud Raynaldum (*e*). Si enim in cauſa Confeſſorum ponderanda ſunt omnia, ut dignoſcatur, an in gratia Dei deceſſerint: potiori jure attendenda ſunt in cauſis Martyrum, in quibus integer vitæ curſus non exponitur, ſed utplurimum in mortem dumtaxat ſtricte inquiritur.

b l. 10. de civi. c. 21. & l. 22. c. 9.

c loc. cit. ar. 6.

d de Bapt. deciſ. 27. n. 15.

e ad ann. 1321.

13 &c. Perſeverantiam hanc ſatis certam exiſtimat Cardinalis Petra (*f*), ſi contrarium ſignum non appareat. Sed cum perſeverantia alia ſit interna, ſoli Deo nota; alia externa, etiam judicio Eccleſiæ ſubjecta; dictum illud explicandum erit, ut, cum ex verbis, & ſignis externis conſtet de interna Martyris perſeverantia, de hac ipſa non ſit dubitandum; itaut ſi quis eam in dubium revocaret, teneretur per alia verba, & ſigna demonſtrare, Martyrem a prima voluntate receſſiſſe. Quod ſi ſententia eadem aliter intelligeretur, nimirum, etiamſi Eccleſiæ non conſtaret de interna Martyris perſeverantia per actus externos, adverſaretur tum rationi, quia Eccleſia certitudinem, quantum licet, habere debet de finali interna perſeverantia per actus externos; tum Eccleſiaſticæ diſciplinæ, cum Eccleſiaſtica monumenta demonſtrent, momentum pro aſtruenda finali interna perſeverantia conſtitutam fuiſſe in verbis, ſignis, & factis, quibus Martyres patefecerunt, ſe in prima voluntate perſeverare, ut colligere eſt ex Actis SS. Montani, Arcadii, Januarii, & aliorum apud Ruinart (*g*), ex Martyrio Pauli apud Euſebium (*h*), & ex aliis pluribus apud Bolland. (*i*), & Baronium (*k*), quibus addendæ ſunt relationes Auditorum Rotæ in cauſis viginti ſex Martyrum Japonenſium, & Joſaphat Archiepiſcopi Pollocenſis. Demum id ipſum comprobant controverſiæ, quæ ſuper hac perſeverantia fuerunt inter Promotores Fidei, & Poſtulatores cauſarum B. Petri de Arbues, S. Fidelis a Sigmaringa, & aliorum.

f ad Conſt. Apoſt. to. 3. pag. 130. n. 20.

g pag. 204. n. 14. & 14. pag. 467. n. 4. pag. 470. n. 1.

h l. de Mart. Palæſt. c. 8. pag. 422.

i ad 20. Febr. to. 3. 22. Mart. to. 3. 28. April. to. 3.

16 Contra hactenus adducta objici poſſet, nonnullos coli in Eccleſia tamquam Martyres, quos uſque ad obitum, & in obitu perſeveraſſe, certum eſſe non potuit. Hi ſunt S. Julianus, apud S. Joannem Chryſ. (*l*) in ſaccum cum ſcorpionibus, viperis, & draconibus injectus, & in mare demerſus: S. Euſtachius cum uxore, & filiis in candentem æneum taurum clauſus: S. Cheremon Epiſcopus Nicopolis, aliique plurimi, ſæviente Decii perſecutione, diſperſi, & in ſolitudinibus a beſtiis interempti, aut fame, frigore, ac languore conſumpti, aut a barbaris, & latronibus necati: S. Joannes Nepomucenus e ponte in flumen dejectus: necnon ii, quos Tyrannorum ſævitia hor-

k ad an. 262. n. 24. anno 456. n. 13. an. 689. n. 10. an. 870. n. 42. anno 1008. n. 9. ann. 1170. n. 47.

l hom. 75. to. 2. oper. n. 3. pag. 676.

horribili Parricidarum morte juxta legem Pompejam damnavit. Verumtamen horum omnium perſeverantia ex actibus antecedentibus, & ſupplicio proximis, *quantum licet*, ut ſupra dictum eſt, colligi poteſt.

17 Præterea cum ſupra dictum ſit, neceſſariam eſſe in adultis Martyrii acceptionem, & actualem quidem optimam eſſe, ſed ſufficere virtualem, aut habitualem, hinc opponi poſſe videtur, non eſſe pro Martyrio abſolute probandam internam finalem perſeverantiam per actus externos. Verum illa dicta ſunt ad oſtendendam neceſſitatem acceptionis mortis per actum voluntatis, & ad diſtinguendum Martyrium coram Deo, & coram Eccleſia. Adeoque licet qui Martyrii voluntatem virtualem, aut habitualem habuerunt, ſi occiderentur, Martyres eſſent coram Deo, forte non poſſent eſſe coram Eccleſia, præcipue ſi, data mora, potuiſſent perſeverantiam in voluntate patefacere per actus externos, uti patefeciſſe dicuntur B. Petrus de Caſtro novo, apud Innocentium III. (*a*), S.Petrus Martyr in bull. Canoniz. (*b*), & B.Petrus de Arbucs. Hi profecto ex muneribus, quibus fungebantur, voluntatem ſubeundi Martyrium habuerunt; acceptiſque inopinato vulneribus lethalibus, non conquerentes, ſed pro Perſecutoribus orantes, hilares in Domino obdormiverunt.

a Bullar. nov. to. 3. pag. 120.

b tom. cit. pag. 331. §. 4.

18 Demum opponi poſſet, nullo modo conſtare de perſeverantia interna per actus externos, uſque ad obitum, & in obitu continuatos; quamobrem ex ſignis, & miraculis probandam eſſe nonnulli exiſtimant. Quidquid de hoc ſit, cum Eccleſiæ judicium interna immediate non reſpiciat, ſed ſolus Deus corda ſcrutetur, hinc ſi adſint actus extrinſeci uſque ad obitum, & in obitu, quantum fas eſt, continuati, Eccleſia extrinſecus bis probationibus edocta bene judicat, Servum Dei in Fide, & voluntate patiendi pro Chriſto perſeveraſſe, & gratiam, ac pœnæ remiſſionem obtinuiſſe eo momento, poſt quod immediste mortuus eſt, ut explicant Raynaudus (*c*), & alii.

c cit. oper. c. 6. n. 25.

19 Celebrantur in Eccleſia Martyria plurimorum, qui eodem actu mortem pro Chriſto ſubierunt. Die 12. Januarii celebratur Paſſio quadraginta duorum Monachorum, qui ſub Conſtantino Copronymo ob cultum ſanctarum Imaginum paſſi ſunt. Alia plura hujuſmodi exempla deſumere eſt ex Martyrologio Romano. Porro neque ex Actis, neque ex hiſtoriis probata fuit, aut probari potuit per actus externos, uſque ad obitum continuatos, perſeverantia finalis ſingulorum. Quoad nonnullos probata fuit prædicto modo: quoad alios probatio dici poteſt deſumpta ex quibuſdam actibus antecedentibus, poſt quos Sancti Martyres mortem invicto animo ſuſtinuerunt. Item in cauſis viginti ſex Martyrum Japonenſium, novemdecim Gorcomienſium, Ignatii Azevedi, & ſociorum ſæpedicta perſeverantia finalis quoad nonnullos primo modo; quoad majorem eorum numerum ſecundo modo probata dignoſcitur ex relat. Auditorum Rotæ, vel ex proceſſibus.

CAPUT XIX.

De cauſa Martyrii ex parte Martyris.

1 Quod de Martyrio ex parte Tyranni ſuperius dictum eſt; bic quoque de Martyrio ex parte Martyris repetendum recurrit, Martyrem ſcilicet non fieri pœna, ſed cauſa. *Nemo dicat, perſecutionem patior*, inquit S. Auguſtinus in Pſal. 34. (*d*), *Non ventilet pœnam, ſed probet cauſam; ne, ſi cauſam non probaverit, numeretur cum iniquis.* Similia docent SS. Joannes Chryſ. (*e*), & Gregorius (*f*), aliique. Martyr igitur eſſe nequit, niſi idonea cauſa adſit, & hæc quidem unica, & vera ex parte Martyris eſt Fides credendorum, vel agendorum. De Fide credendorum teſtatus

d n. 13. col. 244. to. 4. oper.

e orat. 4. contra Jud. n. 3. to. 1. oper.

f l. 2. indict. 10. ep. 51. to. 2. oper.

ſtatus eſt Chriſtus *Luc.12. Quicumque confeſſus fuerit me coram hominibus, & Filius hominis confitebitur illum coram Angelis Dei*. Ad hanc Martyrum claſſem pertinent, qui ob prædiestionem, aut confeſſionem alicujus, aut omnium Catholicæ Fidei articulorum mortui ſunt, ſine qua nemo ſalvus eſſe poteſt, ut innuit S. Athanaſius in Symb., & Pius IV. in Fidei profeſſione, quam, ſuadente Concilio Tridentino, edidit. Olim quicumque ſine propria culpa mortem ſubibant, pro Martyribus habebantur, uti de Caroli Francorum Regis morte adnotavit Mabillon. (*a*). Quidquid de his ſit, nunc proculdubio vera cauſa ex parte Martyris eſt etiam Fides agendorum, adeout ſi quis pro exercitio alicujus virtutis, in quam cadit præceptum, vel conſilium Fidei, moriatur, Martyr omnino ſit. Hæc doctrina eſt S. Thomæ, quem ſequuntur SS. Joannes a Capiſtrano (*b*), Antoninus (*c*), & alii communiter, inter quos Soto (*d*) contra ſingularem quorumdam opinionem affirmavit (*e*), Sacerdoti millies potius mortem oppetendam eſſe, quam ſacramentale Confeſſionis ſigillum detegere. Quapropter Waddingus (*f*) Minoritam quemdam occiſum, eo quod hoc ſigillum frangere noluerit, appellat Martyrem, de qua re dubium omne ſuſtulit Benedictus XIII, cum inter Martyres retulerit S. Joannem Nepomuceuum ea ipſa de cauſa interemptum.

4 Confirmantur hæc omnia ex inconcuſſa Eccleſiæ diſciplina. Colitur inter Martyres S. Joannes Baptiſta, etſi non directe pro Fide, ſed pro virtute ad Fidem relata occiſus fuerit, ut loquitur S. Eulogius Cordubenſis (*g*), & ante ipſum docuerat S. Gregorius Magnus (*h*), & poſt ipſum Theologi de eodem Martyrio agentes. Cultum quoque Martyrum obtinent S. Trudpertus, Carolus Bonus, aliique plures apud Bollandian. (*i*), alioſque, nec non in Martyrologio Rom. (*k*) propter poteſtatem, & libertatem Eccleſiaſticam, vel propter caritatem, juſtitiam, caſtitatem, miſericordiam, aut aliam virtutem interfecti.

5. 6 Huc ſpectant dicta *ſuperiori cap.14.*, mortem ſcilicet dici ex odio in Fidem a Tyranno inflictam Servo Dei, qui noluerit facere aliquid, quod ſignificaret receſſum a Chriſtiana Fide, vel quod ab hac vetitum eſſet, aut quidquam aliud ſimile, ibi expoſitum. Si enim Tyrannus ex odio in Fidem movetur ad occidendum eum, qui talia peregit, Martyr quoque ab amore Fidei motus ad mortem in tali caſu acceptandam dicendus erit. Idem ſentiendum eſt de eo, qui mortem ſubiret, ne inter Infideles indueretur veſtimento *proteſtativo* damnatæ ſectæ, multoque magis, ſi illud inſtitutum eſſet ad falſi numinis cultum; vel qui moreretur, ne ingrederetur templum Infidelium, præcipue ſi urgente Principis Infidelis lege id eſſet in proteſtationem eorum ſectæ: quo ſpectat decretum Pauli V. apud Card. Albitium (*l*), & Suarez (*m*), ne ſcilicet Catholici ad templa Hæreticorum accederent, aut eorum conciones audirent, vel in ritibus communicarent. Confert ad rem præſentem, quod de Naamano legitur 4. *Reg.* 5. Petiit hic ab Eliſeo, ut veniam ſibi a Deo impetraret, ſi cum Rex Syriæ in templum Remmon ingrederetur, ibique adoraret ejuſdem manui innixus, ipſe quoque Naaman adoraret; cui Eliſeus reſpondit: *vade in pace*. Non una eſt de hac re Auctorum ſententia; ſed adnotandum eſt, nec Eliſeum permiſiſſe, nec Naaman petiiſſe, ut cum Rege idolum adoraret, ſed cum ipſe, utpote famulus, deberet Regem, etiam quando adorabat, ſuſtentare, adeoque dubitaret, an id ſibi liceret, & ab Eliſeo conſilium petiiſſet, hic per illud reſponſum ab anxietate eum liberavit: & prudenter. Si enim famulus Domino Pagano in officio civili ſervire ſolitus, eidem in templo ſerviat, eoque genua flectente, ipſe quoque, ratione ſui officii, genua flectat, nullius criminis reus eſſe videtur, cum ſic ſolum

a annal. Bened. to. 3. pag. 399.

b 2. 2. q. 124. ar. 5. & in 4. ſent. diſt. 49. q. 5. ar. 3. ad 9.

c In ſpec. conſc. par. ult. n. 144.

d in ſumm. tit. 31. c. 9. §. 1.

e in 4. ſent. diſt. 18. q. 4. ar. 5.

f annal. Minor. to. 10. pag. 199. n. 28.

g cit. Memor. l. 1.

h l. 11. regiſt. ep. ind. 4. epiſt. 64. to. 2. oper.

i ad 26. Apr. pag. 432. ad 2. Mart. pag. 170.

k 16. 21. Auguſt. 22. Jun. 19. Jul. 30. Oct. &c.

l de inconſt. in Fid. c. 24. n. 48.

m defenſ. Fid. Cath. l. 6. pag. 405.

lum materialiter adoret, nec particeps ſit, ſed ſpectator idolo-latriæ, quemadmodum, adducto exemplo Joſephi, & Danielis, docuit Tertullianus (*a*). A circumſtantiis ergo negotium pendet, ut idem adnotavit. Conſentit Cornelius a Lapide in dictum *cap.5. lib.4. Reg.* ſubdens, SS. Sergium, & Bacchum cum Maximino Imperatore templum ingredi nolentes Martyrium ſubiiſſe, quia tunc aſſeclæ Imperatoris, injecto in thuribulum thure in honorem idoli, ſolebant idolo-latriæ cooperari; item Valentinianum militiæ Ducem (poſtea Imperatorem) a Juliano expulſum, quia eumdem ad idolorum fanum comitatus, ſacrificulo idolo-latræ roſcidis frondibus eum aſpergenti alapam impegit, ac partem veſtis aſperſam abſcidit.

a l. de idol. c. 16. & 17.

7. 8 Veritates itaque Fidei aliæ ſunt theoreticæ, aliæ practicæ. Theoreticæ inducunt cognitionem Dei, ejuſque perfectionum, & attributorum, necnon Jeſu Chriſti Salvatoris noſtri: Si quis propter has moriatur, pro Fide, adeoque pro vera Martyrii cauſa moreretur. *Tradent enim vos..., & flagellabunt... propter me*, inquit Chriſtus *Matth.* 10. Idem dicendum de eo, qui pro aliqua ex veritatibus revelatis in ſacris Scripturis mortem ſubiret. Practicæ, quæ operandi regulas Chriſtianis præſcribunt, conſiſtunt in operatione: & hæ quoque ſunt materia Martyrii, adeoque verus Chriſti Martyr eſt, qui moritur propter actum Chriſtianæ virtutis, vel deteſtationem peccati, juxta illud *Matth.* 5. *Beati, qui perſecutionem patiuntur propter juſtitiam*. Differunt hæ veritates, quod theoreticas ore dumtaxat, practicas etiam operatione confiteri debemus.

9 &c. Ex hactenus allatis colligitur, verum non eſſe Martyrem, qui propter aliquam Fidei veritatem mortem ſubit, ſed in morte inanem ſimul gloriam quærit. Id expreſſe docet S. Hieronymus (*b*), quem alii ſequuntur. Eſt enim lethale peccatum ſubire mortem, argumento dumtaxat inanis gloriæ. Colligitur quoque non eſſe Martyrem, qui moreretur propter rem, veram quidem, ſed per lumen naturale propoſitam, cum ad Martyrium requiratur cauſa per Fidem propoſita, ut late docet S. Thomas (*c*). Sed difficultatem ingerunt veritates naturales cum Fide connexæ, uti ſunt hæ propoſitiones, *Deus eſt: anima hominis eſt immortalis*, quæ apud pleroſque rationibus naturalibus comprobantur; & hæ quidem veritates connectuntur cum pietate, ac Divinitatis cultu. Nihilominus negant Leſſius (*d*), & Vericellus (*e*), Martyrem eſſe, qui pro his veritatibus moreretur, niſi mors ſit propter eas, tamquam a Deo per Fidem revelatas. Verum licet *Deum eſſe*, & ſimilia, quæ per naturalem rationem nota de Deo eſſe poſſunt, non ſint articuli Fidei, ſed ad articulos *præambula*, juxta S. Tho. (*f*), tamen Philoſophus Chriſtianus pro hujuſmodi veritate, naturaliter ſibi nota moriens, non videtur e Martyrum claſſe excludendus, cum veritas illa ad Fidem referatur, & ad illam *præambula* ſit. Martyr dicendus pariter non eſſet, qui moreretur pro aliqua veritate ſibi uni revelata. Immo hunc Diaboli Martyrem appellat Hurtado (*g*), ſi revelatio moribus, vel regimini univerſalis Eccleſiæ opponeretur, aut diſpenſationem ab aliqua lege Canonica pro particulari perſona contineret. Quod ſi reſpiceret particularem veritatem, & ex circumſtantiis dignoſceretur revera a Deo proveniſſe, moriens pro hac veritate Martyr eſſe poſſet coram Deo, non coram Eccleſia, antequam hæc revelationem approbaverit.

b in ep. ad Gal. c. 5. to. 7. oper.

c 2. 2. q. 124 ar. 5.

d de juſt. & jur. l. 3. c. 2. n. 37.

e de Apoſt. Miſſ. tit. 1. q. 29. n. 7.

f 1. par. q. 2. ar. 2. ad 1.

g de Mart. reſol. 25. §. 4.

12 &c. Colligitur præterea, Martyrem non eſſe, qui pro ſententia moriatur, quæ nondum definita ab Eccleſia ſit. Licet enim ſummi Pontifices definientes, veritatem aliquam ad Fidem pertinere, novos articulos non condant; ſed veritatem jam divinitus revelatam, ac nondum ſatis perſpicuam, ſuæ luci reddant, & Fidelibus a

cre-

credendam proponant; probabilitas tamen ſpeculativa rei nondum definitæ immota perſeverat uſque ad definitionem; quapropter qui pro hac veritate ante definitionem moreretur, nec apte pro Fide mortuus, nec Martyr dicendus eſſet. Huc ſpectat controverſia inter Auctores agitata, an ſcilicet Martyr ſit, qui pro ſententia moritur, quæ B. Virginem a peccato originali in ſua conceptione ſervatam defendit. Affirmant Granado (*a*). Raynaudus (*b*), & alii, tum quia Romani Pontifices, & Eccleſia in eamdem ſententiam propendent; tum quia inter Martyres recenſentur occiſi a Tyranno propter ſententiam magis piam, vel propter actum virtutis, a quo ſine peccato abſtinere poterant, uti fuerunt Artifices interempti, quod idola fabricare, aut thura idolo-latris ſacrificaturis vendere noluerunt: item Virgines, quæ maluerunt mori, quam nubere. Nonnulla tamen ſunt, quæ negauti ſententiæ favent. Potiſſimum eſt, quod controverſia hæc nondum ſit ab Eccleſia definita, ut innuit Alfonſus de Caſtro (*c*), quem ſequitur Prytanius (*d*). Addendum, quod qui tuetur B. Virginis immunitatem a peccato originali, tenetur habere formidinem de oppoſita ſententia. Nec juvant adducta exempla, cum Virgines mortem ſubierint, vel ut promiſſam Deo virginitatem ſervarent, vel ut eorum errori, qui eamdem damnabant, adverſarentur, uti notat Capiſucchius (*e*): Artifices vero obierunt, ne idolo-latrarum peccato cooperarentur: idola enim ſine peccato fieri non poterant, teſtibus Tertulliano (*f*) aliiſque. Refert Carena (*g*), ſupremos in Portugallia Inquiſitores, annuente Paulo V., damnaſſe propoſitionem, quæ aſſerebat, Articulum Conceptionis eſſe *de pertinentibus ad Fidem*, & pro eo morientem eſſe verum Martyrem. Item Congregatio Indicis, teſte Raynaudo (*h*), juſſit ab hujus opere *de Martyr. per peſt.* expungi hanc propoſitionem, *eum futurum Martyrem, cui mors intentaretur, ſi piam ſententiam de conceptione B. M.Virginis immaculatæ improbaret, iſque mallet mortem prius acceptare eam ob cauſam, & re ipſa excíperet*. Sed quidquid ſit de hac controverſia, de qua fuſe Antonius Lampridius, Candidus Parthenoſimus, & alii, tuta eſt in aliis caſibus regula, ut moriens pro quæſtione nondum definita ab Eccleſia, non moriatur pro cauſa ad Martyrium ſufficienti.

a tom. 1. in 3. par. controv. 2. de geſt. Chr. tract. 1. diſp. 3. ſect. 31. ar. 353.

b de Mart. per peſt. par. 2. c. 3. n. 18.

c l. 1. de juſt. Hæret. punit. c. 8. dub. 4. to. 2.

d de ing. mod. l. 2. c. 6.

e cit. controv. §. 17.

f l. de idol. c. 6.

g de off. Inquiſ. tit. 17. §. 11.

h oper. to. 10. pag. 256

16. 17 Item colligitur, Martyrem non eſſe, qui mortem ſubit ex ratione philoſophice dumtaxat bona. Victor Vitenſis (*i*) a Martyribus abjudicavit ſervum nobilis Tuburbitani, qui cruciatus fuit pro ſervando amici ſecreto, cum hæc ſit honeſtas dumtaxat civilis, de qua re legendi ſunt Maurus, (*k*) Vaſquez (*l*), & alii. Tandem Martyr non eſſet, qui moreretur pro articulo falſo, quem invincibiliter cenſeret verum, & ad Fidem pertinere. Quare Ruſticus, qui a Paroco, vel Epiſcopo articulum, tamquam Fide divina credendum, licet falſum, exciperet, & uti talem invincibiliter exiſtimaret, deberet utique credere, immo pro ipſo mori, durante ignorantia invincibili: moriens tamen Martyr non eſſet, cum moreretur ob confeſſionem Fidei humanæ, non Divinæ, quæ ad actum falſum non pertingit, ut oſtendunt Hurtado (*m*), & alii. Idem dicendum de moriente, qui renuit facere aliquid, quod invincibiliter exiſtimaret peccatum, licet revera non eſſet.

i l. 5. perſec. Wand. pag. 693. to. 8. Bibl. PP.

k tom. 3. Theol. l. 11 q. 95. ſub n. 4.

l in 3. par. to. 2. q. 68. ar. 3. diſp. 153. c. 6.

m loc. cit. § 3.

CAPUT XX.

De falſis Martyribus Hæreticorum, & Schiſmaticorum.

1 DE Martyrum ſuorum multitudine gloriabantur olim Marcionitæ, aliique Hæretici, ut de Priſcillianiſtis ſcribit Sulpicius Severus (*n*). Eos imitantur Hæretici noſtri temporis; ſed bujus generis Martyres refellit Baronius (*o*), & apud ipſum

n l. 2. ſacr. hiſt. c. 51. n. 7.

o in præf. ad Martyrol. c. 10.

ipſum SS. Auguſtinus Joannes Chryſ. aliique Patres. Rem hanc definivit Apoſtolus 1. *ad Cor.* 13. *Si tradidero corpus meum, itaut ardeam, Caritatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt*, quod deſumpſit ex Lege Chriſti *Luc.* 11. *Qui non eſt mecum contra me eſt, & qui non colligit mecum, diſpergit*. Ipſi Martyres Chriſti ſummopere curarunt, ut a falſis Hæreticorum Martyribus diſcernerentur, ut ex Clemente Alexandrino obſervat Euſebius. Et Synodus Laodicena can. 34. anathematizat confugientes ad Hæreticorum Martyres.

2 A ſchiſmate, ut plurimum conſurgit hæreſis, teſte S. Hieronymo (*a*), ſed licet ſchiſma ſine hæreſi eſſet, moriens in ſchiſmate nequit inter Martyres recenſeri, nam *quiſquis ab Eccleſia Catholica fuerit ſeparatus non habet vitam*; inquit epiſtola Synodalis Concilii Zertenſis (*b*), quod etiam docent SS. Auguſtinus (*c*), Optatus (*d*), & Cyprianus (*e*), & legitur *in cap. Firmiſſime de Hæreticis*. Idem de Novatianis affirmavit S. Pacianus (*f*). Sicuti enim Martyr eſſet, qui vitam daret, ne ſchiſma oriretur, vel ut ortum extingueretur, quemadmodum colligitur ex epiſt. Dionyſii Alexandrini apud Euſebium (*g*), & ex aliis monumentis; ita in ſchiſmate Martyrium eſſe nequit.

3 Verum, ut hæc clarius explicentur, Hæreticus vel moritur, ut ſuam hæreſim tueatur, vel moritur pro vero Fidei Catholicæ articulo. In primo caſu Martyr eſſe nequit, cum moriens maximum diabolicæ pertinaciæ ſpecimen præſeferat. Addendum, quod Hæreticus, vel moriens agnoſcit errorem, & fatetur delictum, & tunc teſtimonium præbet veritati, non tamen per Martyrium, ſed per piam confeſſionem, & pœnitentiam: vel negat delictum, & ore tantum Fidem confitetur; tuncque Martyr non eſt veræ Fidei, quam non credit; vel moritur in ſuo errore pertinax, & hæc ſanguinis effuſio non eſt pro Chriſto, nec mortis acceptio a recta voluntate provenit, quam verum Martyrium expoſcit. Legi poteſt Suarez *in defenſ. Fidei Cathol.* (*h*). Quin etiam Auctor hiſtoriæ Calviniſmi, ſive Apologiæ Reformatorum (*i*) fatetur, Hæreticum, morientem propter hæreſim, in crimine mori. Idem dicendum de Hæretico moriente pro veræ Fidei articulo, licet enim pro veritate moriatur, non tamen occumbit pro veritate per Fidem propoſita, cum Fide careat. Patrum teſtimonia in hanc rem collecta exhibent Pamelius (*k*), & Raynaudus (*l*). Addit Alanus (*m*), utrumque morientem eſſe damnandum, mitius tamen in Inferis torquendum, qui pro vero articulo moritur. Docuit Durandus (*n*), Hæreticum, negantem unum Fidei articulum, retinere habitum Fidei, ſaltem informem, ſed hoc Theologi communiter, duce D. Tho. (*o*), rejiciunt, docentes, morientem pro vero articulo, Martyrem eſſe non poſſe, utpote Fide & informi, & formata carentem. Addunt eumdem eſſe poſſe Martyrem coram Deo, non coram Eccleſia, ſi invincibiliter Hæreticus ſit, & diſpoſitus ad credenda omnia, quæ a proponente legitimo proponerentur. Nec obſtat, quod Eccleſia nonnullos Sanctos, pro Fide mortuos, colat tamquam Martyres, licet aliquid Fidei Catholicæ adverſum docuerint; nam, ut advertit Baillet (*p*), id intelligendum eſt de Sanctis, qui illud ante Eccleſiæ definitionem docuerunt, ut fuit S. Cyprianus, quod recte notavit Eſtius (*q*).

4 Solent Hæretici, apud Molanum ſuis Pſeudomartyrologiis inſerere nomina eorum, qui ſectæ contrariæ adhæſerunt, quod etiam de Foxi Martyrologio teſtatur Alanus Copus (*r*), & de Calviniſtis notavit Maimbourg (*ſ*); quibus, juxta Auctorem citatæ Apolog. Reformat., ſatis eſt, aliquem fuiſſe in Romanam Eccleſiam debacchatum, ut inter Martyres recenſeri poſſit, ideoque Joannem Hus, in graviſſimo de *tranſubſtantiatione* in Eucha-

a in epiſt. ad Titum c. 3. (col. 738. tom. 7. oper.)

b col. 2003. to. 1. collect. Hard.

c de Fide, & Symbolo c. 10. (to. 6. oper. col. 161.)

d lib. 3. contra Parmen. n. 8. pag. 65

e lib. de unit. (col. 398. & alibi)

f epiſt. 2. ad Symphronianum.

g Hiſt. Eccl. lib. 6. c. 45. pag. 318.

h lib. 1. c. 20.

i ed. Roterodami an. 1683. par. 3. c. 11.

k ad ep. 52. S. Cypriani n. 50.

l tract. de Martyr. per peſt. par. 2. c. 4.

m dial. 6. cap. 7.

n in 3. ſent. diſt. 23. qu. 9. n. 8.

o 2. 2. qu. 5. art. 3.

p in præf. ad vitas SS. §. 89.

q in 3. lib. ſent. diſt. 23 §. 13.

r in citat. dial. 6. cap. 16. pag. 820

ſ in hiſtor. Calviniſmi lib. 1. ad ann. 1535. pag. 33.

chariſtia articulo ab ipſis diſſidentem, tamquam Martyrem recipiunt. Impudentiſſima hominis ſtultitia! Sicuti enim *quicumque totam Legem ſervaverit, offendat autem in uno, factus eſt omnium reus*, Jacob.3., ita qui omnia credit, ſed unum aliquod a Fide præſcriptum neget, habitum Fidei ſupra naturam amittit, atque adeo, quæ credit, non ex Fide infuſa, & ſupra naturam credit.

5 &c. Hactenus de Hæreticis: nunc de Schiſmaticis. Schiſma, ſi ab hæreſi disjunctum ſit, juxta D.Thom.(*a*). Eſt ſeparatio ab unitate Eccleſiæ; adeoque in ſchiſmate moriens, ut ſupra diximus, Martyr eſſe nequit. Quod ſi contingat, ut duo ſimul ad ſummum Pontificatum eligantur, & ignoretur, uter ex iis legitime electus ſit, alterutri adhærens non eſt ſchiſmaticus, niſi illegitimo pertinaciter adhæreret, poſtquam legitimus declaratus eſſet, quemadmodum docent Butrius, Silveſter, & alii. Idcirco, qui in ejuſmodi ſchiſmate pro Fide Chriſti occumberet, Martyribus eſſet adnumerandus. Atque, ut huic rei lux aliqua ab exemplis affulgeat, Clemens VII. legitimus Pontifex retulit inter Beatos Petrum de Luxemburgo virtutibus, & miraculis clarum apud Spondanum (*b*), & Balutium (*c*), etſi Petrus ipſe a Clemente VII. Antipapa creatus fuiſſet Cardinalis. In Martyrol. Rom. (*d*) fit mentio S. Paſchaſii Diaconi, & Confeſſoris, licet pro Laurentio contra Symmachum ſteterit. Ex quibus ſane conficitur, neminem pati ſanctitatis detrimentum ex eo, quod adhæſerit Pontifici, quem legitime electum putabat, licet hujus electio poſt illius obitum damnata fuerit. Idem Clemens legitimus Pontifex eumdem honorem tribuit Ludovico Alamando, qui in Concilio Baſilenſi adverſus Eugenium legitimum Pontificem ſtetit, & Felicem Antipapam conſecravit, ſed mox facti pœnitens ad Nicolai V. Eugenii ſucceſſoris obedientiam rediit, & Eccleſiæ reſtituit unitatem. Quod quidem oſtendit, obſtare ſanctitati, ſiquis legitimo Pontifici obedire recuſet, eumque ante obitum facti non pœniteat. In teterrimo ſchiſmate inter Petrum de Luna, qui *Benedictus XIII.* appellatus fuit, & Angelum Corarium, qui dictus fuit *Gregorius XII*, S. Vincentius Ferrerius Petri de Luna partes ſecutus eſt; ſed, ut malas artes intellexit, ſtatim ab eo receſſit, aliiſque auctor fuit, ut ab ejus obedientia ſe ſubducerent. Hinc non eſſet vere Schiſmaticus, qui in dubio facti adhæreret ei, quem cum pleriſque legitimum Pontificem exiſtimaret, a quo tamen recederet, ſtatimatque agnoſceret, eum talem non eſſe. Quapropter ſicuti Schiſmaticus materialis in prædictis circumſtantiis poteſt eſſe Sanctus, ita etiam Martyr, ſi pro Fide Chriſti moriatur.

a 2. 2. qu. 39. art. 1.

b in continuat. Annal. Baron. ad an. 1387 n. 11.

c in not. ad vit. Paparum Avenion. to. 1. pag. 320.

d ad diem 31. Maji.

8. 9 Auctor Apologiæ, ſupra memoratæ, pro vindicandis ſuis Pſeudomartyribus, tamquam ſigna veri Martyrii ſtatuit, ingentem hominum multitudinem pro eadem re morientium; ex omni ætate, & ſexu; cum indiciis fortitudinis, conſtantiæ, & pietatis. Subdit, ſuos eſſe veros Martyres, utpote his qualitatibus præditos. Sed, ut aſſertionis vis dignoſcatur, tria perpendenda ſunt, videlicet, num illæ qualitates in noſtris adſint Martyribus, an in ſuis: & an eædem ad verum Martyrium ſufficiant.

10. 11 Adeſſe in noſtris Martyribus, non videtur ambigendum: Innumeri enim dicuntur Martyres in Actis ſinceris SS. Alexandri, & Epipodii apud Ruinart (*e*), & innumeros vocat Prudentius. *Viri prope innumerabiles*, inquit Euſebius (*f*) deſcribens perſecutionem a Diocletiano, & Maximiano excitatam, *cum uxoribus, & liberis pro Servatoris noſtri doctrina... varia mortis genera ſuſtinuerunt*. Idem affirmat Sulpicius Severus (*g*), adeo ut in quodam marmore apud Caſtellinum legatur (*h*), nomen Chriſtianorum ab iis Imperatoribus fuiſſe deletum, ex quo ſane dignoſci poteſt, quæ fuerit

e n. 2. pag. 63.

f lib. 8. hiſt. Eccl. cap. 6. pag. 382.

g lib. 2. ſacræ Hiſtor. cap. 32. n. 4.

h In not. ad Acta S. Reſtitu. § pag. 96.

Chriſtianorum multitudo pro Fide ſub ipſis occiſorum. Alia de hoc teſtimonia videre eſt in Menæis Græcorum, in Martyrologio Romano, apud Bollandianos (a), & Sozomenum (b). Invictam Martyrum fortitudinem, & patientiam deſcribunt Teophilus Raynaudus (c), & Lactantius (d), quin etiam ipſi Chriſtianæ Fidei hoſtes teſtati ſunt apud Buddæum (e). In toto opere Bollandiano paſſim occurrunt teſtimonia miræ Martyrum conſtantiæ in tormentis. Addunt Juſtinus (f), Tertullianus (g), & Auguſtinus (h), eò magis creviſſe Fideles: quo magis cruciabantur, & necabantur; quæ quidem nedum ſupponunt Martyrum multitudinem, ſed etiam oſtendunt, nullum ex multitudine præjudicium in Chriſtianam Fidem derivaſſe.

12 Quod ad Hæreticorum Pſeudomartyres attinet, ultro admittitur, nonnullos eorum mortem impavide eſpexiſſe, quemadmodum de Hieronymo de Praga narrat Poggius Florentinus (i), de Anna de Bourg Thuanus (k), & de Anabaptiſtis S. Bernardus (l), qui horum, cum ad mortem ducerentur, patientiam, & alacritatem, refert ad poteſtatem, quam Diabolus in eorum corda exercebat. Lætitiam quoque ad mortem properantes præſetulerunt Adamitæ, ſetus Wiclefi, & Huſſi: nec non alii recentiores Hæretici apud Alanum Copum (m). Attamen, utcumque hæc ſint, nullatenus noſtrorum ab initio Eccleſiæ ad hæc tempora Martyrum multitudini comparari poteſt numerus Pſeudomartyrum Hæreticorum; multo magis cum horum numerus ex Sectis inter ſe diverſis conſtetur: noſtri vero pro iiſdem omnino veritatibus ſanguinem fuderint. Admittit Baillet (n), nonnullos Hæreticos pro ſuorum errorum defenſione obſtinate obiiſſe; at ita nulla ſecta tot ex omni ætate, & ſexu conſtanter mortuos eſſe, quot inter Catholicos. Quod advertentes Hæretici recentiores cæperunt aſſerere antiquos Martyres ad ipſos pertinere; ſed inſaniam docte refellit Card. Gotti (o).

13 &c. Reliquum eſt, ut tertium ex iis, quæ propoſita ſunt, diſcutiatur, num ſcilicet prædictæ qualitates ad verum Martyrium ſufficiant. Profecto ex ſui natura, & indole non ſufficiunt: multi enim latrones, & homicidæ pro criminibus damnati mortem impavide ſuſtinent: & ſæpe contingit, ut nonnulli generoſe moriantur pro diverſis doctrinis, quarum altera falſa ſit oportet, adeoque alii pro veritate, alii pro errore occumbant, ut obſervant Suarez (p), & Raynaudus (q), & ante hos adnotaverat S. Auguſtinus (r). Revera tormenta, & mortem, licet pro ſceleribus damnati, invicte ſuſtinuerunt Leæna meretrix Athenienſis apud Tertullianum (ſ): Hieronymus Olgiatus, ſive Oleatus Mediolanenſis, unus ex interfectoribus Galeatii Sfortiæ Mediolanenſium Ducis, apud Fulgoſium: & Magnus Magiſter, & alii Equites Ordinis Templariorum, quem Clemens V. in Concilio Viennenſi ſuppreſſit, apud Natalem Alexandrum (t). Favent tamen ex qualitates noſtris Martyribus, non vero Pſeudomartyribus Hæreticorum. Catholici quippe non eas ſolas, ut Hæretici faciunt, ſed alia ſimul, & ſignanter cauſam Martyrii ponderant. Communis quidem poteſt eſſe noſtris, & illis invicta tormentorum tolerantia, ſed ex alibi dictis, Martyrem non facit pœna, ſed cauſa, adeoque tolerantia noſtris, prodeſt ad Martyrium, non alienis. Multitudo quoque invicte morientium eſt veræ Eccleſiæ teſſera, ſi adſit cauſa ad mortem idonea, ut ex Patribus probat Raynaudus (u), & contra Jacobum Piccininum demonſtrat Card. Gotti (x). Cauſæ examen effugere cupiunt Hæretici, cum vellent totum de veritate Martyrii judicium prædictis externis conjecturis inniti, addentes controverſiam de ejuſmodi cauſa non poſſe facile definiri: ſed ita ſentiunt, quia bene norunt, ſe non habere veram cauſam Martyrii; ab Eccleſia damnatos, & disjunctos eſſe, ſuiſque Pſeudo-

a ad diem 18. Maji pag. 617. to. 6.
b lib. 2. hiſt. Eccl. cap. 9.
c oper. to. 4. in apolog. pro Chriſtiana fortitudine lib. 5. ſect. 2. c. 8. n. 151. & ſeqq.
d lib. 6. c. 17.
e in Iſag. Hiſtorico-Theol. Lipſiæ edita ann. 1730. to. 2. pag. 877.
f dial. cum Tryphone Judæo n. 110. pag. 203.
g ad fin. Apol. pag. 81.
h de Civit. Dei lib. 22. c. 6. col. 661. to. 7. oper.
i in epiſt. ad Leonard. Aret. to. 2. Hiſt. Joannis Hus pag. 533.
k in hiſtor. lib. 23. n. 11. ad an. 1559.
l ſerm. 66. in Cantica n. 13. col. 1502. vol. 1.
m dial. 6. cit. c. 3.
n in præf. ad hiſt. de vit. SS. §. 88.
o to. 1. de vera Eccl. c. 3. §. 2.
p in defenſ. Fid. Cath. lib. 1. c. 20. n. 3.
q in tract. de Mart. per peſtem par. 2. c. 4. n. 6. & 7.
r ſerm. 2. in nativ. S. Vincentii (col. 1110. to. 5. oper.
ſ ad Mart. c. 4. pag. 192.
t in hiſtor. Eccl. ſæc. 13. & 14. diſſert. 10. q. 2. art. 1. n. 18.
u cit. c. 4. n. 9.
x cit. to. 1. de vera Eccl. c. 3. §. 1.

domartyribus aperte refragari SS. Auguſtinum (*a*), & Cyprianum (*b*). Præterea juxta doctrinam D. Thomæ (*c*), quem Theologi communiter ſequuntur, Martyrium eſt actus fortitudinis, ab hac elicitus, & a caritate imperatus. Sed quomodo vera fortitudo a falſa diſcerni poterit, niſi cauſa, ob quam quis ſe morti offert, examinetur, cum ipſi Philoſophi docuerint, fortitudinem a furore provenientem longe diſſimilem eſſe veræ fortitudini, quod hæc, non illa honeſtatem reſpiciat? Quod ſi externa veri Martyrii ſigna requirantur, præſto ſunt miracula, ex quibus SS. Auguſtinus (*d*), Hilarius (*e*), aliique Patres apud Petavium (*f*) Fidem Chriſtianam adſtruunt: ſed his externis indiciis, Catholicorum Martyria, non Hereticorum illuſtrantur, ut notat Baronins (*g*). In adnotationibus ad qnartum ex quinque libris S. Irenæi editis Pariſiis an. 1710. oſtenditur, Martyrium eſſe Dei donum, quod extra unitatem, & caritatem Eccleſiæ nemini conceditur, adeoque Hæreticos non eſſe Martyres, utpote extra hanc unitatem morientes; momentum vero, non in pœna, ſed in cauſa conſtituendum eſſe, uti tandem Lutherani ipſi agnoverunt. Robertus Perſonius in tract. *de tribus Angliæ converſionibus*, quoſdam Anglos recenſet, qui inſanas ſibi opiniones confingentes, & falſas doctrinas obſtinate retinentes, igni traditi mortem libenter amplexi ſunt. Hos Foxius inter ſuos Martyres recenſuit: Hinc dignoſcitur, quæſtionem prædictam non ad mortem, ſed ad cauſam mortis eſſe referendam, Catholicoſque, non Hæreticos eſſe veros Martyres, etſi pari modo tormenta ſuſtineant.

a epiſt. 185. ad Bonif. Comit. n. 8. col. 646. to. 2. oper.

b lib. de unit. Eccleſ. col. 401.

c 2. 2. qu. 124. ar. 2.

d lib. ult. de civit. Dei c. 9. col. 673 to. 7. oper.

e lib. 11. de Trinit. n. 3. col. 1084.

f lib. 14. de Incarnat. c. 13. oper. to. 5.

g c. 1. præf. ad Martyrol. Rom.

CAPUT XXI.

De Virtute heroica.

1 &c. HActenus de cauſis Martyrum, nunc de cauſis Confeſſorum Pontificum, vel non Pontificum, item Virginum, & non Virginum, & Viduarum. In his omnibus inſtituitur quæſtio de virtutibus, & dubium de his æquivalet dubio de Martyrio, ejuſque cauſa in cauſis Martyrum. Multiplicem vitæ excellentiam in Beatificando, & Canonizando requiri docent Joannes Andr. (*h*) Ancaranus (*i*), aliique juris Canonici Gloſſatores *in cap. Audivimus*, & alibi. Theologi affirmant neceſſarias eſſe virtutes in gradu heroico: idque aſſeruit etiam Franciſcus Maria Card. a Monte in relatione, quam in Conſiſtorio ſecreto fecit ſuper Actis S. Tereſiæ, & ante dixerant Rotæ Auditores in relat. ejuſdem cauſæ (*k*). Unus eſt Theologorum, & Canoniſtarum ſenſus, ſed Theologi aptioribus utuntur verbis, quæ proinde uſurpat Sedes Apoſtolica in diſcuſſione cauſarum Beatificationis, & Canonizationis; dubium enim, quod diſputandum proponitur, conceptum eſt his verbis: *An conſtet de virtutibus Theologalibus, Fide, Spe, & Caritate, ac de Cardinalibus, Prudentia, Juſtitia, Fortitudine, & Temperantia, & annexis in gradu heroico, &c.* De omnibus his virtutibus mentio fit in ſacris Scripturis pluribus in locis, Cumque juxta S. Dionyſium (*l*) ſanctitas ſit munditia perfecta, & immaculata, ac libera ab omni immunditia, & juxta S. Joannem Chryſ. (ſive Auctorem antiquum homiliæ in S. Lucam) (*m*) *apta circa Deum æquitas*, profecto ad eam requiruntur virtutes Theologicæ, quæ juxta D. Thom. (*n*) circa Deum immediate verſantur: cur autem dicantur *Theologicæ*, explicat Eſtius (*o*). Cœteræ virtutes ſunt intellectuales, vel morales: ab illis perficitur intellectus, ab his appetitus: a primis nemo ſimpliciter bonus, a ſecundis bonns dici poteſt. Inter has nonnullæ ſunt principales, ſeu *Cardinales*, ad quas aliæ, ut minus principales referuntur, ut proſequitur Eſtius (*p*): has quoque ad ſanctitatem neceſſarias eſſe innuit B. Petrus Damiani (*q*). Sed quomodo virtutibus Theologalibus, & Cardinali-

bus

h n. 4.

i n. 5.

k tit. de ſanctitate vitæ B. Tereſiæ in ſpecie.

l de Divin. nominib. c. 12. pag. 866.

m ad c. 1.

n 1. 2. q. 62. artic. 1. in corp.

o in 3. lib. ſent. diſt. 23 §. 1.

p in 3. lib. ſent. diſtin. 33. §. 1.

q lib. 2. ep. 18. pag. 135.

bus ſanctitas conſtituatur, fuſe explicat Hugo de S. Victore (*a*), inter alia affirmans, quod *ſeptenarius iſte virtutum numerus plenitudinem ſeptiformis gratiæ ſuis executoribus adducit*, idque bene explicarunt Auditores Rotæ in relat. cauſ. Servi Dei Nicolai Factor. (*b*).

a oper. to. 2. in opuſc. de fructib. carn. c. 1. pag. 114. à tergo.

b in Appendic. de virtutib. in genere.

4 Virtus ex S. Auguſtino (*c*), eſt *bona qualitas mentis, qua recte vivitur, qua nullus male utitur, quam Deus in nobis ſine nobis operatur*, quam definitionem amplectitur, & late exornat D. Thom. (*d*). De virtutibus fuſe Theologi; hic de earum (ut dicitur) heroicitate præſertim agendum, ac primo quidem de illa apud Gentiles, deinde de eadem apud nos, demum in quo conſiſtat, prout pertinet ad cauſas Beatificationis, & Canonizationis.

c in 2. de libe. arbitr.

d 1. 2. q. 85. ar. 4.

5 &c. Heroum, & heroicarum virtutum meminerunt Gentiles, appellantes Heroum nomine Hectorem, Alcidem, & alios. Docet Ariſt. (*e*) hominem, medium inter Deum, & ſubſtantias ſeparatas ex uno capite, ac bruta ex altero, ſi diuturno, & perfecto virtutum uſu ductum rationis ſequatur, conditionem exuere ſenſitivam, & in purum ſpiritum elevari, itaut ejus virtutes heroicæ, & divinæ cenſendæ ſint: at ſi vitiis ita inſerviat, ut rationem non audiat, videtur humanitatem exuiſſe, ejuſque vitium apparet ferinum. Quam doctrinam acutiſſime exponit S. Thomas (*f*), aliique poſt ipſum. Quærunt Theologi, an Infideles ſolo naturali lumine aliquas virtutes in ſuo genere perfectas, licet non meritorias vitæ æternæ, habere poſſint: an eæ ad gradum heroicum in ipſis aſcendere poſſint: demum an inter illos quiſquam fuerit virtutibus ita præditus, ut revera Heros eſſet. Primum innuere videtur S. Ambroſius *in pſal.* 1. (*g*), & ex quibuſdam Scripturæ locis ſuadent Theologi docentes, ab Infidelibus abſque Fide fieri poſſe aliqua opera moraliter bona, quod etiam deſumitur ex damnatione propoſitionum Michaelis Baji, & aliorum, affirmantium, omnia Infidelium opera eſſe peccata, & ſimilia. Si igitur in Gentilibus veræ virtutes morales reperiri poſſunt, nil prohibere videtur, quin etiam ad gradum heroicum, ſpectata rei natura pertingere poſſint. Verum cum ad conſtituendum verum Heroem collectio omnium virtutum moralium requiratur, quotquot autem inter Gentiles propter alicujus virtutis moralis excellentiam Herois nomen conſecuti ſunt, aliis utplurimum virtutibus caruerint, & vitiis inſervierint, neminem ex illis ſtricte Heroem fuiſſe ſtatuendum eſt, ut lato calamo probant Cardinales de Lauræa (*h*), & de Aguirre (*i*), & latiſſime Theophilus Raynaudus (*k*). Inter opera S. Baſilii (*l*) extat ejuſdem ſermo ad adoleſcentes, quomodo poſſint ex Gentilium libris fructum capere: tum refert, & commendat quaſdam a Socrate, aliiſque Ethnicis res præclare geſtas, ex quibus aperiri putat viam ad præcepta ſervanda; ſed illos vitiis ſimul inquinatos agnoſcit, itaut nullo modo Heroes dici potuerint.

e lib. 7. Ethic. c. 1.

f ad lib. 7. Ariſt. lect. 1. litt. C.

g to. 1. oper. col. 757.

h in 3. lib. ſent. to. 2. diſp. 5. ar. 2.

i in trac. de virtutib. & vitiis diſp. 12. q. 1. ſect. 3. & 4. & q. 2. ſect. 3.

k to. 4. de virtutib. & vitiis lib. 1. c. 1. ſect. 2. num. 82. & ſeqq.

8 Quod attinet ad virtutem heroicam, & Heroes in religione Chriſtiana, Martyres *multo elegantius, ſi Eccleſiaſtica loquendi conſuetudo pateretur, noſtros Heroas vocaremus*, inquit S. Auguſtinus (*m*). Hinc obſervat Coquæus (*n*), Herois nomen inanem quamdam gloriam præſeferre conſueviſſe, a qua religio Chriſtiana, & viri ſancti abhorrebant; re tamen Heroes fuiſſe tot Chriſti Martyres, Virgines & Confeſſores, ut late proſequitur Scacchus (*o*). Quapropter ſicuti ex dictis *lib.* 1. Sanctorum cultus a Martyribus ortus ad Confeſſores propagatus eſt, ita nomen Herois, profana voce ſanctificata, & poſteriori uſu comprobata, primum Martyribus, inde Confeſſoribus additum eſt, juxta Card. de Aguirre (*p*), & alios. Heroicitas Martyrum, utplurimum in ſola morte reſidet, in Confeſſoribus vero reſpicit totam vitam.

l to. 2. pag. 173. & ſeqq.

m lib. 10. de Civit. Dei c. 21. col. 256. to. 7. oper.

n in not. ad idem caput S. Aug.

o de not. & ſign. ſanctit. ſect. 2. c. 4. pag. 154. & ſeqq.

p de virtut. & vitiis diſput. 12. q. 1. ſect. 1. n. 10.

9. 10 Vera virtus heroica uni populo

Digitized by Google

pulo Dei in Lege veteri, & Eccleſiæ Catholicæ in Lege Gratiæ ſervata fuit. Ea eſt, quam Deus ſupra omnem naturæ exigentiam animabus infundit in ordine ad finem ſupernaturalem, cujuſmodi ſunt cum Theologicæ, tum morales virtutes. Verum ut hæ omnes heroicæ dicantur, opus eſt, ut ſupremum illum attingant perfectionis apicem, quo aliquis longiſſime ſupergreditur bonitatem aliorum juſtorum, qui lentiori conatu ad perfectionem Chriſtianam aſpirant, ut advertit laudatus Card. de Aguirre (*a*), & eruitur ex pluribus Scripturæ locis, quin etiam SS. Thomas (*b*), & Bonaventura (*c*) eos, qui ad illum perfectionis apicem pertingunt, ſimilitudinem cum Chriſto habere dicunt. Sed hoc ſobrie intelligendum, cum ex D. Auguſtino (*d*) quantacumque ſit noſtra juſtitia, *non æquabitur creatura Creatori*. Cohærenter ad hæc Scacchus (*e*), Card. de Lauræa (*f*), aliique plures de Canonizatione ſcribentes, inter quos nonnulli Fidei Promotores, conſentiunt heroicitatem eſſe eminentem virtutis gradum, qui communem hominum, etiam laudabiliter viventium, operandi modum ſuperat. Addit Eſparza in ſuo ſuffragio ad cauſam Servi Dei Card. Bellarmini, non inde præcipue reputari Heroes ſanctitatis, ſed *quia ante, & maxime poſtea uſque ad obitum, pertinere in continua vitæ innocentis ſerie, peragendo omnia juxta præcepta, & conſilia Evangelica cum circumſtantiis conferentibus ad ſummos apices perfectionis quoad ſubſtantiam, & modum ſingulorum operum, cumque firmo, atque intenſo rerum omnium terrenarum contemptu, & pari cum adhæſione ad Deum, & Divina*. His acceſſerunt ſuffragia quorumdam Theologorum Univerſitatis Patavinæ & aliarum in cauſa Servi Dei Apparitii.

a ibid. ſect. 9. n. 19. & 20.

b in libr. Mor. c. 3.

c in 3. ſent. diſt. 34. q. 1.

d de nat. & grat. c. 31. col. 143. to. 10. oper.

e loc. ſupr. cit. pag. 144

f in 3. lib. ſent. to. 2. lib. 9. de ſpe, & carit. diſp. 8. n. 18.

11 Poſt hæc occurrunt expendenda, quæ ad praxim Sedis Apoſtolicæ, & Congregationis rituum pertinent. In cauſis itaque Beatificationis, & Canonizationis inſtituitur quæſtio de virtutibus: ſed advertendum eſt, quæſtionem inſtitui de virtutibus, non mere politicis, ſed Chriſtianis, hiſque heroicis; heroicitatem vero eſſe operis excellentiam ab arduitate, ut plurimum ortam; & utramque ex circumſtantiis metiendam eſſe. Neque ad effectum, de quo agitur, ſufficiunt pauci actus, licet heroici; neque multi actus, etſi pariter heroici, unius virtutis ſufficiunt; ut virtutes Beatificandi, & Canonizandi approbentur, ſed ulterius requiritur, ut habitus heroici aliarum virtutum Theologalium, & Cardinalium demonſtrentur. Hoc tamen non ita intelligendum eſt, ut in unoquoque Beatificando, & Canonizando probanda ſit virtutum Theologalium, & Cardinalium exiſtentia in gradu heroico per multiplices heroicos actus ejuſdem generis ex unaquaque earumdem virtutum procedentes; ſed ut per multiplices actus heroicos probetur exiſtentia virtutum Theologalium, præcipue Caritatis, in gradu heroico; tum quia hi, qui in virtutibus Theologicis tota animi contentione ſe exercent, per harum illuſtrationem, & imperium eliciunt toto impetu, & conatu actiones virtutum moralium; tum quia Charitas eſt vinculum perfectionis, *ad Coloſſ. 3.*, *& qui manet in Caritate, in Deo manet, & Deus in eo*, 1. *Joan.* 4., eademque major eſt aliis virtutibus, ut explicat D. Tho. (*g*), quarum proinde ſplendor, & eminentia ab eminenti Caritate pendet. Probatis virtutibus Theologalibus, probanda eſt exiſtentia virtutum Cardinalium, non ſemper per actus heroicos, ſed aliquando per communes, reſtricta actuum heroicorum neceſſitate ad eas virtutes, in quibus Dei Servus juxta ſuum ſtatum, & conditionem potuit ſe exercere, ut eruitur ex S. Tho. (*h*), cujus doctrinam exornant Salmanticenſes (*i*), Roſignolio (*k*), aliiſque pluribus ſuffragantibus. Addendum, virtutum excellentiam per actus, licet multiplices, & heroicos non poſſe dici probatam, niſi prompte, facile, & cum delectatione

actus

g 1. 2. q. 66. art. c. 6. in corp.

h 2. 2. qu. 152. art. 3. ad 2.

i in curſu Theol. to. 3. tract. 12. de virtutib. diſp. 4. dub. 2. §. 1. ſub n. 23.

k de diſcip. Chriſt. perfect. lib. 3. c. 1.

Digitized by Google

actus eliciti fuerint, ut fuſe demonſtrant Card. de Lauræa (*a*), Scacchus (*b*), & alii. Demum ut dubium de virtutibus affirmativam ſortiatur reſolutionem, oportet, ut Heros fuerit ſemper idem, hoc eſt, a ſemita virtutis non deflexerit, quemadmodum inter alios docet Card. de Aguirre (*c*).

12 &c. His opponi poteſt, non eſſe unamquamque virtutem particularibus probationibus demonſtrandam, ſed ſufficere, ut una dumtaxat probetur, qua probata, aliæ quoque probatæ cenſentur; cum ita inter ſe connectantur, ut juxta Tullium (*d*), & Ariſtotelem (*e*), qui unam habet, alias habere dicendus ſit, ut etiam ſenſerunt SS. Ambroſius (*f*), & Hieronymus (*g*). Sed hæc non omnino ſubſiſtunt, vel ſaltem prædictis non obſtant. Nam in Concilio Viennenſi ſub Clemente V. admiſſa fuit, tamquam probabilior, ſententia, affirmans, in Baptiſmo tam parvulis, quam adultis infundi Gratiam, & virtutes Theologicas. Cumque Tridentinum *ſeſſ.6. cap.7.* declaraverit, infundi in juſtificatione Fidem, Spem, & Caritatem, hinc Suarez (*h*), & Vega (*i*) probabiliter eſſe de fide cenſent, juſtificatis dari habitus infuſos Fidei, Spei, & Caritatis. Rurſus, amiſſa per peccatum Caritate, remanet vera Fides, licet informis, niſi peccatum ſit Infidelitatis, ut idem Concilium definivit eadem *ſeſſ. can.*28. Et quamvis Concilium loquatur ſolum de Fide, tamen ex *cap.6.* ejuſdem *ſeſſ.* infertur, remanere etiam Spem, niſi peccatum ſit deſperationis. Quapropter connexio virtutum Theologalium inter ſe, non ab ipſarum natura, ſed a Dei liberalitate in prima earumdem infuſione verificatur. Excluſa connexione virtutum Theologalium inter ſe, perpendendum eſt, an eædem connectantur cum virtutibus moralibus, & iſtæ inter ſe. Affirmat S.Tho. (*k*), & poſt ipſum Salmanticenſes, habitus virtutum moralium infundi ſimul cum habitibus virtutum Theologalium. Negat Scotus (*l*) cum ſuis: ex quarum proinde opinionum contrarietate apparet, non poſſe certo aſſeri, virtutes Theologales connecti cum moralibus. Idem dicendum de connexione virtutum moralium inter ſe, cum experientia teſte, aliqui ſint humiles, non fortes; alii pudici, non humiles. Ideoque connexio virtutum neceſſaria dumtaxat videtur, ut ſint perfectæ, uti docent SS. Gregorius (*m*), & Thomas (*n*). Cum vero Beatificandus, & Canonizandus debeat eſſe ornatus virtutibus perfectis, harum connexio expendenda eſt, ut dignoſcatur, utrum fuerint perfectæ, an imperfectæ, adeoque omnes probandæ ſint: non ita quidem, ut Dei Servus debuerit in omnibus heroice ſe exercere, cum ex dictis ſufficiat, ut Heros fuerit in Fide Spe, & Caritate, & in iis virtutibus moralibus, in quibus juxta ſuum ſtatum exercere ſe potuit, cum præparatione animi ad ita ſe gerendum in aliis, ſi occaſio oblata eſſet, ut explicant Salmanticenſes (*o*), & ante ipſos docuerant SS. Hieronymus (*p*), Gregorius Magnus (*q*), & Thomas (*r*), aſſerentes, non oportere, ut ſinguli excellant in ſingulis. Quocirca S. Antonius, teſte Caſſiano (*ſ*), dicebat, non eſſe a quolibet ſancto viro omnes omnium virtutum præſtantes actus exquirendos.

a in 3. lib. ſent. diſp. 32. ar.6. n. 77.

b de not.& ſign.ſanctit ſect.2. c.4. pag.150. & 151.

c in tract. de virtut.& vitiis diſp. 12.q.2. ſect. 2. n.25.

d lib.2. de officiis.

e Ethic.lib. 6. c. ult. in fin.

f lib.2. de offic. c. 8. n.43.col.80 to.2. oper.

g in ep.66. ad Pammach.n.3. col. 361. oper. to.1.

h lib.6. de grat. c. 8. §.14.

i in Conc. Trid.lib.7. c.6.

k 1.2.q.63. ar.3.

l in 3.ſent. diſp.36. q. un. ar.3.

m libr. 22. Moral. c.1. num.2. col. 697. oper. to.1.

n 1.2.q.65. artic. 1. in corp.

o to.3.in 1. 2. D. Tho. q.65.diſp.4

p præf. in expoſ. lib. Job. c.6.

q hom.27. in Evang.

r 1.2.q.66 ar.2.

ſ lib.5. de Inſtit. Cœnob. c.4.

CAPUT XXII.

In quo proponuntur, & explicantur nonnullæ quæſtiones ad heroicitatem Virtutum pertinentes.

1. 2 Virtus Chriſtiana, ut ſit heroica, debet ex ſupradictis efficere, ut qui ea præditus eſt, expedite, prompte, ac delectabiliter ſupra communem modum ex fine ſupernaturali operetur. Hinc quæſtio inſurgit, an virtus heroica, ut id præſtet, habere debeat annexum aliquod ex Donis Spiritus Sancti. Hæc dona, juxta D.Thomam (*t*), ſunt habitus, quibus homo perficitur ad prompte obediendum Spiritui Sancto: connectuntur invi-

t 1.2.q.68. art.4.

invicem in Caritate: & poſtponenda ſunt virtutibus Theologicis, præferenda vero moralibus. Huic quæſtioni affirmative reſpondet Card. de Lauræa (*a*): ſed oppoſitum docet Maderna (*b*). Prima tamen ſententia conformis eſt doctrinæ D. Thomæ (*c*), eamque pluribus explicat Roſignolius (*d*). Negat idem Cardinalis, virtutem heroicam differre ſpecie a non heroica, cum heroicitas ſit ſolum perfectio virtutis; Hæc quoque eſt D. Thomæ ſententia, cui conſentiunt Scotus, & Suarez.

a in 3. lib. ſent. to. 3. diſp. 32. ar. 6. de virt. her.

b in curſ. Theol. to. 2 tract. 6. de virtut. in comm. qu. 3 de virt. heroica ar. 2.

3 &c. Alia hic quæſtio ſuboritur expendenda, an ſcilicet virtus debeat eſſe purgati animi, ut ſit heroica. Platonici virtutes Cardinales dividunt in politicas, purgatorias, purgati animi, & exemplares. Hac diviſione admiſſa, S. Thomas (*e*) docet, exemplar humanæ virtutis in Deo præexiſtere, adeoque virtutes in Deo dici *exemplares*. Politicas eſſe, quibus homo in humanis rebus gerendis recte ſe habet. Purgatorias, quarum ope pugna inſtituitur pro animi paſſionibus rationi ſubdendis. Tandem virtutes dici purgati animi, cum Prudentia ſolas Divinas res intueatur, Temperantia terrenas cupiditates neſciat, Fortitudo paſſiones ignoret, Juſtitia cum Divina mente perpetuo fœdere ſocietur. Plura harum virtutum exempla ſuppeditat ſacra Scriptura: nonnulla exhibet Card. de Lauræa (*f*): hanc vero virtutum diviſionem admittit etiam S. Bonaventura (*g*) P. Antonius Gonzalez *in diſſert. de virtutibus heroicis S. Roſæ de Lima*, poſtquam expoſuit virtutem communem reſpondere viæ purgativæ, virtutem purgatoriam viæ illuminativæ, & virtutem purgati animi viæ unitivæ, concludit virtutem heroicam non eſſe purgatoriam, ſed purgati animi, ideſt eſſe virtutem in ſtatu unionis. Ea igitur eſt Auctoris ſententia, non poſſe virtutes morales, ſeu Cardinales eſſe heroicas, niſi ſint purgati animi, & huic ſententiæ adhæſit Petrus Franciſcus de Rubeis in ſuis animadverſionibus in cauſa S. Joannis a Cruce, eamque innuit Card. de Aguirre (*h*). Sed eſto: virtus heroica ſit purgati animi, ut dixerunt Auditores Rotæ in relat. cauſæ S. Tereſiæ, hinc tamen inferri nequit, virtutem eſſe non poſſe heroicam, niſi ſit purgati animi. Nam Gloſſa *in Clement. final. de Hæret.* docet quidem, virtutes purgatorias eſſe virtutes hominum nondum purgatorum a paſſionum inſultibus, & ſic non ſumme perfectorum, ſed ad hoc toto conatu tendentium; virtutes autem purgati animi eſſe hominum totaliter purgatorum a paſſionum moleſtiis: ſed ſubdens, virtutes purgatorias eſſe hominis imperfecti, hanc imperfectionem reſtringit ad defectum majoris perfectionis, quæ vel in Beatis in patria, vel in pauciſſimis in hac vita perfectiſſimis invenitur, non autem extendit ad defectum heroicitatis pro Canonizatione requiſitæ. Concordat D. Tho. (*i*), & ſubſcribunt tum qui de Beatificatione, & Canonizatione, ac virtute heroica ſcripſerunt, ut Almainus (*k*), Matthæuc. (*l*) Card. de Lauræa (*m*), & alii, quorum ſententiæ favet auctoritas S. Gregorii (*n*); tum alii, qui in Congregatione rituum ſuffragia tulerunt de virtutibus heroicis Servorum Dei, ut Auditores Rotæ in relat. S. Petri Regalati, Card. Capiſucchius, & P. Garzonius Procurator Generalis Ordinis Servorum B. M. V. Et hæc ſententia retinenda videtur. Paucis: promptitudo, alacritas, & delectatio, quæ requiruntur, ut quis heroice operari dicatur, non excludunt paſſiones, ſed cum iis cohærent, præcipue ſi ſint in gradu remiſſo, ut explicat Roſignolius (*o*).

c 2.2. qu. 68 ar. 1. in corp. & 2.2. qu. 159. ar. 2 ad 1. & in 3. ſent. diſt. 34. qu. 1. ar. 2. ad 1.

d de diſcipl. Chriſt. perfect. lib. 3. c. 2.

e 1.2. qu. 61. ar. 5.

f in 3. lib. ſent. to. 2. diſp. 5. ar. 3.

g in 3. ſent. diſt. 33. qu. ult.

h in tract. de virt. & vitiis diſp. 12. qu. 3. ſect. 2. n. 18.

i 2.2. qu. 61. art. 5. in corp.

k in tract. 3 de virt. moral. & vitiis oppoſ. c. 18. fol. 65. a tergo.

l in pract. Theologo-Canon. ad cauſ. Beatif. & Canoniz. tit. 2. c. 1. n. 12.

m in 3. lib. ſent. to. 2. diſp. 32. ar. 4.

8 Aliquando Promotores Fidei controverſiam excitarunt, an actio Chriſtiana, ut ſit heroica, debeat eſſe conſilii, itaur non ſufficiat, ſi ſit præcepti. Nonnulli rigidi cenſores ex illo *Luc. 17. Cum feceritis omnia, quæ præcepta ſunt vobis, dicite, Servi inutiles ſumus*; & ex alio *Matth. 19. Si vis perfectus eſſe, vade, vende, quæ habes, & da pauperibus ..... & ſequere me*; aſſe-

n lib. 2. Moral. c. 16. col. 49. to. 1. oper.

o de diſcip. Chriſt. perfect. lib. 3. cap. 3.

ruerunt, ea, quæ ſiunt ratione Inſtituti, vel voti, non pertingere ad heroicitatem. Sed hoc aſſumptum ex adductis non evincitur; nam illud Lucæ ad ſuadendam humilitatem prolatum exiſtimant S. Bernardus (a), & Bellarminus (b). Alterum Matthæi tamquam ad perfectionem conducens dictum explicat S. Tbo. (c), qui præterea docet (d) perfectionem per ſe conſiſtere in Caritate, adeoque in præceptis, ſecundario autem in conſiliis. Rurſus, magis meritorium eſſe opus factum cum voto, quam ſine voto. Ex his, aliiſque a S. Doctore traditis infertur, non eſſe neceſſarium ad conſtituendum actum heroicum, ut ejus materia ſpectet ad conſilinm, neque ab heroicitate excludi, quæ ſiunt ex præcepto, vel Inſtituto, aut voto, ſi cætera concurrant ad heroicitatem neceſſaria. Id innuunt S. Vincentius Ferrerius in ſerm. de S. Franciſco (e), Martinns Navarrus (f), aliique, & merito, nam aliter S. Tereſia, nullum actum beroicum elicuiſſet, utpote quæ emiſerat votum faciendi ſemper, quod cognoviſſet eſſe perfectius. Sectarii vota impugnantes dicunt, heroicitatem conſiſtere in libertate, vota vero auferre libertatem, adeoque heroicitatem, & ſanctitatem; Hos ſolide refellit Bellarminus (g) oſtendens, vota non tollere libertatem neceſſariam ad laudem, meritum, & beroicitatem. Immo docet S. Tbo. (b), meritum operantis ex voto augeri.

a epiſt. 142. ad Monac. Alpenſes col. 148. vol. 1. & ſerm. 117. de diverſis n. 1. ibid. col. 1124.

b controv. to. 2. l. 2. de Monachis c. 13. n. 36. pag. 831.

c 2. 2. qu. 184. ar. 3.

d loc. cit. in corp.

e ante med. pag. 403.

f comment. 4. de Regularib. to. 2. n. 17.

g lib. 2. de Monachis c. 18. pag. 237. & c. 19

h opuſc. 18. de perfect. c. 10. & 12.

9. 10 Expendendum ſupereſt, an Heros ſit, qui toto vitæ tempore innocentiam Baptiſmalcm conſervavit, itaut immutabilitas iſta ſufficiat ad conſtituendam Evangelicam heroicitatem. Ita plane ſenſerunt Auditores Rotæ in relat. cauſæ S. Aloyſii Gonzagæ, deſumentes heroicitatem virtutum ab innocenti vita Beati, quem numquam mortaliter peceaſſe Confeſſarii plene teſtabantur. P. Andreas Budriolus ejuſdem cauſæ Poſtulator pluribus argumentis id roboravit in ſua informatione, quam ſuper virtutibus ac toto ſtatu cauſæ obtulit Congregationi rituum. Cum enim Sancti canonizentur vel propter innocentiam, vel propter pœnitentiam, tutiorem eſſe ait titulum innocentiæ, ex quo Eccleſia tutins judicare poteſt, canonizandum obiiſſe in gratia, & amicitia Dei. Addidit ex vitæ innocentia conſtare de virtutibus Theologalibns, & Cardinalibus, prout Eccleſia in Canonizando requirit. Verumtamen boc non videtur ad praxim deduci poſſe. De bac enim continuata vitæ innocentia poterit conſtare Eccleſiæ ex atteſtationibus Confeſſariorum, quibus dumtaxat innoteſcere poteſt, an Dei Servus mortaliter umquam peccaverit. Jam vero ex alibi dictis bæ atteſtationes non ſunt in his cauſis rejiciendæ, ſed duriſſimum eſſet tam grave negotium iis ſolis abſolvere. Ut igitur Eccleſia tuto procedat, alii teſtes de ſingularibus externis actibus, horumque modo, addendi videntur, ut tuto definiri poſſit, Dei Servum fuiſſe Heroem, & virtutibus beroicis præditum. Quocirca S. Bernardus in vita S. Malachiæ (i) pro hujus innocentia aſtruenda teſtes vocat, qui externos eos actus noverunt. Quod ſi quæſtio reſtringatur ad innocentiam ſolis Confeſſariorum dictis comprobatam, prædictum aſſumptum ad ſummum ſatis erit pro conſtituenda ſanctitate coram Deo, non coram Eccleſia.

i c. 19. col. 602. vol. 1.

11 Hæc explicatio innititur doctrinæ eoium, qui aſſeruiſſe videntur, ſolam vitæ innocentiam dictis Confeſſariorum patefactam ſufficere heroicitati conſtituendæ. Nam P. Eſparza in ſuo ſuffragio ad cauſam Ven. Servi Dei Card. Bellarmini; Rotæ Auditores, & P. Budriolus ſupra citati, poſtquam vitæ innocentiam ex teſtimoniis Confeſſariorum commendarunt, virtutes heroicas ex reliquis teſtibus actus externos comprobantibus, deſumpſerunt: quod etiam eruitur ex doctrina Card. de Aguirre. Sed ad omnem ambiguitatem tollendam advertendum eſt, vitæ innocentiam ſolis Con-

Confeſſariorum dictis comprobatam non ſufficere pro Canonizatione, quoad Eccleſiam militantem; nec ſatis eſſe pro approbatione virtutum in judicio Beatificationis, & Canonizationis, etiamſi alii teſtes alios actus referant; bene vero, ſi teſtes exprimant, hos actus elicitos fuiſſe a Servo Dei prompte, facile, & delectabiliter juxta circumſtantias, in quibus vivens fuit conſtitutus. Licet enim non demonſtrentur actus ardui in particulari admirationem excitantes, tamen continuata vitæ innocentia inter tot pericula peccandi, & exacta præceptorum, & conſiliorum obſervantia arduitatem conſtituunt, & admirationem ingerunt. P. Bartolus *in vita Card. Bellarm.* (*a*) errorem eſſe ait, eos dumtaxat pro Sanctis habere, qui arduas pœnitentias per longum tempus egerunt. Tandem ſi de vitæ innocentia non conſtet, aut de aliquo peccato, præſertim gravi, conſtiterit; relatio teſtium de pœnitentia, & obſervatione præceptorum cum facilitate, & delectatione, nulla tamen facti mentione operum arduorum, ad rem præſentem ſufficere non videtur.

a lib. 3. c. 9.

CAPUT XXIII.

De virtutibus Theologalibus Fide, Spe, & Caritate, & heroicitate uniuſcujuſque ex iiſdem.

§. I.

De Fidei virtute, & ejus heroicitate.

1 AB Apoſtolo *ad Hebr.* 11. Fides definitur: *Sperandarum ſubſtantia rerum, argumentum non apparentium.* Quæ ab aliis definitiones traduntur, ſunt hujus explicationes. Docet S. Thom. (*b*), formam Fidei eſſe caritatem, in quantum per hanc perficitur Fidei actus; ad hujus vero perfectionem requiri, ut intellectus tendat certiſſime in ſuum objectum, quod eſt verum; & ut certiſſime ordinetur ad ultimum finem, propter quem voluntas aſſentitur vero. Addit, utrumque reperiri in actu Fidei formatæ, adeoque hanc, non autem informem, eſſe virtutem: Fidem inſuper eſſe primam inter omnes virtutes. Conſentiunt communiter Theologi, prælucente illo Apoſtoli 1. *ad Cor.* 13. *Si habuero omnem Fidem ..., Caritatem autem non habuero, nihil ſum.*

b 2. 2. qu. 4. ar. 1.

2 &c. Operibus ergo ex Caritate Dei, & Proximi prodeuntibus Fides formata comprobatur, juxta illud Jacobi *epiſt. cap.* 2. *Fides ſine operibus mortua eſt.* Idcirco docet Scacchus (*c*), Fidem in cauſis Servorum Dei deſumendam eſſe ex operibus. Hæc opera in dictis, aut factis conſiſtunt. S. Leo (*d*) extollit Fidem S. Petri ob externam Fidei confeſſionem, quam de Chriſti Divinitate emiſit. S. Maximus (*e*) Fidem S. Latronis colligit ex Fidei confeſſione, qua in cruce poſitus, Chriſtum eſſe filium Dei affirmavit. S. Hieronymus (*f*) Fidem Paulæ Romanæ demonſtrat ab actu extrinſeco, quo ſe Hæreticis adverſam oſtendebat. Demum S. Thomas de Villanova (*g*). Fidem S. Auguſtini deſumit ab ejus doctrina, qua Hæreticos confutavit. Docet S. Antoninus (*h*), magnam alicujus Fidem elucеſcere, ſi alta de Deo ſentiat, caduca pro æternis deſpiciat, in adverſis in Deo confidat, & non deficiat, nec a bono opere deſiſtat. Hugo de S. Victore (*i*) affirmat, Fidem conſtare in cognitione, & affectu. Verumtamen, ut de heroicitate Fidei Servorum Dei tutum feratur judicium, advertendum eſt, habitum communem Fidei Theologicæ dignoſci ab externa confeſſione eorum, quæ in corde creduntur, ex obſervantia præceptorum, ex oratione, cordis demiſſione, & obedientia Deo, Eccleſiæ Catholicæ, & Romano Pontifici, ex Fidei dilatatione, vel ejus deſiderio, ex timore, & cultu Dei, & Sanctorum, ex horrore, & pœnitentia peccati, patientia in adverſis, lætitia in bonis ope-

c de not. & ſign. ſanct. ſect. 3. c. 1. pag. 178.

d in ſerm. de nativit. Apoſt. Petri & Pauli in append. to. 1. pag. 189.

e in ſerm. 1. de S. Latrone to. 6. Biblioth. PP. pag. 22.

f in epitaphio ejuſdem to. 1. oper. col. 709. n. 22.

g concion. 1 de S. Aug. pag. 502.

h in ſumm. par. 4. tit. 8. cap. 3. §. 7.

i oper. to. 2. ſerm. 35. pag. 235.

operibus, & ex humilitate. Ex his quoque habitus Fidei heroicus dignoſcitur, ſi comitentur frequentia, facilitas, promptitudo, delectatio, & arduitas admirationem conciliaus; ad quæ concurrit Spiritus Sancti donum *Intellectus*, cujus naturam explicat S. Bonaventura (*a*). Horum omnium probationes ſuppeditant Cardinalis de Lauræa (*b*), & Alexander Maderna (*c*), & fuſe comprobantur ex Actis Canoniz. SS. Tereſiæ, Petri de Alcantara, & Paſchalis Baylon, & ſignanter ex relat. Auditorum Rotæ, ex quibus plane deſumitur externam Fidei profeſſionem eſſe actum Fidei, & ex ea habitum Fidei dignoſci; heroicum vero habitum ex eadem perfectiori modo exhibita indicari.

a in tract. de donu intellectus c. 3. pag. 263. oper. to. 6.

b diſput. 32 ar. 9. §. unic. per tot. to. 2. in 3. lib. ſent.

c tom. 2. in QQ. Theol. tract. 6. qu. 3. ar. 3.

8 &c. Quod de externa Fidei profeſſione dictum eſt, reliquis recenſitis actibus applicari poteſt. Inter hos numeravimus Fidei propagationem, aut ejus deſiderium, adeoque zelum ſalutis animarum; ſupereſt, ut exponantur circumſtantiæ, ex quibus in præteritis Canonizationibus major operis perfectio, adeoque heroicitas deſumpta eſt. Auditores Rotæ heroicitatem Fidei SS. Petri de Alcantara, & Tereſiæ deſumpſerunt ex deſiderio propagationis Fidei, & morum reformationis. Munera quoque a Servis Dei præſtita, & occaſiones, in quibus conſtituti aliquid ſtrenuum geſſerunt, argumentum Fidei heroicæ ſuppeditarunt. Iidem Auditores in relat. cauſ. S. Pii V. ad Fidei excellentiam retulerunt, quod Inquiſitionis munus, a ſuprema Inquiſitione Romana demandatum, apud Helvetios, & Bergomi adverſus quoſdam potentes Hæreticos, feliciter peregiſſet, ſpretis imminentibus carceris, mortiſque periculis. Eadem fuit eorumdem ſententia in relat. cauſ. S. Jacobi de Marchia, cum prædicationis, & Inquiſitionis munus ingenti labore, & fructu diu obiverit, & de S. Ludovico Bertrando, qui non ſine magno vitæ diſcrimine Fidem propagavit, & publica hominum peccata in concionibus reprehendit. Item heroicæ Fidei adſcripſerunt, quod S. Franciſcus Xaverius in Nuntium Apoſtolicum pro Indiis electus tot diſſitas regiones ingenti populorum converſione, inſtantibus undique vitæ periculis, peragraverit, ac laborioſiſſimi itineris cauſa occubuerit. Cum vero non omnibus Dei Servis oblata fuerit occaſio fungendi munere Inquiſitoris, Concionatoris, aut Nuntii Apoſtolici, & Miſſionarii, aliæ non deſunt circumſtantiæ, in quibus, juxta ſeriem vitæ, Servi Dei conſtituti, heroicæ Fidei ſpecimen exhibuerunt, ut colligere eſt ex relat. cauſ. SS. Philippi Nerii, Cajetani, & aliorum. Reliqua opera ſuperius indicata Fidem heroicam præſeferre poſſunt, ſi non ordinario, ſed perfectiori modo exerceantur.

§. II.

De virtute Spei, & ejus heroicitate.

11. 12 SPes definitur a Gerſone (*d*), *certa expectatio futuræ beatitudinis proveniens ex gratia, & meritis præcedentibus*. Alias definitiones tradunt Valentia (*e*), & Salmanticenſes (*f*). Oſtendit S. Thomas (*g*), eam eſſe virtutem, cum faciat actum hominis bonum: Theologicam, cum ejus principale objectum ſit Deus: diſtinctam ab aliis virtutibus Theologicis, cum faciat, ut homo inhæreat Deo, prout eſt in nobis principium perfectæ bonitatis, inquantum ſcilicet per ſpem Divino auxilio innitimur ad beatitudinem conſequendam. Addit, eamdem in via generationis eſſe priorem caritate, quod etiam explicat Tridentinum (*h*).

13 Actus Spei juxta S. Bonaventuram (*i*) elici poſſunt formaliter, & virtualiter. Actus formalis alius eſt interior, cum quis æternam gloriam contemplans, illam Divino auxilio adipiſci deſiderat: alius exterior, cum quis verbis affirmat, ſe ſperare vitam æter-

d to. 1. par. 3. tract. de virt. ſpei col. 297.

e to. 3. diſp. 2. quæſt. 1. punct. 1.

f tom. 3. In Arbore prædicam. §. 3. n. 18.

g 2. 2, qu. 17. per tot.

h ſeſſ. 6. c. 6 de juſtific.

i in 3. lib. ſent. diſt. 26. qu. 4.

æternam. Actus Spei virtualiter elicitur, cum quis externum opus facit, in quo actus Spei includitur. In cauſis Servorum Dei habitus Spei deſumi poterit ex actibus externis formalibus, vel virtualibus.

14. 15 S. Baſilius (*a*) ſpem S. Gordii Martyris deſumit ex tormentorum tolerantia, & ex verbis vivam ſpem inter tormenta exprimentibus. S. Athanaſius (*b*) Spei in Deum adſcribit victoriam, quam S. Antonius de multitudine Dæmonum reportavit; & S. Hieronymus (*c*) refert, Paulam mediis in tribulationibus quædam ex Divinis eloquiis ſpem inſinuantibus uſurpaſſe, iiſque contra adverſa ſe texiſſe. Spes apud S. Antoninum (*d*) eſt effectiva dilectionis, productiva delectationis, operationis perfectiva, & præmii collativa. Alias qualitates idem Sanctus enumerat, quas S. Gregorius explicavit (*e*).

a hom. 18. in S. Gordian. Mart. oper. to. 2. pag. 146. n. 5.

b in vita S. Antonii Abb. pag. 803. n. 9. to. 1. oper. part. 2.

c in epiſt. Paulæ Matris ad Euſtoch. oper. tom. 1. col. 703.

16 &c. Habitus Spei communis principaliter inclinat ad ſperandum ultimum finem; ſecundario ad ſperanda media ad illum conſequendum. Adjuvat quoque ad ſpem in Deo collocandam in omni neceſſitate, & ad ſuſtinenda adverſa propter vitam æternam. Habitus heroicus ad hæc ipſa adjuvat, & inclinat, ſed cum maxima fiducia, & ſecuritate, inceſſanter, alacriter, & firmiſſime, prompte, & delectabiliter, aut ſaltem cum præparatione animi ad eadem. Demum omnia opera bona Spem arguunt, ſublimia heroicam demonſtrant, ut late docent Card. de Lauræa (*f*), & Maderna (*g*). Auditores Rotæ in relat. virtut. S. Tereſiæ heroicam hujus Spem deſumpſerunt ex perfecto ſperandi modo, cum Deum tanquam finem, Bona creata tanquam ad illum conſequendum neceſſaria, vel magis conducentia tantum ſperaverit, & amaverit, nec in omni neceſſitate, & periculo ſine ulla dubitatione, & indeſinenter ad illum confugerit, in eoque, & propter eum res difficillimas ſperaverit, & obtinuerit, ſuæ videlicet Religionis reformationem. In relat. cauſ. S. Ignatii excellentem ejus Spem hauſerunt ab aſpera pœnitentia, perfecta rerum temporalium renuntiatione, magna ſui ipſius diffidentia, ex arduis, quæ pro Dei gloria, & animarum ſalute aggreſſus, & proſecutus eſt, ex lætitia in adverſis, quæ pro Chriſto, & Juſtitia ſuſtinuit. Similia videre eſt in relat. cauſ. SS. Petri de Alcantara, Franciſci Xaverii, & aliorum. Ingreſſus in religionem, & Profeſſio in eadem emiſſa, abdicatis omnibus temporalibus, non ex fine humano, ſed ut Deo perfectius ſerviatur, argumento ſunt Spei heroicæ apud eoſdem Auditores in relat. cauſ. SS. Franciſci Borgiæ, Thomæ de Villanova, & aliorum. Aliæ circumſtantiæ clariora hujus heroicitatis ſigna ſuppeditare poſſunt. Quod enim S. Aloyſius Gonzaga, relicto Marchionatu Caſtelionenſi, nomen dederit Societati Jeſu, in qua præcluſus eſt aditus ad dignitates: quod S. Joannes de Deo, audita Magiſtri Avilæ concione, mirum in modum ad Deum converſus Religionem fundaverit, & amplexus fuerit: quod S. Paſchalis Baylon ſpreta heri divitis hæreditate in arctiſſimam Diſcalceatorum S. Franciſci Religionem ingreſſus fuerit, iidem Auditores retulerunt inter actus Spei heroicæ. Similia de S. Hyacintho refert P. Severinus Cracovienſis in ejus vita (*h*). Lætitia pariter, quam quis ex nuntio vicinæ mortis, & ex mortis meditatione experitur, heroicam Spem deſignat, ſicuti in relat. cauſ. SS. Philippi Nerii, Tereſiæ, aliorumque teſtati ſunt ſæpe laudati Rotæ Auditores.

d in ſumm. par. 4. tit. 7. cap. 2. §. 4. & 5.

e lib. 8. in Job c. 7. col. 247. to. 1. oper.

f loc. cit. ar. 10.

g loc. cit. ar. 4.

h lib. 1. c. 4.

20 Spei Theologicæ reſpondet donum Timoris, non ſervilis, ſed filialis, & caſti, qui ſane timor, & ſpes ſibi invicem cohærent, adeoque hoc donum in ſpem influit, prout ad ejus heroicitatem requiritur.

§. III.

§. III.

De virtute Caritatis in Deum, & ejus heroicitate.

21 &c. DEfinitur, *Habitus ſupernaturalis inclinans ad amandum Deum ſuper omnia amore amicitiæ*, quam definitionem late explicant Salmanticenſes (*a*). S. Tho. (*b*) probat, Caritatem eſſe virtutem, omnium excellentiſſimam, nec ſine ipſa dari poſſe veram virtutem; eamque eſſe virtutum formam. Similia docet Card. Bona (*c*). Addit S. Thom. (*d*), Caritatem poſſe in hac vita perfectam eſſe, vel cum homo ſtudium ſuum conferat ad vacandum Deo, & rebus Divinis, prætermiſſis aliis, niſi quantum exigit hujus vitæ neceſſitas, & hæc perfectio non eſt communis omnibus habentibus Caritatem; vel cum quis habitualiter totum cor ſuum ponat in Deo, itaut nil cogitet, aut velit, Divinæ dilectioni contrarium, quæ perfectio convenit omnibus Caritatem habentibus. Idem Angelicus Doctor (*e*), necnon SS. Bernardus (*f*), & Bonaventura (*g*) decem Caritatis gradus enumerant, videlicet, languere utiliter: Deum inceſſanter quærere: operari indeſinenter: ſuſtinere ſine fatigatione: appetere impatienter: currere velociter: audere vehementer: ſtringere indiſſolubiliter: ſuaviter ardere: ſimilitudo perfecta cum Deo, quantum creaturæ in hac vita competere poteſt, de qua ſimilitudine loquitur S. Petrus *epiſt. 2. c. 1. Per quem* (Chriſtum) *maxima, & pretioſa nobis promiſſa donavit, ut per hæc efficiamini Divinæ conſortes naturæ*. Ea autem ſunt, per quæ homo efficitur principium operationum ſupernaturalium, & moraliter perfectarum, quarum ratione aſſimilatur in modo operandi ſupernaturali Divinæ naturæ, & declinat ab operibus concupiſcentiæ, & corruptionis.

a loc. cit. §. 4. n. 32. & ſeqq.
b 2. 2. qu. 23 & ſeqq. 31. 6.
c in tract. de princip. vitæ Chriſt. par. 2. c. 49. oper. to. 1.
d ibid. qu. 24. ar. 8.
e opuſc. 61.
f lib. de dilig. Deum col. 589. volum. 1.
g in pharetræ divini amoris lib. 2. c. 25. pag. 145. oper. to. 6.

24 Caritas in voluntate exiſtit, ideoque docet Scacchus (*h*) deſumendam eſſe ex actibus externis, ſignanter ex zelo Divini cultus, & honoris; ex deſiderio moriendi, ut fiat omnimoda cum Deo conjunctio; ex gaudio interno, externis ſignis expreſſo, dum ſermo fit de Deo; ex pace in adverſis, & ex lætitia, ſi contigerit aliquid pro Deo pati: unde dicebat Apoſtolus *ad Rom. 8. Quis nos ſeparabit a Caritate Chriſti? Tribulatio, an anguſtia &c.* Et Rotæ Auditores in relat. cauſæ S. Franciſci Xaverii Caritatem dixerunt probatam ex præcipuis indiciis, quibus latens in animo clariſſimæ proditur.

h de not. & ſign. ſanct. ſect. 3. c. 3.

25 Cohærenter ad hæc S. Maximus (*i*) Caritatem S. Petri laudat, quod *in navi poſitus conſiderat Dominum, & amore ejus ductus deſcendit in mare*. S. Agnes in Act. apud Surium (*k*), juveni ejus amore capto reſpondit: *Diſcede a me . . . Non potero . . . illum derelinquere, cum quo ſum Caritate devincta*. S. Hieronymus (*l*) nobile dilectionis Dei ſuper omnia exemplum ſuppeditat, deſcribens Paulæ diſceſſum ab Urbe, ut loca ſacra Bethlemitica viſeret, *amorem filiorum majore in Deum amore contemnens*. Plura de Martyribus cumulari poſſent: nam S. Laurentius apud S. Leonem (*m*) ſic Tyrannum alloquitur: *Nihil proficis . . . . Flammis tuis ſuperari Caritatis Chriſti flamma non potuit*. Sed cum hic agatur de Confeſſoribus, habitus communis Caritatis erga Deum ex actibus a Scaccho recenſitis comprobari poterit; ex quibus pariter dignoſcetur habitus ejuſdem heroicæ, ſi frequenter, prompte, alacriter, cum delectatione, in arduis, & cum vitæ, vel Bonorum periculo exerceantur. Frequentiam actuum expoſcit Scacchus (*n*): arduitatem cum Bonorum, & vitæ periculo exponit Card. de Lauræa (*o*): promptitudo, & reliqua, heroicitatem Caritatis comitantia adſcribuntur dono Sapientiæ, quod, utpote præſtantiſſimum, reſpondet Caritati virtutum nobiliſſimæ, ut explicant Salmanticenſes (*p*), & alii.

i homil. 4. pag. 24. to. 6. Bibl. PP.
k ad diem 21. Maji.
l In epiſt. Paulæ ad. Euſtoc. col. 688. oper. to. 1.
m in ſerm. de S. Laurentio pag. 168. to. 1. oper.
n loc. cit. pag. 208.
o In 3. lib. ſent. to. 2. diſp. 32. ar. 11. n. 330.
p loc. cit. §. 4. n. 23.

26. 27 Ad

26. 27 Ad Caritatem Dei pertinent etiam mens in Deum ſemper intenta, frequens de Deo locutio, continua conſideratio bonitatis Divinæ, & myſteriorum noſtræ religionis, præcipue Paſſionis Chriſti, meditationes ad excitandum in ſe amorem erga Deum, relatio omnium cogitationum, verborum, & operum in ipſum Deum, gravis moleſtia ob Chriſti abſentiam, obſervantia præceptorum, & conſiliorum, ecſtaſes, raptus, & nonnulla ſigna extrinſeca, quibus aliquando Deus internam Servorum ſuorum Caritatem manifeſtare dignatus eſt. Omnia hæc, & alia plura deſcribunt Rotæ Auditores in relat. cauſ. SS. Petri de Alcantara Iſidori, Ludovici Bertrandi, Mariæ Magdalenæ de Pazzis, & aliorum.

§. IV.

De virtute Caritatis in proximum, & ejus heroicitate.

28 &c. SAnctus Thomas (*a*) ex illo 1. *Joan.*4. *Hoc mandatum habemus a Deo, ut qui diligit Deum, diligat & fratrem ſuum*: deſumit, habitum Caritatis extendi etiam ad dilectionem proximi; tum rationem, & modum hujus dilectionis docet (*b*). Præceptum amoris Proximi per totam reſonat ſacram Scripturam. *Levit.*19. dicitur: *Diliges amicum tuum ſicut te ipſum Joan.* 15. *Hoc eſt præceptum meum, ut diligatis invicem, ſicut dilexi vos*. Plura dat Cornelius a Lapide (*c*), aliique Interpretes. Caritati erga proximum ſolent aſſignari Benevolentia, Beneficentia, & Miſericordia, quaſi partes potentiales. Sola tamen Miſericordia ab ea diſtinguitur; hæc enim juxta S. Tho. (*d*) ſignificat dolorem de miſeria aliena, neque eſt virtus, ſi dolor ſit motus appetitus ſenſitivi; ſed virtus eſt, ſi motus appetitus intellectivi, juxta quem alicui diſplicet malum alienum, a ratione regatur. Docet idem S. Doctor (*e*), eleemoſynam eſſe actum Caritatis per Miſericordiam exercitum: inde eleemoſynas diſtinguit in corporales, uti ſunt opera Miſericordiæ corporalia; & in ſpirituales, quales ſunt opera Miſericordiæ ſpiritualia. Hæc late exornat Scacchus (*f*), concludens, potiſſimum ſanctitatis argumentum ab his actibus Caritatis in gradu heroico erga Proximum inferri; de iiſdem vero in cauſis Servorum Dei inquirendum eſſe juxta uniuſcujuſque ſtatum, & conditionem. Exemplum heroicæ Caritatis in Proximum ex operibus Miſericordiæ corporalibus ſuppeditat Sanctus Gregorius Nazianzenus (*g*), referens, S. Baſilium Magnum, cum civitas Cæſarienſis fame, rerumque omnium penuria miſerrime laboraret, omnia ciborum genera ingenti liberalitate exhibuiſſe, ſuiſque manibus miniſtraſſe fame languentibus, ſimilia de S. Paula narrat S. Hieronymus (*h*): de S. Odilone S. Petrus Damiani (*i*): de S. Martino Pontifice S. Thomas de Villanova (*k*). Exemplum heroicæ Caritatis ex operibus Miſericordiæ ſpiritualibus exhibet S. Fulgentius (*l*), qui obſervans S. Stephanum Protomartyrem pro inimicis oraſſe, & eorum crudelitatem increpaſſe, *Ipſa*, inquit, *ſancta Caritas firmam ſervavit in oratione patientiam, quæ rigidam tenuit in correctione cenſuram ..., ac per hoc ſive orando, ſive corripiendo, Caritatem B. Stephanus reſervavit, quia utrobique ſalutem errantium cogitavit.* Alia de SS. Fidele Martyre, Donato, Hilarino, & Vitali videri poſſunt apud S. Petrum Damiani (*m*), de S. Petro Apoſtolo apud S. Ambroſium (*n*), de S. Baſilio apud S. Gregorium Nazianzenum (*o*).

34 Caritatis communis erga Proximum ſigna ſunt, bona temporalia ad aliorum ſubſidium erogare, propter eos corpus ſuum laboribus exponere, errantes corrigere, & ad viam ſalutis reducere, injurias condonare, ſalutem animarum curare, & illis optare, quæ nobis optamus, ut innuit Chriſtus *Matth.*5., & 18. Hæc ipſa erunt ſigna Ca-

a 2. 2. qu. 25. ar. 1.

b ibid. qu. 44. ar. 7.

c comment. in Evang. Joann. c. 13. & 34.

d 2. 2. qu. 30. ar. 3.

e ibid. qu. 32. ar. 1.

f de not. & ſign. ſanct. ſect. 3. c. 4.

g orat. 20. de S. Baſilio M. tom. 1. oper.

h in epiſt. Paulæ cit. n. 5. col. 687 oper. to. 1.

i in ejus vita pag. 328.

k conc. 2. de eod. S. pag. 548.

l in ſerm. de S. Steph. Protom. to. 9. Bibl. PP. pag. 108.

m pag. 277. to. 1. oper.

n in append. to. 2. oper. col. 464.

o cit. Orat. pag. 346.

Caritatis heroicæ, ſi prompte, facile, expedite, jucunde, frequenter præſtentur, præcipue ſi ardua ſint, ut late proſequuntur Card. de Lauræa (*a*), & Maderna (*b*).

a loc. cit. ar.12.

b loc. cit. ar.6.

35 Conſueverunt Rotæ Auditores in ſuis relationibus actus Caritatis erga Proximum ſpiritales ſeparare a temporalibus, ut colligere eſt ex relat. cauſ. SS. Tereſiæ, Mariæ Magdalenæ de Pazzis, Ignatii, aliorumque plurium. Longum nimis eſſet ſingulos arduos, & heroicos actus ſpiritalis in Proximum Caritatis, in Actis Canonizationum deſcriptos adtexere; ideoque ut finis imponatur, frequentes viſitationes infirmorum, & carcerum, ſervitium hoſpitalibus præſtitum, copioſæ eleemoſynæ, hoſpitalium pro infirmis, collegiorum pro juvenibus inſtitutiones, tamquam argumenta heroicæ corporalis Caritatis erga Proximum paſſim laudantur in relat. cauſ. SS. Mariæ Magdalenæ de Pazzis, Franciſcæ Rom., aliorumque plurium.

CAPUT XXIV.

De virtutibus Cardinalibus, ſeu moralibus, Prudentia, Juſtitia, Fortitudine, Temperantia, & earum annexis, & de heroicitate uniuſcujuſque ex ipſis.

§. I.

De virtute Prudentiæ, & ejus partibus, & de ejuſdem virtutis heroicitate.

1 PRudentia definitur *Recta ratio agibilium*; & ejus objectum eſt, quidquid agi poteſt, caditque ſub electionem. Alia eſt carnis, alia ſpiritus. *Prudentia carnis*, ait Apoſt. *ad Rom.*8., *mors eſt*; *Prudentia ſpiritus vita, & pax*: quorum verborum ſenſum explicat Eſtius. Utramque fuſius exponit S. Baſilius (*c*). Notat S. Auguſtinus (*d*), malos aliquando in ſacris Litteris dici prudentes, ſed numquam innocentes. Triplicem Prudentiam diſtinguit S. Thomas (*e*). Prima falſa, quæ reſpicit finem malum, & eſt Peccatorum propria. Secunda vera, ſed imperfecta, quia vel habet pro fine bonum particulare, vel deficit in principali actu Prudentiæ, & hæc eſt communis bonis, & malis. Tertia perfecta, quæ ad bonum finem totius vitæ dirigit, & in ſolis juſtis reperitur, de qua Proverb.4. dicitur: *Poſſide Prudentiam &c.* Hanc doctrinam proſequuntur Auditores Rotæ in relat. cauſ. S. Ludovici Bertrandi, & aliorum.

c hom.11.

d lib.1.contra Gaudentium c.5.

e 2. 2. qu. 47. ar.13.

2 &c. Prudentia perfecta, de qua ſolum in præſenti, eſt norma omnium virtutum moralium, juxta D. Tho. (*f*) Regula quoque eſt Thologicarum, & adminiſtra earum exercitationis, apud Roſignolium (*g*). Ejus actus ſunt Conſultatio, Judicium, & Imperium hoc tamen ſolum eſt actus proprie elicitus ab habitu Prudentiæ. Illius partes aliæ integrales, aliæ potentiales, aliæ ſubjectivæ in Scholis appellantur. Integrales ſunt *Memoria*, *Intelligentia*, *Docilitas*, *Solertia*, *Ratio*, *Providentia*, *Circumſpectio*, *Cautio*. Potentiales, *Eubulia*, *Syneſis*, *Gnome*. Subjectivæ, *Monaſtica*, *OEconomica*, *Politica*, *Militaris*: Omnes fuſe explicantur a ſæpe cit. Angelico Doctore (*h*).

f 2. 2. qu. 166. ar. 2. ad 1.

g in tract. de Actionib. virtutis lib.2.c.2.& ſeqq.

h 2.2. qu. 47. ar.8.

7 &c. Card. de Lauræa (*i*), aliique agentes de Canoniz. SS. docent, actus Prudentiæ Chriſtianæ communis eſſe conſultare, judicare, & præcipere de mediis in ordine ad finem ſupernaturalem: eoſdem eſſe actus Prudentiæ heroicæ, ſi in rebus arduis, facile, expedite, & jucunde exerceantur. Addunt, facilitatem, promptitudinem, & jucunditatem cauſam habere ab habitu Prudentiæ, & a Spiritus Sancti dono, quod dicitur *Conſilii*, cujus nomine in Scripturis non ſolum conſultatio, ſed etiam judicium, & imperium ſignificantur. Concludunt, in cauſis Canoniz. inquirendum eſſe de iis dumtaxat partibus ſubjectivis, in quibus

i in 3. lib. ſent. to.12. diſput. 32. ar.13.

Digitized by Google

bus Servus Dei juxta vitæ tenorem potuit ſe exercere. Animadvertit præterea cit. Card. de Lauræa (*a*), omnium aliarum virtutum heroicarum actus dirigi ab heroica Prudentia, cui proinde adſtipulantur quæcumque de heroicitate Juſtitiæ, Fortitudinis, & Temperantiæ dicentur. Plura quoque Monaſticæ, Œconomicæ, & Politicæ Prudentiæ exempla refert. De S. Adelardo Abbate Corbejenſi ſcribit S. Paſchaſius Ratbertus in ejus vita apud Bolland. (*b*), quod *Prudentia tanta illi inerat, ut fons conſilii ex ejus animo manare videretur*. Similia de S. Baſilio narrat Gregorius Nazianzenus (*c*). De heroica S. Pauli Apoſtoli Prudentia ait S. Joannes Chryſoſt. *in cap. 1. epiſt. ad Rom.* (*d*) *Admiratione digna eſt Pauli Prudentia: quo pacto cum in res duas contrarias incideret, utramque cum omni accuratione perfecerit. Volebat enim & caſte loqui, & mordere auditorem &c.* Monaſticæ heroicæ Prudentiæ exempla deſumere juvat ex Actis Canonizationum. Auditores Rotæ in relat. cauſ. S. Iſidori Agricolæ obſervant, cum horas diei ſic diſtribuiſſe, ut & Deo perfecte inſerviret, & culturæ ad ſe, familiamque ſuſtentandam commode vacaret. Alia ejuſdem virtutis exempla videri poſſunt in relat. cauſ. B. Æmiliani, & S. Joannis de Deo. Eamdem deſcribit Matthæuccius (*e*). Œconomicæ exempla hauriri poſſunt ex relat. cauſ. SS. Jacobi de Marchia, Cajetani, Ignatii, Tereſiæ, Philippi Nerii, & Mariæ Magdalenæ de Pazzis, quorum Prudentia extollitur, quia vel Ordines Regulares fundarunt, vel Regularibus ita præfuerunt, ut eos ad viam ſalutis reduxerint, aut ſalubribus conſiliis peccatores, & juſtos valde juvarunt. Demum Prudentiam politicam exhibent relat. cauſ. SS. Pii V, Caroli Borromæi, & Thomæ de Villanova.

11. 12 Chriſtus Dominus *Matth. 10. Eſtote*, inquit, *prudentes ſicut ſerpentes, & ſimplices ſicut columbæ*: & Apoſtolus *ad Rom. 16. Volo*, ait, *vos ſapientes eſſe in bono, & ſimplices in malo*. Affirmat S. Tho. (*f*), ſimplicitatem dici *per oppoſitum duplicitati*, eamque, ut conjunctam Prudentiæ, extollunt SS. Gregorius (*g*), & Joannes Chryſ. (*h*) Quapropter perfectæ Prudentiæ neceſſaria eſt ſimplicitas, quæ in hoc conſiſtit, ut, excluſa quacumque duplicitate, nil proprium quæratur, ſed vel Dei gloria, vel proximorum ſalus, aut utrumque. Simplicitatis indicia ſunt: æqualem ſe omnibus, & coram omnibus exhibere, & per opera Caritatis, ſi prodeſſe poſſit, ſine perſonarum acceptione inſervire: ſemper, & ubique eodem modo ſe gerere: aſſidua quoque vultus hilaritas, & alacritas, quæ a conſcientiæ alacritate oritur; & candida culpæ confeſſio ſimplicitatem indicant, apud S. Gregorium (*i*), & alios. Si de Prudentia, & ſimplicitate exempla quærantur, adeundæ ſunt relat. cauſ. SS. Franciſci de Paula, & Philippi Nerii.

a loc. cit. n. 405.

b ad diem 2. Januarii cap. 5. n. 16. pag. 99.

c Orat. 20. de ejus laudibus pag. 332. to. 1. oper.

d homil. 4. pag. 455. to. 9. oper.

e in praxi Theologo-Canon. tit. 2. c. 3. §. 1. n. 23.

f 2. 2. qu. 109. ar. 2. ad 4.

g lib. 10. in Job c. 29. col. 360. oper. to. 1.

h hom. 7. in Act. Apoſt. pag. 59. oper. to. 9.

i 3. par. Paſtor. c. 11. col. 47. oper. to. 2.

§. II.

De virtute Juſtitiæ, & ejus partibus, & heroicitate.

13 &c. JUſtitia ſumi poteſt large, & ſtricte. Large ſumitur pro quocumque virtutis actu, & hoc modo viri boni in Scripturis appellantur juſti, ut Noe *Geneſ. 6.* Juſtitia hoc modo ſumpta dicitur legalis, ad quam pertinet omnium legum obſervatio: hinc diſputant Philoſophi, ac Theologi, utrum ea ſit ſpecialis virtus a cæteris ſejuncta, an potius indiſtincta. Controverſiam fuſe explicat Card. de Aguirre (*k*), concludens, Juſtitiam legalem, licet natura ſua ſit ſpecialis virtus, extenſione tamen, ſive imperio, & ordinatione eſſe virtutem generalem. Stricte ſumpta definitur ab Ulpiano (*l*): *Conſtans, ac perpetua voluntas jus ſuum unicuique tribuens*, quam definitionem approbat S. Thomas (*m*), ſi habitus loco

k in tract. de virt. & vitiis diſp. 10. qu. 4. ſect. 1. & ſeqq.

l in l. juſtitia ff. de juſt. & jur.

m 2. 2. qu. 58. ar. 1. in corpore.

Digitized by Google

loco actus ſubſtituſtur. Addit, Juſtitiam ſe habere ad alterum, cum ſignificet æqualitatem, ac diſtingui a Fortitudine, & Temperantia.

16 &c. Juſtitiæ partes dividuntur in ſubjectivas, & potentiales. Subjectivæ participant rationem Juſtitiæ particularis per reſpectum vel totius ad partes, vel partium inter ſe, & hinc Juſtitia particularis alis dicitur commutativa, quæ inter partes ſervat æqualitatem rei ad rem; alia diſtributiva, & ſervat æqualitatem proportionis, ut ſcilicet unicuique detur ſecundum ſua merita, vel neceſſitatem. Utramque Juſtitiam reſpexit Apoſtolus *ad Rom.* 13. dum ait *Reddite omnibus debita &c.* Partes potentiales ſunt *Religio*, *Pietas*, *Obſervantia*, *Obedientia*, *Gratitudo*, *Vindicatio*, *Veritas*, *Amicitia*, *Affabilitas*, *& Liberalitas*. Hæ omnes a propria ratione Juſtitiæ aliquo modo deficiunt, cum nonnullæ debitum præſumant, ſed a conſtitutione æqualitatis deficiant: aliæ æqualitatem conſtituant, ſed a debito deficiant, ut explicat S. Thomas (*a*), apud quem præcepta Decalogi ad Juſtitiam pertinent. Religinſi definitur virtus, quæ debitum cultum Deo, tamquam primo principio, exhibet, & eſt quædam proteſtatio Fidei, Spei, & Caritatis: pietas vero eſt proteſtatio Caritatis in parentes, & Patriam. Obſervantia eſt virtus cultum deferens Superioribus. Obedientia exequitur præcepta Superinrum. Gratitudo benefacientibus gratiam rependit. Vindicatio eſt ſpecialis virtus pertinens ad Peccatorum emendationem, Juſtitiæ conſervationem, & Dei honorem. Veritas dicitur, qua quis talem ſe exhibet, qualis eſt. Amicitia, ſeu affabilitas convenientiam ordinia obſervat. Liberalitas eſt, qua rebus hujus mundi bene utimur. Deſumuntur hæc omnia ex D. Thoma (*b*), cujus doctrinam fuſe illuſtrant Salmanticenſes (*c*), aliique Theologi, & ſequuntur Rotæ Auditores in pluribus relat., & quotquot de Canonizatione ſcripſerunt. Animadvertit præterea Seacchus (*d*), in cauſis Servorum Dei inquirendum eſſe de juſtitia, & ejus partibus ſecundum uniuſcujuſque ſtatum, & conditionem, quod etiam aſſeruerunt Auditores Rotæ in relat. cauſ. S. Aloyſii, & Nicolai Factoris. Laudanda ſane S. Pii V. gratitudo, & liberalitas, qui ad Pontificatum evectus cadaver Pauli IV, a quo purpura donatus fuerat, congruis honoribus ſepeliri juſſit, ejuſque affines, & familiares beneficiis auxit. Talem quoque ſe exhibuit erga Joan. Hieronymum Albanum Comitem Bergomenſem, & quemdam ruſticum, quorum beneficio jampridem paratam ab Hæreticis necem effugerat.

a 2. 2. qu. 80. ar. unic.

b 2. 2. qu. 108. art. 1. & ſeqq. qu. 109. art. 1. & ſeqq. & qu. 117. ar. 1. & ſeqq.

c in curſu Theolog. to. 3. in Arbore prædicam. §. 7. & ſeqq.

d de not. & ſign. ſanct. ſect. 4. c. 2. pag. 247.

21 &c. S. Bernardus *ſerm. in Oct. epiph.* (*e*) *Magnæ*, inquit, *Humilitatis eſt inferiorem ſe exhibere æquali, aut æqualem inferiori. Maxima, & plena juſtitia eſt ſe inferiorem exhibere etiam ipſi inferiori*. Juſtitia hic large ſumitur, in quo ſenſu accipitur pro quocumque actu virtutis, adeoque etiam Humilitatis. Preſſius de Juſtitia loquitur S. Petrus Chryſol. (*f*) in illud Matthæi, *Joſeph vir ejus cum eſſet juſtus &c.* Ubi juſtitiam cum pietate conjungens, *Penes Deum*, ait, *neque Pietas ſine juſtitia eſt, neque ſine Pietate Juſtitia. Joſeph ergo merito juſtus, quia pius; & pius, quia juſtus*. Si alia ad partes potentiales Juſtitiæ pertinentia quærantur, preſto eſt epitaphium Paulæ, in quo S. Hieronymus (*g*) de ejus Religione, & Obſervantia inſigne perhibet teſtimonium. S. Zeno Veronenſis Epiſcopus, & Martyr (*h*) miris laudibus proſequitur heroicam Abrahæ Obedientiam, cum, jubente Deo, paratum ſe præbuerit ad unicum filium immolandum. Quam accepta ſit Deo virtus obedientiæ, oſtendit vita S. Doſithei Monachi inſerta ſermonibus S. Dorothei (*i*), in qua Doſitheus, licet juvenis, viſus eſt *inter cæteros Patres ſanctos aſtans .... pro ſola Obedientiæ indiſcuſſa obſervatione*. De veracitate S. Cypriani teſtatur S. Maximus Taurinenſis (*k*),

e n. 4. col. 811. oper. vol. 1.

f ſerm. 145. de generat. Chriſti to. 7. Bibl. PP. pag. 956.

g n. 10. col. 693. oper. vol. 1.

h ſerm. 1. de Abraham pag. 10.

i pag. 139.

k ſerm. 6. de S. Cypr. in Anecdot. Murat. to. 4. pag. 69.

quod

Digitized by Google

quod fuit in eo cordis, ac linguæ ſimplex conſenſus, atque indiviſa ſocietas. Celeberrima eſt apud Patres S. Paulini Nolani Epiſcopi liberalitas: *Paulinus noſter*, ait S. Auguſtinus (*a*), *ex opulentiſſimo divite, voluntate pauperrimus, & copioſiſſime ſanctus*. Similia de S. Antonio refert S. Athanaſius. Alia heroicæ Juſtitiæ, & annexarum virtutum exempla legi poſſunt apud Card. de Lauræa (*b*); nonnulla in decurſu dabuntur. Interim adnotare ſufficiat, heroicos eſſe Juſtitiæ, & annexarum virtutum actus, ſi prompte, facile, & cum delectatione exerceantur, præſertim in rebus arduis.

a lib. 1. de civit. Dei c. 10.

b loc. cit.

§. III.

De virtute Fortitudinis, ejus partibus, & heroicitate.

27 &c. SAnctus Gregorius Fortitudinem juſtorum deſcribens (*c*), *Juſtorum*, inquit, *Fortitudo eſt carnem vincere ...... Reproborum ...... tranſitoria ſine ceſſatione diligere*. Large, & ſtricte Fortitudo Chriſtiana ſumi poteſt. Large complectitur omnes virtutes. Stricte definiri poteſt, virtus firmans animum ad agendum, vel patiendum ea, quæ rectæ rationi ſunt conſentanea. Hæc virtus facit hominem bonum, & opus ejus bonum reddit, cum tollat difficultatem impedientem, ne voluntas in rebus humanis rectitudinem rationis ſequatur. Fortitudo præterea ſumi poteſt, vel prout ſignificat quamdam animi firmitatem, & ſic eſt conditio cujuslibet virtutis; vel prout ſignificat firmitatem tantum in ſuſtinendis, & repellendis iis, in quibus difficillimum eſt firmitatem habere, & hoc modo ſumpta eſt ſpecialis virtus, cujus munus eſt cohibere timores, præcipue mortis, moderari audaciam, ejuſque principalis actus eſt ſuſtinere. Nullas habet partes ſubjectivas, ſed integrales, videlicet *Fiduciam, Magnificentiam, Patientiam, Perſeverantiam*. Hæ quidem partes integrales Fortitudinis ſunt, ſi ad materiam Fortitudinis propriam, ideſt pericula mortis, coarctentur; ſi vero ad alias materias referantur, in quibus ſit minus periculi, erunt virtutes diſtinctæ, ac ſolum Fortitudini adjunctæ, ut ſecundarium principali. Hæc eſt D. Thomæ doctrina, quam illuſtrat Roſignolius (*d*), & ſequuntur Rotæ Auditores in relat. cauſ. S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis, & aliorum, iiſque adhæſerunt omnes de Canoniz. SS. ſcribentes.

c lib. 7. Mor. c. 21. col. 221. oper. to. 1.

d tract. de Actionib. virt. lib. 2. c. 11.

32 Actus Fortitudinis Chriſtianæ communis ſunt, ardua tam de præcepto, quam de conſilio, juxta rectam rationem ob finem ſupernaturalem aggredi, & mala propter Deum patienter tolerare. Sunt autem actus Fortitudinis heroicæ, ſi prompte, facile, hilariter, etiam cum bonorum, & vitæ periculo exhibeantur, & huic virtuti reſpondet Spiritus Sancti donum, quod pariter dicitur Fortitudo, ut innuit S. Tho. (*e*).

33 &c. Heroica Martyrum facinora ſuperius relata ſunt, cum de Martyrio ageretur; plura hauriri poſſunt ex SS. Leone (*f*), Auguſtino (*g*), aliiſque. De Confeſſoribus plura inferius dabuntur. Interim juvat nonnulla de horum Patientia, & Perſeverantia exponere. S. Gregorius (*h*) de tranſitu Romulæ Ancillæ Dei, *multis*, ait, *annis, in lectulo decubans pæne omni jacebat membrorum officio deſtituta: nec tamen hæc eadem ejus mentem ad impatientiam flagella perduxerant*. De S. Paula teſtatur S. Hieronymus, quod, *inter doloris aculeos, quos mira patientia ſuſtinebat, quaſi apertos ſibi cælos aſpiceret &c.* Similia de S. Romualdo narrat B. Petrus Damiani (*i*). *Prorſus*, inquit S. Bernardus, *abſque Perſeverantia, nec qui pugnat, victoriam, nec palmam victor conſequitur .... Tolle Perſeverantiam, nec obſequium mercedem habet, nec beneficium gratiam, nec laudem Fortitudo*. Hæc, quæ de Perſeverantia prædicat S. Bernardus (*k*), in SS. Paula (*l*), & Hilarione

e in 3. diſt. 34. qu. 3. ar. 1. quæſtiunc. 1. ad 3.

f in ſer. 83. de S. Laurentio Mar. c. 2.

g ſerm. 276. cap. 2. col. 1112. oper. to. 5.

h dialogor. lib. 4. c. 15. col. 396. oper. to. 2.

i in ejus vita cap. 4. oper. to. 2.

k epiſt. 129. n. 2. col. 139 vol. 1. oper.

l in ejus epitaph. ad Euſtoch. col. 718.

rione (*a*) laudat S. Hieronymus, & in S. Antonio S. Athanaſius (*b*). Cætera ad materiam virtutis Fortitudinis ſpectantia deſumantur ex relationibus cauſ. SS. Franciſci Xaverii, Pii V., Jacobi de Marchia, Cajetani, Ignatii, Philippi Nerii, & aliorum.

a in ejus vita to. 2. oper. col. 87.

b in ejus vita n. 93. pag. 864. oper. tom. 1. par. 2.

§. IV.

De virtute Temperantiæ, ejus partibus, & hercicitate.

37 &c. TEmperantia *ſacratæ vinculo Caritatis*, ait S. Ambroſius, *myſteriorumque contemplatione cæleſtium negligit corporis voluptates.* Fuſius eam deſcribunt SS. Auguſtinus (*c*), & Proſper (*d*). S. Thomas (*e*) probat eſſe virtutem, & quidem ſpecialem, cum refrænet appetitum ab iis, quæ maxime hominem alliciunt; adeoque verſari præcipue circa concupiſcentiam, & delectationem, & ex conſequenti circa triſtitiam ortam ex abſentia delectationum. Addit, Temperantiam accipere neceſſitatem hujus vitæ, ſicut regulam delectabilium, ut his tantum utatur, quantum neceſſitas vitæ requirit. Præterea eſſe virtutem Cardinalem, ſed minus excellentem aliis virtutibus Cardinalibus, & Theologicis. Ejus partes integrales ſunt *Honeſtas, & verecundia*. Subjectivæ, *Abſtinentia, Sobrietas, Caſtitas*, quæ etiam *Pudicitia, & Virginitas* appellatur. Potentiales, *Continentia, Manſuetudo, Clementia, Modeſtia, Humilitas, Studioſitas, Eutrapelia, & Simplicitas*. Hæ vero partes potentiales aliquo modo a vera Temperantiæ ratione deficiunt. Legi poſſunt D. Tho. (*f*), Matthæuccius (*g*), aliique de Canoniz. ſcribentes.

c de morib. Eccleſ. c. 19. col. 700. oper. to. 1. & lib. 2. de lib. arbitr. c. 13. col. 580. loc. cit.

d lib. 3. de vita contempl. c. 19. pag. 92.

e 2. 2. qu. 141. ar. 1. & 2.

f 2. 2. qu. 143. ar. unic.

40 &c. Honeſtas *quaſi honoris ſtatus*, dicitur ex Iſidoro (*h*). Honeſtum generatim ſumptum coincidit cum virtute, & ſic non eſt pars alicujus virtutis, ſed genus ad omnes. Sed cum moralis honeſtas in ea virtute potiſſimum eluceat, quæ omne homini turpiſſimum repellit, qualis eſt Temperantia, idcirco oportet, ut in hac potiſſimum honeſtas ſplendeat, ejuſque pars dicatur, ut oſtendit S. Thomas (*i*), ulterius docens, verecundiam cum ſit timor alicujus turpis, quod poteſt exprobrari, non eſſe ſtricte virtutem; ſed late, prout eſt paſſio laudabilis. Addit, eſſe ſolum diſpoſitionem ad Temperantiam, ac differre a Pœnitentia, cum hæc reſpiciat turpe factum, ut præteritum; illa, ut præſens. Apud eumdem S. Doctorem (*k*). Abſtinentia ſignificat ſubtractionem ciborum, & hoc modo non deſignat virtutem, neque virtutis actum, niſi a ratione regatur, ſi ſcilicet abſtinentia fiat cum hilaritate mentis, & propter gloriam Dei: unde eſt ſpecialis virtus. Sobrietas quoque eſt ſpecialis virtus, & pars Temperantiæ, cum conſervet bonum rationis adverſus ſpeciale impedimentum a nimio vini potu deſcendens. Caſtitas eſt virtus ab Abſtinentia diſtincta, cum concupiſcentiam, & delectationem venereorum refrænet. Pudicitia ad Caſtitatem ordinatur, tamquam exprimens quamdam ejus circumſtantiam, cum ſolum reſpiciat ſigna venereorum. Virginitas eſt ſpecialis virtus, quæ hominem ab experimento venereæ voluptatis conſervat immunem. Partes potentiales Temperantiæ ab eodem S. Doctore (*l*) fuſe explicantur. Continentia apud ipſum reſiſtit delectationibus tactus: Clementia moderatur externas punitiones: Manſuetudo paſſionem iræ diminuit: Modeſtia modum ponit iis, quæ ſunt mediocria, & quibus non ita difficile eſt modum ponere. De Humilitate infra agemus; hic adnotare fas ſit, ab ipſa refrænari animum, ne immoderate tendat in excelſa. Studioſitas voluntatem, & appetitum revocat a vana curioſitate. Eutrapelia refrænat hominem ab immoderatione ludorum. Parcitas demum, ſive Simplicitas, vel Moderatio eſt virtus, per quam quis moderate externis rebus ad corpus pertinentibus utitur.

g in pract. Theologo-Canon. tit. 2. c. 3. §. 4.

h lib. 10. Origin.

i 2. 2. qu. 145. art. 1. & ſeqq.

k 2. 2. qu. 146. ar. 1.

l 2. 2. qu. 155. art. 1. & ſeqq.

44 De

44 De Temperantia, eique annexis inquirendum eſt in cauſis Servorum Dei juxta horum ſtatum, & conditionem. Jam vero communis Chriſtianæ Temperantiæ actus erunt, ea exercere, quæ ad ipſam, & virtutes ei annexas pertinent. Et hæc ipſa erunt actus heroicæ Temperantiæ, ſi prompte, expedite, & delectabiliter etiam cum diſcrimine corporalis ſalutis, ac vitæ ex Spiritus Sancti dono Timoris, quod juxta D.Thomam (*a*) Temperantiæ reſpondet, exerceantur.

a 2. 2. qu. 141. ar. 1.

45 Plura de heroicæ Temperantiæ actibus exponentur inferius, cum de carnis mortificatione ſermo erit. Nunc pauca delibare liceat de quorumdam Sanctorum jejuniis, & auſteritatibus. De S. Joanne Baptiſta hæc prædicat S. Ambroſius (*b*): *Fuit utique jejunus... Eſca autem ejus erant locuſtæ, & mel ſilveſtre*. S. Gregorius Nazianz. (*c*) de S. Baſilio, *Neceſſariis*, inquit, *tantum cibis, quamdiu licebat, vitam tolerabat... Suaviſſima cœna, & obſonium, panis, & ſal*. Similia de S. Benedicto narrat S. Gregorius (*d*), de S. Romualdo B. Petrus Damiani (*e*), de S. Franciſco S. Bonaventura (*f*). Quod ad alias auſteritates ſpectat, hic ſatis ſit attingere ea, quæ fuſe narrat S. Joannes Climacus *in ſtola Paradiſi* (*g*), ubi locum deſcribens, quem carcerem Pœnitentiæ appellabant: *Vidi*, ait, *quoſdam ex innocentibus illis reis totas noctes ad uſque mane ſub dio immotis pedibus ſtantes, & miſerabiliter cum ſomno, & natura luctantes, vique hujus pene fractos, dum nullam ſibi penitus quietem indulgerent &c.*

b ſerm. 52. n. 4. col. 462 in append. to. 2. oper.
c orat. 20. in ejus laudem pag. 357.
d dial. lib. 2. c. 1. col. 209 oper. to. 2.
e in ejus vita c. 52.
f in ejus legenda c. 5. pag. 302. oper. to. 7.
g gradu 5. pag. 115.

47 &c. Nonnulla hic adnotanda ſuperſunt de Humilitate, Caſtitate, Pudicitia, & Virginitate. Humilitatem commendavit Chriſtus *Matth.* 11. *Diſcite a me, quia mitis ſum, & humilis corde*. Super quo textu S. Thomas (*h*) ſcribit: *Dicendum, quod ideo Chriſtus præcipue nobis Humilitatem commendavit, quia per hoc maxime removetur impedimentum humanæ ſalutis*. Concors eſt Doctorum ſententia *in cap. Audivimus de rel., & vener. Sanct.*, in cauſis Beatificationis, & Canonizationis inquirendum eſſe de Humilitate, quod adnotarunt etiam Auditores Rotæ in relat. cauſ. SS. Franciſci Xaverii, & Raymundi. Humilitas alia eſt philoſophica, lumine naturali nota; alia Chriſtiana, per Fidem cognita, & ad finem ſupernaturalem directa. Hæc rurſus alia communis, & cuilibet Chriſtiano ſub præcepto neceſſaria, quo homo ſuperbiam fugit: alia perfectorum, quæ honores etiam debitos rejicit. Gloſſa ſuper illud *Matth.* 3. *Sic enim decet nos implere omnem juſtitiam*, tres Humilitatis gradus aſſignat reſpectu illius, cui humilis ſe ſubdit. *Primus eſt ſubdere ſe majori, & ſe non præferre æquali... Secundus ſubdere ſe æquali, nec præferre ſe minori... Tertius ſubeſſe minori*. Juxta ordinem actionum, quibus ad perfectiſſimum Humilitatis gradum pervenitur, ſeptem apud S. Anſelmum aſſignantur: ſcilicet, peccatorem, & contemptibilem ſe agnoſcere: de ſuis peccatis, & imperfectionibus dolere: eadem confiteri: velle, ut alii defectus noſtros agnoſcant: pati, ut ab aliis nobis objiciantur: ut ab aliis pro culpa contemnamur: & de hoc gaudere. Secundum comparationem vero actuum interiorum ad exteriores, vel contra, duodecim Humilitatis gradus a S.Bernardo recenſentur. Ii ſunt, corde, & corpore ſemper Humilitatem oſtendere: pauca, & rationabilia verba loqui: in riſum non facile prorumpere: tacere uſque ad interrogationem: ſervare Regulam Communitatis, & Monaſterii: ſe credere, & confiteri cæteris viliorem: inutilem quoque, & indignum: confiteri peccata: obedire: non obſequi propriæ voluntati: timere Deum. Omnia hæc fuſe explicat D.Thomas. Notandum tamen, Humilitatem medium tenere inter exſuperantiam, & defectum. Quocirca actus externi in Humilitate exſuperantes, vel deficientes peccata ſunt, & adverſantur regulæ prudentiæ. In actibus internis reſpe-

h 2. 2. qu. 161. art. 5. ad 4.

reſpectu Dei nullus eſſe poteſt exceſſus, ut notat Card. de Aguirre (*a*). Addit S. Thomas (*b*), in exterioribus Humilitatis actibus moderationem eſſe adhibendam.

52 &c. Cum gradibus Humilitatis concordant actus, qui præcipue in examinandis Servorum Dei cauſis occurunt. Ii ſunt, ſincera ſui abjectio: ſe aliis inferiorem credere; & oſtendere moderate: propriam voluntatem abdicare, & Divinæ ſubjicere: in obedientia conſtanter amplecti patientiam: inferiorem locum juxta munus, & dignitatem ſibi ſumere: honores declinare: nil propter humanam gloriam operari: officia, & dignitates recuſare, niſi urgeat obedientia, vel Superiorum auctoritas: linguam coercere: riſum, & ineptam lætitiam cohibere: oſtentationem vitare: vilibus, & modeſtis uti veſtibus: demiſſum, & abjectum in omnibus apparere. Quæ quidem omnia in ſacris litteris ſuadentur. Subdit Matthæuccius (*c*), perſpicuam eſſe Humilitatem, ſi de iis conſtet: heroicos vero eſſe hos actus, ſi non modo ad finem ſupernaturalem dirigantur, ſed etiam prompte, delectabiliter, expedite, etiam in arduis eliciantur, affirmat Card. de Lauræa (*d*), heroicitatem adſcribens donis Timoris Dei, vel Sapientiæ, & Conſilii, quod innuit etiam S. Bernardus (*e*). Humilitatem S. Joannis Baptiſtæ extollit S. Ambroſius (*f*). *Quæ major*, inquit, *Humilitas in Propheta, quam contemptis mollibus veſtimentis, pilorum aſperitate veſtiri?* Similia de eodem Chriſti Præcurſore (*g*), ac de S. Paulo (*h*) prædicat S. Joannes Chryſoſtomus. Innumera pene ſunt heroicæ Humilitatis ex fuga gloriæ exempla. Præclara de S. Hilarione refert S. Hieronymus (*i*): de S. Benedicto S. Gregorius (*k*): de S. Barbatiano B. Petrus Damiani (*l*): de S. Bernardo Alanus (*m*): de S. Franciſco S. Bonaventura (*n*). Plura exhibet Card. de Lauræa (*o*); alia ſuppeditant Auditores Rotæ in relat. cauſ. SS. Petri de Alcantara, Franciſci Xaverii, & Franciſcæ Romanæ.

a in tract. de virt. & vit. diſput. 4. ſect. 4. n. 42. & 43.
b 2. 2. qu. 161. ar. 3.
c in pract. Theologo-Canon. tit. 2. c. 3. §. 4. n. 87.
d in 3. lib. ſent. to. 2. diſp. 32. ar. 26. §. 1.
e ſerm. 34. in Cantica vol. 1. oper. num. 3. col. 1398.
f ſerm. 52. de eo n. 4. col. 462. oper. to. 2.
g hom. 11. in c. 3. & 51. Matthæi oper. to. 7. n. 4. pag. 153
h hom. 2. n. 4. pag. 440. oper. to. 9.
i in ejus vita n. 30. col. 29. oper. to. 2.
k dialogor. lib. 2. c. 1. col. 209. oper. to. 2.
l ſerm. 65. de eo oper. to. 2.
m in ejus vita c. 27. col. 1285. in quad. append.
n in ejus legenda c. 7. pag. 304. oper. to. 2.
o in 3. lib. ſent. to. 2. diſp. 32. ar. 16.

56 Pudicitia ad Caſtitatem refertur, non quaſi virtus ab ea diſtincta; ſed ut exprimens quamdam ejus circumſtantiam, videlicet abſtinentiam a ſignis externis, qualia ſunt frequens converſatio cum perſonis alterius ſexus, & ſimilia, de qua re plura Theophilus Raynaudus (*p*). Caſtitas eſt virtus carnalium voluptatum moderatrix: & eſt triplex: conjugalis, vidualis, & virginalis. Caſtitas virginalis *Angelica portio* appellatur a S. Auguſt. (*q*). In tanta fuit reverentia apud Romanos, ut nefas putarent virginem inviolatam morti tradere, quod ſubinde antiquatum putat Baronius (*r*), cum plurimæ Virgines Chriſtianæ Martyrium Romæ ſubierint abſque virginitatis detrimento. Affirmat S. Thom. (*ſ*), Virginitatem in genere Caſtitatis eſſe excellentiſſimam, idque affirmaverat Ven. Beda apud S. Vincentium Ferrerium (*t*). Exempla heroicæ Caſtitatis, cujuſque generis legi poſſunt apud Card. de Lauræa (*u*), juxta quem actus heroici ſunt, fugere mente, & corpore, prompte, delectabiliter, & expedite actus venereos, licet fuga eſſet cum periculo cujuſcumque incommodi, etiam mortis; fatetur tamen, Caſtitatem non ſemper eſſe debere conjunctam cum ejuſmodi periculo, ut ſit heroica.

57. 58 Conjugalis conſiderari poteſt in matrimonio rato, & in conſummato. Verum fuiſſe matrimonium inter Beatiſſimam Virginem, & S. Joſephum, conſtat *Matth. 1. Joſeph fili David, noli timere accipere Mariam conjugem tuam*. Illibatam in eo ſervatam fuiſſe virginitatem, tenet Fides Catholica, & admittunt Lutherani, & Calviniſtæ, licet ex voto ſervatam nolint contra Patrum auctoritatem, & aſſertionem B. Virginis *Luc. 1. Quomodo fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco?* Pia quoque traditio eſt, nullum antea matrimonium a S. Joſepho cum alia contractum fuiſſe, ideoque, & ipſum obiiſſe virginem, ut inſinuant SS. Hieronymus (*x*), & Petrus Damia-

p oper. to. 12. pag. 270 & ſeqq.
q in lib. de ſancta virginit. c. 13. col. 345. to. 6. oper.
r in not. ad Martyrol. Roman. ad diem 3. Septemb.
ſ 2. 2. qu. 152. ar. 5.
t in ſerm. de S. Martha.
u in 3. lib. ſent. to. 2. diſp. 32. ar. 16. §. 2.
x adverſ. Helvidium n. 19. col. 227. to. 2.

Digitized by Google

miani (*a*). Quærunt Theologi, quomodo inter eos verum cum virginitatis voto ſteterit matrimonium? S.Thomas (*b*) ſentit, quod *B. Virgo, antequam contraheret cum Joſeph, fuit certificata divinitus, quod Joſeph in ſimili propoſito erat*, ſcilicet, quod numquam petiturus eſſet debitum, vel quod eſſet virginitatis votum emiſſurus: docet præterea, Dei Matrem virginitatem non abſolute ante deſponſationem, ſed poſtea illam voviſſe. Virginitatem quoque in matrimonio ſervarunt SS. Cæcilia, Chunegundis, aliique apud Baronium (*c*), Surium (*d*), & Scacchum (*e*). Pendet adhuc in Congregatione rituum reſolutio dubii ſuper virtutibus Ven. Sebaſtiani de Apparitio Ord. Minorum. Cum enim antequam Religionem ingrederetur, duplex matrimonium contraxiſſet, & neutri debitum reddidiſſet, Promotores Fidei eum peccaſſe dixerunt, quia conſtabat de uxorum conſenſu. Multa attulerunt Poſtulatores, ut difficultati ſatisfacerent, quibus acceſſerunt ſuffragia Academiarum Pariſienſis, Salmanticenſis, & Patavinæ; ſed expectandum eſt Judicium ſacræ Congregationis. Continentiam maritalem *donum Dei eſſe* affirmavit S. Auguſtinus (*f*), & Volaterranus (*g*) narrat, S. Franciſcam Romanam, ut urentem libidinem reprimeret, cum viro debitum conjugale petenti redderet, ardens laridum ad uterum applicaſſe, quod ad inſigne Caſtitatis conjugalis exemplum referunt Auditores Rotæ in relat. cauſæ ipſius. Suadet Apoſtolus *1. ad Cor. 7.*, ut conjuges ad tempus ſe contineant, ut orationi vacent, & jejunio, adeoque, deficiente incontinentiæ periculo, heroicum eſt ſe continere per totam vitam, ut explicant Eſtius, & Cornelius a Lapide. Profecto Eccleſia indulget conjugibus, ut per duos menſes primam debiti redditionem ſuſpendant deliberaturi, an velint Religionem ingredi. Et Tobias junior, *Tob. 6., & 8.*, ſuadente Angelo Raphaele, tribus diebus cum Sara uxore orationi vacavit, antequam matrimonium conſummaret. Quorum exemplo ſe conformarunt S. Birgitta, & Ulfo vir, ut dicitur in bull. Canoniz. ejuſdem. Quæ quidem omnia probant Caſtitatis conjugalis in matrimonio conſummato excellentiam. Et ex his Poſtulatores cauſæ B. Petri Forerii adverſus Promotoris Fidei oppoſitiones demonſtrarunt, cum non imprudenter pluribus conjugatis continentiam ſuaſiſſe.

a opuſc. 17. de cælib. Sacerd. c. 3. oper. to. 3.

b in 4. ſent. diſt. 30. qu. 2. ar. 1. quæſtiunc. 2. ad 2.

c ad an. 450 n. 17. & ad an. 453. n. 30

d ad diem 9. Januar.

e de not. & ſign. ſanct. ſect. 6. c. 6. pag. 476. & ſeqq.

f de contin. c. 1. col. 197 oper. to. 6.

g lib. 22. comment. Urbanor. in Urbano V.

59 S. Hieronymus (*h*) pluribus exemplis oſtendit, Caſtitatem vidualem, ideſt abſtinentiam ab aliis nuptiis, etiam apud Ethnicos in magna fuiſſe exiſtimatione. Vidua jure civili jubebatur, virum defunctum per annum lugere, & a nuptiis abſtinere; quod tamen ſacri Canones relaxarunt, licet Eccleſia, interdicta Parocho benedictione ſecundarum nuptiarum, has æque, ac primas non probet. Scribit S. Auguſtinus (*i*), viduitatem præferendam eſſe ſecundis nuptiis, has tamen non improbandas. Porro poſt heroicas in viduitate res geſtas nonnullæ viduæ inter Sanctas relatæ fuerunt, ut Eliſabetha, Hedvvigis, Birgitta, & Franciſca Romana.

60. 61 Supereſt inquirendum, quomodo virginitas probari poſſit, cum de hac interdum in cauſis Servorum Dei agatur. Plura deſcribunt Medici Virginitatis ſigna, quæ legi poſſunt apud Gaſparem a Rejes (*k*), & Zacchiam (*l*). Auditores Rotæ in relat. cauſ. S. Thomæ de Villanova (*m*) Virginitatis probationem deſumpſerunt ex concordi omnium conſenſu: in relatione cauſ. S. Pii V. (*n*) multum detulerunt atteſtationibus Confeſſariorum teſtibus ex publica voce, & fama, & relationibus Chirurgorum, qui cadaver ſecuerant: addiderunt conjecturas deſumptas ex ingreſſu in Religionem ab ineunte ætate, ex voto Caſtitatis, ex odio adverſus vitia carnis, ex pudore eximio, & ſimilibus. In relat. cauſ. S. Philippi Nerii ſervatam ab eo virginitatem aſſeruerunt ex eo, quod mu-

lieribus

h in Jovin. lib. 1. col. 310. oper. to. 2.

i in lib. de bono vid. c. 4. col. 371 oper. to. 6.

k jucundar. qu. elyſio campo qu. 38. & 39.

l in qu. medico-legal. lib. 4. tit. 2. qu. 1. & ſeq.

m tit. de Caſtitate, pag. 619. & ſeqq.

n tit. de temperantia.

Digitized by Google

licribus ſollicitantibus ſtrenue reſtiterit, & verbis, ac factis candorem, puritatis ſemper oſtenderit, & omnibus inſinuaverit, quin etiam ex eo quod ipſemet quibuſdam manifeſtaverit, ſe Caſtitatem perpetuo conſervaſſe: abſurdum quippe eſſet, non præſtare fidem dictis eorum, de quorum ſanctitate ex tot aliis conſtat documentis. Ex his omnibus apparet, rem eſſe difficilis probationis, & in ea per conjecturas procedendum eſſe, pluresque conjungi debere, ut de ſervata Virginitate judicium ferri poſſit. Profecto S. Ambroſius (*a*), cum Virginitatem ſui fratris prædicaret, probationem a coujecturis, & præſumptionibus deſumpſit. Et ita ſe geſſit S.Gregorius Nazianz. (*b*), extollens Virginitatem S. Baſilii. Tandem ſi quæ ſtuprum per vim patiatur, Virginitatis prærogativam non amittit. *Si invitam juſſeris violari*, ait S. Lucia ad Tyrannum, *Caſtitas mihi duplicabitur ad coronam*; nam juxta doctrinam D.Tho. (*c*) integritas corporis per accideus ſe habet ad Virginitatem.

a in ejus orat. funebri lib. 1. n. 52. col. 1128 oper. to. 2.

b orat. 20. de laudib. S. Baſilii M.

c 2. 2. qu. 152. ar. 1.

CAPUT XXV.

De Oratione, & ejuſdem ſpeciebus; & ejus neceſſitate in Dei Servis beatificandis, & canonizandis.

1 Fides eſt fundamentum orationis: unde Apoſtolus *ad Rom. 10. Quomodo*, inquit, *invocabunt, in quem non crediderunt*. Affectus vero orandi, cum procedat ex impulſu colendi Deum, eſt actus a religione elicitus, cujus munus eſt colere Deum, ut docet S.Tho. (*d*), quin etiam Card. Bona (*e*) affirmat, omnium virtutum actus in oratione, exerceri.

2 Orationis ſtudium in Canonizandis maximopere commendari docent Card. de Lauræa (*f*), Matthæuccius (*g*), & Rotæ Auditores in relat. cauſ. SS. Paſchalis Baylon, Felicis a Cantalicio, aliorumque plurium, & deſumitur ex bull. Canoniz. SS.Thomæ Epiſcopi Herfordienſis (*h*), Ludovici Toloſani (*i*), & aliorum.

d 2. 2. qu. 83. art. 3. & qu. 81. ar. 5.

e in tract. de princip. vitæ Chriſt. par. 1. c. 50.

f in 3. ſent. to. 2. diſp. 32. art. 9. §. unic. n. 136.

g in pract. Theologo-Can. tit. 1. c. 3. §. 2. a n. 22. ad 27.

h conſt. 60. pag. 132. eod. canoniz.

i conſt. 56. pag. 113. eod. cod.

3 &c. Juxta S. Joannem Damaſcenum oratio dicitur aſcenſio mentis ad Deum, vel juxta S. Baſilium collocutio cum Deo. Dividitur vero in mentalem, & vocalem; in meditativam, & contemplativam; in publicam, & privatam; in Orationem laudis, gratiarum actionis, & petitionis. Vocalis eſt, quæ voce exprimitur, ita tamen ut mens ori conjuncta ſit, ut monet S. Auguſtinus (*k*). Mentalis ſine voce ſenſibili peragitur. Meditativa eſt attenta cogitatio alicujus Myſterii Fidei, vel cujuslibet rei revelatæ, & fit ratiocinando, & procedendo ab una re ad aliam. Contemplativa definitur a S. Tho. (*l*) *Contemplatio Divinæ veritatis*. In qua quidem intervenit actus intellectus credendo, & meditando veritatem; & voluntatis, eamdem veritatem diligendo, uti docet idem S.Doctor (*m*). Publica eſt, quæ fit ab Eccleſiæ Miniſtris nomine ejuſdem: privata fit a perſona privata pro ſe, vel pro aliis. Oratio laudis, gratiarum actionis, & petitionis dignoſcitur ex terminis, & ex pluribus Scripturæ locis.

k in pſalm. 118. ſerm. 29. n. 1. col. 1353. oper. to. 4.

l 2. 2. qu. 180. art. 4.

m loc. cit. art. 1.

8 &c. His prælibatis, indubitatum eſt ex D. Tho. (*n*), & aliis, orationem neceſſariam eſſe ad ſalutem æternam conſequendam, & orationem vocalem utilem eſſe. Solum diſputant Theologi, an adſit præceptum privatæ Orationis vocalis. Negat Suarez (*o*), cum præceptum orandi ſufficienter adimpleri poſſit per Orationem mentalem, quod etiam ſentire videtur S. Thomas (*p*). Affirmat contra Card. de Lauræa (*q*) ex illo Chriſti *Luc. 11. Cum oratis, dicite: Pater noſter &c.* Quidquid ſit de hac controverſia, in Beatificando, aut Canonizando non cujuſcumque vocalis Orationis ratio haberi poteſt, ſed tantum excellentis, & perfectæ, ideoque heroicæ, pro qua neceſſaria quidem eſt attentio quoad verba, horum ſenſum, & quoad finem,

n in 4. diſt. 15. qu. 4. ar. 1 queſtiunc. 3

o de relig. to. 2. lib. 3. de orat. vocal. in communi c. 6.

p 2. 2. q. 83. art. 12.

q opuſc. 1. de Orat. c. 7

Digitized by Google

nem, ſed hæc, utpote interna, ab Eccleſia directe cognoſci nequeunt; ideoque excellentia Orationis vocalis indirecte ab actibus externis hauriri poteſt, puta ex lacrymis, ex corporis compoſitione, ex loco, tempore, & aſſiduitate orationis, ut explicat Scacchus (a); ſed aſſiduitas non eſt certo tempori alligata, ut innuit S. Auguſtinus, & poſt ipſum S. Tho. (b), & alii. Plura hujuſmodi orationis exempla cumulari poſſent: illuſtria de SS. Luca juniori Thaumaturgo, Romualdo, Pio V, Simeone juniori Stylita, & Stephano Fundatore Ordinis Grandimontenſis, legi poſſunt apud Bollandianos. Ex quibus ſane exemplis ii, qui in cauſis Beatificationis, & Canonizationis ſuffragium præſtare debent, dignoſcere poterunt quænam privata vocalis Oratio excellens, perfecta, & heroica dici poſſit, deducto ab actibus externis argumento. Cum vero in Oratione animadvertendum ſit, quis oretur; Oratio enim ad Deum dirigitur, ut ad cauſam primam, & auctorem Gratiæ, & Gloriæ, ac beneficiorum omnium; ad Sanctos vero, ut pro nobis apud ipſum intercedant, hic exponere juvat controverſiam in Congregatione rituum excitatam, & ex incongrua interceſſoris invocatione petitam.

a de not. & ſign. ſanct. ſect. 5. c. 4.

b loc. cit. art. 14.

17 &c. Quædam Dei Serva in ditione Florentina ſe privata vocali oratione commendaverat Fr. Hieronymo Savonarolæ defuncto. Eam peccaſſe dixit Benedictus XIV. tunc Fidei Promotor; nam licet pro Savonarola plures editæ fuiſſent apologiæ, conſtabat nihilominus eumdem, duoſque ſocios fuiſſe brachio ſæculari traditos, ſtrangulatos, & combuſtos Florentiæ, poſtquam Judices ab Alexandro VI. delegati proceſſum adverſus ipſos ediderant. Præterea non obtemperaſſe mandatis Pontificiis, prophetam ſe a Deo miſſum dixiſſe, & alia patraſſe, de quibus Raynaldus (c), & Spondanus (d). Repoſuerunt Poſtulatores, non eſſe exploratum, Dei Servam preces exhibuiſſe Savonarolæ: tum aſſeruerunt, hunc viventem fama ſanctitatis claruiſſe, teſtibus Philippo Comineo, Gotofredo, aliiſque pluribus: item in communione Romanæ Eccleſiæ, ſuſceptiſque Sacramentis, & Indulgentia plenaria obiiſſe, juxta Joannem Picum, & alios: adeoque Dei Servam per illas preces non peccaſſe; cum juxta Suarez (e) a peccato excuſetur, qui private colit defunctum, de cujus æterna ſalute opinio adſit valde probabilis. Addiderunt, etiam S. Philippum Nerium in ſacrario ſui cubiculi retinuiſſe imaginem Savonarolæ radiato capite depictam, cumque acris de doctrina, & libris ejuſdem controverſia agitaretur, Deum oraſſe, ne opera hæc prohiberentur, Deoque revelante, cognoviſſe non eſſe prohibita, ut habetur in ejus vita a Gallonio ſcripta. Major ſuffragantium numerus vim reſponſionis confitebatur; ſed cum de cauſa Savonarolæ, ac ſociorum ſimul obiter nonnulli verba facere cœpiſſent, Benedictus XIII, ne quæſtio de eorum condemnatione reviviſceret, impoſito ſilentio ſuper illis Servæ Dei precibus, decrevit, ut ad ulteriora procederetur, quod confirmavit Clemens XII.

c in annal. ad an. 1497 n. 17. & ſeq.

d in contin. annal. Baronii ad an. 1498. n. 7. & 8.

e de relig. to. 2. l. 1. c. 10. ſub n. 24

21 Privatæ vocali Orationi ſuccedit publica, & communis, de qua S. Thom. (f) *oportet*, ait, *quod talis Oratio innoteſcat toti populo, pro quo profertur*. Eccleſia hujuſmodi Orationem nonnullis præcepit, ut Officium Divinum Clericis, & Religioſis. In re, de qua nunc agitur, nil ſupereſſe videtur adnotandum, cum publicæ vocali Orationi applicari poſſint, quæ dicta ſunt de privata. Si quis excellentiam hujus publicæ Orationis dignoſcere cupiat, adeat bullas Canoniz. SS. Petri de Morono, & Ludovici Epiſcopi Toloſani, ac Legendam S. Franciſci a S. Bonaventura editam.

f 2. 2. qu. 83. ar. 12.

CAPUT XXVI.

De mentali Oratione; triplici vita, activa, contemplativa, & mixta; ſtatibus incipientium, proficientium, & perfectorum, & aliis nonnullis ad Orationem vocalem, & mentalem pertinentibus.

1 &c. MEntalis Oratio vocalem antecellit, juxta S. Tho.(d) Et David quidem *Pſal.*138. dicebat: *Da mihi intellectum, & ſcrutabor legem tuam, & cuſtodiam illam in toto corde meo*, & ſimilia alibi. Neceſſariam eſſe omnibus Orationem, conſtat *Eccl.*18., & *Luc.*18. *Oportet ſemper orare, & non deficere*, & S.Joannes Chryſ. (*b*) *Quicumque*, ait, *Deum non precatur . . . mortuus eſt*. Diſputant Theologi, an ullum ſit præceptum Orationis mentalis. Qua quidem in re ſatis eſt, ut nonnulla attingantur. Meditatio non eſt pro ſalute æterna ſimpliciter neceſſaria. Chriſtus enim interrogatus: *Quid faciendo vitam æternam poſſidebo?* reſpondit: *ſerva mandata*. Legi poſſunt Suar.(*c*), Theophilus Raynaud. (*d*), & Hurtad.(*e*), apud quem temeritate notatur propoſitio aſſerens, neminem ſalvari poſſe, niſi quotidie per aliquod tempus vacet Orationi mentali. Nec ullum datur univerſale præceptum Orationis mentalis; ſed Divino, & naturali præcepto orandi Deum ſatisfit per Orationem mentalem, aut vocalem: excipiuntur tamen ii, qui ſpeciali voto, vel Inſtituto ad mentalem obligantur. Neceſſaria tamen poteſt eſſe *ſecundum quid*, ut loquuntur Theologi, ac de conſilio ſaltem implicito, ad obtinendam perfectionem, ſed potiſſimum quoad Religioſos, ut fatetur Hurtado (*f*).

a 2. 2. qu. 182. art. 2. ad 3.

b hom. 1. de precat. pag. 780. oper. to. 2.

c to. 2. de relig. lib. 2. c. 4.

d tom. 15. ſuor. oper. in opere, cui titulus: *Heteroclita ſpiritualia* pag. 158.

e tract. de vero Martyr. digreſſ. 4. de Choro Eccleſiaſt. ſect. 2. pag. 304.

f loc. cit. pag. 305.

4 &c. Ut id facilius explicetur, prænotandum eſt primo, triplicem eſſe vitam; activam, contemplativam, & mixtam: Contemplativam præferendam activæ: mixtam vero eſſe utraque perfectiorem. Enimvero, qui continuo operum miſericordiæ, & virtutum erga Deum, & Proximum exercitio vacant, vitam activam agere dicuntur. Contemplativam ducunt, qui conſiderationi Dei, ac Divinorum, & rerum omnium revelatarum ſincere addicti ſunt. Demum, qui hæc omnia peragunt, vitam mixtam trahere dicuntur. Omnia fuſe perſequitur incertus Auctor *tract. de modo bene vivendi inter opera S. Bernardi*. Vitam contemplativam perfectiorem eſſe activa deſumitur ex S. Gregorio (*g*), & fuſe docent SS. Auguſtinus (*b*), & Thomas (*i*), animadvertentes, Chriſtum amatum fuiſſe a Petro plus ceteris, per quem ſignificatur vita activa: ſed plus ceteris a Chriſto dilectum Joannem, per quem denotatur vita contemplativa. Demum excellentior eſt vita mixta, quia ex utraque conſurgit, & in utraque ſe exercuit Chriſtus, & poſt ipſum Apoſtoli, aliique Sancti. Conſentit S. Auguſtinus (*k*), qui expendens illud Apoſtoli, *Qui Epiſcopatum deſiderat, bonum opus deſiderat*, addit, Epiſcopum vacare debere vitæ mixtæ, & hanc ſe elegiſſe fatetur S.Gregorius Nazianz. (*l*). De hac vita inſignia referuntur in bull. Canoniz. S. Cajetani. Prænotandum ſecundo: Theologos de Oratione agentes ſæpe loqui de triplici ſtatu, incipientium, proficientium, & perfectorum: necnon de triplici via, purgativa, illuminativa, & unitiva. Quocirca Innocentius XI. inter alias proſcripſit hanc Michaelis de Molinos propoſitionem: *Tres illæ viæ . . . ſunt abſurdum maximum, quod dictum fuerit in Myſtica*. Porro incipientes ſunt, qui juſtificationem obtinuerunt, ſed paſſiones ita moderatas non habent, ut tentationes facile ſuperent: ad hos pertinet via purgativa. Proficientes habent paſſiones aliquantum moderatas, ut facile a peccatis mortalibus, non a venialibus abſtineant: & ad hoc ſpectat via illuminativa. Perfecti demum pace fruuntur, & in Deum principaliter inten-

g in Ezech. lib. 2. hom. 2. n. 9. col. 1324. oper. to. 1.

b in Joann. tract. 124. n. 4. col. 820. oper. to. 3.

i 1. par. qu. 20. art. 4. ad 3.

k de civit. Dei lib. 19. cap. 19. col. 563. oper. to. 7.

l apud Bolland. to. 2. ad diem 9. Maji cap. 2. pag. 432.

Digitized by Google

tendunt: & ad hos pertinet via unitiva. Hæc fuſe explicat Suarez (*a*), & clare deſumuntur ex D. Thoma (*b*). Prænotandum eſt tertio: per meditationem acquiri aliquam conjunctionem cum Deo; ſed per contemplationem perfectos contemplativos Deo perfecte uniri, & hanc unionem dici *myſticam*, de qua plura S. Gregorius Nazianz. (*c*). Eadem facit unum unitate ſpiritus inter Deum, & animam: *Qui autem adhæret Domino*, ait Apoſt. 1.*ad Cor.*6., *unus ſpiritus eſt*. Cauſæ morales, & proximæ unionis ex parte animæ juxta D. Tho. (*d*) ſunt perfecta contemplatio, & perfecta Caritas. Ex parte Dei eſt influxus ejus in animam per dona Spiritus Sancti; illuminans intellectum ad ſe ſublimius cognoſcendum, & inflammans voluntatem ad ardentius amandum. Plura videri poſſunt in bull. Canoniz. S. Roſæ Limanæ. Prænotandum quarto, duplicem a Myſticis diſtingui contemplationem, acquiſitam videlicet, & infuſam, & hanc appellant myſticam Theologiam, deſponſationem animæ cum Deo, & ſimilia. Deſcribitur: *Simplex intellectualis intuitus cum ſapida dilectione Divinorum, aliorumque revelatorum, procedens a Deo ſpeciali modo applicante intellectum ad intuendum, & voluntatem ad intelligendum ea revelata, & concurrente ad eos actus per dona Spiritus Sancti, Intellectum, & Sapientiam cum magna illuſtratione Intellectus, & inflammatione voluntatis*. Hæc dona explicat S. Thomas (*e*). Docent Theologi, utramque contemplationem in pluribus convenire, cum utraque in ſubjecto contemplante nonnullas diſpoſitiones requirat; ſed differre in pluribus, cum infuſa multo plures in eodem ſubjecto diſpoſitiones exigat. Docent præterea, infuſam contemplationem interdum concedi perfectis, aliquando non perfectis, ut incipientibus, & proficientibus, de qua re S. Gregorius (*f*).

a to. 2. de relig. lib. 2. de Orat. c. 11. n. 3.

b 2. 2. qu. 24. ar. 9.

c or. 11.

d in 3. part. qu. 6. art. 6. ad 1.

e 2. 2. qu. 8. art. 1.

f l. 2. homil. 5. in Ezechiel. n. 19. col. 1361. oper. to. 1.

8 Hæc ex Card. de Lauræa deſumpta huc allata ſunt, non animo agendi ex profeſſo de Oratione, vel de contemplativis, aut ſtatuendi, hos dumtaxat inter Beatos, & Sanctos eſſe referendos, cum in horum numero ſint etiam plerique non contemplativi, ut idem Card. notavit: ſed ut Conſultores Congregationis rituum compendium præ oculis habere poſſint pertinens ad meditationem, & contemplationem, cum de bis non ſolum agatur in cauſis Servorum Dei contemplativorum, ſed etiam in cauſis eorum, qui contemplativi non fuerunt; nam juxta D. Tho. (*g*) contemplari refertur ad actum: eſſe contemplativum denotat habitum.

g 2. 2. qu. 81. art. 1. ad 5.

9 Confeſſariorum, & Directorum ſpititualium examen valde conferre poteſt in cauſis Servorum Dei ad dignoſcendas eorumdem meditationes, & contemplationes. Poterunt etiam agnoſci ex iis, quæ Servi Dei de propriis meditationibus, & contemplationibus, ſuperiorum juſſu, ſcripſerint, ut colligere eſt ex ſecunda relatione Auditorum Rotæ de virtutibus S. Tereſiæ. Deficientibus his probationibus, cum judicium deſumendum ſit ab externis, deſumi poterit ab ecſtaſibus, & raptibus, ſi forte contingant, quemadmodum in S. Franciſco contigiſſe refert S. Bonaventura (*h*). Item ex tempore, quo Servi Dei in meditatione, & contemplatione permanent. Profecto mentalis Oratio, quæcumque ſit, diu durare non ſolet; dicitur enim Apocal. 8. *Factum eſt ſilentium in cælo quaſi media hora*, quod de contemplatione explicat S. Gregorius (*l*). Hæc regulariter intelligenda ſunt de acquiſita; nam infuſa durat, quamdiu a Deo conſervatur, ut explicat Card. de Lauræa (*k*), & conſtat ex bull. Canonizat. SS. Ludovici Bertrandi, Paſchalis Baylon, & Petri de Alcantara; ex relat. cauſ. S. Franciſci Xaverii; & ex proceſſibus cauſæ S. Aloyſii Gonzagæ.

h in ejus legenda c. 10. pag. 312. oper. to. 7.

l loc. cit. homil. 2. n. 14. col. 1327

k opuſc. 5. cap. 12. & opuſc. 6. c. 10. de Orat.

10 &c. Attendendæ quoque videntur aliæ externæ circumſtantiæ, ut, ſi Dei Servus orans oſtenderit vultum

Gg 2 tam-

Digitized by Google

tamquam flamma accenſum, veluti de S. Aloyſio teſtatus eſt Ven. Card. Bellarminus in ejus cauſa; vel ſi tempore hyemis in oratione perſtiterit, quin frigore affligeretur, ſicuti de eodem ſcribit P. Platus in ejus vita. De lacrymis tam in Oratione vocali, quam in mentali effuſis ratio habenda eſt. Celebres ſunt lacrymarum gratia Abbates Paulus Nazaibenſis, & Thallelæus Cilix apud Roſvveydum (*a*). Eodem dono claruiſſe S. Laurentium Juſtinianum teſtatur Bernardus Juſtinianus in ejus vita. Inſignia de S. Thoma Aquinate, & Poppone, videre eſt apud Bollandian. Alia exempla ſuppeditat vetus, & novum teſtamentum. Docent Aſcetici, momentum non in lacrymis, ſed in earum fine conſtituendum eſſe, & cavenda duo extrema, complacentiæ ſcilicet, & arrogantiæ, puſillanimitatis, & diffidentiæ. Legatur Cardinalis Bona. Abbas Bloſius monet in lacrymis modum adhibendum eſſe, & Stephanus Tornacenſis: *In Oratione*, inquit, *lacrymæ ſpontaneæ ne rejiciantur ſpontanee, ne cogantur invitæ*, neve ſint hominum ſpectacula. Plura ediſſerunt Joannes Climacus, & Theophilus Raynaudus. Ex quibus omnibus perſpicuum eſt, non affectatum lacrymarum profluvium eſſe excellentis Orationis argumentum. Videatur Ven. Ludovicus a Ponte (*b*). Aliquando Deus in Sanctis ſuis mirabilis ſplendore vultus, & conſimilibus ſignis manifeſtare dignatus eſt, quam grata ſibi, & accepta ſit Servorum ſuorum Oratio. De S. Philippo Nerio legitur, quod *Sacrum faciens mira undique luce fulgere viſus eſt*. Similia referuntur de SS. Martino Epiſcopo, & Roſa Limana, ac de B. Ambroſio Sanſedonio. Duo hîc ſupernaturalia ſigna referre juvat. In ſecunda relat. de virtutibus S. Tereſiæ affirmant Auditores Rotæ, plures teſtes de viſu depoſuiſſe, ejus faciem, cum Orationi vacaret, ſolis inſtar ſæpius reſplenduiſſe. Angelus Victorius Medicus teſtatur, ſe in ſectione cadaveris S. Philippi Nerii, inter alias ſupernaturales affectiones, inveniſſe duas coſtas ex Orationis, ac Divini amoris fervore fractas, ac ita diviſas, ut pars a parte diſtaret.

a l. 10. c. 41. pag. 867.

b in opere, cui titulus: *Guida ſpirituale* tract. 1. de lacrym. c. 17

CAPUT XXVII.

De Sacramentorum frequentia, Pœnitentiæ videlicet, & Euchariſtiæ in Servis Dei beatificandis, & canonizandis requiſita.

1 &c. SAcramentorum Pœnitentiæ, & Euchariſtiæ uſus eſt internæ delectationis, & ſuavitatis ſignum, & ex eo conſurgit religionis virtus in gradu heroico. Docet Scacchus (*c*), ſacramenti Pœnitentiæ, non ex cæremonia, aut conſuetudine, frequentiam eſſe maximum ſanctitatis argumentum, licet Servi Dei peccata dumtaxat venialia commiſerint: frequentem vero Euchariſtiæ ſumptionem in Canonizando, ac fere quotidianam Miſſæ celebrationem in Sacerdotibus, vel Epiſcopis pariter Canonizandis eſſe exquirendam. Addit, hanc ſanctitatis notam ex frequenti Euchariſtiæ ſumptione, & quotidiana Miſſæ celebratione locum ſibi vindicare, ſi conjuncta fuerit cum debitis circumſtantiis, devotionis videlicet, & præparationis. Omnia hæc ſatis explorata ſunt ex bullis Canoniz. SS. Birgittæ, Thomæ Aquinatis, Caroli Borromæi, & aliorum, necnon ex aliis Actis plurium cauſarum. Accedit ratio Theologica; licet enim peccata venialia non ſint materia neceſſaria, ſed tantum ſufficiens ſacramenti Pœnitentiæ, docet tamen Concilium Tridentinum *ſeſſ. 14. de Pœnit. cap. 5.*, utilem, & piam eſſe eorum confeſſionem; quam etiam antea inſinuaverat S. Bonaventura (*d*). Et hujus confeſſionis exemplum extat in Act. S. Segolenæ Abbatiſſæ ſæcul. VIII. apud Mabillon (*e*).

5. 6 Frequens Euchariſtiæ communio in uſu fuit apud antiquos Fideles, cum in Act. Apoſt. legatur. *Erant perſeve-*

c de not. & ſign. ſanct. ſect. 5. c. 3.

d in 4. ſent. diſt. 17. par. 3. ar. 2. q. 1.

e in ſæc. 3. Bened. & in 1. præfat. ad illud.

ſeverantes in doctrina Apoſtolorum, & communicatione fractionis panis. Sæculo Eccleſiæ quarto mos quotidie communicandi Romæ obſervabatur, teſte S. Hieronymo (*a*): immo in toto Occidente, juxta S. Ambroſium (*b*). Et Concilium Tridentinum (*c*) non ſemel Fidelibus frequentem Communionem inſinuat. Docet S. Tho. (*d*), utilem eſſe uſum Euchariſtiæ, cujus virtus eſt hominibus ſalutaris; magnam vero devotionem in ſumente requiri. Conſentit S. Bonaventura (*e*), & cohæret decretum ab Innocentio XI. editum 12. *Febr.* 1679. Ex his omnibus perſpicuum eſt, frequentem, aut quotidianam Euchariſtiæ ſumptionem in Servis Dei Beatificandis, aut Canonizandis, de quorum virtutibus aliunde conſtat, argumentum eſſe ſanctitatis, præcipue ſi Confeſſarii, aut Directores ſpirituales frequentiam conſuluerint. Hæc tamen dicta ita intelligantur, ut ſi aliquando Dei Servus a quotidiana, & frequentiſſima Euchariſtiæ ſumptione, reverentiæ, & timoris gratia, abſtinuerit, nullum inde adverſus ejus ſanctitatem, & in ſuſcipienda Euchariſtia fervorem deſumi valeat argumentum, ut colligere eſt ex SS. Auguſtino (*f*), & Thoma (*g*). Joannes Major quotidianam commendat Communionem, ſi devotio inde augeatur: & Joannes Raulinus Cluniacenſis Monachus ſapienter monet, poſſe contingere, ut quis vacando a Sacramenti receptione, illud deinde reverentius ſumat, ſed cavendum, ne per hoc habituatio ad bonum, ut ipſe loquitur ſubtrahatur. Docet quoque Roderic. fructuoſius eſſe, impellente Caritate, Miſſam frequentius celebrare, quam præ timore, & reverentia omittere, cum quo concordat D. Tho. (*h*) Sed ex his prædicta non infirmantur, cum ea procedant non de longa abſtinentia ab Euchariſtia, ſed de quadam intermiſſione ob timorem, & reverentiam erga auguſtiſſimum Sacramentum. Hæc locum habent etiam in frequenti, & quotidiana Miſſæ celebratione; ſi enim Apoſtolorum tempore Fideles quotidie Corpus Chriſti ſumebant, aſſerendum quoque videtur, Sacerdotes, & Epiſcopos Miſſam quotidie celebraſſe. De hoc teſtimonium perhibens S. Irenæus: *Ideo nos quoque*, ait, *offerre vult munus ad altare, frequenter ſine intermiſſione*. Idipſum colligitur ex Act. S. Andreæ apud Surium (*i*), & ex S. Cypriano (*k*). Ferunt Card. Cajetanum *in comment. ad D.Tho.* docuiſſe, Sacerdotem numquam celebrantem ad ſummum peccare venialiter, ſed hanc ſententiam juſſu S. Pii V. fuiſſe expunctam. Profecto Innocentius III. *in cap. Dolentes de celebr. Miſſ.* graviter increpat Presbyteros, & Prælatos, qui Miſſarum ſolemnia vix quater in anno celebrant. Et Concilium Tridentinum loquens de Presbyteris ſimplicibus *ſeſſ.23. de ref. cap.14.* hæc habet: *Curet Epiſcopus, ut ii, ſaltem diebus Dominicis, & feſtis ſolemnibus, ſi autem Curam habuerint animarum, tam frequenter, ut ſuo muneri ſatisfaciant, Miſſam celebrent*. S. Tho. (*l*) improbat opinionem eorum, qui dicebant, Sacerdotem poſſe omnino a conſecratione licite abſtinere, niſi teneatur ex Cura ſibi commiſſa celebrare, & ſacramenta populo adminiſtrare. Quapropter ex quotidiana, vel fere quotidiana Miſſæ celebratione in cauſis Servorum Dei Sacerdotum, vel Epiſcoporum, indicium, & nota ſanctitatis hauriri poterit.

7 S. Ignatium cum ſociis Romæ primum, deinde in reliquis orbis Catholici partibus frequentem Confeſſionis, & Euchariſtiæ uſum reſtituiſſe, ſcribit P. Maffejus in ejus vita; Launojus tamen contendit, quod Pariſiis ab aliis reſtitutum dumtaxat fuerit. Quidquid de hoc ſit, propagatio frequentiæ Sacramentorum S. Ignatio utique, ac Societati ab eo inſtitutæ debetur, ut legitur in lectionibus Officii, quod in ejus feſto celebratur. Sanctus quoque Cajetanus Sodales Oratorii Vicentini, cui ante ſuæ Religionis inſtitutionem adſcribi voluit,

ad

a epiſt. 50. ad Pamach. n. 15. col. 225. oper. to. 1.

b de Sacr. l. 5. c. 4. n. 25 col. 378. oper. to. 2.

c ſeſſ. 13. c. 8

d 3. part. qu. 80. ar. 10

e in 4. ſent. diſt. 12. par. 2. qu. 1.

f epiſt. 54. col. 125. oper. to. 2.

g loc. cit. ad 3.

h loc. ſupra cit. ad 3.

i ad diem 30. Nov. to. 6.

k epiſt. 77. col. 329.

l in 3. part. qu. 82. ar. 10

ad frequentiam Sacramentorum induxit, ut dicitur in relat. Auditorum Rotæ, & bull. Canonizat. Qui plura de quotidiana Miſſæ celebratione deſiderat, adeat Benedicti XIV. opus *de Sacrificio Miſſæ* (*a*).

a par. 4. ſect. 2. n. 12.

8 Hic quæſtio occurrit, an, & quomodo antiqui Monachi, Anachoretæ, Eremitæ, & Solitarii ſacramenta Pœnitentiæ, & Euchariſtiæ ſuſceperint, & quatenus aut non ſuſceperint, aut raro, quomodo nonnulli inter Sanctos adſcripti ſint. Scacchus (*b*) quæſtionem reſolvit putans, eos a ſuſceptione Sacramentorum excuſari poſſe, *quando nec Chriſtianorum loca frequentiora habebantur, nec Sacerdotum copia*; Verum, ut diſtincte procedatur, hanc difficultatem non ingerunt Monachi, qui in cœnobiis ſub cura Abbatis degebant, nec Lauritæ, qui a cœnobiis pergebant ad habitandum in lauris, ideſt cellis ſeparatis ſub unius Præſidis cura, neque Incluſi, neque Solitarii, ſive Eremitæ, qui non longe a monaſteriis, aut vicis, vel oppidis vivebant; ſed tantum Anachoretæ, & Solitarii, qui ſeorſum in ſpeluncis, & antris, & a cœtu aliorum hominum ſemoti habitabant.

b de not. & ſign. ſanct. ſect. 6. c. 5. pag. 458.

9 &c. Monachi ſiquidem, licet juxta veterem diſciplinam, ut plurimum laici eſſent, & præ humilitate ad ſacros Ordines aſcendere recuſarent, in eccleſiam tamen conveniebant, & ſtatis temporibus Sacerdotem advocabant, qui ipſis ſacramenta miniſtraret, veluti referunt Palladius, & Roſvveydus. Additur, memoratam diſciplinam non fuiſſe perpetuam, nec univerſalem. Nam cum, teſte S. Cyrillo (*c*), Monachi ægre ferentes impudentiam quorumdam Presbyterorum, ad Sacramenta ipſis miniſtranda accedentium, Sacris aſſiſtere recuſarent, hinc factum eſt, ut ex Monachis aliquis ad Sacerdotium aſſumi cœperit, qui illud miniſterium obiret, ut colligitur ex vita S. Apollinis, ſeu Apollonii. Et cohærenter ad hæc Gennadius, & Roſvveydus quoſdam memorant Monachos Sacerdotali charactere inſignitos. Item, quamvis Arcani diſciplina multa nobis celaverit ſacramentalis Confeſſionis documenta: in eo tamen, quod ad Monachos attinet, teſtis eſt S. Baſilius (*d*), eos hoc Sacramento uſos fuiſſe: cum in regulis brevioribus moneat: *Peccata iis confiteri neceſſe eſt, quibus myſteriorum Dei concredita diſpenſatio eſt*. Ex his omnibus colligitur, Monachos ſub Abbatis, vel Præſidis cura in cœnobiis commorantes, potuiſſe Sacramenta Pœnitentiæ, & Euchariſtiæ commode percipere, & frequenter percepiſſe, cum *in lib. de vitis Patrum* Monachi dicantur Sabbati die, & Dominico ad Eccleſiam accedere conſueviſſe, quod aſſerit etiam S. Paſtor Monachus apud Rufinum Aquilejenſem.

c in ep. ad Epiſc. Lybiæ & Pentap. pag. 211 to. 5. par. 2.

d regular. brev. 287. pag. 516. to. 2. oper.

13. 14 Lauræ, teſte S. Cyrillo (*e*), differebant a cœnobiis, quod in his vita communis, in illis ſeparata in cellis diſtinctis ageretur. Advertit tamen Thomaſſinus, nemini licuiſſe e monaſterio in lauras ſecedere, niſi prius in monaſterio virtutibus excultus eſſet. Apud S. Cyrill. cit. (*f*) hæc erat vivendi ratio in lauris, ut quinque diebus hebdomadæ unuſquiſque in cella manens ſileret, pane, & aqua, ac dactylis contentus; Sabbato, & Dominica in eccleſiam veniret, perceptaque Euchariſtia, cocto uteretur in cœnobio, & ſumeret parum vini, ut eruitur etiam ex vita S. Euthymii apud Surium (*g*), & Bolland. (*h*) adeoque degentes in lauris commoditate percipiendi Sacramenta non caruerunt, ut late proſequitur Giballinus. Laurarum exemplum extat adhuc in Monte Luco apud Spoletum, quem locum deſcribit Pius II. (*i*), ibique nonnulli vivunt ſub regula S. Iſaac Abbatis, cujus meminit S. Gregorius (*k*), & Martyrol. Rom. (*l*). Hi Eremitæ ſubſunt Epiſcopo, ſed habent Præpoſitum, cui obediunt. Plures ſunt Laici, quam Sacerdotes: eccleſiam habent communem, in quam conveniunt, orant, & Sacramenta percipiunt. Differunt ab an-

e in vita S. Sabæ apud Suriū.

f in Euthymio apud Bolland. to. 2. ad diem 20. Jan.

g loc. cit.

h loc. cit.

i In comment. l. 2. pag. 41.

k lib. 3. dialog. c. 14.

l ad diem 11. Aprilis.

Digitized by Google

antiqnis Lauritis, quod non teneantur prius in monaſterio ſe exetcere, quam in Eremum ſecedant.

15. 16 Tres erant Incluſorum ordines. Primus Monachorum, qui permittente Abbate, ſe in cella monaſterii includebant; alter pariter Monachorum, qui ex eadem permiſſione ad alium migrabant locum, in quo ſe includerent; tertius eorum, qui Divino impulſu non longe a monaſteriis ſub alicujus Patris ſpiritualis regimine ſe includebant. Horum vitam deſctibit Palladius Galata apud Roſvveydum, Giballinus vero, & Clericatus oſtendunt eos commode potuiſſe Sacramenta percipere, & revera percepiſſe. Idem dicendum de Solitariis, ſeu Eremitis habitantibus non longe a monaſteriis, vel vicis, aut pagis, cujus rei documenta videre eſt apud Contclorium, Caſſianum, & Morinnm. Concludendum itaque antiquos Monachos, & ceteros recenſitos ſacramenta frequenter ſumpſiſſe, nt congeſtis exemplis illuſtrat Theophilus Raynandus.

17 &c. Difficultas itaque reducitur ad ſolitarios Eremitas, ſive Anachoretas, qui intrantes vaſtiſſimas ſolitudines, longiſſime ab urbibus, oppidis, & monaſteriis incogniti omnino vivebant, de quibus S. Hieronymus, aliique veteres Scriptores, & quorum vitam deſcribit Petrus Sutor. Hos ad eccleſiam acceſſiſſe, aut Presbyteris ad ipſos aditum patuiſſe probari nequit. Hinc difficultas invaleſcit, quomodo ſacramenta Pœnitentiæ, & Euchariſtiæ reciperent. Teſtatur S. Auguſtinus (*a*), eos vitam ſanctiſſimam duxiſſe: Pœnitentiæ itaque ſacramento non indigebant, licet forte leviter peccaſſent, cum juxta Theologos peccata venialia non ſint materia neceſſaria hujus Sacramenti. Quod ſi quis in peccatum lethale lapſus eſſet, credibile admodum eſt, a ſpelunca diſceſſiſſe, ut conſcientiam ſacra Exomologeſi expiaret, licet id ignoretur, neque enim omnia, quæ Servi Dei geſſerunt, litteris conſignata ſunt, ut ſapienter advertit Sarnellus. Quod ad ſacram Communionem ſpectat, Sozomenus initia hujus ſolitariæ vitæ refert ad tempora perſecutionum, quam ſubinde alii amplexi ſunt. Jam vero teſtatur S. Baſilius (*b*), hos omnes conſueviſſe panem conſecratum ſecum deferre, quo reficerentur, quam diſciplinam exornant Cardinales Baronius, & Bona. Rurſus, teſte Dionyſio Alexandrino apud Euſebium, in more poſitum erat, ut ad abſentes Euchariſtia etiam per Laicos mitteretur; quod etiam eruitur ex Palladio. Quapropter alterutro ex his modis Anachoretæ in ſolitudinibus viventes ſacram Communionem frequenter tecipere poterant. Plura exempla colligit Clericatus, quibus oſtenditur, vel pios, & religioſos homines, Spiritu Sancto dirigente, ad Solitarios acceſſiſſe, ut eis Sacramenta miniſtrarent; aut Angelos ipſos Euchariſtiam præbuiſſe. Tandem Theologi, duee D. Thoma (*c*), docent, Communionem neceſſariam eſſe neceſſitate medii, vel in re, vel in voto. Quare affirmat Raynandus, quod *alios* (Eremitas) *a frequentia communieandi excuſabat defectus Sacerdotis, qui Sacramenta porrigeret; quæ tamen, eum ſe dabat occaſio, ſumebant avidiſſime*. Et, ut conſtet, Sanctos, de quibus loquimur, non fuiſſe a perceptione Sacramentorum undequaque ſegregatos, refert Palladius, Prolemæum in eremum ſeceſſiſſe; *ubi ab alienatus a doctrina, & congreſſione virorum ſanctorum, & utilitate, continua Sacramentorum communione, a recta via uſque adeo receſſit, ut, quod nonnulli dicunt impii, caſu omnia fieri, is quoque infelix id fateretur*.

a L. 1. de morib. Eccleſ. c. 31. n. 66.

b In epiſt. ad Cæſariam 93. col. 186.

c 3. par. qu. 80. ar. 11. In corpore.

CAPUT XXVIII.

De Carnis, & Corporis mortificatione.

1 NOnnulla de jejuniis, & auſteritatibus ſuperius dicta ſunt, cum de virtute temperantiæ agetur

retur, ſed cum, teſte Scaccho, in caufis Servorum Dei ſedulo expendenda ſit carnis mortificatio, idcirco expedit, ut alia de eadem adnectantur.

2. 3 De jejunio dicitur *Tob.* 12. *Bona eſt oratio cum jejunio*. Eoque uſi ſunt Ninivitæ, prædicante Jona, ac præcipiente Rege, quem Tirinus ait fuiſſe Sardanapalum. Prima cilicii mentio occurrit *Geneſ.* 37., cum illo Jacob ſe induiſſe dicitur, putans filium ſuum Joſeph a feris devoratum. Frequens fuit cilicii uſus Regi David, aliiſque in veteri Teſtamento. Et S. Joannes Baptiſta *Matth.* 3. veſtimentum de pilis camelorum, ac zonam pelliceam circa lumbos geſtaſſe dicitur. Duplex quippe eſt ciliciorum forma: una eſt indumentum aſperum e pilis caprarum, aut aliorum animalium contextum. Altera eſt catenula, duobus circiter ab hinc ſæculis inventa, inſtar cinctorii ex filo ferreo, vel aurichalco, aut argento compacta.

4 &c. His generaliter præmiſſis, inquirendum eſt, quid ſit mortificatio, in quibus conſiſtat, an ſit neceſſaria, quomodo Sancti ea uſi ſint, & quo pacto in Canonizandis requiratur. Mortificatio itaque eſt cura, & ſtudium, adhibitis opportunis cautionibus, ne concupiſcentia ſpiritui obſiſtat, eique dominetur, cum ſane adverſus ipſum gerat bellum quotidianum, ut innuunt SS. Petrus, & Paulus, quibus conſentiunt Concilium Tridentinum (*a*), S. Proſper, ſeu Pomerius, & Caſſianus. Conſiſtit autem in abſtinentia, jejunio, cilicio, vigilia, chaumeuniis, ſpontaneis verberationibus, vulgo *diſcipline*, & ſimilibus, quibus caro affligitur, ut ſignificat Apoſt. 1. *ad Cor.* 9., & 2. *ad Cor* 6., cui obſequuntur SS. Hieronymus (*b*), Ambroſius (c), & Auguſtinus (*d*).

a in decreto de peccato Originali.

b in comment. ad epiſt. 1. ad Corinth.

c in 1. ad Corinth. c. 9. v. 27.

d in tract. de cantico novo c. 3.

7 &c. Nulla apud hos Patres, neque in antiquioribus Eccleſiæ monumentis occurrit mentio ſpontaneæ verberationis, adeoque dubium inſurgit, an inter modos carnem mortificandi approbatos ab Eccleſia ſit recenſenda. Morinus flagrorum aliena manu uſum admittit. Jacobus Boyleau *diſciplinarum* ſponte, ſeu propria manu inflictarum BB. Dominicum Loricatum, & Petrum Damianum facit auctores; contendens, flagra ante hos in uſu fuiſſe, ſed ita, ut quis ab alio vapularet, adeoque innuit, ſpontaneas diſciplinas non eſſe omnino approbandas, præcipue cum oculis officiant, & ſuper lumbos femorales inflictæ ad venerem incitent, ut ait ipſe, & proſequuntur Meimbomus, & Bartbolinus. Sed Card. Baronius (*e*) Damianum aſſerit, dumtaxat propagatorem; idemque Damianus quoſdam Monachos hujuſmodi *diſciplinis* averſos confutavit. Iiſdem uſi ſunt Guido Pompoſejanus, & S. Poppo Abbates, quod ſatis eſt, ne Dominicus, & Petrus auctores dicantur, ut notavit Mabillonius, cui adhæret Graveſon. Sed quidquid ſit de inſtitutione, profecto antiquiores Regulæ monaſticæ verberationes, & flagra in Monachum peccantem ſtatuerunt, & juxta libros Pœnitentiales, aliquando Pœnitentes ad pedes Confeſſarii ſe proſternebant, ut virgis cæderentur. Similia leguntur in vita S. Ludovici Regis Galliæ apud Bolland. (*f*). Quapropter pius, & laudabilis eſt etiam uſus ſpontanesrum verberationum, ut proſequitur Mabillonius (*g*). Præcipue cum B. Petrus Damiani, aliique ſanctitate inſignes, illas in uſu habuerint apud eumdem Mabill. (*h*), & Abbatem Guidonem Grandum: & Perufini, Rainerio Eremita Perufino monente, Imolenſes, Bononienſes, aliique huic uſui morem gefferint, teſte Sigonio. Spernendæ vero ſunt oppoſitiones petitæ a detrimento oculorum, & incitamento ad libidinem: vix enim invenitur, qui hæc experiatur, quod ſi experiretur, deberet ab iis abſtinere, aut locum verberationis mutare. Nec urget Conſtitutio Clementis VI. prohibens, ne de cetero Chriſtifideles verberationibus ntantur. Edita enim eſt adverſus hæreticos Flagellantes, quorum depravatos mores, & impia, atque hære-

e in annal. ad an. 1056. n. 7.

f ad diem 25. Aug. to. 5. pag. 547.

g præf. 1. ad ſæc. VI. Bened. n. 41.

h loc. cit.

tica

tica dogmata referunt Spondanus, & Joſephus Binghamus. Ex qua proinde nihil inferri poteſt adverſus piam Sanctorum conſuetudinem ſe flagris percutiendi ad domandam concupiſcentiam, ut fuſe explicat Gretſerus, qui etiam Joannem Gerſonem accuſat, quaſi ſpontaneam verberationem, ut inhumanam, rejecerit. Sed advertit Theophilus Raynaudus, Gerſonem non improbaſſe hunc uſum, ſed timuiſſe, ne ſub umbra Pœnitentium, qui ſe cædentes S. Vincentium Ferrerium ſequebantur, hæreſis Flagellantium reviviſceret. Porro ſpontaneas verberationes laudant Auditores Rotæ in relat. cauſæ S. Ludovici Bertrandi.

12. 13 Mortificatio carnis, præter jejunia, & cætera, quæ ab Eccleſia præcipiuntur, non eſt, juxta Bellarminum (*a*), neceſſaria ad ſalutem æternam, ſed ad Chriſtianam perfectionem aſſequendam, ut ab exemplo Apoſtoli argumentatur Eſtius, & deſumitur ex S. Proſpero, & ex aliis Patribus apud Dandinum, quibus conſentit Roſignoliua. Sic, ut quis Chriſtiana temperantia præditus dicatur, non oportet, ut ab omnibus licitis voluptatibus abſtineat, bene vero, ſi ad illius apicem aſpiret, veluti ratiocinatur Card. de Aguirre.

a de ſeptem verbis Domini l. 2. c. 10.

14 &c. Quomodo autem in hac corporis afflictatione nonnulli Sancti ſe exercuerint, deſcribit Theodoretus, ex quo intelligimus, S. Jacobum Niſibenum, interdicto ſibi ignis uſu toto vitæ tempore, humi diſcubuiſſe, nec aliis veſtibus, quam pellibus caprinis uſum fuiſſe: S. Julianum comediſſe panem ex furfure miliario confectum, & fere ab omni potu abſtinuiſſe. Similia refert de SS. Euſebio, Publio, aliiſque pluribus, qui incredibili fere auſteritate corpus macerarunt. Admirabilem abſtinentiam S. Pauli Eremitæ, & quorumdam Monachorum teſtatur S. Hieronymus (*b*), qui mira etiam de S. Hilarione deſcribit. Inediam, & vigilias S. Antonii deſcribit S. Athanaſius (*c*). Alia dat Card. de Lauræa. Concordant bull. Canoniz. SS. Bernardi, Edmundi Epiſcopi Cantuarien., & aliorum apud Scacchum, quibus addi poſſunt aliæ SS. Franciſci Aſſiſien., Petri de Alcant., & Roſæ Limanæ, cujus miras corporis macerationes exponit etiam laudatus Card. de Lauræa. Qui plura velit, adeat relationes Auditorum Rotæ in cauſis SS. Pii V, Caroli Borromæi, aliorumque plurium, necnon vitam S. Franciſci Saleſii, ex quibus profecto diſcimus, Canonizatos ſive Pontifices, ſive Confeſſores, ſive Virgines macerationi corporis ſtuduiſſe.

b n. 5. col. 15. to. 2. op.

c in ejus vita apud Bolland. ad diem 17. Jan. to. 2. c. 2. pag. 123

18. 19 Supereſt expendendum, an, & quomodo in canonizando neceſſaria ſit carnis, & corporis mortificatio, itaut, ea deficiente, ad ulteriora in cauſa non ſit procedendum. Porro, ſi ſermo ſit de his, qui a corporis mortificatione adeo abſtinuerunt, ut illud plus æquo dilexerint, & ultra neceſſitatem aluerint, eorum cauſa non poterit ulteriorem habere progreſſum, licet aliis eximiis operibus eſſet inſtructa. Eo huc ſpectant, quæ de cura corporis habenda docuerunt SS. Gregorius Nazianz. (*d*), & Baſilius. Idem dicendum videtur de iis, qui etſi corpori non nimis indulſerint, ejus tamen macerationi non vacarunt, neceſſariæ, ut quis ad apicem Chriſtianæ perfectionis deveniat, ſine qua in Eccleſia militante nemo in album Sanctorum refertur. Addendum, difficillime, teſte Gerſonio, ſine mortificatione viam aperiri contemplationi, quæ ex ſupradictis valde prodeſt ſanctitati.

d orat. 44. oper. to. 1. pag. 705.

CAPUT XXIX.

De modo adhibendo in carnis, & corporis mortificatione.

1. 2 MOrtificatio ad temperantiam pertinet. Mediocritas autem temperantiæ, ſicut & aliarum virtutum, difficulter invenitur, cum uno dumtaxat modo attingatur, innumeris fere ab ea recedi

poſſit. Sed ut modus mortificationis adhibendæ in re, de qua nunc agitur, explicetur, ſciendum eſt, corporis afflictiones non eſſe virtutes, ſed inſtrumenta virtutum, ideoque cum debita moderatione exercendas. Poſtquam enim Apoſtolus ad Rom. 12. dixerat: *Obſecro vos ... ut exhibeatis corpora veſtra hoſtiam ... Deo placentem*, ſubjecit, *rationabile obſequium veſtrum*. Addit Gloſſa interlinearis: *Cum diſcretione, ne quid nimis*. Et Lyranus *rationabile* explicat, corpus ſic macerandum eſſe, ut ſervetur, & vitia excludantur. Conſentit Theodoretus, & eſt communis Aſceticorum ſententia. Id enim fuſe docent Roſignolius, S. Catharina Senenſis, & alii.

3 Nec opus eſt, ut omnes corporis afflictiones in omnibus ſint æquales. Quis enim aſſerat, non eſſe Canonizandos Dei Servos, qui jejunium ſine cibo, & potu ad quadraginta dies, ut Moyſes, & Elias, non protraxerint, & ſimilia auſteriſſima non peregerint, quæ quidem ab aliis Sanctis feliciter quidem; ſed ex ſpeciali Divino impulſu patrata fuerunt; & ſcripta ſunt non ad imitationem, ſed ut infinitam Dei poteſtatem, & ſapientiam in iis prædicemus? Nonnulli utique Sancti a vino, alii a carnibus ſemper abſtinuerunt; ſed quis Dei Servum reprehendat, qui rationabiliter, & moderate vinum biberit, aut carnes comederit? Profecto Apoſtolus 1. *ad Timoth.* 5. modicum vini propter infirmitatem ei indulget; & S. Antoninus apud Bolland. (*a*) ob languores ſtomachi carnibus uſus fuit. Quis ſpontaneas verberationes exquirat in cauſa Servi Dei, qui ut S. Gregorius (*b*) de ſe teſtatur, e lectulo ſurgere nequiret? aut quis omnium corporalium afflictionum uſum expoſcat in Servis Dei ſenibus, in quibus, ut ſcribit S. Hieronymus (*c*), *omnes virtutes corporis mutantur*, &c., *creſcente ſapientia, decreſcunt jejunia, vigiliæ*, &c.

a tom. 1. ad diem 2. Maji pag. 328.

b epiſt. 35. lib. 10. col. 1064. to. 2. oper.

c ep. 52. ad Nepotian. n. 3. col. 254 oper. to. 1.

4 &c. Non ſunt admittendæ abſtinentiæ, & ceteræ corporis afflictiones, quæ proprio miniſterio, aut aliis virtutibus impedimentum pariant. Sentit S. Baſilius (*d*), ita amplectendam eſſe abſtinentiam, ut eam cum corporis viribus commetiamur. Hanc ſententiam pluribus illuſtrat Roſignolius. Et conſentiunt SS. Hieronymus (*e*), Gregorius Magnus (*f*), & S. Thomas (*g*), aſſerens, peccare illum, qui per jejunia, vigilias, & ſimilia ſe ineptum reddit ad debita opera exequenda. Suffragantur Guigo Abbas, & Sanctus Franciſcus Saleſius. Sed quid dicendum de iis, qui corpus ita affligunt, ut ab exercitio operum, quæ facere tenentur, non impediantur, ſed mortem ſibi accelerent, ut de quodam Abbate Myrogene legitur *in prato ſpirituali* Sophronii apud Roſvveydum; & de qua re ſe excuſaſſe dicitur S. Bernardus (*h*). Quoad hoc plura docet Card. Cajetanus; ſed quidquid ſit de ejus doctrina, diverſi ſunt vitæ noſtræ termini: alii ſcilicet ſupernaturales a Dei providentia conſtituti, *qui præteriri non poterunt Job.* 14. Alii naturales, unicuique pro variis corporis diſpoſitionibus attributi; & iſti arte produci poſſunt ad quemdam temporis articulum; Alii ſunt, qui ab inopinatis caſibus provenientes nullis temporis ſpatiis perſtringuntur, quos Avicenna vocat *abbreviatos*, adeoque produci non poſſe docet Codronchius. His præmiſſis, primo docent Theologi, aſſumentem immodicas abſtinentias, & ſimilia, ut moriatur, vel ut breviores ſibi conſtituat naturales vitæ terminos, graviter peccare. Secundo, probabile eſt, non tamen certum, ex dictis, & abſtinentiis ſimilibus eoſdem terminos abbreviari, ut ex Hippocrate colligitur: quin etiam S. Paulus primus Eremita, aliique rigidiſſimi Pœnitentes vitam longius produxerunt. Tertio, licitum, & meritorium eſt amplecti aſperum vitæ genus ob finem ſupernaturalem, licet inde mors celerius adventura prævideatur, dummodo non intendatur. Ita Azorius, Card.

de

d c. 4. Conſtit. Monaſt. pag. 544. to. 2. oper.

e ep. 125. ad Ruſticum n. 7. col. 930 loc. cit.

f l. 30. Moral. c. 18. n. 63. col. 984. to. 2. oper.

g quodlib. 5 art. 18.

h l. 1. c. 8. n. 41. col. 1094. oper. vol. 2.

de Lugo, aliique, aſſerentes exempla Sanctorum, & cœtuum Regularium a Sede Apoſtolica approbatorum, quibus addi poſſunt, quæ de S. Hilario Ep. Arelaten. leguntur apud Surium (*a*).

7 Tandem in mortificationibus vitandum eſt vitium ſingularitatis, quod locum ſibi vindicat potiſſimum in his, quæ palam fiunt, & quoad Dei Servos Regulares. *Fugite*, inquit S. Bernardus (*b*), *obſtinationem, & nequiſſimum vitium ſingularitatis*. Idem inſinuant S. Baſilius (*c*), & Caſſianus (*d*). De S. Joanne Climaco ſcribit Daniel Monachus: *In menſa nihil rejiciebat, quod a vitæ Religioſa inſtituto non abhorrebat*. Quocirea SS. Thomas Aquinas, Ignatius, aliique Religioſi in album Sanctorum relati, ita ſe geſſiſſe dicuntur, ut ab omni ſingularitate abſtinuerint, ne oſtentationis vitio inquinarentur. Demum idem S. Tho. (*e*) de vita Chriſti, & S. Joannis Baptiſtæ: *Vtraque*, inquit, *vita eſt licita, & laudabilis, ut ſcilicet aliquis a conſortio hominum ſegregatus abſtinentiam ſervet, & ut in ſocietate aliorum poſitus communi vita utatur*.

8 &c. Concludendum itaque eſt, in Canonizandis oſtendendas eſſe corporis mortificationes; ſed quoad Servos Dei Regulares probandum eſt, eos non omiſiſſe auſteritates, a Regula præſcriptas; in aliis attendendæ ſunt uniuſcujuſque diſpoſitiones, & circumſtantiæ. Qui in aſſumendis mortificationibus cupit non errare, alios conſulat, ut inculcat S. Baſilius (*f*). Hinc Aſcetici expoſcunt in his conſilium Magiſtri ſpiritualis, idque ſuadent Card. Bellarminus (*g*), S. Tereſia, aliique, & ſancitum eſt in Conſtitutionibus Societatis Jeſu, & antea in Regula S. Benedicti. Magiſtri ſpiritualis eſt modo frenum, modo calcaria adhibere: & animadvertere, an revera ſubſiſtant impedimenta, ne quis hoc, vel illo aſperitatis modo uti poſſit. Legi poſſunt relatio Rotalis in cauſa S. Aloyſii Gonzagæ, & vita S. Simeonis junioris Stylitæ apud Bolland. (*h*). Præterea SS. Joannes Chryſoſt. (*i*) & Laurentius Juſtinianus voluntarias mortificationes ſummopere commendant. Qui igitur Congregationi rituum adſcripti ſunt, omnia hæc ſedulo perpendant, ut in his prudens ferant ſuffragium, memores ſemper, non eſſe procedendum ad ulteriora in cauſis Servorum Dei Confeſſorum, niſi conſtet de ſtudio mortificationis carnis, & corporis. Nec faciles ſint ad ferendum judicium de exceſſu, vel quatenus hic appareat, non facile putent, virtutum fulgorem ab eo offuſcari. Nam, ut monet Jacobus Alvarez de Paz (*k*), aliqui *ad extraordinarium vitæ modum, & ad magnas corporis afflictationes vocantur, qui per gratiam multum ſupra naturam, & ſupra communes homines poſſunt, quos oportet ſuſpicere, & regulis communibus non alligare*. Similia de Paula innuit S. Hieronymus (*l*), & de S. Carolo Borromæo Auguſtinus Valerius, dictus Cardinalis Veronæ. Juſſu Innocentii IV. conſtructus fuit proceſſus ſuper vita, & miraculis cujuſdam Servi Dei nomine Laurentii, Converſi, & Eremitæ. In hoc proceſſu multa continentur huc ſpectantia: exemplar in appendices inſeritur, ut ex miraculis, in eo expoſitis, dignoſcatur, quam acceptæ fuerint Deo hujus Servi Dei pœnitentiæ.

a ad diem 5. Maji n. 31. pag. 81.

b ſer. 1. domin. 6. poſt Pentec. n. 3. col. 945. oper. vol. 1.

c in reg. brev. c. 138. pag. 461. oper. to. 2.

d l. 5. c. 23.

e 3. par. qu. 40. ar. 2. ad 1.

f loc. cit.

g loc. cit.

h ad diem 24. Maji to. 5. pag. 113.

i homil. 11. in epiſt. ad Hebræos n. 3. pag. 115. oper. to. 12.

k to. 3. fol. 1247. in fin. c. 11.

l In ejus epith. oper. to. 2.

CAPUT XXX.

De inquiſitione ſuper ærumnis, & tribulationibus Servorum Dei, de quorum Beatificatione, & Canonizatione tractatur.

1 UT iis, quæ ſuper hac re alibi adnotata ſunt (*m*), alia addantur, expendendum hic eſt, quid ſint ærumnæ, & tribulationes, de quibus hic agitur: an Sancti, dum viverent, eas experti ſint: quomodo toleraverint; demum, quid in his animadvertendum ſit, quando Acta Servorum Dei pro Beatificatione, aut Canonizatione examinantur.

m l. 2. c. 41. & 42.

a Ærumnæ itaque, & tribulationes, de quibus in præſenti, nonnullæ ſpectant ad partem ſenſitivam: eæque ſunt morbi corporis, jactura Bonorum, famæ, amicorum, & cognatorum, tentationes carnis, Dæmonum vexationes, & perſecutiones hominum. Aliæ ad partem rationalem, ut privatio Divinarum illuminationum, & inſpirationum, ac conſuetæ devotionis, tentationes contra Fidem, tentationes reprobationis, & deſperationis, timor Divinæ derelictionis, animæ ariditas, & ingens ſcrupulorum multitudo: ut fuſe docet Card. Bona (*a*).

a tract. de diſcret. ſpirit. c. 13. n. 7

3. &c. Porro Sanctos, dum viverent, fuiſſe iis affectos, conſtat ex hiſtoria patientiſſimi Jobi. Hic, licet juſtus, a Satana, permittente Deo, undequaque impetitus, filiis, cæteriſque Bonis ſpoliatus, morbo demum graviſſimo percuſſus eſt. Uxor increpationes addidit, amici eum nequitiæ inſimularunt, monentes, ut per pœnitentiam ad Deum reverſus Divinam juſtitiam humilis agnoſceret. Poſt hæc, cohibito Dæmonis aſtu, bonis omnibus cumulatus, felix ad Deum migravit. Hæc, quæ de B. Job. narrantur, parabolica, & conficta impie autumant Judæi, & Sectarii; ſed inconcuſſam hiſtoriæ veritatem ex verbis Ezechielis *cap.* 14., & ex epiſtola S. Jacobi *cap.* 5. ſolide demonſtrant D. Tho. (*b*), Titelman., Eſtius, & alii. Succedit hiſtoria Lazari ex novo Teſtamento deſumpta. Ulceribus plenus, ad januam Divitis jacebat; ſed poſt obitum ejus anima in ſinum Abrahæ delata eſt, Dives vero in Inferno ſepultus. Nonnulli Interpretes id exiſtimant parabolam: alii probabilius; gravibuſque fundamentis innixi aſſerunt eſſe hiſtoriam. Jobi, & Lazari ærumnas perpendit S. Joannes Chryſ. (*c*), ac Jobum Martyribus comparat: Lazari vero cruciatus enumerans, ait, eum fuiſſe pauperrimum, totum ulceroſum, & ab omnibus derelictum: quod jacens ante fores Divitis, ſplendide epulantis, ab eodem deſpiceretur, nec ullum haberet ſolatium, cum etiam illo ævo obſcura eſſet fides, & ſpes reſurrectionis, quæ poſt Chriſtum clara Fideles in doloribus roborat; quod hæc diu paſſus ſit, quibus acceſſit jactura famæ, cum multi ipſum ob ſcelera afflictum exiſtimarent. In omnibus tamen, velut alter Job, invictus permanſit. Utraque hæc hiſtoria ſufficere poſſet ad dignoſcendas tribulationes juſtorum, & patientiam in iis perferendis. Addi poſſent ærumnæ Abrahami, Iſaaci, & Jacobi; Sed juvat alia ex Actis Sanctorum exempla adducere, ſervata methodo in ſuperioribus expoſita.

b in proleg. comment. ſuper lib. Job to. 13. oper.

c hom. 1. in 2. ad Corinth. n. 5. to. 10. oper. pag. 424.

6 &c. Morbi corporis aliquando ex naturalibus cauſis proveniunt, quibus ſane multi, teſte S. Gregorio (*d*), a peccato reſipuerunt. Nonnumquam Deus eos immittit, ut homo ad Creatorem ſuum convertatur, vel ut Juſti in eis perferendis mereantur, quod explicat S. Auguſtinus (*e*) apud Magiſtrum ſententiarum. Henricus Suſo Ord. Præd. apud Surium (*f*), Bolland. (*g*), & alios ſanctitate celebris, refert, ſe Deum oraſſe, ut Eliſabeth Staglin, ejuſdem Ordinis, morbo, quo opprimebatur, levaretur; & accepiſſe reſponſum, morbum illi immiſſum fuiſſe pro ſumma utilitate, ut ſcilicet in hac vita maximam gratiam, in futura multiplex præmium ſibi compararet. Similia de B. Juſtina refert Theophilus Raynaud. (*h*), & leguntur in bull. Canoniz. SS. Ludovici Bertrandi, & Roſæ Limanæ. Aliquando ipſi Juſti Deum exorarunt, ut morbis corporis afficerentur. Liduviges, ſive Liduina, quam nonnulli Beatam appellant, Virgo Scheidamenſis in Hollandia, ſervandæ virginitatis cupida Deum ardenter oravit, ut, ſi alia via avertendi conjugii non ſuppeteret, adverſa valetudine teneretur. Voti compos facta miram morborum, dolorumque vim triginta, & octo annis invicta patientia ſuſtinuit. Cuncta exacte deſcribunt Surius, & Bolland. (*i*), ejuſque meminerunt Theophilus Raynaud. (*k*), & Cornelius a Lapide (*l*). Similia de B. Humiliana de

d par. 3. regul. paſtoral. c. 12. to. 2. oper. col. 50.

e l. 4. diſt. 15. ar. 1.

f in epiſt. dedic. ejus oper. ad Bloſium.

g to. 2. Januarii ad diem 25. c. 37.

h in tract. de Martyr. per peſt. par. 1. c. 1. n. 6. in fin.

i to. 2. Apr.

k loc. cit. n. 6.

l in c. 16. v. 21. Luc.

de Cerchiis referunt iidem Bolland. (*a*), alia videre eſt in bulla Canoniz. S. Roſæ Limanæ, & in relat. cauſæ S. Catharinæ de Ricciis. Interdum Deus permittit, ut morbi a Dæmone inferantur, neque enim Dæmon corporibus nocere poteſt, niſi Deus permittat, ut in illud *Matth.*8. *Dæmones rogabant . . . , ſi ejicis nos hinc, mitte nos in gregem porcorum* notant SS. Joannes Chryſ. (*b*), & Petrus Chryſ. (*c*). Porro quod ad hos morbos ſpectat, B. Angela de Fulgineo de ſemetipſa teſtatur: *Corporis ſunt tormenta innumera a multis Dæmonibus multipliciter excitata &c.* Horum morborum meminit Joannes Tanner; quomodo vero Dæmon ſit eorum cauſa externa, explicant Franciſcus Valeſius, & Martinus del Rio.

a to.4. Maji ad diem 19.

b hom.28. alias 29. in Matth. c.8. to.7. oper. pag.337.

c ſerm.17.

9 &c. Longum nimis eſſet cuncta referre, quæ ad jacturam Bonorum famæ, amicorum, & cognatorum, necnon ad ludibria pertinent. Sufficiant, quæ de S. Tereſia leguntur in ſecunda relat. Auditorum Rotæ, eam ſcilicet uſque adeo ab omnibus derelictam fuiſſe, ut nemo ejus Confeſſiones audire vellet. S. Joannes de Deo, & B. Hieronymus Æmilianus in relationibus eorumdem Auditorum tot ludibriis expoſiti fuiſſe dicuntur, ut tamquam amentes excepti fuerint. Similia de S. Ludovico Francorum Rege leguntur in ejus vita apud Surium (*d*). Sed ut tranſeamus ad carnis tentationes, & Dæmonum perſecutiones, quidam Monachus *in prato ſpirituali* a ſpiritu fornicationis adeo tentatus dicitur, ut e monaſterio egreſſus libidini ſatisfacere quæſierit; ſed lepra percuſſus rediit, Deo gratias referens, & dicens: *Ideirco Deus hac me caſtigatione percuſſit, ut anima mea ſalva ſit*. Conſimilia in eodem *prato ſpirituali* referuntur de Abbate Elia, & de S. Benedicto narrat S. Gregorius M. apud Bollandian. (*e*) Porro S. Vincentius Ferrerius mulierem, quam S. Benedictus concupivit, appellat gibboſam, ſed unde id hauſerit, incompertum eſt. Carnis igitur tentationibus anguntur Servi Dei, & quidem tam incipientes, quam proficientes, & perfecti, ut oſtendunt Card. de Lauræa. & Roſignolius. Profecto Apoſtolus 1. *ad Cor.*7. de ſe ipſo fatetur: *datus eſt mihi ſtimulus carnis meæ Angelus Satanæ*: quod ad veneris incitamenta refert verior ſententia Theophilacti, D. Thomæ, & Lyrani; & contra Fabrum, & Eraſmum affirmat Eſtius, & antea faſſus fuerat S. Auguſtinus (*f*). Cur autem Dæmon tentationibus vehementius angat viros perfectos, explicat S. Joannes Chryſ. (*g*) Et S. Gregorius (*h*) docet, Deum permittere, ut viri ſanctitate conſpicui tentationibus carnis vexentur, quia *ſi, non tentante carne ad ſumma nos ſpiritus ſublevaret, in ſuperbiæ caſu ipſa nos pejus ſublevatione proſterneret*. Qui plura velit, adeat colloquium inter Palladium, & Abbatem Pachonem *in hiſtoria Lauſiaca* ab eodem Palladio ſcripta apud Roſvveydum (*i*), ubi Pachon ex vehementiſſimis carnis tentationibus ad deſperationem fere adactus teſtatur, ſe audiviſſe *vocem dicentem: Abi, Pachon, decerta. Ideo enim permiſi in te tantam exerceri poteſtatem, ne tibi eſſet elatior, & arrogantior ſpiritus*.

d ad diem 25. Auguſti n.20.

e c.1. n.2. to.3. Martii pag.278.

f l.6. contra Julian. c.23. n.70. to.10. oper. col.702.

g homil. 3. to. 6. oper. pag.114.

h moral.19. c. 6. to. 1. oper. col. 609.

i l.8.

12 Benedictus XIV., cum Fidei Promotorem agebat, & nonnullorum Dei Servorum virtutes expendebantur, inveriſimilia, & hyperbolica eſſe dixit dicta quorumdam teſtium, aſſerentium, nonnullos Dei Servos tanta caſtitate fulſiſſe, ut nec mentis, nec corporis rebellionem umquam ſenſerint. Sed hæc juxta doctrinam S. Auguſtini (*k*) explicari poſſunt, non ita ut excludatur a corporis membris lex repugnans legi mentis, ſed ut excludatur delectatio, & aſſenſus. Quod ſi huic explicationi verba teſtium, præcipue qui ſint omni exceptione majores, ut Confeſſarii non cohæreant, ſciendum eſt, quoſdam Dei Servos, vel ad tempus, vel etiam per totam vitam ex gratia ſpeciali non fuiſſe revera carnis tentationibus obnoxios. Id de Abbate Se-

k l. 1. retract. c.19. n. 1. to. 1. oper. col.29

reno

Digitized by Google

reno teſtatur Caſſianus, de Abbate Elia Palladius, de S. Tereſia affirmarunt Auditores Rotæ in ſecunda relat. ſuper ejus virtntibus, & de S. Aloyſio Gonzaga teſtatus eſt Card. Bellarminus in proceſſu Romano, cui conſenſerunt Auditores Rotæ in relat. cauſæ ejuſdem. Verumtamen in examine eauſarum Canonizationis hoc privilegium, nee facile admittendum, nee abſolute rejiciendum, præcipue ſi juratis Confeſſariorum aſſertionibus confirmetur, & aliæ virtutes in gradu heroico probentur. Cum etiam excluſa hac tentatione, aliis illi Servi Dei, dum viverent, angi potuerint, ut in ſimili advertit S. Thomas (a).

a 1. 2. qu. 74. art. 3. ad 2.

13 Sed ut ad inſtitutum redeamus, Servi Dei non ſolum carnis tentationes, ſed etiam, permittente Deo, multas a Dæmone vexationes paſſi ſunt. De S. Hilarione ſcribit S. Hieronymus in ejus vita: *Multæ ſunt tentationes ejus, & die, noctuque variæ Dæmonum inſidiæ, quas ſi omnes narrare velim, modum excedam voluminis*. Et S. Antonius M. in vita a S. Athanaſio ſcripta apud Bolland. (b) *Sæpe*, inquit, *me a Dæmonibus non denego verberatum*. Similia leguntur in bull. Canoniz. SS. Catharinæ Senen., & Philippi Nerii; necnon in relat. cauſ. SS. Franciſci Xaverii, Mariæ Magdalenæ de Pazzis, & Franciſcæ Romanæ. Nec mirum, cum ipſe Chriſtus *Matth.* 4. ad noſtram inſtructiouem ſe a Dæmone tentari permiſerit.

b ad diem 17. Januar. c. 9. n. 53. to. 2. pag. 129.

14 Scriptum eſt *Luc.* 21. *In patientia veſtra poſſidebitis animas veſtras*. Et S. Cyprianus, inquit (c), *Patientia ... facit humiles in proſperis, in adverſis fortes, contra injurias, & contumelias mites*. Patientiæ, & manſuetudinis exempla paſſim oceurrunt in Actis Sanctorum, cum perſecutiones ſuſtinerent. Porro perſecutiones in Sanctos aliquando moverunt Gentiles, & Hæretici, & ad hanc perſecutionis claſſem pertinent, quæ S. Franeiſeus Xaverius in Indiis, S. Jacobus de Marchia a Fraticellis hæreticis, S. Paſchalis Baylon in Britannia, & S. Didaeus a Cañarienſibus paſſi ſunt.

c in lib. de bono patientiæ col. 499.

15 Nonnumquam improbi Catholici Sanctos perſecuti ſunt. S. Gregorius M. in vita S. Benedicti refert, Florentium Presbyterum, & quoſdam Monacbos venenum ei propinaſſe. Huc ſpectant jurgia Fratris Eliæ Vicarii Generalis Ordinis Minorum adverſus SS. Franciſcum, & Antonium Patavinum, apud Waddingum (d), neenon calumniæ, & obtrectationes adverſus S. Vineentium Ferrerium apud Bollandian. (e), & alia plura, quæ SS. Tereſiæ, & Carolo Borromæo oppoſita referuntur in relat. Anditorum Rotæ. Item ea, quæ S. Joannes de cruce in Reformatione Ordinis Carmelitarum ſuſtinuiſſe dicitur in Chronicis Ordinis.

d in Annal. Minor. ad an. 1230.

e to. 1. Apr. in ejus vita

16 &c. Interdum a viris probis, boniſque Catholicis, ſed deceptis, Sancti perſeeutiones paſſi ſunt. Ad hanc perſecutionis claſſem reducuntur, quæ in relat. cauſ. S. Philippi Nerii nonnulli Urbis Primates eidem ſub Pontificibus Paulo IV, & Pio V. objeciſſe dicuntur, quod ſcilicet vanam gloriam affectaret, cum tempore Bacehanalium ſeptem Urbis Eccleſias populi frequentia comitatus inviſeret, & ſimilia. In relat. cauſ. S. Tereſiæ legitur: *Ipſa, & ejus ſociæ, ſanctæ Inquiſitionis officio, multa eis imponendo falſa, denunciatæ ſunt*. Idem de S. Ignatio teſtantur Hiſtorici Societatis Jeſu. Scribit Card. de Lanræa (f), nonnullos Dei Servos a Superioribus Eccleſiaſticis deceptis aliquando injuſte puniri. Legi poteſt vita Ven. Abbatis Berrerii, ex qua colligitur, ipſum odio nonnullorum e ſuis Monachis a quodam Apoſtolico Delegato per ſententiam eondemnatum, & dignitare privatum fuiſſe, ac omnia tamen ſeptem annorum ſpatio patientiſſime ſuſtinuiſſe. Majora referuntur in Actis cauſæ B. Joſephi a Matre Dei Fundatoris Religionis Clericorum Pauperum Matris Dei Scholarum Piarum. Traductus dicitur ad tribunal ſanctiſſimæ Inquiſitionis una cum Aſſiſtentibus, Procurato-

f opuſc. 6. de Oratione c. 5.

ratore Generali, & Secretario Religionis: inde Præſidis Generalis officium illi inhibitum, & ex aliena Religione Viſitatores deſignati. Religio ab eo rite inſtituta cum emiſſione trium ſolemnium votorum redacta fuit inſtar Congregationis Oratorii a S. Philippo Nerio inſtitutæ, data profeſſis facultate eam deſerendi, quam ſolum poſt ejus obitum Clemens XI. ad priſtinum ſtatum Regularem reſtituit. Ex his media in Urbe geſtis, & auctoritate Pontificum, quodammodo approbatis multas, & graves animadverſiones Promotor Fidei, & Conſultores ſacræ Congregationis adverſus Beati innocentiam propoſuerunt. Poſtulatores ſæpe cogitarunt cauſam deſerere; ſed cum Divina favente elementia, conſtitiſſet, omnia ſine illius culpa, ſed ex falſis, licet probabilibus, quorumdam e ſua Religione accuſationibus contigiſſe, in veram tandem ejus laudem converſa ſunt. Neque hinc injuſtitiæ accuſari poſſunt, qui in hac re decreta fecerunt: Romanæ quippe urbis tribunalia, Pontificum Conſiliarii, & ipſi Pontifices ex veritate, & Juſtitia procedere ſatagunt; ſed ex malitia hominum etiam coram ipſis Juſtitia aliquando obruitur. Profecto S. Leo IX. calumniatorum opera factus eſt infenſus B. Petro Damiani apud Baronium (*a*). Et S. Gregorius narrat (*b*) Sedem Apoſtolicam habuiſſe fidem iis, qui S. Equitium calumniati ſunt, quod ſine ſufficienti doctrina, & legitima auctoritate munus Apoſtolicæ prædicationis ſuſcepiſſet. Hæc vero non ſunt, in quibus ſummorum Pontificum judicium Divino fultum præſidio falli nequit, & fieri poteſt, ut quis ſine culpa condemnetur, & Judex ſine injuſtitia condemnet. Sane Apoſtolus *ad Galat.* 2. teſtatur, ſe Petro reſtitiſſe, quod timens eos, qui ex circumciſione erant, legalia obſervaret. Id nonnulli ſic componunt, ut & Petrus ab omni culpa fuerit immunis, cum Apoſtoli Legalibus uti potuerint: & Paulus merito reprehenderit, cum aliter judicantium errorem cohiberi non poſſe exiſtimaverit. Legi poteſt Card. Baronius (*c*).

a ad ann. 1049. n. 12.

b l. 1. dialog. c. 4. to. 2. oper. col. 172.

c in Annal. ad an. 51. n. 33.

19 Succedunt ærumnæ, afflictiones, & purgationes, quæ partem rationalem afficiunt, privatio videlicet illuminationum, & inſpirationum Divinarum, & aliæ ſuperius recenſitæ, de quibus egregie Roſignolius. Porro docent Myſtici, Deum incipientibus, & imperfectis, aliquando ſupernaturalia dona, & ſuavitates liberaliter communicare, deinde ſpiritualem cognitionem, & ſenſibilem amorem, ac devotionem ſubtrahere, permiſſis prædictis tentationibus. S. Bonaventura (*d*) harum tentationum ſex enumerat ſpecies. Cur autem his ærumnis affligantur animæ Juſtorum, explicat P. Thomas a Jeſu. S. Bernardus (*e*) præcipuam ſubtractionis dulcedinis Gratiæ cauſam rejicit in ſuperbiam. S. Bonaventura affirmat (*f*), quod *Deus purgat corda devotorum per ſubtractionem conſolationis..., ut ſic purgati aptiores fiant abundantiori gratiæ percipiendæ in præſenti, & gloriæ in futuro*. Et Card. de Lauræa fructum paſſivæ purgationis Juſtorum ait eſſe gratiæ augmentum, fortitudinem ad patiendum, unionem cum Deo, & æternæ gloriæ conſecutionem; addit, etiam proficientes, & perfectos hiſce tribulationibus eſſe obnoxios. Profecto in vita B. Coletæ apud Bollandian. (*g*) mentio fit ſpiritalis deſolationis cujuſdam Religioſæ, quam Beata ſuaviter induxit ad fortitudinem, & conſtantiam adverſus tentationem. Eaſdem afflictiones ſuſtinuerunt SS. Tereſia, Maria Magdalena de Pazzis, aliique apud Thomam a Jeſu. De iiſdem, ac de remediis adhibendis agit Card. Federicus Borromæus.

d de profectu Relig. l. 2. c. 2. to. 3 oper. pag. 614.

e ſer. 54. in Cantica n. 8. vol. 1. col. 1417.

f loc. cit.

g ad diem 6. Martii c. 15. n. 137.

20 Ut aliquid de ſcrupulis dicatur, conſcientia ex parte operantis dividitur in rectam, erroneam, dubiam, probabilem, & ſcrupoloſam: dubia eſt, cum quis anceps, & ſuſpenſus, neutri contradictionis parti adhærens, judicium retinet: ſi ex levibus, & fri-

frivolis rationibus judicium retineatur, non proprie dubia, ſed ſcrupuloſa conſcientia dicitur. Scrupuloſitas, ut eam vocant, a pluribus oritur cauſis, de quibus late S. Antoninus (*a*). Sed ne conſcientia, ut dicitur, vere timorata confundatur cum inaniter ſcrupuloſa: qui habent vere timoratam, agnoſcunt culpam, ubi non eſt, teſtibus S. Gregorio (*b*), aliiſque; ſed habent firmitatem cordis, vigilantiam, & ſollicitudinem ſine anxietate, imperturbati, & conſtantes tendunt per viam mandatorum Dei. Inaniter ſcrupuloſi timent, comitem habent mentis inconſtantiam, puſillanimitatem, tepiditatem, & omnis boni tædium, ut explicant Marcantius, Trithemius, & alii. S. Tereſia, Alvarez de Paz, aliique cenſent, Deum permittere ſcrupulos, ut occupemur in virtutibus humilitatis, patientiæ, manſuetudinis, & caritatis. Scrupulos inter alios paſſi ſunt SS. Dominicus, Bonaventura, Ignatius, Maria Magdalena de Pazzis, & Catharina Januenſis, de quibus Joannes Pontas. Legi poteſt Card. Federicus Borromæus (*c*).

a In ſumm. Theol. tit. 3. c. 10. de conſcientia §. 9.

b lib. 11. ep. 64. to. 2. col. 1159.

c loc. cit. l. 3. c. 6.

21. 22 Reliquum eſt, ut expendatur, quomodo omnes recenſitas ærumnas Sancti toleraverint, & quid quoad eas animadvertendum ſit, quando Acta Servorum Dei pro Beatificatione, & Canonizatione examinantur. De Sanctis omnibus prædicari poteſt illud Salomonis (*d*) *In paucis vexati, in multis bene diſponentur &c.* Fides eos docuit, Deum tentare Servos ſuos, *Geneſ.* 22. Juſtum a peccatore mortificari, *Pſal.* 36., & afflictionibus probari, ſed Deum eſſe cum ipſo, *Pſal.* 30. Durum quandoque eis viſum eſt, quod a bonis perſecutionem paterentur, *Pſal.* 54. Omnia tamen patientiſſime tulerunt, quod tribulatio patientiam perficit, patientia probationem, probatio ſpem, ſpes autem non confundit, ut deſumitur ex Actis Sanctorum, ſupra indicatis, & ex aliis pluribus, quin referantur exempla Patriarcharum, Prophetarum, & Apoſtolorum, de quibus fuſe S. Hilarius (*e*). Ex Actis quoque Sanctorum eruitur, eos non ſolum adverſa ab hominibus illata, ſed etiam flagella Domini æquanimiter, ac patienter ſuſtinuiſſe, Deo fidentes, Magiſtrorum ſpiritualium utentes conſilio, patientiæ, & orationi vacantes. Huc quoque ſpectat doctrina Card. Federici Borromæi (*f*).

d Sap. 3. v. 5.

e In pſalm. 138. pag. 506.

f l. 3. de Chriſtianæ mentis jucunditate c. 8.

23 Ex alibi dictis Scribentes de Canonizatione aſſerunt in cauſis Canoniz. perpendendum eſſe, an Canonizandus, dum viveret, perſecutiones paſſus ſit, & quidem patienter. Pavinus in relat. Canoniz. S. Bonaventuræ, & Rotæ Auditores in relat. cauſ. Sanctæ Franciſcæ Rom. ſentiunt, hanc aſſertionem ſibi vindicare locum, ſi qualitates perſonarum, temporis, loci, & modi vivendi potuerint eſſe perſecutionibus obnoxiæ. Hæc ſententia admittenda videtur dumtaxat quoad perſecutiones ab hominibus illatas; ſed cum ex dictis aliæ ſint ærumnarum ſpecies, nulla forte cauſa Canoniz. inveniri poteſt, in qua de aliqua ex iiſdem non ſit differendum. *Oportuit pati Chriſtum* (legitur in ſacris Scripturis), *& ita intrare in gloriam ſuam.* Quocirca S. Bernardus (*g*) *per multas*, inquit, *tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei.* Sane in cit. cauſ. S. Franciſcæ Rom., ſi defuerunt hominum perſecutiones, non defuerunt aliæ tribulationes, & Dæmonis infeſtationes, quas fuſe retulerunt iidem Auditores, & fuſius deſcripſit ejus Confeſſarius apud Bollandian. (*h*) *Jeſus habet nunc multos amatores gloriæ cæleſtis* (ſunt verba Thomæ a Kempis, ſive alterius Auctoris operis *de imitatione Chriſti*), *ſed paucos bajulatores Crucis.* Inter paucos Beatificandi, & Canonizandi numerari debent: idcirco in eorum cauſis ſedulo inveſtigandum erit, an, & quas ærumnas, qua patientia, & caritate prætulerint: idque probandum per teſtes, qui cuncta bene noverint. Tolerantia, & victoria tribulationum partem rationalem reſpicientium probanda eſt teſtimonio Confeſſariorum, & Ma-

g ſer. 16. in pſalm. Qui habitat n. 3. vol. 1. col. 880.

h tom. 2. Martii.

& Magiſtrorum ſpiritualium, aut ſcriptis ipſorum Dei Servorum, ſi Superiorum juſſu vitam ſuam internam deſcripſerint : quibus auctoritatem conciliabunt validiores aliæ quæcumque probationes per teſtes externos.

24 Demum affirmat Card. Bona, quod *perſecutiones, & alia mala hujus vitæ maximum bonum ſint, & maxime diligendum*. Cauſam proximam tribulationum conſtituit Silvius in gloriæ Divinæ manifeſtatione. Utilitatem oſtendit Ven. Bartholomæus de Martyribus Archiep. Bracaren.

CAPUT XXXI.

De nonnullis peculiariter advertendis quoad dignitatum Eccleſiaſticarum adeptionem in cauſis Servorum Dei, qui eas, dum viverent, obtinuerunt.

1 &c. IN cauſis Beatificationis, & Canonizationis Servorum Dei, qui dignitates Eccleſiaſticas obtinuerunt, dum eorum virtutes expenduntur, juxta Scacchi ſententiam ſedulo inquirendum eſt, num dignitates optaverint, aut curaverint, num libentes, & volentes ſe in eas ingeſſerint, an inſcii vocati ſint, & inviti acceptaverint. Profecto S. Cornelius Papa, & Martyr apud S. Cyprianum (*a*) *vim paſſus eſt, ut Epiſcopatum exciperet*. Joannes Diaconus refert, Sanctum Gregorium fugam arripuiſſe, ne Pontifex conſecraretur. Et S. Gregorius VII. de ſemetipſo affirmat: *violentis manibus me in locum Apoſtolici regiminis rapuerunt*. Similia leguntur de Victore III., Gelaſio II., & Gregorio X., quorum ſanctitatem alibi commendavimus. Idem de S. Cæleſtino V. refert Franciſcus Petrarca, de S. Pio V. habetur in bull. Canoniz., & apud Maffejum in ejus vita. Huc ſpectat factum S. Philippi Benitii, qui ut narrant Gianius, Ferrarius, aliique plures, cum toti Ordini Servorum B. Mariæ V. præſideret, ac cognoviſſet, quoſdam e Cardinalibus, tunc de eligendo Pontifice diffidentibus, ipſum pro Pontifice propoſuiſſe, diſceſſit, & apud Montem Tuniatum delituit, donec alius eligeretur.

a epiſt. 52. ad Antonian. col. 850.

4 Similia contigerunt in electione ad dignitates Cardinalatus, & Epiſcopatus. S. Franciſcus Borgia in bul. Canoniz., & apud alios primam non ſemel recuſaſſe dicitur. Idem de S. Philippo Nerio referunt Auditores Rotæ in rel. cauſ. Ammonius Monachus apud Socratem auriculam ſibi amputavit, & apud Palladium jurejurando affirmavit, ſe ſibi linguam præciſurum, ne ad Epiſcopatum cogeretur. Apud eumdem Socratem Nilamnon cum cognoviſſet, Theophilum Alexandrinum adveniſſe, ut eum Epiſcopalibus inſignibus exornaret, orans expiravit. Synesius, ne Epiſcopus fieret, ſe continentiæ, & Fidei inimicum ſimulavit. Idem fere de S. Ambroſio narrat S. Paulinus (*b*), affirmans quoque, ſe ad Epiſcopatum fuiſſe compulſum. Qui plura velit, adeat vitas SS. Malachiæ, Auguſtini, Fulgentii, & Anſelmi. Accedunt exempla eorum, qui vel numquam, vel non niſi ſero accedente Superiorum præcepto, oblatos Epiſcopatus acceptarunt. Ad primam claſſem pertinent SS. Bernardus, Thomas Aquinas, Bernardinus Senenſis, & Vincentius Ferrerius: ad ſecundam SS. Laurentius Juſtinianus, & Andreas Corſinus, ac BB. Nicolaus Albergatus, & Petrus Damiani.

b epiſt. 2. n. 2. pag. 8.

5 Pontificiam dignitatem, & poteſtatem extollit S. Bernardus (*c*), affirmans inter alia, ſummum Pontificem eſſe Paſtorem omnium Paſtorum. Pius II, alloquens Cardinales a ſe creatos inquit: *Vos Conſiliarii noſtri, & Conjudices orbis terrarum eritis*. Alia de dignitate S. R. E. Cardinalium legi poſſunt *in Conſtitut. 19.* Eugenii IV. D. Paulus 2. *ad Cor. 5.* de ſe, aliiſque Apoſtolis ait: *Pro Chriſto legatione fungimur*, & S. Leo Epiſcopos appellat *Eccleſiæ principes, & Apoſtolorum ſucceſſores, ac poteſtatis illorum participes*. Similia de Epiſcopis tradit Concilium

c de conſiderat. l. 2. c. 8. col. 418 oper. vol. 1.

nis IX, Innocentii I, Hormiſdæ, Hilarii, Sergii I, Agapiti, Euſebii, Marci, Bonifacii IV, Deuſdedit, Nicolai I, Gelaſii, & Gregorii III, & quorum nomina deſcripta ſunt in Martyrologio Rom., & Officio Eccleſiaſtico in Urbis baſilicis coluntur per anni circulum.

38 Quinque ſunt Servorum Dei, qui ſummum Pontificatum obtinuerunt, cauſæ, quæ juxta recentiorem juris ordinem diſcuſſæ fuerunt: videlicet Petri Cæleſtini jam inter Sanctos ſolemniter relati: B. Gregorii X., in qua approbatis virtutibus, & cultu immemorabili, pendet adhuc judicium ſuper miraculis: Pii V. ſolemniter canonizati: Servi Dei Innocentii XI, in qua ſignata fuit commiſſio introductionis: & Benedicti XI, de cujus cultu immemorabili judicium abſolutum eſt.

39 &c. B. Gregorius X. Palæologum Græcum Imperatorem, & Abagham Tartarorum Regem ad Fidem Catholicam profitendam adduxit. Cætera ad ejus zelum, & ſollicitudinem pro Fide Catholica, pro omnibus Eccleſiis, pro Epiſcoporum, & populorum concordia, necnon ad liberalitatem in pauperes, & ad fortitudinem in vindicandis Eccleſiaſticis juribus ſpectantia legi poſſunt in relatione Auditorum Rotæ in Appendicibus edenda. Quo zelo ſalutis animarum, Fidei Catholicæ, Eccleſiaſticæ diſciplinæ reſtaurandæ, jurium Sedis Apoſtolicæ aſſerendorum flagraverit Innocentius XI, oſtendunt proceſſus in ejus cauſa extructi. Plura de S. Pio V. comprobant Acta Canonizationis, adeo ut Clemens XI. in decreto pro eadem edito affirmaverit, quod in eo *eluxit religionis propagandæ perpetuum ſtudium, in Eccleſiaſtica diſciplina reſtituenda indefeſſus labor, in extirpandis erroribus aſſidua vigilantia, in Sedis Apoſtolicæ juribus vindicandis robur invictum.* Auditores Rotæ in relat. cauſæ inter alia ediſſerunt, de iis, quæ ad dignitatem Principis ſæcularis pertinent. Tandem Card. Papienſis Paulum II. ad ſui nominis memoriam nonnulla ad Imperatoriam potius majeſtatem, quam ad miniſterium Eccleſiaſticum pertinentia meditantem, ſui muneris intrepide commonuit, conteſtans, quod *Opera æternitatis in Pontifice ſunt vitam immaculatam præſtare, lapſam Eccleſiæ diſciplinam erigere*, & ſimilia.

CAPUT XXXIII.

De nonnullis in cauſis Servorum Dei, qui fuerunt Cardinales S. R. E., advertendis poſt adeptam Cardinalatus dignitatem.

1 NOnnulli ex S. R. E. Cardinalibus inter Sanctos relati ſunt, vel juxta antiquiorem, vel juxta recentiorem Canonizationis ritum, alii inter Beatos recenſentur, alii cum fama ſanctitatis obierunt. Aliquorum cauſæ Beatificationis, & Canonizationis introductæ ſunt, & nondum reſolutæ. Editæ demum ſunt vitæ aliorum, quos beatificandos, aut canonizandos eſſe nemo aſſerit: ex quibus tamen nonnulla heroica deſumentur, ut his, quæ exponenda ſunt, exemplo deſerviant.

2 S. Auguſtinus in *ſerm.* (a) *ad Fratres in Eremo*, ait *S. P. Hieronymum Cardinalem fuiſſe*, quod utique in maximum Collegii Cardinalium decus redundaret. Sed licet Marquez hunc ſermonem S. Auguſtino vindicare conetur, Eruditi communius abjudicant. Eumdem a Cardinalitia dignitate excludunt Cardinales Baronius, & Bellarminus. Legi poſſunt Ciacconius, Victorellus, & Oldoinus. In Martyrol. Rom. mentio fit S. Anſelmi Epiſcopi, & Confeſſoris, quem Lucenſes inter ſuos Epiſcopos enumerant, Mantuani a Schiſmaticis expulſum exceperunt, & pie mortuum, Sanctiſque adſcriptum, in Patronum elegerunt; ejuſque corpus adhuc integrum ſumma veneratione apud eoſdem colitur. Doneſmundus teſtatur, eum fuiſſe inter Cardinales cooptatum ab Alexandro II, ſed alii de hoc dubitant, cum Hiſtorici coæ-

a 24. in append. to. 6. oper. col. 328.

zatione Servorum Dei Cardinalium Franciſci Ximenes, & Roberti Bellarmini: ſignatam Commiſſionem introductionis cauſarum Servorum Dei Cardinalium Gregorii Barbadici, & Joſephi Mariæ Thomaſii: demum editas vitas Franciſci Tauruſii, Cæſaris Baronii, aliorumque Cardinalium pietate illuſtrium.

10 S. Bernardus (*a*), ut etiam ſupra monuimus, fuſe enumerat qualitates, quibus Cardinales fulgere debent, ut ſcilicet: *ſint compoſiti ad mores, probati ad ſanctimoniam, parati ad obedientiam, manſueti ad patientiam &c.* B. Petrus Damiani (*b*) ſcribens ad Epiſcopos Lateranenſis Eccleſiæ Cardinales: *neceſſe eſt*, inquit, *ut vita veſtra ſit ..... velut adamantis ſignaculum, quod vivendi cæteris adhibeat formam.* Similia Pius II. commendavit Cardinalibus, quos elegerat, & ſcripſit Cardinalis Papienſis. Plura de vita a Cardinalibus inſtituenda, de modeſtia, & frugalitate, de faſtu ablegando, de cura ſuæ Eccleſiæ Titularis, de reſidentia in Romana Curia ſtatuit Leo X. in Concilio Lateranenſi apud Raynaldum, quorum nonnulla repetit Concilium Tridentinum (*c*). Ea quoque eſt apud Thomaſſinum communior Scriptorum opinio, Innocentium IV. indulſiſſe Cardinalibus uſum rubri galeri. Paulus II. pileis rubeis eos decoravit, ut a cæteris Prælatis in ſacris cæremoniis diſtinguerentur, teſte eodem Card. Papienſi. Gregorius XIV. rubro bireto decoravit Cardinales Ordinum Monaſticorum, qui uſque ad id tempus uſi fuerant biretis ejuſdem coloris cum veſte ſua. Porro Nangius, & Robertus Gaguinus conſentiunt, Innocentium IV. Cardinales purpureo galero donaſſe, ut indicaret, paratos eſſe debere ad ſanguinem pro Fide fundendum. Id ipſum deſignat Pontifex in formula conceſſionis ejuſdem galeri: Et hoc ſolum animo purpuram ſpectaſſe S. Carolum Borromæum, Cardinales Baronium, Bellarminum, Berullium, Fiſcherium, & alios teſtantur Giuſſanus, Thomaſſinus, aliique.

a l.4. de conſiderat. c.4. col.446 vol.1. oper.

b l.2. ep.1.

c ſeſſ.25. c. 1. de ref.

11 Ex his colligi poteſt, quid præcipue advertendum ſit in cauſis Servorum Dei, qui Cardinalatus dignitatem obtinuerunt. Sed ut practica quædam adnotentur, nonnulli ex Cardinalibus extra Urbem degunt regentes Eccleſias ſibi creditas, major pars reſidet Romæ, & de iſtis hic agitur: omnibus tamen communis eſt Pontificis electio; quippe jus eligendi Pontificem a tempore Nicolai II. ad Cardinales delatum eſt juxta conſtitutiones relatas *in can. In nomine Domini*, & in aliis capitibus *in tit. de elect.* Quidquid vero ſit, an valide quis non Cardinalis in ſummum Pontificem eligi poſſit, quod ſentiunt Turrecremata, & alii; congruum omnino eſt, ut e cœtu Cardinalium eligatur juxta cit. *can. In nomine Domini*, & Conſtit.76. Sixti V.

12. 13 Æneas Silvius Cardinalis, poſtea Pius II. apologiam ſcripſit ad Martinum Mayer, qui in nonnullis obtrectabat Curiæ Romanæ, & inter cætera faſtum Cardinalium carpebat, quos tamen ita defendit laudatus Cardinalis. *Hos viros Apoſtolorum loca tenentes ..., qui cauſas majores audiunt, familia ſequitur ex Epiſcopis ..., ac Doctoribus. Neque enim decet, eos, qui tanta dignitate præfulgent, veluti mendicos incedere &c.* Cardinalis Papienſis paulo poſt obitum Cardinalis Theanenſis, inſignem hujus ſacerdotalem modeſtiam in victu, veſtibus, & apparatu mirifice laudat, inter alia affirmans, quod *diſciplinam omnem domus, & ſuam eo vir juſtus redegerat, ut ſatisfacere caſtis animis, non delectare ambitioſos oculos poſſet.* Poſtea ſcribens ad Card. Mantuanum, alterius Cardinalis pariter defuncti luxum exceſſivum exponit, & improbat, concludens: *Nil nimis conandum ... Mediocria ſemper quærenda.* Cumque per magnam ſuorum Eccleſiaſticorum proventuum partem inopinato infortunio perdidiſſet, Cardinali Beſſarioni ſcripſit: *Sum admonitus, diſpenſanda ju-*

ſtius

Digitized by Google

ſtius eſſe, quæ nobis proveniunt ex aleari. Carni, & ſanguini non ita profuſe indulgendum &c.

14 Concilium Lateranenſe ſub Leone X, ut ſupra innuimus, plura ſtatuit quoad Cardinales. Ea ſunt, ut Cardinales ſobrie, caſte, & pie vivant: omnes eorum res Sacerdotalem modeſtiam præſeferant: ſuos Titulos ſaltem ſemel in anno per ſe, vel per alium viſitent: domus ſuas, & familiam in omnibus optime regant: Fidei, & Eccleſiaſticæ diſciplinæ invigilent: ſi Legatione fungantur, provinciam, & officium per ſe adminiſtrent. Similia leguntur in Actis Conſiſtorialibus ſub Julio III. apud Raynaldum.

15 Ferdinandus Imperator in literis arcanis, Pio IV. ſcriptis pro feliciori Concilii Tridentini progreſſu, inquit: *Neceſſarium eſt, quod Cardinales tales ſint, ut velint, ac poſſint eligere Pontificem, cui Eccleſia Chriſti recte tuto poſſit committi*. Inde conqueritur, nonnumquam creari Cardinales partim per ætatem omni judicio deſtitutos, partim illiteratos, & indoctos, qui idcirco in re tanti momenti valde deficiebant. Pius vero reſpondit, ſe cooptaturum in eum Ordinem viros vitæ, & morum honeſtate, doctrina, ac prudentia commendabiles. Deinde Concilium Tridentinum aſſumpta provincia reformationis Cardinalium decrevit, ut quæ de Epiſcoporum vita, ætate, doctrina, moribus, cæteriſque qualitatibus ſtatuta erant, etiam ad Cardinales, licet Diaconos, pertinerent. Quare Card. Palæotus, & Sixtus V. in memorata Conſtit. affirmarunt, Cardinales ita virtutibus conſpicuos eſſe debere, ut eorum vita, & mores ceteris exemplo ſint.

16 Profecto virtutum, quibus fulgere debent Cardinales, & de quibus idcirco in eorum cauſis Beatificationis, & Canonizationis quærendum eſt, plura occurrunt exempla. Agmen ducat Ven. Card. Baronius, qui Ven. Juvenali Ancinæ ipſum ad paupertatem hortanti reſpondit: *Quod paupertatem ſuades, optime facis: ſed ſcito, me eſſe pauperrimum*. Hieronymus Barnabeus teſtis oculatus in ejus vita narrat, ipſum eamdem, ac in Congregatione Oratorii, vitæ rationem tenuiſſe, cibi, & ſomni parciſſimum: humilitatis, aliarumque virtutum cultorem eximium, nec a ſacramentis adminiſtrandis, neque a Dei verbo annunciando abſtinuiſſe. Ea fuit ipſius ædium, ac ſupellectilis modeſtia, ſuorumque, maxime domeſticorum cura, ut apud eumdem Auctorem Juſtus Calvinus, beneficio annalium ab eo ſcriptorum, ex Hæretico Catholicus domum illius appellaverit *omnium virtutum, pietatiſque ſacrarium*. Tandem pecuniam juſto fœnore accipere non dubitavit, ut ſacram ſui Tituli ædem, quæ ruinam minabatur, reficeret. Similia leguntur in vita Ven. Card. Bellarmini a PP. Fuligatto, & Bartolo ſcripta. Cum quibus concordant ea, quæ in proceſſibus allata ſunt, nec non atteſtationes Cardinalium Scipionis Cobellutii, Franciſci Dietrichſtain, Deſiderii Scaglia, & Alexandri Urſini. Conſimilia quoque de Ven. Card. Thomaſio narrat Dominicus Berninus in ejus vita.

17. 18 Legitur *Deuteron.* 17. *Si difficile, & ambiguum apud te judicium eſſe perſpexeris..., venies ad Sacerdotes Levitici generis, & ad judicem, qui fuerit illo tempore, quæres ab eis, qui indicabunt tibi judicii veritatem*. Hoc textu utitur Innocentius III. *in cap. Per venerabilem, qui filii ſint legitimi*, ut explicet Cardinalium officium, addens hos eſſe Sacerdotes Levitici generis. Horum proinde munus præcipuum eſt conſilium præſtare Summo Pontifici, ut oſtendunt Card. Jacobatius, & Gondiſ. Villad. Card. Palæotus late probat, Cardinales eſſe conſiliarios natos ſummi Pontificis, adeoque etiam non requiſitos teneri ex natura officii, ubi res poſtulat, eidem conſilia præbere. Concordant Conſtitut. 76. Sixti V., aliaque monumenta antiqua, & recentiora.

19 &c. Hæc

19 &c. Hæc reſpiciunt potiſſimum Cardinales in Urbe commorantes, qui Conſiſtoriis, & Congregationibus interſunt, in quibus negotia ad Sedem Apoſtolicam delata expenduntur. Quapropter ſi de Beatificatione, aut Canonizatione alicujus ex his Cardinalibus ageretur, inquirendum eſſet de conſilio ſummis Pontificibus præſtito. Card. Papienſis affirmat, qualitates recti Conſultoris eſſe veram charitatem, liberam mentem, & linguam, ac ſinceram ſimplicitatem. Et in hoc munere excelluiſſe ait Card. Beſſarionem. Se vero excuſat, quod aliquando venationi indulgeret, eam damnans in Epiſcopo, & admittens in Cardinali, cauſa potiſſimum valetudinis. Sed cum Beſſarionem laudet, quod a venatione abſtinens publicis negotiis vacaret, ejus dicta extendi nequeunt ad Cardinales, de quorum virtutibus ageretur quoad Beatificationem, & Canonizationem. Legi poteſt Thomaſſinus. Cæterum Card. Palæotus quoſdam laudat Cardinales, qui in conſulendo libertate in Domino uſi fuerant, quique ſubinde ad Pontificatum evecti ſunt. Alia exempla legi poſſunt apud Hieronymum Platum, & ita ſe geſſiſſe S. Pius V, cum Cardinalis eſſet, dicitur in relat. cauſæ ejuſdem, idemque de Cardinalibus Baronio, & Bellarmino referunt Fuligattus, Bartolus, & Barnabæus. Addit ſæpe laudatus Card. Palæotus, religionem, ac debitum Papæ obſequium non lædi a Cardinali, qui propoſitis ab eo rebus conſulendo diſſentiat, quod etiam docuit Platus cit., dummodo diſſenſus humilitatem, ac ſolidam rationem redoleat, non temeritatem, nec ſuperbiam, neque imperitiam, ut innuunt Manfredus, & Gondiſſalvus. Doctrina vero indiget Cardinalis, non modo cum a ſummo Pontifice diſſentit, ſed quoties ſuam profert ſententiam, veluti monet Sixtus V. in Conſtit. ſæpe cit. Addenda eſt gravitas, modeſtia, & humilitas, præcipue ſi coram Pontifice Cardinalis loquatur, idemque, ut recte conſulat, juxta Card. Palæotum debet eſſe ornatus peritia, benevolentia, & loquendi libertate, ſed ubi Pontifex decretum protulerit, neceſſaria eſt ſubjectio. Exempla ſuppeditat Platus, & in his excelluiſſe Ven. Card. Bellarminum referunt ſæpe cit. Auctores vitæ ejuſdem. An autem Ven. Franciſcus Card. Ximenes exceſſerit, qui, teſte Gomeſio, ait, ſummum Pontificem, ſi opus fuerit, interdum *perterrefaciendum* eſſe, ut ipſe nuper fecerat, viderint, qui ſuper ejus virtutibus ſententiam ſunt laturi.

22 Sixtus V. in allegata Conſt. ait, Cardinales in provinciis gubernandis, & in rebus gravioribus ad Reges, & Imperatores legationibus ſæpe perfungi. Qua integritate hoc munus in Dania obiverit Martinus Cardinalis ſub Eugenio III, teſtatur S. Bernardus (*a*). Quam pie, & ſancte id ipſum præſtiterit B. Nicolaus Albergatus, pariter Cardinalis, teſtis eſt Jacobus Zenus Epiſcopus Feltrenſis. Platus contendit, hos Legatos ſpeciali pietate, & lenitate præditos eſſe debere, ita tamen, ut juſtitiam non negligant. Omnia hæc in Legatione Bononienſi optime conjunxit Card. Beſſarion, teſte Card. Papienſi.

a lib. 4. de conſid. cap. 5. col. 447. vol. 1. oper.

23 Omnium Cardinalium tam in Urbe, quam extra degentium eſt eligere ſummum Pontificem, ſi tamen ad Conclave accedant, prout accedere debent, niſi legitime impediantur. S. Antoninus affirmat (*b*) eos peccare, qui optimum non eligunt, quod confirmant Manfredus, & Albanus, ſed Platus notat, id eſſe intelligendum, ſi optimus ad Pontificatum pervenire poſſit, addit, eum eſſe optimum, qui Eccleſiæ gubernandæ magis idoneus eſt. Omnia hæc conſtant ex formula Juramenti, quod emittit unuſquiſque Cardinalis, dum ſuffragium ſuum præſtat, juxta Conſt. Gregorii XV, & graviſſime inculcat Clemens XII. in Conſt. pro bono Conclavis regimine edita. Quare Card. Baronius, uti ad Regem Galliæ ſcripſit alius Card. de

b 3. part. ſumm. Theolog. tit. 21. Ca. 2. §. 8.

Joyeuſe, Cardinales omnes ab indigno elig.ndo invicta libertate quondam abſterruit.

24 Juxta ſuperius dicta Cardinales ſummum Pontificatum ſine peccato appetere nequeunt. Quam ſedulo tantam dignitatem ſubterfugere ſtuduerit Card. Baronius, deprehenditur ex ejus epiſtolis ad Antonium Talpam, ex ejus vita, & ex his, quæ ſcripſit in fine tomi XII. ſuorum annalium. Idem de Ven. Gregorio Card. Barbadico teſtatus eſt Card. de Polignach in Congregatione ordinaria rituum, cum de ſignanda Commiſſione pro illius cauſa Beatificationis, & Canonizationis, ac de ejus virtutibus ageretur.

25 In his omnibus, in laboribus pro Eccleſia, & Sede Apoſtolica exantlatis, & in ſimilibus conſtitui poterit momentum in cauſis Servorum Dei, qui, dum viverent, Cardinalitia dignitate potiti fuerunt: ut, ſi in his Servus Dei heroice ſe geſſerit, & alia requiſita non deficiant, tutum de heroicitate virtutum ferri poſſit judicium.

CAPUT XXXIV.

De his, quæ in cauſis Servorum Dei, qui Epiſcopi fuerunt, advertenda ſunt poſt adeptam Epiſcopatus dignitatem.

1 &c. POſt reſervatas Sedi Apoſtolicæ cauſas Canonizationis relati fuerunt ſolemniter in album Sanctorum Udalricus Auguſtanus, Carolus Mediolanenſis, aliique plures ornatiſſimi Epiſcopi. Nec deſunt exempla virtutum antiquiorum Epiſcoporum, qui vel juxta antiquum Eccleſiæ morem Sanctis adnumerati ſunt, vel a ſummis Pontificibus Canonizationis bonorem obtinuerunt. S. Maximus(*a*) loquens de vita exemplari S. Euſebii Vercellenſis Epiſcopi: *Erat*, inquit, *vita illi Chriſtus, qui per ſpiritualium virtutum tramitem gradiens, abſque Chriſto vivere neſciebat &c.* Et S. Bernardus in vita S. Malachiæ Epiſcopi Hibernenſis affirmat (*b*), quod ita ſe geſſerit, *ut nil prorſus appareret in eo, quod poſſet offendere intuentes*. Egregias virtutes Meletii Epiſcopi Antiochiæ fuſe commemorat S. Gregorius Nyſſenus (*c*). Et quamquam hic de Confeſſoribus dumtaxat ſermo ſit, nec ſit locus exponendi invictum robur, quo nonnulli ſancti Epiſcopi pro Fidei Catholicæ defenſione, & propagatione mortem libentiſſime oppetierunt: non eſt tamen omittendum inſigne exemplum conſcientiæ S. Baſilii M. in aſſerenda adverſus Heterodoxos Fide Catholica; cum enim de hac decertaret cum Modeſto Præfecto Valentis Imperatoris Ariani, iſque proſcriptionem, exilium, cruciatus, & mortem minitaretur, niſi ad partes Arianorum tranſiret; tanta ei conſtantia reſtitit Baſilius, ut, teſte S. Gregorio Nazianzeno (*d*), obſtupefactus Præfectus exclamaverit: *Nemo me ad hunc uſque diem ita eſt allocutus, nec pari verborum libertate*.

a to. 4. ſerm 6. pag. 78.

b c. 19. col. 682. oper. vol. 1.

c pag. 1023. to. 2. oper.

d In orat. 20. pag. 349 n. 74. oper. to. 1.

4 &c. Quod ſpectat ad ſollicitudinem Paſtoralem erga proprias oves, S. Gregorius narrat (*e*), S. Paulinum Epiſcopum, ut viduæ filium a Wandalorum captivitate redimeret, in Africam trajeciſſe, ſeque pro illo in ſervitutem tradidiſſe, ſed cognita ex Divina revelatione illius virtute, dimiſſum fuiſſe una cum cæteris captivis ſuæ civitatis, ut ipſe petierat, quamquam de hujus hiſtoriæ veritate nonnulli dubitant. Alia de ſollicitudine Paſtorali SS. Malachiæ, & Cypriani prædicant S. Bernardus (*f*), & Auguſtinus (*g*). Plura exhibent bullæ Canoniz. SS. Richardi Ciſtercienſis in Anglia Epiſcopi, & Franciſci Saleſii. Si quis adhuc plura velit elogia virtutum, quibus Epiſcopi inter Sanctos relati fulſerunt, adeat *codicem Canonizationis* editum ſtudio, & opera Archiepiſcopi Ancyrani.

e Dialogor. lib. 3. c. 1.

f ſerm. 2. loc. cit.

g ſerm. 309. al 12. n. 4. to. 5. oper. col. 1248.

6. 7 Sed ut actus particulares recenſeamus, de quibus ſedulo inquirendum eſt in cauſis Servorum Dei, qui fue-

Digitized by Google

fuerunt Epiſcopi, in ſolemni examine, quod conſecrationi Epiſcopali præmittitur, Conſecrandus interrogatur, an velit *plebem, cui ordinandus eſt, & verbis docere, & exemplis?* Item, an *velit ſemper eſſe in negotiis Divinis mancipatus, & a terrenis negotiis, vel lucris turpibus alienus?* Et ipſe his, & ſimilibus reſpondet *Volo*. Primum adamuſſim inculcat Ludovicus Abelly Epiſcopus Ruthenenſis; & antea monuerat S. Hieronymus (*a*): *ne confundant opera ſermonem*. Quod vero ad prædicationem attinet, Concilium Tridentinum (*b*) ait, hanc eſſe præcipuum Epiſcoporum munus, omnino exercendum, niſi legitime impediantur. Concordat Concilium Lateranenſe (*c*). Dei Servus Aloyſius de Granata acriter Epiſcopos redarguit, qui neglecta verbi Dei prædicatione, ſe totos convertunt ad judicia forenſia. Simile quid Epiſcopis exprobrat Ven. Bartholomæus de Martyribus, addens exempla SS. Gregorii, Ambroſii, & Auguſtini, qui, & Eccleſias ſuas regebant, & ſimul prædicabant. Quæ quidem exempla in ſe ipſis præter alios expreſſerunt S. Carolus Borromæus, & Ven. Dei Servus Card. Bellarminus, cum Archiepiſcopatum Capuanum regeret. Epiſcoporum quoque eſt pueros, & rudes catechizare, ut fuſe probat Roſignolius, idque egregie præſtitiſſe dicuntur SS. Carolus Borromæus, & Franciſcus Saleſius: præterea vigilare, ne ullus Fidei Catholicæ adverſus error in animas ſibi creditas irrepat.

a in epiſt. ad Nepotian. nu. 7. col. 260. to. 1. oper.

b c. 5. ſeſſ. 2. & ſeſſ. 24. c. 4.

c in cap. Inter cætera de offic. judicis ordinarii.

8 Idem S. Carolus, ut Divinis negotiis, ac potiſſimum gregis ſibi commiſſi curæ ſemper eſſet intentus, Archipresbyteratum S. Mariæ Majoris in Urbe, aliaque officia dimiſit, ut legitur in Act. Canonizat. Petrus Bleſenſis Epiſcopum monet, ut, relictis ſæcularibus, vacet Divinis. Et Syneſius Epiſcopus Ptolomaide innuit (*d*), Epiſcopos muneribus ſæcularibus implicatos, gravibus quoque periculis expoſitos eſſe. An autem Ven. Card. Ximenius Archiep. Toletan. prædicta omnia optime præſtiterir, judicium ſit eorum, qui de ejus virtutibus ſententiam laturi ſunt. Gomeſius in ejus vita affirmat, eum non defeciſſe. Prædicta tamen non habent locum, quoad eas curas ſæculares, quas Epiſcopi ob temporale dominium, quod forte Epiſcopatui annexum ſit, aſſumere tenentur: quæ quidem ſanctitatem non inficiunt, ſi omnia rite componantur, ut Gofridum Catalaunen. Epiſc. monuit Petrus Venerabilis Cluniacenſis Abbas.

d in epiſt. 57. adverſ. Andronic. pag. 199.

9 Adminiſtratio juſtitiæ, defenſio jurium Eccleſiæ, robur in plectendis criminibus, prudentia in componendis diſſidiis partes ſunt muneris Epiſcopalis. Omnia hæc cumulate præſtitit, & heroice S. Antoninus, ut colligitur ex bulla Canoniz. ejuſdem. Suffragantur exempla SS. Caroli Borromæi, Thomæ Herfordienſis, Thomæ de Villanova, Laurentii Juſtiniani, & Andreæ Corſini, Legenda in bull. Canonizat. eorumdem. Concilium Lateranenſ. III. edixit (*e*), ut *Eccleſiarum Prælati ad corrigendum ſubditorum exceſſus, maxime Clericorum, & reformandos mores prudenter, ac diligenter intendant, ne ſanguis eorum de ſuis manibus exquiratur*. Id caritate, & lenitate, moderamine, & compaſſione adimplendum eſſe monent SS. Laurentius Juſtinianus, & Thomas Aquinas (*f*).

e cap. Irrefragabili de offic. judic. ordinar.

f in quæſt. diſput. qu. un. de correctione fratern. artic. 1.

10 &c. His, quæ modo dicta ſunt, cohæret electio Miniſtrorum, Conſiliariorum, & Familiarium. Inter præcipuos Paſtoralis ſolicitudinis Adminiſtros primus eſt Vicarius Generalis. Quare Sanctus Carolus Borromæus, ut optimum nanciſceretur, omnes pene Italiæ provincias per ſe, vel per alios luſtravit, teſte Epiſcopo Novarien. in ejus vita; nec minor cura ejus fuit in eligendis conſiliariis. Similia de S. Hugone Lincolnienſi Epiſcopo leguntur apud Surium (*g*), & de Henrico Senonenſi Archiepiſcopo refert S. Bernardus (*h*) Domeſticos vero, & Familiares probatæ vitæ dumtaxat, & ab omnis turpitudinis ſuſpicio-

g die 17. Novemb.

h epiſt. 42. c. 1. col. 468 oper. vol. 1.

cione immunes Epiſcopus adſciſcat, ut *ſit ſuæ domui bene præpoſitus*. In id omni cura incubuit B. Nicolaus Albergatus Bononienſis Epiſcopus apud Sigonium, & S. Pius V. apud Auditores Rotæ in relat. cauſ. Ad Miniſtros, non ad Familiares, aut conſanguineos pertinet regere Eccleſiam, & diœceſim. S. Ambroſius Satyro fratri, quod ſpectatiſſimæ eſſet virtutis, res domeſticas commiſit: nihilominus tutum, & forte neceſſarium eſt, ut alii Epiſcopi propinquos a redituum adminiſtratione, & Eccleſiæ gubernio arceant. Ven. Card. Ximenius ad Archiepiſcopatum Toletanum evectus fratres ſecum habitare permiſit, quorum unus ſuper totam familiam conſtitutus eo temeritatis devenit, ut Archiepiſcopo fratri ægrotanti mortem etiam intentarit: quare Archiepiſcopus ipſum compedibus vinctum, & alio amandatum numquam amplius videre voluit, teſte Gomeſio. Neque vero Epiſcopus miniſtrorum ope fretus ſe ab admiſſionibus, & negotiorum adminiſtratione liberum exiſtimet, nam S. Gregorius quemdam ab Epiſcopatu rejecit, quod poſtulationes audire, & negotiis providere neſciret. Et Card. Baronius de S. Ambroſio refert, quod *requirentibus omnibus in omnibus ſe paratum exhibuit*, ut etiam antea teſtatus erat S. Auguſtinus (*a*). Idem de S. Pio V. legitur in compendio ejus virtutum, & miraculorum.

a lib. 6. Cōfeſſionum c. 3. to. 1. oper. col. 321.

13 &c. Tenetur Epiſcopus ſuam diœceſim viſitare, cujus viſitationis ſcopus eſt ſanam doctrinam, bonoſque mores tueri, ac populum ad religionem, pacem, & ſimilia recte componere, ut colligitur ex ſacris canonibus, & Concilio Tridentino (*b*). Profecto hoc munus ingenti labore, & fructu obiviſſe SS. Carolum Borromæum, & Turribium teſtantur Paulus V, & Benedictus XIII. in bullis Canoniz. eorumdem. Alia exempla legi poſſunt apud laudatum Ludovicum Abelly. Olim Eccleſiæ ſuo viduatæ Paſtore Epiſcopus Viſitator dari conſuevit, ſed hic mos ab aula receſſit. Statuunt quoque ſacri canones, & Conc. Tridentinum (*c*), ut Epiſcopi Synodum cogant, ex cujus ſane convocatione maxima bona derivantur, quæ enumerat Concilium provinciale Colonienſe an. 1459. Et in hoc pariter munere laudantur SS. Carolus, & Turribius, nec non Thomas de Villanova in bullis Canoniz. Epiſcopis præterea præcipit Tridentinum Concilium (*d*), ut in ſua diœceſi reſideant; nam juxta Cajetanum *Paſtor nec nomen Paſtoris meretur, ſi non perſonaliter attendat gregi ſuo*. Attamen *ne quis functum ſe munere ſuo putet, ſi otioſus in Eccleſia reſideat*, inquit Concilium provinciale Rhemenſe an. 1564. (*e*), ideoque S. Carolus Borromæus *partes ſuas in dies magis implendo ... numquam a reſidentia diſceſſit, niſi coactus*, uti dicitur in cit. bull. Canoniz.

b ſeſſ. 24. c. 3. de ref.

c ſeſſ. 24. c. 2. de ref.

d ſeſſ. 6. c. 1. de ref. & ſeſſ. 23. c. 1.

e c. 1.

16 Epiſcopus eſt ordinarius ſacramenti confirmationis miniſter; quod licet non ſit ad ſalutem æternam abſolute neceſſarium, tamen ſicuti graviſſimum damnum ſibi inferunt, qui illud parvi faciunt, vel negligunt, & ſacrilegii reatum incurrunt, qui indigne ſuſcipiunt, juxta S. Thomam, & alios; ita peccant graviter Epiſcopi, debitam illius adminiſtrationem omittentes. Enim vero Apoſtoli audita Samariæ converſione, ſtatim miſerunt illuc viros, qui confirmationem conferrent, & S. Hieronymus refert (*f*), antiquos Epiſcopos conſueviſſe accurrere, quo opus erat ad hoc ſacramentum miniſtrandum, quod etiam S. Turribius ſedulo præſtitit, ut dicitur in ejus vita, & bull. Canoniz.

f in dialog. adverſ. Lucifer.

17 Ut aliqua dicantur de Ordinum collatione, *Manus*, inquit Apoſtolus (*g*), *cito nemini impoſueris*, & Joannes Moſcus refert, S. Petrum apparuiſſe S. Leoni M., ac dixiſſe, condonata, ei eſſe peccata, ſed reddendam eſſe rationem *temerariæ manuum impoſitionis*. Quare S. Gregorius inculcat (*h*), ut Epiſcopi in hoc caute ſe gerant. Ven. vero Card. Bellarminus innuit,

g in epiſt. 1. ad Timoth. c. 5.

h epiſt. 49. l. 3. indict. 11. col. 660. oper. to. 2.

nuit, parciſſimos eſſe debere Epiſcopos in conferendis Ordinibus; ex facilitate autem imponendi manus turbam Clericorum adeo excreviſſe, ut ſordida incommoda inde provenerint. Sane quod ſcriptis docuit, opere implevit in Arcbiepiſcopatus Capuani regimine. Huc ſpectat illud Concilii Lateranen. ſub Innocentio III: *Paucos, idoneos, & probatos habere ſatius eſt, quam multos inutiles*. In hac re obſervanda eſſent exactiſſime decreta Concilii Tridentini, quæ laudavit Concilium Mediolanenſe I. Alia præterea Epiſcopi peragere debent, nec ſine culpa omittere poſſunt, ut Eccleſias conſecrare, & ſimilia, quæ adamuſſim executus eſt S. Carolus Borromæus, teſte Giuſſano.

a c. 1.

18 Monet Innocentius III. (*a*), Beneficia conferenda eſſe magis idoneis: Concilium vero Tridentinum ait (*b*), *eos ... moraliter peccare, niſi digniores, & Eccleſiæ magis utiles ... præfici curaverint*. Et Innocentius XI. damnavit propoſitionem, quæ id in ſenſum alienum detorquebat. Porro advertit Card. de Lugo, Tridentinum non impoſuiſſe novam obligationem, ſed antiquam ex lege naturali provenientem explicaſſe. Idem Concilium novam methodum induxit pro Eccleſiis parochialibus, ut ſcilicet per concurſum conferantur. Omnia hæc exacte obſervarunt S. Carolus, & Card. Federicus Borromæus teſte Ciacconio.

b ſeſſ. 24. c. 1. de ref.

19. 20 Nonnulla de Confeſſariorum electione, & Monialium regimine dicenda ſunt. Cautum eſt in Concilio Tridentino (*c*), ne ullus Regularis confeſſiones Sæcularium, etiam Sacerdotum audiat, niſi parochiale Beneficium obtineat, aut ab Epiſcopo per examen, aut alias idoneus reputetur. Quid vero in examine attendendum ſit, inſinuat Concilium Mediolanenſe I. Ven. Card. Bellarminus, enumerat mala, quæ ab ineptis Confeſſariis proveniunt, & Card. de Lauræa addit, peccare graviſſime Prælatos, *qui tales Sacerdotes ſuis ovibus præficiunt*. Ut igitur ad Ordines, Beneficia, & officia digni aſſumantur, proſunt ea, quæ *de Seminariis erigendis* ſtatuit Conc. Tridentinum (*d*). Idcirco laudantur SS. Carolus Borrom., & Thomas de Villanova in bull. Canoniz., quod excolendis Eccleſiæ miniſtris Seminaria, & Collegia erexerint. Et ex proceſſibus cauſæ Ven. Card. Ximenii compertum eſt, ipſum Complutenſi Academiæ erigendæ, & augendæ ſummopere ſtuduiſſe. Quoad regimen Monialium, idem Tridentinum (*e*) jubet Epiſcopos diligenter attendere, ut ipſæ ſaltem ſemel ſingulis menſibus ſacramenta percipiant, & clauſuram cuſtodiant: non ſit tamen cum iis frequens, & ſolitaria converſatio, quemadmodum ab hac abhorruit ſemper S. Auguſtinus, teſte Poſſidio (*f*). De hoc regimine ſapientiſſima monita dedit Ven. Juvenalis Ancina Salutiarum Epiſcopus.

c ſeſſ. 23. c. 15. de ref.

d ſeſſ. 23. c. 18.

e ſeſſ. 25. de Monial. & Regul. c. 10.

f in ejus vita c. 26.

21 In cauſis Servorum Dei, qui dum viverent, Epiſcopali dignitate fulſerunt, attendenda eſt veneratio erga Summum Pontificem, & Sedem Apoſtolicam. In ſolemni examine, quod conſecrationi Epiſcopali præmittitur, conſecrandus interrogatur, an velit traditiones Patrum, & Conſtitutiones Sedis Apoſtolicæ ſuſcipere, docere, ac ſervare; item an velit Romanis Pontificibus fidem, ſubjectionem, & obedientiam exhibere; Et ipſe quidem affirmat. *Porro hæc ſubjectio, & obedientia*, inquit Epiſcopus Rhutenenſis ſupra laudatus, *libero, religioſo, ac pio affectu ... Romano Pontifici defertur ..., ut Eccleſiaſticæ hierarchiæ ordo ſervetur* Joannes vero XXII. ait, defectum hujus venerationis virtuti religionis opponi. Laudantur in hoc S. Carolus Borromæus apud Giuſſanum, & S. Benno Epiſcopus Miſnenſis in bull. Canoniz. ejuſdem.

22 Expendendum eſt etiam, quomodo ſe geſſerint erga ſæculi Principes, quibuſcum ſæpe quæſtiones contingunt. Card. Bellarminus monet Epiſcopos, ut nil temere agant, eamque ducant vitam, ut intelligant Principes,

cipes, ſolo Dei timore, & amore Eccleſiaſticam libertatem defendi. Ita plane ſe geſſit S. Ambroſius cum Imperatoribus Theodoſio, & Valentiniano apud Theodoretum, & S. Hugo Epiſcopus Lincolnienſis cum Richardo Rege apud Surium (a), idcirco quæ volebant, aſſecuti ſunt.

a ad diem 17. Nov.

23 &c. Tandem inquirendum eſt de redituum, adeoque eleemoſynarum erogatione. Reditus ſunt duplicis generis: alii ex Bonis patrimonialibus, vel quaſi patrimonialibus proveniunt: alii ex Bonis Eccleſiaſticis. Patrimonialium, & quaſi patrimonialium dominium habent Eccleſiaſtici, adeoque poſſunt eos ſibi retinere, vel aliis pro libito elargiri, *poſſunt tamen*, ait S. Thomas (b), *in eorum diſpenſatione peccare propter inordinationem affectus*, quod eruitur etiam ex ſacris canonibus. Non defuerunt quidem Epiſcopi, qui Bona etiam patrimonialia in pios uſus erogaverint, iique fuerunt SS. Oſmundus Epiſcopus Sarisberienſis, & Carolus Borromæus juxta bull. Canoniz. eorum; & hæc ſane commendabilia ſunt: tamen ſi Epiſcopus conſanguineos rerum ſuarum patrimonialium hæredes teſtamento conſtituat, id ejus virtutes in negotio Beatificationis, & Canonizationis minime inficiet. Immo ſi Bona debentur familiæ ex Majorum teſtamento, abſonum eſſet eadem a Dei Servo diſtrahi, quemadmodum non diſtraxerunt SS. Carolus Borromæus apud Surium (c), nec S. Franciſcus Saleſius.

b 2. 2. qu. 185. ar. 7.

c ad diem 4. Nov.

26 &c. Quod vero ſpectat ad Bona Eccleſiaſtica, ſive reditus ex iis perceptos, Epiſcopi juxta ſacros canones tenentur procul dubio congruæ eorum ſuſtentationi ſuperfluos in pauperes, & pios uſus erogare. Sed adhuc indeciſum eſt, num id facere teneantur ex caritate, ut ſentit Fagnanus, an ex juſtitia, ut exiſtimat Card. Capiſucchius, & antea ſenſiſſe videtur S. Thomas (d). Verumtamen undecumque oriatur ejuſmodi obligatio, indubitatum eſt, eum, qui in hac re modum exceſſerit, dici non poſſe virtutibus excelluiſſe, immo aliarum virtutum heroicitatem ex tali abuſu detrimentum pati inſuperabile: de quo ſane abuſu S. Bernardus (e) Eccleſiaſticos reprehendit. Exempla temperantiæ Sancti Ambroſii, Auguſtini, aliorumque in menſa, & ſimilibus legi poſſunt apud Thomaſſinum. Idem dicendum de Epiſcopo, qui ſuperfluos reditus Epiſcopales in nepotibus, & conſanguineis ditandis inſumeret. Id enim interdixit Concilium Tridentinum (f) omnibus Beneficia tam ſæcularia, quam regularia poſſidentibus, etiam Cardinalibus, & quoad hos idipſum ſtatuerat Leo X. Innocentius vero XII. conſtituit, ut conſanguinei, vel affines Romani Pontificis, vel alii eorum loco adlecti, ſi inopia laborarent ſubleventur inſtar aliorum pauperum, eiſque proventus Eccleſiaſtici diſtribuantur *juxta merita, nec ultra congruam pro dignitate, vel gradu, quem in Eccleſia obtinuerint . . . ſuſtentationem*. Quodſi contingat, aliquem ex iis ad Cardinalitiam dignitatem extolli, ſumma illi aſſignetur non excedens annuum valorem duodecim millium ſcutorum monetæ Romanæ. Neque enim fas erat Propinquos Romani Pontificis a Cardinalatu arcere, cum multi ex his moribus, & doctrina floruerint, ut Sanctus Carolus Borromæus, ab avunculo Pio IV. Cardinalium collegio adſcriptus, & alii.

d loc. cit.

e ep. 2. n. 11 col. 12. vol. 1. oper. & ſerm. 23. in Cantica col. 1348. n. 12.

f ſeſſ. 25. de ref. c. 1.

29. 30 Hæ, quæ in Concilio Tridentino, ac memoratis Conſtitutionibus ſtatutæ ſunt moderationes erga Propinquos, & affines, in recta, antiqua, & conſtanti Eccleſiæ diſciplina fundantur: quare eorumdem inſignia reliquerunt exempla S. Laurentius Juſtinianus apud Bernardum Juſtinianum: Clemens IV, aliique Pontifices apud Thomaſſin., & Theophilum Raynaud., & S. Pius V. apud Auditores Rotæ in relat. cauſ. ejuſdem: quin etiam refert P. Bartolus, Card. Bellarminum, eas voviſſe. Cumque eædem moderationes ſint antiqui juris explicationes, de iis quæren-

rendum erit tam in cauſis Servorum Dei, qui poſt illas vixerunt, quam eorum, qui antea mortui ſunt. In cauſa Ven. Franciſci Card. Ximenii Promotores Fidei oppoſuerunt, eum euraſſe, ut Propinqui illuſtres nuptias contraherent, quin etiam amplas dotes ad id ſubminiſtraſſe. Poſtulatores vero conati ſunt oſtendere, enm dictas nuptias non quæſiviſſe, ſed oblatas excepiſſe, ut eontractis illuſtribus affinitatibus Academiam Complutenſem, & pia opera, quæ fundaverat, juvaret: dotes vero non ex Eccleſiaſticis, ſed ex aliis Bonis conſtituiſſe. In cauſa Ven. Roberti Card. Bellarmini oppoſuerunt, ipſum penſiones Eccleſiaſticas in conſanguineos tranſtuliſſe, quos tamen inopia laboraſſe, adeoque ſine ſanctitatis læſione moderate juxta doctrinam D. Thomæ (*a*) ſublevari potuiſſe, Poſtulatores demonſtrarunt. Hæ cauſæ adhue in Congregatione rituum pendent. In cauſa vero Ven. Innocentii XI. oſtenſum fuit, ipſum ne emolumenta quidem nepotibus Romanorum Pontificum dari ſolita, unico nepoti ſuo permiſiſſe.

a 2. 2. qu. 31. ar. 3. ad 5. & qu. 185. ar. 7. ad 2.

31 Si hæc, quæ de Eccleſiaſticorum reditnum erogatione dicta ſunt, Servus Dei, de cujus Beatificatione ageretur, adamuſſim obſervaverit, nil erit, quod in ejus eauſa, quantum ad defectum, in hac re opponi poſſit. At, ſi heroicitas ſpectetur, opus eſſe videtur, ut aliquid arduum, nec aliis probis Epiſcopis, bene utentibus reditibus Eeeleſiaſtieis commune, exhibuerit. De S. Exuperio Toloſæ Epiſcopo ſcribit S. Hieronymus (*b*). *Eſuriens paſcit alios, & ore pallente jejuniis fame torquetur aliena*. Similia de BB. Elphego Archiepiſcopo Cantuarien., Petro Damian., Germano Pariſienſi Epiſcopo, aliiſque leguntur apud Bolland. (*c*), Surium (*d*), & in aliis monumentis.

b ad Ruſticum.

c die 23. Febr. pag. 424. c. 7. n. 38. to. 3.

d ad diem 28. Maji pag. 320. n. 75. to. 3.

32 Narrat B. Petrus Damiani (*e*), Abbatea, juxta Regularem Conſtitutionem, conſueviſſe tres pauperes ſemper habere commenſales. Petrus vero Bleſenſis in quadam epiſtola ad Hugonem Abbatem Radigenſem redarguit nimis ſplendidam quorumdam Abbatum hoſpitalitatem; ſed Chriſtianua Lupus ſubjieit, hanc epiſtolam legendam eſſe ab Epiſcopis, exterisque Decimas poſſidentibus.

e pag. 640. c. 7. opuſc. 33. oper. omn.

CAPUT XXXV.

De nonnullis advertendis in cauſis Servorum Dei Eccleſiaſticornm in gradu inferiori conſtitutorum, & ſignanter Regularium, dum de eorum Beatificatione, & Canonizatione tractetur.

1 JUxta recentiorem Eccleſiæ diſciplinam relati ſunt in album Sanctorum duo Presbyteri ſæculares, Ivo ſcilicet Trecorenſis, & Joannes Nepomucenus, ſed hic, utpote Martyr, huc non ſpectat: plures quoque Regularium Familiarum Inſtitutores, & Propagatores: nonnulli Abbates: multi ex iiſdem Familiis, pleræque Sanctimoniales; & quidam Eremitæ.

2. 3 In cauſia Clerieorum, & Presbyterorum ſæcularium nulli Religioſæ Congregationi addictornm indagandum præcipue videtur, quomodo ad Clericatum voeati ſint, an ſcilicet per oſtium intraverint. *Illi autem oſtio in Eccleſiam introire dicuntur, qui a Deo legitime vocati, Eccleſiaſtica munera ejus unius rei cauſa ſuſcipiunt, ut Dei honori inſerviant &c.*, ut explicat Catechiſmus Romanus (*f*), cui conſonant Concilium Colonienſe I. (*g*), S. Hieronymus (*h*), aliique apud Pouget. Inquirendum præterea, qnomodo in Clericatu vixerint, & muneribus, quæ forte aſſumpſerint, puta Canonicatui, Parochiæ, & ſimilibus probe ſatisfecerint: & Parochis quidem quadamtenus applicari poſſunt, quæ ſuperius de Epiſcopis dicta ſunt. Profecto S. Ivo in Act. apud Bollandian. (*i*), nedum in Confeſſionibus excipiendis, Miſſis eelebrandis &c. aſſiduus fuiſſe dicitur, ſed munus quoque Vicarii Generalis *ſancte, & juſte* obiviſſe.

f tit. de Sacram. Ordin. pag. 197.

g par. 1. c. 9.

h ad Nepotian. de vita Cleric.

i ad diem 19. Maji.

4 In

4 In cauſis Fundatorum, atque Reformatorum Ordinum Regularium quærendum eſſe videtur, qua auctoritate, quo ſpiritu, prudentia, & fine hujuſmodi provinciam aggreſſi ſint: an regimen concupiverint, quomodo ſine ambitione obtentum adminiſtraverint, & an aliquid humanæ gloriæ irrepſerit. Item, an Religio ab eis inſtituta, vel reformata, utilis ſit, & ad gloriam Dei conducens; an Regulas, quas ſtatuerunt, ipſi obſervaverint. Laudantur iu his SS. Benedictus apud S. Gregorium (*a*), Dominicus, Franciſcus de Paula, & Ignatius in bull. Canoniz. Cæterum de auctoritate fundationis Religionis, hujuſque utilitate ſublata videtur omnis controverſia, cum ſine Romani Pontificis auctoritate novæ Religiones inſtitui nequeant. Antonius, Baſilius, Auguſtinus approbationem ſuarum Religionum a Pontifice non quæſierunt, cum jus Eccleſiaſticum id nondum præciperet. Cum autem circa an. 1170. Pauperes de Lugduno Ordinem quemdam inſtituiſſent ſuperſtitionibus, & hæreſibus inſperſum, Alexander III. illum reprobavit, idcirco SS. Dominicus, & Franciſcus Ordinum ſuorum approbationem a ſummo Pontifice petiverunt, & obtinuerunt. Poſt hæc Innocentius III. in Concilio Generali Lateranen. vetuit, *ne quis de cætero novam Religionem inveniat*. Et B. Gregorius X. in alio Concilio Generali Lateranen. (*b*) revocavit Ordines poſt illud Concilium inventos, *qui nullam Sedis Apoſtolicæ confirmationem obtinuiſſent*. Neceſſaria igitur eſt hujuſmodi approbatio. Canus docet (*c*), judicium ſummi Pontificis in hoc falli poſſe; ſed hæc opinio communiter rejicitur.

a In ejus vita c. 36.

b relat. in cap. unic. de religioſis domib. in 6.

c de loc. Theolog. l. 5. c. 5.

5. 6 In cauſis Servorum Dei Monachorum, aliorumque Regularium hæc ſpecialiter adnotanda videntur: ſcilicet, an præceſſerint indicia vocationis ad ſtatum Religioſum: neque enim hodie viget diſciplina, juxta quam infantes a parentibus Monaſterio oblati, vitam monaſticam neceſſario amplecti debebant, nunc vero ſi offerantur, cum decimum quintum annum attingunt, danda eſt optio manendi, vel egrediendi, uti colligitur ex ſacris Canonibus. Inquirendum præterea, quomodo Regulas, & Conſtitutiones Religionis obſervaverint, an vero vixerint a mundo ſegregati: &, ſi forte ad Eccleſiaſticas dignitates vocati fuerint, an humilitatem, & vota Religioſa cum ſtatu aſſumpto compatibilia obſervaverint. Indicia ſanctæ vocationis exponuntur in bullis Canoniz. SS. Franciſci de Paula, Didaci, Raymundi, Franciſci Xaverii, Paſchalis Baylon, & Peregrini Latioſi, e quibus eadem hauriri poſſunt. S. Thom. (*d*) docet, ingreſſum in Religionem ad perfectionem aſſequendam expedire tam iis, qui in præceptis exercitati ſunt, quam aliis, qui non ſunt exercitati. Et S. Bernardus (*e*) nonnullos ad Religioſam vitam expendendam hortatus eſt.

d 2. 2. qu. 189. art. 1.

e ep. 104.

7 &c. Quod ſpectat ad obſervantiam Conſtitutionum Religionis, Scacchus, allatis ampliſſimis teſtimoniis deſumptis ex prædictis bullis, affirmat, peculiarem ſanctitatis notam in Servo Dei Regulari ex his capitibus deſumendam eſſe, videlicet ex progreſſu de virtute in virtutem ratione ſtatus Religioſi, ab exacta obſervantia, & cuſtodia votorum, & ex vigilantiſſima obſervantia omnium, quæ in Regula, & Conſtitutionibus ſui Ordinis continentur, ſive præcepta ſint, ſive non. Duplicem horum affert rationem: primo, quod hi, qui canonizantur, proponuntur, ut norma morum, adeoque ſi Pontifex aliquem ſui Inſtituti, vel in minimis tranſgreſſorem canonizaret, hujuſmodi tranſgreſſiones ſaltem non reprobare, neque in canonizandis omnimodam perfectionem requirere videretur. Altera, quod actus virtutum illorum Regularium, qui canonizandi ſunt, debent attingere gradum heroicum; tales vero non eſſent, niſi in iis reſplenderet exacta Regulæ, & Conſtitutionum obſervantia. Addit, Regularem adeo cæcum eſſe debere in obedien-

diendo, ut habita ſolum liciti, & honeſti ratione, nedum Superiorum præceptis, ſed etiam conſiliis prompte obtemperet, quod fuſe deſcribit Vener. Alphonſus de Oroſco. Cuſtodiendam præterea eſſe integerrimam caſtitatem longe a familiaritate quarumcumque mulierum, & ſervandam libenter exactiſſimam paupertatem. Concludit, de his omnibus ſevere inquirendum eſſe in cauſis Beatificationis, & Canonizationis Servorum Dei Regularium; ſubditque plurimum prodeſſe eorumdem perfectioni, ſi intra ſepta monaſterii, imo cellæ collecti ſtudiis Inſtituti propriis vacent. Hæc, quæ de caſtitate affirmat Scacchus, confirmat auctoritate Gonzalez, Theophili Raynaudi, & præcipue S. Hieron. (*a*). Idem Theophilus erudite oſtendit, non decere Religioſos aulam frequentare; & Card. Pallavicinus Societatem Jeſu vindicat ab intentatis contra ipſam accuſationibus de ſuppoſita nonnullorum e ſuis aulæ frequentatione. S. Thomas vero docet (*b*), poſſe aliquando Religioſos adire aulas propter caritatem erga proximum, hujuſque utilitatem. Conſonant, quæ de S. Bernardo leguntur in ejus vita. Iiſdem Scacchi aſſertionibus lucem affundit D. Thomas (*c*), docens, Religionem ſignificare ſtatum perfectionis, Religioſo autem curandum eſſe, ut caritate perfecta præditus ſit, adeoque omnia, quæ Regula ſtatuit, quibuſque ad perfectionem pervenitur, exhibeat: Caritatis vero primum fundamentum eſſe paupertatem, & ad perfectiorem Religionis requiri ulterius continentiam, & obedientiam, haſque, ſicuti & paupertatem, voto firmandas eſſe, cum ad ſtatum perfectionis neceſſaria ſit obligatio: potiſſimum vero eſſe obedientiæ votum, cum per hoc homo voluntatem Deo offerat.

a ep. 52. n. 5. col. 257. to. 1. oper.

b opuſc. 19. contra impugnantes Religionē c. 19.

c 2. 2. qu. 186. ar. 1.

10 Vera a ſæculo ſegregatio ab obſervantia voti Paupertatis, & Obedientiæ oritur, & voluntatem omnino alienam a muneribus, & dignitatibus in Religione, & multo magis extra aſſumendis importat. Huc referri poſſunt, quæ alibi dicta ſunt, quoſdam ſcilicet ſanctos Regulares ad Epiſcopatum vocatos aufugiſſe. S. Raymundus de Pennafort, juxta bull. Canonizat. ipſius, Archiepiſcopatum Tarraconenſem a Gregorio IX. ſibi delatum recuſavit, & munus Confeſſarii ejuſdem Pontificis, Pœnitentiarii, ac Magiſtri Generalis ſui Ordinis ſponte dimiſit. Quam vero fortiter Ven. Cæſar Baronius reſtiterit, ne Cardinalis crearetur, eruitur ex pluribus ejuſdem epiſtolis.

11 &c. Synodus VIII. Œcumenica (*d*), & Concilium Generale Lateranenſe ſub Innocentio III. (*e*) ſtatuunt, ut Monachi ad Epiſcopatum promoti habitum deferant Regularem. Et S. Tho. (*f*) docet, Religioſos ad Epiſcopatum aſſumptos teneri ad Regulares obſervantias, quæ officium Pontificale non impediunt, idque ad Cardinales extenditur apud Dominicum de S. Tho. De quorum omnium veritate omne dubium ſuſtulit Benedictus XIII. in Conſtitutione *Cuſtodes*. In Conſtitutionibus Societatis Jeſu apud Vaſq., & alios cautum eſt, ut Socius ad dignitates extra Societatem aſſumptus promittat executionem conſiliorum Præpoſiti Generalis, ſi meliora videantur. Regulares quoque ad Epiſcopatum aſſumpti condere teſtamentum prohibentur, niſi Pontifex diſpenſet, ut docet S. Tho. (*g*). Et hac accedente diſpenſatione teſtamentum condidiſſe B. Alexandrum Saulium, oſtenderunt Poſtulatores in ejus cauſa contra Promotoris Fidei oppoſitiones. Innocentius III. quemdam ex Abbate Ciſtercienſi Epiſcopum Pennenſem acriter objurgavit, quod in Epiſcopatu Ciſtercienſes obſervantias non cuſtodiret. S. Cæleſtinus V. ad ſummum Pontificatum vocatus, humili aſello inſidens Aquilam perrexit, ut Pontificalia ornamenta ſuſciperet, quod ab eo factum fuiſſe explicat Petrus Card. de Alliaco in ejus vita, ne a monaſtica humilitate recederet. Et Clemens XI. in bull. Canoniz. S. Pii V. *Nihil*, ait, *de priſtina Reli-*

d can. 14.

e can. 26.

f 2. 2. qu. 88. ar. 11. ad 4. & qu. 185. ar. 8.

g 2. 2. qu. 185. ar. 8. ad 3.

gioſæ vitæ ſeveritate remiſerat. Similia leguntur de S. Fulgentio Epiſcopo Ruſpenſi, & de Matthæo, qui apud Petrum Venerabilem Cluniacen. Abbatem ex Monacho Cluniacenſi factus eſt Cardinalis Epiſcopus Albanenſis. Ven. Franciſcus Ximenes Archipræſul Toletanus, & Cardinalis jejunia, & ſimilia in Ordine Minorum, quem profeſſus fuerat, ſtatuta cuſtodire conſuevit, Leo X. per litteras Apoſtolicas ei præcepit, ut ab iis abſtineret. Plura legi poſſunt apud Thomaſſinum.

24 In hujuſmodi Servorum Dei cauſis illud quoque advertendum eſt, an dimiſſo Epiſcopatu ad monaſterium redierint: id enim oſtendet, eos non irrepſiſſe ad Epiſcopatum, ut extra Clauſtra viverent. Profecto, dimiſſis dignitatibus, illud fecerunt SS. Cœleſtinus V, & Gregorius Nazianz., ac B. Petrus Damiani. Ardicinus vero junior a Porta Epiſcopus Alerienſis, & Cardinalis, relictis, annuente Pontifice, dignitatibus, ad Camaldulenſium eremum juxta vetus propoſitum confugit. His, aliiſque permotus Benedictus XIII, in cit. Conſtit. hujuſmodi reditum præcepit. Henricus de Joyoſa ad defendendam Catholicam religionem, auctoritate ſummi Pontificis, a Religione Capuccinorum ad Ordinem Hieroſolymitanum tranſlatus eſt. Rebus compoſitis, ſui egreſſus cauſam ceſſaſſe admonitus, illuc unde diſceſſerat, reverſus eſt, cujus facti ſeriem referunt Dominicus de Thou., Morer., & alii.

25 Quæ de Regularibus, quoad profectum de virtute in virtutem, & quoad obſervantiam Conſtitutionum, dicta ſunt locum habent in Monialibus, veluti proſequitur Scacchus addita obſervantia Clauſuræ, utpote præcepta a Bonifacio VIII. (*a*), & Conc. Tridentino (*b*), quidquid adverſus eam Eraſmus effutiat. Supereſt, ut aliqua innuantur de Eremitis. Horum quatuor ſunt ſpecies. Prima eorum, qui in Religione approbata emittunt tria vota ſubſtantialia; & de his, utpote veris Religioſis nil occurrit addendum. Secunda eorum, qui in aliqua Congregatione modum vivendi ſervant ab Epiſcopo approbatum, & hi juxta D. Thomam (*c*) continentiam ſervare, & Epiſcopo ſubjici debent, adeoque in horum cauſis quærendum eſſet, an continentiam, & regulas ab Epiſcopo præfixas cuſtodierint. Tertia ſpecies eſt eorum, qui auctoritate Epiſcopi ſunt addicti ſervitio alicujus Eccleſiæ, ab eo habitum recipiunt, eique obediunt. Ultima eorum, qui in eremum ſecedunt, habitu Eremitico ad libitum ſuſcepto. Docet S. Thomas (*d*), vitam ſolitariam præeminere ſociali, ſed eſſe periculoſiſſimam, niſi exercitium ei præceſſerit, vel Divina Gratia exercitium ſuppleat. Quare, ſi expendenda eſſet cauſa alicujus ex Eremitis quartæ, vel tertiæ ſpeciei, inveſtigandum eſſet, cur ſolitudinem petierit, ubi vixerit, quem conſcientiæ Rectorem habuerit, quas pœnitentias ſuſceperit, ut proſequitur Scacchus. Huc revocanda ſunt ſuperius dicta de mortificatione, & ea, quæ de B. Nicolao de Rupe Anachoreta ſcribit Petrus Hugo Societatis Jeſu. Palladius *in vitis Patrum* refert Alexandram fœminam in eremum ſeceſſiſſe, ut fugeret quemdam, inſano ejus amore captum. De loci aſperitate, & pœnitentiis plura legi poſſunt apud S. Paphnutium, & in bull. Canoniz. S. Birgittæ.

16 Docet S. Thomas (*e*), inſtitui poſſe Religionem ad defenſionem Divini cultus, & publicæ ſalutis, vel etiam pauperum, & oppreſſorum; cujuſmodi fuit ordo Equitum Templariorum inſtitutus auctoritate Patriarchæ Hieroſolymitani an. 1118. apud Guillelmum Archiepiſcopum Tyrenſem; & ordo Equitum Melitenſium a Raymundo de Podio fundatus ad tuendam Fidem, & incolumes ſervandos peregrinos ad loca ſancta venientes. Quid inquirendum eſſet in cauſa Servi Dei, qui Ordini Militari nomen dediſſet, deſumi poteſt ex lib. S. Bernardi *de laude novæ militiæ ad Milites Templi* (*f*), & ex alio quodam libro de præci-

a in cap. periculoſo de ſtatu Regularium in 6.

b ſeſſ. 25. de Regularib. c. 5.

c 2. 2. qu. 186. ar. 1. ad 3. & in 4. ſent. diſt. 27.

d 2. 2. qu. 188. ar. 8.

e 2. 2. qu. 188. ar. 3.

f c. 4.

puis

Digitized by Google

pnis obligationibus Equitum Melitenſium.

CAPUT XXXVI.

De advertendis in cauſis Laicorum, & præcipue eorum, qui Imperatores, Reges, aut ſupremi Principes fuerunt, dum de eorum virtutibus agitur in ſacrorum rituum Congregatione, Beatificationis, & Canonizationis gratia.

1 &c. HActenus de Eccleſiaſticis, nunc de Laicis agendum eſt, inter quos etiam Reges recenſentur: hi enim licet ſacro Catechumenorum oleo inungantur, nullatenus numerandi ſunt inter Eccleſiaſticos, ut optime explicat Hallier *de ſacris electionibus*. De hac Regum unctione plura legi poſſunt in Pontificali Romano, & apud Alvarum Pelagium, alioſque. Si quis ſcire cupiat, quinam Reges Sacro oleo inungantur, adeat Azorium. Aimoinus, aliique referunt S. Remigium Remorum Epiſcopum Chriſmate a columba cælitus allato Clodoveum Francorum Regem (quem nonnulli inter Beatos recenſent) poſtquam baptizaverat, ſacraſſe: & hoc ſacro, perennique oleo Succeſſores Francorum Reges inungi conſueverunt, ut apud Baronium (*a*). Unctionis Clodovei mentio fit in teſtamento S. Remigii: ſed cum hujus teſtamenti bina ſint exemplaria, unum prolixius, quod prædictam unctionem memorat, quodque ſuppoſititium exiſtimant Scriptores Gallicani; alterum brevius, in quo nullum eſt unctionis veſtigium, quodque pro genuino habetur; ob hanc, & alias rationes de illius prodigii veritate Auctores valde dubitant. Jacobus Longueval rem aliter componit: ex quibuſdam ſcilicet monumentis advertit, ampullas oleo vacuas mirabiliter repletas fuiſſe, cum S. Remigius extremam Unctionem ægroto miniſtrare vellet, & oleo hoc, quod cæleſte dici poteſt, unctum fuiſſe Clodoveum.

a ad ann. 499.

4 &c. Ven. Dei Servus Card. Bellarminus affirmat, pauciſſimos ex Imperatoribus, Regibus, & Principibus ſæcularibus, at innumeros fere Epiſcopos inter Sanctos relatos fuiſſe. Quoſdam ex primis memorat Scacchus, eorumque longum texit elenchum Theophilus Raynaudus, inter quos numerat Conſtantinum Magnum, & Carolum Magnum; & de hoc quidem alibi diximus. Conſtantinum vero utcumque Eccleſia Græca inter Sanctos recipiat, Latina ut talem agnoſcere recuſavit, quod ſub finem vitæ Sanctum Athanaſium in exilium deportari juſſerit. Verum, omiſſis Regibus martyrio ſublatis, de quibus hic non agitur, nonnulli Imperatores, & Reges juxta præſentem Eccleſiæ ritum per formalem, vel æquipollentem Canonizationem ex alibi dictis inter Sanctos adſcripti ſunt. Aliorum cultum ex alibi pariter dictis Congregatio rituum approbavit. Amplior eſt catalogus Summatnm, & excelſorum Procerum, nec non aliorum, qui, Principatu relicto, in Clauſtra ſe receperunt, & Sanctis adnumerati ſunt. Sed cum in præſentiarum exponenda ſint, quæ ſpecialiter animadvertenda videntur in cauſis Regum, & Principum, qui Principatum uſque ad obitum retinuerunt, ab hujuſmodi Principibus dumtaxat argumenta deſumentur, nec non ab aliis, qui apud Hiſtoricos virtutum laude floruerunt, non quidem ut ſanctitatis prærogativa adſtruatur his, qui Eccleſiæ judicio in album Sanctorum relati non ſunt, ſed quia opportunum videtur eriam ex his colligere exempla virtutum. Nonnulla quoque haurientur ex veteri Teſtamento: nam, ut advertit Card. Bellarminus, licet quæſtio ſit de Regibus, & Principibus Chriſtianis, ſupervacaneum tamen non eſt cognoſcere, quid in republica Hebraica egerint Principes, ſive Reges, cum in veteri Teſtamento promitterentur Bona temporalia, & præſentia, quibus futura, & ſpiritualia ſignificantur: & juxta S. Auguſti-

a epiſt. 140. ad Honorat. to. 2. col. 430.

rum (a) Hebræi, qui, contemptis temporalibus, adhæſerunt ſpiritualibus, ad novum Teſtamentum quodammodo pertinuerint, cui ſuffragari videtur oratio in Pontificali Rom. *de benedictione, & coronatione Regis* præſcripta.

b geneſ. c. 45. v. 5.

7 Celeberrimum caritatis erga Proximum, & dilectionis inimicorum exemplum reliquit S. Joſeph Patriarcha, qui in Ægypto a Pharaone adeo exaltatus, fratribus, qui ipſum vendiderant: *Nolite timere*, inquit (b), *ego paſcam vos, & parvulos veſtros. Conſolatuſque eſt eos, & blande ac leniter eſt locutus*. Temperantiæ quoque, & caſtitatis heroicæ exemplum ipſe prodidit, cum ſollicitanti Putipharis uxori conſtantiſſime reſtiterit. Moyſes *vir mitiſſimus ſupra omnes homines* dicitur *Num.* 12. Joſue vero virginem permanſiſſe affirmat S. Hieronymus (c), cum filios habuiſſe Scriptura non memoret. Plura de David leguntur in eadem ſcriptura: manſuetus enim dicitur *Pſal.* 131. Sanctus vero *Pſal.* 100., Cumque adulterium, & homicidium perpetraſſet, contritionem exhibuit *Pſal.* 6., Confeſſionem *Pſal.* 50., ſatisfactionem *Pſal.* 34.; & flagella a Deo immiſſa æquo animo tulit 2. *Reg.* 13.

c lib. 1. adverſ. Jovinian. n. 22. to. 2. oper. col. 273.

8 Succedunt exempla Regum, & Principum, qui poſt Chriſti adventum pietate floruerunt SS. Ambroſius (d), Paulinus (e), & Auguſtinus (f) ſummas laudes in Theodoſium Imperatorem congerunt, quod fide, humilitate, ac pietate excelluerit. Et Tiberius, Juſtino Imperatore in inſaniam prolapſo, Cæſar electus apud Gregorium Turonenſem (g), tanta fuit in pauperes liberalitate, ut multa de theſauris erogaverit. S. Wenceslaus Bohemiæ Rex apud Joannem Dubravium inter alias virtutes religionem adeo coluit, ut ab Othone Imperatore, permulta offerente, brachium S. Viti dumtaxat petierit. Vinum præterea, & alia ſuis manibus inter ſacra ſubminiſtravit Sacerdotibus, nudiſque pedibus ad templa acceſſit. SS. Henricus Imp., & Chunegundes conjux, præter alia, quæ referunt Bollandiani (h), integerrimam caſtitatem uſque ad obitum ſervaſſe dicuntur in bullis Canoniz. De S. Stephani I. Regis Hungarorum miſericordia in pauperes, fervida oratione, & ſimilibus mira refert Chartuitius in ejus vita apud Surium. Virtutes S. Eduardi Anglorum Regis enumerat Alredus Rhievallus. Et Innocentius VIII. ſummis laudibus extollit S. Leopoldum Auſtriæ Principem in bull. Canonizationis. Innumeræ pene ſunt res, quæ a S. Ludovico Rege Francorum geſtæ referuntur in ejus vita, & bull. Canoniz., ſive ſpectemus inſignem illius curam in filiorum educatione, ſive humilitatem, aliaſque virtutes, quibus enituit. B. Amadeus III. Sabaudiæ Dux inter alia præclare geſta illud caritatis, & manſuetudinis inſigne e emplum edidit, quod ſuſcepto Ducatu Philippum fratrem, eduxerit e carceribus, quibus Pater mancipaverat in vindictam inſidiarum quas Amadeo paraverat. Et de S. Caſimiro Regis Poloniæ filio narrant, eum reſpuiſſe conſortium thori virginalis, quod alii tutandæ vitæ cauſa ſuadebant. Similia de S. Elzeario de Sabrano dicuntur in bull. Canoniz. ejuſdem.

d in orat. funeb. Theodoſ. n. 30. col. 1206. oper. to. 2. & n. 32. & 39. ibid.

e ep. 28. ad Severum col. 175.

f l. 5. de Civit. Dei.

g l. 5. c. 19.

h to. 4. Julii

10 Plura congeri poſſent heroicarum virtutum exempla, quibus Principes inter Sanctos relati fulſerunt, inter quæ profecto non ultimum locum obtinent caſtitas, & humilitas, contra quas in Principibus multa militant. His tamen, quæ omnibus Sanctis communia ſunt, & neceſſaria, ut in album Sanctorum referantur, omiſſis; monet Scacchus, pro Beatificatione, & Canonizatione Regum, & Principum ſpecialiter quærendum eſſe de zelo Fidei Chriſtianæ conſervandæ, & propagandæ, de cultu erga Deum, de obedientia Romano Pontifici debita, de juſtitia bellorum, quæ geſſerint, de recta gubernandi ratione, ac de exemplo ſubditis ad pietatem, & religionem exhibito; nam vita *Principis*,

cipis,

Digitized by Google

cipis, inquit Plinius (*a*), *cenſura eſt, eaque perpetua, populorum*. Similia docuerunt S. Gregorius VII. (*b*), & Lactantius (*c*).

a in Trajani paneg. c.45.

b l.7. ep.5.

c l.5. Divin. Inſtit. c.6. de juſt.

11 &c. Is fuit Moyſis primi Hebræorum Ducis zelus, ut Iſraelitas vitulum aureum *Exod.*32., & Beelphegor *Num.*25. adorantes occidi juſſerit. Joſue vero tanto ardore populum ad religionem unius veri Dei hortatus eſt, ut ſcriptura Joſ.6.7. &c. teſtetur: *Servivitque Iſrael Domino cunctis diebus Joſue, & Seniorum, qui longo vixerunt tempore poſt Joſue*: His morem geſſerunt SS. Reges Ezechias, Joſias, & Joſaphat, cum, deleta idolo-latria, cultum veri Dei plene reſtituerint. Conſonant, quæ de Theodoſio, & Tiberio Imperatoribus narrant Hiſtorici. Primus quippe idolorum cultum, qui ſub Juliano, & Valente invaluerat, radicitus extirpavit. Secundus librum ab Eutychio C. P. Epiſcopo adverſus carnis reſurrectionem ſcriptum combuſſit, teſte S. Gregorio (*d*). Plura ex Actis Canonizationum exhibet Scacchus cit. Sed ſcitu dignum eſt, quod de S. Ludovico Galliæ Rege legitur apud Surium (*e*): *Fidei propagationem ſitiebat. Si quid . . .; quod ad Fidem pertineret, eſſet ad eum relatum, id, aliis negotiis omnino poſthabitis, audiebat*. Similia referuntur de B. Ferdinando III. Caſtellæ, & Legionis Rege.

d l.4. Moral. c.19. n.74. to.1. oper. col.466

e in ejus vita ad diem 25. Aug. c.6

14 Quo amore erga Deum flagraret Rex David, teſtatur ipſe *Pſal.*22. v.8., & in pluribus aliis. Amori pietatem, religionemque addidit, cum 1. *Paralip.*22. immenſos pene theſauros in magnificentiſſimum extruendum templum præparaverit. Hujus veſtigiis inſtiterunt SS. Henricus Imperator, Stephanus I. Hungariæ, Eduardus Angliæ, Ludovicus Galliæ, B. Ferdinandus III. Caſtellæ, & Legionis Reges, ac B. Amadeus Sabaudiæ Dux, pluribus ædificatis, vel reparatis Eccleſiis, Monaſteriis, & Hoſpitalibus.

15 Obedientiam erga Romanum Pontificem Theophilus Raynaudus appellat germanum Catholiciſmi characterem, affirmans hoc charactere Clodoveum Francorum Regem fuiſſe inſignitum. Eumdem characterem Carolo M., Ludovico Pio Imperatori, aliiſque Galliæ Regibus fuſe adjudicat Mauclerus. Idem tribuitur S. Henrico Imperatori in ejus vita, & ob hanc obedientiam S. Leopoldus Auſtriæ Princeps in bull. Canoniz. dicitur filius S. Petri. S. Ludovicus Galliæ Rex eamdem filio ſuo inter alia monita teſtamento reliquit. Quapropter vel apocrypha eſt *Pragmatica* ſanctio, quæ ejus nomine circumfertur, vel ſaltem ſuppoſititius ille ejuſdem articulus, in quo nonnulla S. Sedi parum honorifica ſanciuntur. Legi poteſt Auctor Gallus *in tract. de libert. Eccl. Gallic.*

16 Ad bella, quod attinet, Hugo Grotius oſtendit, ea juri Divino non repugnare. Imo Theologi paſſim apud Schiaram docent, Principes aliquando ſub culpa mortali teneri ad bellum tam defenſivum, quam offenſivum gerendum; urgente periculo ſpirituali, aut temporali ſuorum populorum. Quapropter plures ſancti Reges, & Principes ex Hebræis, & Chriſtianis pro Fide, ejuſque propagatione, pro tutamine dignitatis, ditionis, ſuorumque populorum bellum ſtrenue geſſerunt. B. Petrus Damiani (*f*) viſus eſt reprobaſſe bellum a S. Leone IX. geſtum adverſus Normannos, immo Romano Pontifici jus gladii temporalis negaſſe. Utrumque tamen gladium ſpiritualem, & temporalem Eccleſiæ Romanæ adjudicat Baronius, cui conſentit Bellarminus, & antea S. Bernardus (*g*), Gregorius IX., & Bonifacius VIII. (*h*) Cæterum Cajetanus, & alii conantur oſtendere, B. Petrum Damiani ſolum improbaſſe factum Sancti Leonis IX., non autem materialem gladium abjudicaſſe. Objicit quidem B. Petrus factum S. Gregorii, qui licet a Longobardis violentias perpeſſus eſt, noluit in eorum mortem ſe immiſcere. Sed Gratianus oſtendit (*i*), Gregorium mandaſſe *civibus Thuſciæ, ut contra Longobardos arma pararent*.

f epiſt.1. ad Oldericum Epiſcop. Firman. l.4.

g lib.4. de conſiderat. c.3. col.444 vol.1. oper.

h c. unam ſanctam de majorit. & obed.

i can. ut pridem, & can. ſuppliciter 23.

Chri- q.8

Chriſtianus Lupus exiſtimat, Gregorium VI. fuiſſe militiæ Papalis auctorem, ſolos vero S. Leonem IX, & Joannem XI. duxiſſe exercitum armatum.

17 Quidquid de his ſit, non vacat hic omnia recenſere, quæ bellum efficiunt juſtum, & quæ in hoc cavenda ſunt: D. Thomas (*a*) [a 2. 2. qu. 40. ar. 1.] enim ad hoc requirit auctoritatem Principis, cauſam juſtam, & rectam bellantium intentionem. Huc vero advocandum eſt monitum, quod S. Ludovicus filio dedit: Cave, ait, *bellum geras adverſus Chriſtianum quemquam, niſi ex multorum conſilio, & ita, ſi bellum evitare non poſſis. Quod ſi bellum habeas, abſtine ab Eccleſiaſticis, & iis, qui tibi nihil nocuerunt*. Quoad Infideles vero ipſe in ſubſidium Terræ ſanctæ binam expeditionem ſuſcepit, in quarum ultima migravit ad Dominum. Ludovicus junior Francorum Rex, apud Othonem Friſingenſem, cum ſimilem parare vellet expeditionem, Regni Principes dixerunt conſulendum eſſe Sanctum Bernardum, qui reſpondit, rem deferendam eſſe ad Romanum Pontificem: annuit hic, ſed expeditio ex voto non ſucceſſit. Demum S. Auguſtinus (*b*) [b ep. 189. n. 4. to. 2. col. 698.] errorem maximum eſſe ait, aſſerere nullum bellatorem Deo gratum eſſe. Qui de belli juſtitia plura velit, legere poteſt Mauclerum.

18. 19 Omnia, quæ huc uſque deducta ſunt, & adduci poſſent de juſtitia ſervanda, & bono exemplo Subditis exhibendo, nec non de Regum uxoribus, complectitur Pontificale Romanum de benedictione, & coronatione Regis. Et hæc præcipua ſunt, quæ, præter alia omnibus in album Sanctorum referendis communia, ponderanda ſunt in cauſis Servorum Dei, qui, dum viverent, regali dignitate fulſerunt: & de his quoque plura Mauclerus. Multa quoque huc ſpectantia ſtatuta ſunt in Concilio Pariſienſi VI. (*c*) [c c. 1. & 2.], & in Aquiſgranenſi II. (*d*) [d c. 3.].

CAPUT XXXVII.

De advertendis in cauſis Virginum, Conjugatorum, Viduarum, atque Peregrinorum.

1 &c. THeophilus Raynaudus longum texit catalogum Sanctorum Conjugatorum, Virginum in conjugio, & extra conjugium, necnon Viduorum, & Viduarum. Inter Virgines in conjugio, juxta aliorum ſenſum, recenſet S. Joannem Evangeliſtam, quod ſenſiſſe videntur SS. Auguſtinus (*e*), & Thomas (*f*). [e in præf. in Joann. Evang.] Communior tamen ſententia affirmat, eum cælibem fuiſſe. Legi poteſt Card. Baronius (*g*). Iis vero, qui ex alibi dictis [f 2. 2. qu. 186. ar. 4.] virgines in matrimonio permanſerunt, addi poteſt S. Amon, de quo Palladius. [g ad an. 31. n. 30. & ſeq.] Guyet vero refert, nullam mulierem conjugatam *reperiri in ſacris tabulis*, ſed vel viduas, vel maritis ipſis adjunctas una ſimul cum eis, eademque die recoli. Idem Theophilus inter ſanctas Viduas recenſet S. Mariam Magdalenam ſororem Marthæ, & Lazari, autumans, mortuo marito, licentius aliquanto vixiſſe, & nonnullis copiam ſui feciſſe. Sed cum alii Fœminam criminoſam, de qua in Evangelio, diſtinguant a ſorore Marthæ, vel etiam ab altera Maria Magdalena, idcirco hoc exemplum viduis tuto non ſuffragatur. Legi poteſt Calmet. Suffragantur tamen alia multa, & quidem notiſſima exempla, inter quæ illud B. Mariæ de Capite uxoris S. Iſidori Agricolæ, de qua alibi.

4. 5 Sed ut ad inſtitutum redeamus, S. Hieronymus pluribus epiſtolis docet, quomodo ſervanda ſit virginitas, quæ vitæ ſeries tenenda ſit in viduitate, & matrimonio. In epiſtolis igitur ad Euſtochium (*h*), & Demetriadem [h 22. n. 8. col. 92. oper. to. 1.] (*i*) monet ad cuſtodiendam virginitatem requiri abſtinentiam a vino, & a Matronarum conſortio, ſubjectionem [i 130. n. 4. col. 972. loc. cit.] parentibus, rarum egreſſum in publicum, pœnitentiam, & orationem. Laudat

dat rudem amictum, & victus continentiam. Ad ſanctitatem vero comparandam præcipit moderatam corporis mortificationem: divitias in pauperes erogandas eſſe inſinuat: demum hortatur ad opera manualia, ut ablegetur otium, & aliquid præſto ſit Chriſto offerendum.

a 54. n. 15. col. 290. loc. cit.

6 In epiſtola ad Furiam (*a*) recenſet bona viduitatis, tum ad eam ſervandam pluribus hortatur. Quapropter, propoſito exemplo Annæ Propheteſſæ filiæ Phanuelis viduæ, monet, ut jejuniis, & vigiliis vacet, pauperibus ſubveniat, a juvenum conſortio, & ab omni luxu abſtineat.

b 168. n. 2. col. 1089. tom. cit.

7 In epiſtola ad Celantiam matronam (*b*), ſciſcitantem, quomodo vitam dirigeret in conjugio, docet, adhibendam eſſe in ſermone moderationem, colendam humilitatem, & cavendum, ne dum licita quædam omittuntur, & bona opera exercentur, illicita incaute admittantur. Addit, habendam eſſe rationem nedum conſcientiæ, ſed etiam famæ, adeoque nil committendum, quod aliis occaſionem detrahendi ſuppeditet: demum ſuadet, ut vacet orationi. Quæ quidem omnia, & alia plura in iiſdem epiſtolis fuſius expoſita legi poſſunt.

8. 9 Quod vero ad Virginem ſæcularem, de cujus Beatificatione, & Canonizatione ageretur, attinet, Scacchus ſæpe citat. monet, præter alia omnibus Canonizandis communia, inquirendum eſſe, qua promptitudine, facilitate, & gaudio virginitatem perpetuam propoſuerit, qua fortitudine nuptias reſpuerit, quanto ſtudio ſolitudinem amaverit, corpus caſtigaverit, ſacræ lectioni vacaverit, ab hominum commercio abſtinuerit, veſtium vanitatem oderit, & erga pauperes miſericors fuerit. Singula hæc profecto elucent in Actis Virginum, quæ in Beatarum, & Sanctarum album relatæ ſunt, Catharinæ Senenſis in bull. Canoniz., & apud Surium (*c*), ac B. Raymundum de Capua: S. Agnetis apud S. Ambroſium (*d*), S. Claræ in bull. Canoniz., & aliarum plurium apud laudatum Scacchum.

c die 29. April.

d vitæ n. 3. apud Bollandian. ad diem 21. Januar. to. 2. pag. 351.

10. 11 Succedunt Conjugati, & de his quidem, prætermiſſa virginitate in matrimonio ſervata, de qua alibi, in cauſis Beatificationis, juxta eumdem Scacchum ſpecialiter inquirendum eſt, quo ſtudio familiam in timore Dei educaverint, quave moderatione rexerint, quomodo rem familiarem adminiſtraverint, & in operibus miſericordiæ ſe exercuerint. Sanctitatis mulierum conjugatarum argumenta ſpecialia ſuppeditabunt manſuetudo erga maritum, ſocrum, univerſamque familiam, modeſtia, & contemptus mundi muliebris, ſolicitudo in gubernanda familia in timore Dei, cultus religionis, piæ exercitationes in his, quæ viro quantum ad jura matrimonii non officiunt: attendendum quoque erit, ſi forte vir Infidelis ſanctificatus ſit per mulierem Fidelem. Omnia hæc laudatus Auctor confirmat argumentis ex ſacra auctoritate depromptis: quibus ſuffragantur ea, quæ de SS. Hedvvige, Birgitta, Franciſca Romana, Monica, & Eliſabetha Regina Portugalliæ dicuntur in bull. Canoniz., aliiſque monumentis.

12 Proſequitur Scacchus, & in cauſis Viduarum inquirendum eſſe ait, de diligenti filiorum educatione, ſiquos genuerint, de ſeceſſu a ſæculi turbis, de mortificatione, pietate erga res ſacras, earumque miniſtros, & de caritate erga pauperes. Et hæc quoque confirmantur ex iis, quæ de viduis innuit Apoſtolus 1. *ad Timoth.* 5. *Viduas honora, quæ vere Viduæ ſunt . . . Et hoc præcipe, ut irreprehenſibiles ſint . . . Vidua eligatur . . . in operibus bonis teſtimonium habens, ſi filios educavit, ſi hoſpitio recepit, ſi Sanctorum pedes lavit, ſi tribulationem patientibus ſubminiſtravit, ſi omne opus bonum ſubſecuta eſt*. Ad educationem liberorum faciunt quoque ea, quæ de Job, Tobia, & Helcia leguntur in ſacris paginis, in quibus quoque Heli Sacerdoti denuntiatur (*e*) ira Dei ob malam vitam

e in libris Regum.

tam filiorum, quos pater non ſatis increpaverat, de qua re plura Cornelius a Lapide (*a*). Accedunt exempla SS. Viduarum Monicæ apud S. Auguſtinum (*b*), Amelbergæ, & Hedvvigis apud Surium (*c*).

a ad lib. 1. Regum c. 4.

b l. 9. Confeſſion. c. 9. n. 22

c ad diem 20. Julii, & 15. Octob.

13 Quod ſpectat ad Servos Dei Peregrinos, ſæpe citatus Scacchus monet inquirendum eſſe in eorum cauſis de cauſa, licentia, geſtis, & laboribus peregrinationis, ac de frequentia Sacramentorum. Sacras peregrinationes execratus eſt Calvinus cum aliis: propugnarunt contra Thomas Waldenſis, Bellarminus, aliique. Sed vel a primis Eccleſiæ ſæculis in uſu fuerunt, eaſque obiviſſe Alexandrum Epiſcopum, & S. Helenam teſtatur Euſebius (*d*). Eaſdem laudat S. Joannes Chryſoſtomus (*e*), quin etiam ſuffragantur exempla B. Virginis, & S. Joſeph, aliorumque in ſacris Scripturis. Concilium IV. Mediolanenſe modum indicat peragendæ peregrinationis. Suſpectæ tamen ſunt mulierum peregrinationes, niſi vel illuſtri loco natæ ſint, vel copioſus comitatus ſecuras reddat, vel Deus ſpecialiter impulerit, ut proſequitur Theopilus Raynaudus. Sed quod attinet ad Beatificationes, & Canonizationes, ſi Servi Dei aliquam duntaxat peregrinationem peregerunt, perpendenda erunt, quæ ſupra indicata ſunt, una cum aliis rebus ante, & poſt peregrinationem geſtis; ſed ſi totam vitam, vel majorem ejus partem peregrinando duxerint, vix canonizari poterunt ob defectum probationum, niſi forte teſtes ſecum duxiſſent, uti duxit B. Contardus apud Bollandian. (*f*), & S. Gaudentius, ut ipſemet teſtatur.

d l. 3. de vita Coſtantini c. 42.

e in ep. ad Corinth. 2. c. 12. hom. 26. to. 10. oper. pag. 625.

f ad diem 16. Apr.

CAPUT XXXVIII.

De obitu Servorum Dei, de quorum Beatificatione, & Canonizatione agitur.

1 &c. Inter præcipua, quæ advertenda ſunt in cauſis Beatificationis, & Canonizationis, attendendus eſt Servorum Dei obitus. Parum quippe profuiſſet favorabili de virtutibus heroicis deliberationi, quod Servi Dei in vita iis floruerint, niſi manifeſta earum indicia in obitu apparerent. Id ſapienter adnotarunt Ven. Card. Bellarminus in ſuffragio edito in cauſa S. Franciſcæ Romanæ, & Fortunatus Scacchus, quibus calculum addunt decreta generalia Urbani VIII.

4 &c. Accedunt exempla petita ex hiſtoria Eccleſiaſtica. S. Poſſidius Calamenſis Epiſcopus teſtatur, S. Auguſtinum (*g*) morti proximum pſalmos Davidicos pœnitentiales uberrimis lacrymis frequenter legiſſe, & inter ſuos in oratione obdormiviſſe. Et S. Hieronymus refert (*h*), S. Paulum Eremitam mortem divinitus præſciviſſe, eaque adventante, adfuiſſe S. Antonium, ac vidiſſe ejus animam *inter Angelorum catervas, inter Prophetarum, & Apoſtolorum choros... in ſublime conſcendere*. Tum duos leones acceſſiſſe, & arenam certatim egerentes, locum unius hominis capacem fodiſſe, in quo S. Antonius corpus defuncti de more compoſuit. De S. Hilarione quoque narrat (*i*), eum in ſumma paupertate, & humilitate mori voluiſſe. S. Benedictus, ut narrat S. Gregorius M. in ejus vita apud Bollandianos (*k*), morte ſua fratribus denuntiata, ſepulchrum ſibi aperiri juſſit, ac morti proximus ad Oratorium deferri voluit, ibique, Euchariſtia percepta, animam in oratione efflavit, quam per viam palliis ſtratam, ac lampadibus coruſcam in cœlum aſcendere duo Fratres abſentes cognoverunt. Et S. Gregorius Nazianzen. teſtatur (*l*), S. Baſilium lætum in oratione obiiſſe, ante tamen aſtantes ſacroſancta doctrina inſtruxiſſe. Pretioſam S. Malachiæ Epiſcopi Hiberniæ mortem deſcribit S. Bernardus (*m*), affirmans, ipſum mortis ſuæ præſcium ſacramenta ſumpſiſſe, inde multa caritatis ſigna exhibentem, Monachis vero pſalmos, & hymnos canentibus expiraſſe.

g in ejus vita c. 31.

h n. 11. to. 2 oper. col. 9.

i n. 44. to. 2 op. col. 39

k n. 37. ad diem 21. Mart. to. 3. pag. 587.

l or. 20. to. 1. oper. pag. 370.

m c. 31. n. 70. col. 695. oper. vol. 1.

10. 11. Suffragantur exempla ex

Actis

Digitized by Google

Actis Canonizationum deſumpta. Sanctus Thomas de Villanova juxta bullam Canoniz., & relationem Auditorum Rotæ, nuntio vicinæ mortis mira hilaritate accepto, cuncta, quæ ſupererant, pauperibus diſtribui juſſit: tum vero ſacramentis perceptis, ſanctitatem vitæ, Sedique Apoſtolicæ obedientiam Clero commendavit. Sacrificium in cubiculo celebrari, & interim Dominicæ Paſſionis Evangelium ſibi legi voluit, ac mira pietate, & humilitate Sacramento ad elevationem adorato, orans expiravit. Porro Paſſionem Domini morientibus legi conſueviſſe, conſtat ex antiquo Breviario Montis Caſſini, & ex aliis monumentis. Iidem Auditores in relat. cauſ. S. Caroli Borromæi narrant, eum, quaſi propinquæ mortis præſcium, ad Montem Varallum ſe contuliſſe, ibique piis exercitationibus, ac generali confeſſione ſe ad mortem præparaſſe: Mediolanum reverſum, ſacramentis inexplicabili devotione, ac profunda humilitate ſuſceptis, placide in Domino qnieviſſe.

12 &c. S. Petrus de Alcantara, ut dicitnr in relat. canſæ ipſius, ne in extrema qnidem infirmitate Divinum Officium prætermiſit; ſed longa oratione præmiſſa, & peccatorum venia enixe petita, incredibili fervore Euchariſtiam ſuſcepit; tum proximæ mortis nuntio exhilaratus, extrema Unctione reverenter excepta, ac mirabili Sanctiſſimæ Trinitatis, B. Virginis, & S. Joannis Evangeliſtæ viſione recreatus, in ſumma paupertate ſpiritum Deo reddidit. Spiritualibus quoque viſionibus illuſtrata dicitnr S. Franciſca Romana in relat. cauſ., cum eſſet morti proxima, nec malignorum ſpiritunm vexationes ſenſit. Filias vero ſpirituales ad Dei timorem, mutuamque caritatem pie adhortata, die, qua prædixerat, ſancte in Domino quievjt. Demum præter alia, quæ in obitn S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis contigerunt, inſigne illud obedientiæ indicium narratur in relat. ejus cauſæ, Monialibus ſcilicet Confeſſarium, Miſſam celebraturum, interpellantibns, ut Magdalenæ jam jam morituræ adeſſet, ipſe reſpondit: *Dicite Magdalenæ, ut, quam vivens obedientiam præſtitit, eam præſtet moritura, illumque opperiatur, donec, expleto Sacro, Moniales ſacro Pane reficiat*. Illa hoc audito ait, *Benedictus Deus..., & animam morata non receſſit e vivis*, donec prædicta complerentur.

15.16 Plura cumulari poſſent, ſed adducta ſufficiant, ut pateat, in cauſis Beatificationis, & Canonizationis magnum momentum in Servorum Dei obitu conſtituendum eſſe, & attendenda omnia, quæ in eo contingunt. Docuit Scacchus, motus oculorum, & ſuſpiria eſſe conſideranda; nti ſane animadverſum fuit in cauſa S. Andreæ Avellini. Cum enim in extremo agone vultum ejus turbatum aſtantes vidiſſent, rati adeſſe, quod ipſe prædixerat, certamen cum communi hoſte, preces pro eo fuderunt, is vero, oculis ad Imaginem devotiſſimam converſis, conſuetæ hilaritati redditus placide obiit. Similia leguntur in vita S. Elaearii apud Surium (*a*). Card. Federicus Borromæus negat, ex qniete, ſive agitatione corporis in morte firmum deduci poſſe argumentum pro animæ ſalnte, vel exitio: ſubdens, agitationes morientium ſæpe a ſola corporis conditione proficiſci, & in viris probis, aliquando perturbationes, Dei voluntate, contingere, nt anima purgetur, & præſentes ad pœnitentiam adducantur, quæ fuit etiam ſententia SS. Athanaſii (*b*), & Gregorii Papæ (*c*). Scacchus addit examinanda eſſe verba, quibus Dei Servi morituri ſe Deo commendant. Quare Benedictus XIV., cum Fidei Promotorem ageret, in cauſa cujuſdam Servi Dei, pluribus ex Concilio Tridentino adductis, oppoſuit, eumdem morientem in Dei miſericordia ſpem totam conſtituiſſe, excluſis operibus, quæ in vita fecerat. At Poſtulatores ex eodem Concilio repoſuerunt, Servum Dei propter ambiguitatem propriæ juſtitiæ, & ina-

a die 27. Sept. c.33. pag.389.

b qu. 105. ad Antiocum to. 2. pag.292.

c l.24. Moral. in c.34 Job n. 33. to.1. oper. col.776.

inanis gloriæ periculum, recte in ſola Dei miſericordia totam fiduciam poſuiſſe; idque commendat ſacra auctoritas, & late explicant Stapletonus, & Bellarminus.

17 Adeo exacte omnia, quæ in obitu Servorum Dei contingunt, examinantur, ut in cauſa Servi Dei Pauli Buralis Cardinalis Promotor Fidei oppoſuerit, ipſum ægrotantem Viaticum, ad ſe delatum, propriis manibus ori admoviſſe. Id ab aliis, etiam Laicis, antiquitus factum referunt Card. Bona, Martene, & alii, quod tamen poſterioribus Eccleſiæ conſtitutionibus, & contraria conſuetudine abrogatum eſt. Oppoſitioni vero ſatisfactum fuit, allegato conſenſu deferentis Viaticum, qui ſane conſenſus in hoc culpam omnem excludit, ut oſtendit Card. de Lugo.

18. 19 Nonnullis Dei Servis revelatus eſt dies mortis, ſecus vero aliis: quidam morientes a tentationibus immunes, ut S. Franciſca Romana, alii iis obnoxii fuerunt, ut S. Martinus, & alii. Nonnulli mortem læti aſpexerunt, alii formidarunt, ut Arſenius Eremita apud Surium. Card. Fredericus Borromæus ſcribit, quoſdam Dei Servos repentino mortis horrore occupari, & expaveſcere, ſed poſtea tranquille mori. Nonnulli vitam libenter protraxiſſent pro ſpirituali ſuorum ſalute, ut S. Martinus apud Sulpicium Severum (*a*), & S. Thomas de Villanova in relat. cauſæ: alii id formidarunt, ut SS. Franciſcus Saleſius, & Philippus Nerius. SS. Bernardus, & Dominicus quaſdam res ab ipſis præclare geſtas aſtantibus retulerunt; at S. Joannes a Cruce ne ſibi quidem eas memorari paſſus eſt. Hæc inter ſe profecto diſcrepant, ſed in cauſarum examine non videtur ſtatui poſſe, mortem alicujus Servi Dei non fuiſſe ſanctum, quod cæleſtia ſigna defuerint, quæ in aliorum obitu apparuerunt, vel quod dixerit, vel fecerit, quod alii noluerunt. Ideoque ex aliis rebus judicium de pretioſa Servorum Dei morte deſumendum erit. Urbanus VIII. quoque in decretis generalibus decrevit, advertendum eſſe, an obitus eorumdem fuerit publice teſtificatus: quod intelligendum eſt de fama ſanctitatis, populorum concurſu, ac de miraculis, ut deſumitur ex pluribus bull. Canoniz., & relat. Rotæ.

a in ep. 3.

20. 21 Supereſt, ut ea expendantur mortis genera, quæ dubium afferre poſſunt, an qui ita moriuntur, beatificari, & canonizari poſſint. Ac primo quidem nonnulli Servi Dei mori cupiunt, & aliquando moriuntur, nullo præſente: & hæc ſolitaria mors, ſi alia felicis obitus ſigna, ac multo magis ſi aliqua prodigia comitentur, Beatificationi, & Canonizationi minime obſtat. Profecto ſolus, nulloque aſtante obiit S. Romualdus apud B. Petrum Damiani (*b*), & S. Joannes de Deo juxta relationem Auditorum Rotæ, quibus aliquo modo addi poteſt S. Caſſius Narnienſis apud S. Gregorium (*c*).

b In ejus vita c. 69.

c hom. 37. in Evang. to. 1. oper. col. 1633.

22 Nonnulli Servi Dei moriuntur, quin Euchariſtiam per modum Viatici receperint. Jam vero ſi quis facultatem habens recipiendi in morte ſacramenta non recepiſſet, de hujus Beatificatione, & Canonizatione agendum non eſſet, licet virtutibus heroicis floruiſſet, veluti docet Scacchus. At ſi Viaticum non percepiſſet vomitu præpeditus, ut S. Franciſcus Saleſius; vel quia ipſa mortis die Euchariſtiam, licet non per modum Viatici, receperat, ut S. Vincentius de Paulo, id Beatificationem, & Canonizationem non impedit; neque enim permiſſum eſt bis eadem die communicare, urgente licet mortis periculo, ut oſtendunt Suar., Laym., & alii, quamvis Sacri canones, neceſſitate exigente, permittant, ut bis eadem die Miſſa ab eodem Sacerdote celebretur, Epiſcopo id approbante.

23 Aliquando contingit, ut Servus Dei apoplexia percuſſus intereat; quod ſi integram cognoſcendi vim retineat, nec alia ſigna deficiant, licet loquelam amiſerit, hoc mortis genus

Bea-

Digitized by Google

Beatificationi, & Canonizationi nullum detrimentum afferre poteſt, ut colligitur ex bull. Canoniz. S. Andreæ Avellini. Neque ſi receptis Eccleſiæ ſacramentis, ac præmiſſis, quæ præmittenda erant, ſuperveniat cognitionis defectus, uti de B. Coleta præter alios refert Surius.

24 Poteſt quoque contingere, ut Servi Dei morte ſubitanea moriantur, adeoque nec recepto Sacro Viatico, nec aliis editis ſignis, ex quibus tutum de eorum obitu ferri poſſit judicium. Profecto teſtatur ſacra Scriptura, Abraham, alioſque juſtos in ſuis lectulis obiiſſe, & filiis, ac populis ſalutaria documenta reliquiſſe, contra vero Pharaonem cum ſuo exercitu, alioſque Terram promiſſam blaſphemantes morte ſubitanea interiiſſe: in Pſalmo autem 72. legitur: *Subito defecerunt, perierunt propter iniquitatem ſuam*; & in Proverb. c. 29. *Viro, qui corripientem dura cervice contemnit, repentinus ei ſuperveniet interitus*. Nihilominus abſonum eſſet aſſerere, omnes repente morientes damnari. Plura repentinæ, ſed ſanctæ mortis exempla referunt Cornelius a Lapide (*a*), Joannes Moſcus, ſive Sophronius, & Petrus Sutor. Theophilus Raynaudus vero contendit, *calumniam eſſe ... progredi ad judicium, vel vehementiorem ſuſpicionem malæ ſortis ſic obeuntium*. Qui profundam hujus rei explicationem velit, adeat P. Didacum de Corduba in lib., cui titulus, *Ajuto de' moribondi*. Verum difficillime poſſet Eccleſiæ judicio inter Beatos, vel Sanctos recenſeri, qui hujuſmodi morte occumberet, ob defectum ſcilicet alicujus ſigni externi pœnitentiæ, vel deſiderii Euchariſtiæ recipiendæ; niſi forte conſtaret, ipſum uſque ad obitum, virtutibus heroicis enituiſſe, & ea, quæ in obitu defuerunt, non voluntate, ſed neceſſitate defuiſſe, ac Deus eamdem mortem ſignis, & prodigiis illuſtraret, ut de B. Jordano Ordinis Prædicatorum Generali Magiſtro legitur apud Surium.

a ad c. 4. Sapientiæ v. 6.

25 Concluditur exemplis S. Julianæ de Falconeriis, & B. Imeldæ de Lambertinis. Prima, juxta monumentum authenticum in ejus cauſa exhibitum, cum in ultima infirmitate nil amplius in ſtomacho retinere poſſet, enixe petiit, ut ſupra ejus pectus ſacrum Viaticum reponeretur. Poſitum ſtatim diſparuit, & ipſa ſimul ſanctiſſime obiit. Addunt alii ſuper carnem defunctæ circa cor Imaginem Crucifixi inventam fuiſſe. Secunda ex Caſtora de Galutiis, & Egano Lambertino nata, cum undecimum agens annum ad Euchariſtiam accedere vereretur, in preces effuſa, Hoſtia cælitus delapſa recreari meruit, qua ſumpta feliciter expiravit. Ita Scriptores Bonon., & Bolland. (*b*).

b ad diem 10. Maji.

CAPUT XXXIX.

De ponderandis a Fidei Promotore, & a Conſultoribus ſacræ Congregationis, cum dubium proponitur, & diſputatur de virtutum heroicitate, & ſignanter de peccatis, quæ aliquando occurrunt in perſcrutanda ſerie vitæ Servorum Dei.

1 JUxta alibi dicta de virtutibus heroicis uniuſcujuſque ſtatui conſentaneis, Promotor Fidei, & Conſultores in dubio virtutum præcipue advertere debent, an virtutes ad gradum heroicitatis aſcenderint, & an earum fulgor aliquando fuerit ab aliis rebus geſtis obnubilatus.

2 Laudantur nonnulli in ſacris Scripturis, & in Eccleſia, quod a teneris annis futuræ ſanctitatis indicia præbuerint, ut in lectionibus S. Antonii Ulyſſiponenſis, & aliorum. Indicia vero ſunt neglectus puerilium ludorum, & ſæculi illecebrarum, miſericordia in pauperes, & abſtinentia, ut legitur in lectionibus SS. Nicolai Tolentini, & Felicis Valeſii, & in bull. Canoniz. S. Roſæ Limanæ, & aliorum. Hæc Sanctos ab infantia reſpiciunt; ſed cum nonnulli, qui propter pœnitentiam canonizantur, peccaverint, idcirco de peccatis ante, & poſt converſio-

ſionem commiſſis in præſentiarum diſſerendum eſt.

4. 5 Plerique ab Infidelitate, & peccatis ad veritatem, & ſanctitatem, Divina aſpirante gratia, pervenerunt. Quæritur ergo, an, & cur in expendendis Servorum Dei virtutibus habenda ſit ratio de peccatis, quæ ante converſionem commiſerunt. Theophilus Raynaudus habendam eſſe eorum notionem fuſe oſtendit, tum auctoritate, cum in novo Teſtamento negatio Petri, & peccata aliorum referantur: tum ratione, ne ſi eorum peccata ignorarentur, iidem crederentur fuiſſe ſuperioris naturæ, adeoque ab eorum imitatione, tamquam impoſſibili, peccatores retraherentur, ut fuſius explicarunt S. Auguſtinus (*a*), Palladius (*b*), & alii. Quin etiam Card. Bellarminus colligit, S. Joſephum Patriarcham numquam peccaſſe, quod Scriptura nullum ejus peccatum memoret, quæ cæteroquin nullius, quantumvis juſti, peccata diſſimulare ſolet. SS. Thomas, & Bonaventura probabilius cenſent, peccata Juſtorum in Judicio univerſali fore revelanda, ſed advertit Suarez, id ſine eorum triſtitia, & pudore futurum. Porro *Matth.* 3. legitur faciendos eſſe fructus dignos pœnitentiæ: & dignos quidem fieri ab eo, qui tantum affligitur per pœnam, quantum deliquit per culpam, adnotavit Card. Hugo ſuper *loc. cit.* Ea his palam fit, opus eſſe, ut in expendendis Servorum Dei geſtis cognoſcantur eorum peccata ante converſionem commiſſa, ut ſcilicet dignoſcantur fructus pœnitentiæ. Quapropter Urbanus VIII. mandavit, ut ſuper antecedentibus criminibus cujuſdam Servi Dei, qui ſub eo obiit, juridicus conficeretur proceſſus, & ſigillis clauſus ſervaretur in archivo caſtri S. Angeli, aperiendus, cum forte illius cauſa Beatificationis promoveretur. Dignos pœnitentiæ fructus explicat S. Gregorius (*c*). An autem pro conſtituendo digno fructu pœnitentiæ quoad ſanctitatem coram Eccleſia attendendum ſit tempus, quo converſus ad Deum in heroica pœnitentia permanſit, non poteſt facile definiri. Eccleſia pro Confeſſore (nam pro Martyre ſolus obitus totam heroicitatem ſuppeditat) canonizando intenſam, longam, & multiplicem heroicitatem requirit; ſed cum contingere poſſit, ut quis conſummatus in brevi expleat tempora multa, pro conſtituendo digno fructu pœnitentiæ quoad ſanctitatem, etiam in Eccleſia militante, perpendenda videtur actuum qualitas. Optima igitur videtur ſententia, quæ in hac re diuturnam quidem expoſcit heroicitatem, ſed abſque ulla temporis definitione: idcirco, ubi caſus contingat, unuſquiſque in cauſa ſuffragaturus, perpenſo antecedentis vitæ Servi Dei curſu, advertere debebit, an is vel ratione diuturni temporis, quo heroice vixit, vel ratione qualitatis actuum, quos breviori tempore exercuit, inter Heroas, & Sanctos adſcribi poſſit, juxta illud S. Joannis Chryſ. (*d*) *Non temporis longitudine, ſed affectus ſinceritate pœnitudo cenſetur*. Similia de vineæ operariis docet S. Hieronymus.

a de natura & gratia c. 35. to. 10. col. 144.

b in hiſtor. Lauſiaca apud Roſvveidum l. 8. c. 22.

c homil. 20. in Evang. col. 1519. n. 8. to. 1.

d lib. de reparatione hominis.

6. 7 Succedunt peccata, quæ Servi Dei commiſerunt, poſtquam vel ad Deum per pœnitentiam converſi, vel ad heroicam vitam a communi proborum hominum vivendi modo progreſſi ſunt. Baillet quorumdam Sanctorum peccata refert, & inter alia refert S. Aligium, ſeu Arigium Epiſcopum Lugdunenſem quibuſdam ſceleribus inquinatum fuiſſe, nec ullum extare pœnitentiæ monumentum. Eum tamen plene vindicant Cointius, Severtus, & Theophilus Raynaudus. Quidquid ſit de hac hiſtorica controverſia, in cauſis Servorum Dei, ſerio advertendum erit, num poſt converſionem, an poſt heroicos ſuſceptos mores, iidem aliqua peccata commiſerint, & an novos dignos pœnitentiæ fructus protulerint, ut colligitur ex cauſa S. Bernardini Senenſis, & colligi poſſet ex aliis exemplis. Sed ut magis appareat neceſſitas examinis, quo ſubſecuta pœniten-

Digitized by Google

nitentia probetur, ponderanda ſunt verba *Ezechiel.* 18. *Si Impius egerit pœnitentiam . . . omnium iniquitatum ejus, quas operatus eſt, non recordabor.* Ex quibus colligitur merita per peccatum mortificata reviviſcere per Contritionem, ſed adhuc diſſident Theologi, ad quem Gratiæ, & gloriæ gradum reviviſcant. S. Thomas docet (*a*), quod *Pœnitens quandoque reſurgit in majori Gratia, quam prius habuerat, quandoque in æquali, quandoque in minori*, juxta motum liberi arbitrii intenſiorem, vel remiſſiorem. Cum vero pro declaranda ſanctitate coram Eccleſia heroicitas ſit attendenda, non ſatis erit, ut vel converſus ad Deum, vel Heroes, qui alia peccata commiſerunt, pœnitentiæ ſigna dederint; ſed opus eſſe videtur, ut tot, ac tales exteriores actus Chriſtianarum virtutum, & pœnitentiæ ediderint, ut, quantum fas eſt, cognoſci poſſit, utrum ad eum ſanctitatis gradum redierint, in quo coram Eccleſia erant conſtituti, an ad majorem aſcenderint, aut in minori perſtiterint. Quapropter, ſi ab externis actibus deſumitur, eos ad priſtinum duntaxat ſtatum rediiſſe, poterit quidem præteritæ ante peccatum laudabilis vitæ ratio haberi; ſed maxime dubitari poterit, an ſic heroes fuerint, & Sancti in Eccleſia militante adſcribendi ſint, cum juxta S. Ambroſium (*b*) hi poſt lapſum acriores ad currendum exſurgant.

a 3. part. qu. 89. ar. 2.

b Apol. 1. David c. 2. n. 6. to. 1. col. 677.

8 Pœnitentia in re præſenti dividitur in pœnitentiam peccatorum ante converſionem, in pœnitentiam mortalium commiſſorum poſt converſionem, & in pœnitentiam venialium. Jam vero, Juſtos aliquando venialiter peccare colligitur ex illo *Proverb.* 24. *Septies cadet Juſtus, & reſurget*; & ex aliis Scripturæ locis. Porro in cauſis Canonizationis de peccatis venialibus inquirendum eſt, ut dignoſcatur, quot, & qualia fuerint, & quomodo Servi Dei circa illa ſe geſſerint. Si enim aliqua peccata venialia ex ſurreptione, & forte aliqua conſulto admiſerint, ſed poſtea iis vitandis ſtuduerint, piiſque operibus pro iis ſatisfecerint, non erunt propterea a Beatificationis, & Canonizationis honore amovendi. Moyſes inter veteris Teſtamenti Sanctos recenſetur: plerique tamen ſacræ Scripturæ Interpretes ipſum venialiter peccaſſe autumant, cum *Numer.* 20. aquam de petra educere a Domino juſſus hæſitaverit. Quod ſi in expendendis virtutibus peccata venialia frequenter, & conſulto commiſſa occurrerent, nec appareret reſipiſcentia, & ſatisfactio, profecto a virtutibus approbandis abſtinendum videretur, ut eruitur ex doctrina S. Thomæ (c), & aliorum: quia peccata venialia apud eumdem S. Thomam ad mortale diſponunt, & alia detrimenta ex iis in animam redundant, quæ enumerat Joannes Thaul. Quomodo autem in expiandis peccatis venialibus Sancti ſe geſſerint, deſcribunt S. Hieronymus (*d*), & Roſignolius.

c 1. 2. qu. 89 ar. 8. ad 3.

d in Epitaphio S. Paulæ n. 15. col. 689. to. 1. oper.

10 Benedictus XIV., quando Fidei Promotorem agebat, expendens dicta quorumdam teſtium præcipue Confeſſariorum, aſſerentium aliquem Dei Servum vel per totam vitam, vel longo tempore poſt converſionem elapſo, immunem fuiſſe a quocumque peccato veniali, oppoſuit juxta communem Theologorum doctrinam, neminem per totam vitam, aut per diuturnum tempus, ſolis auxiliis Gratiæ habituali annexis, poſſe omnia venialia collective ſumpta vitare, quod colligitur ex Scriptura ſupra cit., ex S. Auguſtino (*e*), Caſſiano (*f*), & ex S. Thoma (*g*). Addidit hominem juſtum ſpeciali privilegio poſſe omnia peccata venialia vitare, quod de B. Virgine docuit Concilium Tridentinum (*h*), & antea docuerat S. Auguſtinus (*i*), ſed cum idem Sanctus nullam aliam puram creaturam a peccato immunem fuiſſe pronuntiaverit, idcirco idem Benedictus concluſit, valde dubitandum eſſe, an prædictis teſtibus fides præſtari poſſit.

e de nat. & gratia c. 36. n. 42. col. 145. oper. to. 10.

f collat. 22. c. 13. pag. 770.

g 3. par. qu. 77. ar. 4.

h ſeſſ. 6. de juſtific. can. 23.

i de natura & gratia c. 36.

11 Porro Gerſonius ex alibi dictis hu-

hujuſmodi Confeſſariorum atteſtationes reprobavit: ſed cum S. Sedes, & Congregatio rituum eas admittere conſueverint, juvat hic nonnulla ad eaſdem pertinentia expendere. Nonnullæ itaque ex his atteſtationibus adſtruunt, aliquem Dei Servum a peccatis mortalibus fuiſſe immunem, & iſtæ huc non ſpectant, cujuſmodi fuerunt illæ Confeſſariorum S. Pii V. apud Auditores Rotæ in relat. cauſæ, & aliæ, quas de S. Aloyſio Gonzaga prodidit Card. Bellarminus. Aliæ referunt, nullam in Confeſſione fuiſſe abſolutionis materiam, quæ ſi prodierint a Confeſſariis, qui vel generalem Confeſſionem non audierint, vel aliqua tantum vice, aut interpolatis vicibus Confeſſiones Servorum Dei audierint, prædictam immunitatem a peccatis venialibus non evincunt. Nonnullæ atteſtationes narrant, vix in generali Confeſſione fuiſſe abſolutionis materiam, cujuſmodi fuit atteſtatio B. Raymundi in vita S. Catharinæ Senen. Sed hæ atteſtationes tum propter particulam *vix*, tum quia peccata venialia confiteri non tenemur, controverſæ immunitati non ſuffragantur. Aliæ ſunt de immunitate a venialibus in aliqua determinata materia, quemadmodum S. Bernardus *in vita S. Malachiæ* (*a*) teſtatus eſt, nil otioſum in eo deprehendi umquam potuiſſe; & his atteſtationibus, cæteris non deficientibus, non eſt deneganda fides, ut ponderat Card. Gottus. Demum generales, & immodicæ Confeſſariorum atteſtationes explicari poſſunt de peccatis venialibus, plene deliberatis, ut proſequuntur idem Cardinalis Gottus, & Alvarez de Paz, & eruitur ex S. Gregorio (*b*). Caute tamen excipiendas eſſe colligitur ex S. Auguſtino (*c*), & Suarez.

a c. 19. col. 682. vol. 1. oper.

b Moral. l. 18. c. 7. col. 661. oper. to. 1.

c in pſal. 98 n. 12. col. 1067. oper. to. 4.

CAPUT XL.

De nota jactantiæ, & vanæ gloriæ, de qua ſæpe diſputandum occurrit in examine virtutum Servorum Dei.

1 &c. EX alibi dictis, aliquando Servi Dei præclaras res a ſe geſtas, & dona ſibi a Deo collata vel ſcriptis prodiderunt, vel oretenus aliis manifeſtarunt. Id quippe fecerunt Paulus Apoſtolus, Job, Ezechias, Abbas Joannes apud Caſſianum, Abbates Anuph, & Pambo apud Palladium, aliique plures. Deciperetur tamen, qui his, ac ſimilibus exemplis adductus crederet, poſſe unumquemque ſine jactantiæ, & vanæ gloriæ vitio laudabilia ſua geſta palam exponere. Profecto Sapiens *Prov.* 27. præcipit: *Laudet te alienus, & non os tuum*. Et Eſtius in illa verba Apoſtoli: *Utinam ſuſtineretis modicum quid inſipientiæ meæ*, affirmavit, *quod gloriari, & laudare ſe ipſum vulgo judicatur eſſe opus hominis inſipientis, ac vani, eſtque re vera tale, niſi juſta aliqua neceſſitas excuſet*; quod etiam antea docuerat S. Joannes Chryſoſtomus (*d*). Quapropter aliqua noſcenda ſunt, ut in examinandis cauſis Servorum Dei, qui ſcriptis, vel verbis res ſuas egregias retulerunt, tutum ferri poſſit judicium, utrum id vitio inanis gloriæ, an virtuti ſit adſcribendum.

d In pſalm. 130. pag. 572 oper. to. 5.

5. 6 Eſtius paulo ante laudatus advertit, Deum nec præcipere, nec conſulere homini, ut ſe ipſe laudet, ſed alicubi prohibere. Quocirca primo advertendum eſt, quid Servus Dei referat; de quo gloriari videtur: ſi enim de re caduca, & fragili gloriaretur, peccato vanæ gloriæ non careret, quod juxta S. Thom. (*e*) mortale eſſe poteſt ratione materiæ. Si autem res gloriam vere mereatur, ſcrutanda eſt intentio gloriantis, ut innuit S. Gregorius (*f*). Sed cum intentio ſoli Deo pateat, advertenda ſunt nonnulla, ex qui-

e 2. 2. qu. 132. ar. 3.

f Moral. 12. c. 31. col. 405. to. 1.

Digitized by Google

quibus ea colligatur. Itaque juxta S. Iſidorum Peluſiotam (*a*) neceſſitas narrandi, vel ſcribendi propria egregia facinora rectam arguit intentionem; necnon ſi id fiat *calumnia, aut accuſationis depellendæ gratia, aut cum aliorum utilitate*, ut loquitur Plutarchus, cum quo conſentiunt Dantes, & alii. Et ſane Samuel pro depellenda calumnia innocentiam totius vitæ ſuæ univerſo Iſraeli expoſuit. Et Paulus, & Barnabas ad profectum audientium publice annuntiarunt converſionem gentium, & miracula, quæ Deus per ipſos patraverat. Infamiæ quoque depulſionem, æſtimationis reparationem, & ſpiritualem aliorum profectum tamquam honeſtas pro ſui commendatione cauſas admiſerunt Theologi, qui hoc argumentum verſarunt, Marcant., & Theophilus Raynaud., quibus favet doctrina S. Gregorii (*b*).

a lib. 3. ep. 278. pag. 610.

b l. 18. Moral. c. 7. n. 14 col. 562.

7 &c. Ponderanda quoque ſunt verba eorum, qui de ſe loquuntur, an ſcilicet ſobrietatem, & modeſtiam redoleant, an quaſi ab invito procedant, & an omnia ad ultimum finem, ideſt ad gloriam Dei, referantur: hæc enim ſervaſſe S. Paulum, cum ad ſuas laudes deſcenderet, adnotarunt S. Joannes Chryſ. (*c*), S. Gregorius (*d*), & Eſtius. Legi quoque poteſt vita S. Ignatii a P. Ribadeneira ſcripta, & epiſtola B. Joannis Tauſignani, quæ dabitur in appendicibus. Sed, & S. Baſilius (*e*) pluribus oſtendit, omnia ad debitum finem, hoc eſt ad Dei honorem eſſe referenda. Omnia hæc elucent in exemplis ſupra allatis, ſed quia in cauſis Canonizationis nil eſt prætermittendum, quod veritati eruendæ prodeſſe poſſit, idcirco præter illa, quæ dicta ſunt, ſedulo inquirendum erit, an Servus Dei, qui ſua mirabilia enarravit, humilitate, aliiſque virtutibus excelluerit: his enim, ac ſupra adductis circumſtantiis concurrentibus, eorum relatio a vana gloria immunis exiſtimari poterit, ut explicant Nicolaus Lancic., P. Bartolus in vita Card. Bellarmini, & Roderic. Hæc, quæ de narrantibus dicta ſunt, locum habent in ſcribentibus; ſed quoad hos ultarius inquirendum erit, an Superiorum juſſu, vel conſilio ſcripſerint; his enim deficientibus, inanis gloriæ, aut imprudentiæ notam forte non vitabunt.

c ſerm. 26. to. 5. opuſc. pag. 336. edit. Front. Ducæi.

d 18. Moral. n. 13. loc. cit.

e to. 2. pag. 156. n. 3.

10 Hic agendum eſſet de nonnullis Dei Servis, qui aſſeruerunt, ſe poſt obitum fore canonizandos. Sanctus quippe Franciſcus de Paula Leoni X, & S. Vincentius Ferrerius apud Bollandian. (*f*) Calliſto III. Pontificatum prædixerunt, addentes, ſe ab iis eſſe in album Sanctorum referendos. Similia leguntur de S. Philippo Nerio apud Riccium in ejus vita, & de S. Andrea Avellino apud Caſtaldum pariter in ejus vita. Sed cum eventus prædictionem comprobaverit, prædicta non vitio jactantiæ, ſed Spiritui prophetico tribuenda ſunt.

f ad diem 5. April.

11 &c. Nonnumquam Servi Dei bona opera palam faciunt; cumque Chriſtus *Matth. 6.* dixerit: *Te autem faciente eleemoſinam, neſciat ſiniſtra tua, quid faciat dextera tua*, Et: *Ora Patrem tuum in abſcondito*, hinc ſtatim opponitur jactantiæ, ne dicam hypocriſis vitium. Verumtamen advertendum eſt, eumdem Chriſtum *Matth. 5.* dixiſſe: *Luceat lux veſtra coram hominibus, ut videant opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum*. Quapropter ut omnia concilientur, dicendum eſt, ea palam fieri debere, non autem ad propriam, ſed ad Dei gloriam, ut explicant S. Gregorius (*g*), & S. Antoninus (*h*). Ideo in cauſis Servorum Dei, qui hoc modo operati ſunt, inveſtiganda erit agentis intentio; & hæc quidem recta præſumenda erit, ſi ex reliquo vitæ curſu conſtet, eum ſanctitate floruiſſe: ſecus, ſi ſanctitatis indicia abſint, ut laudati Sancti pariter explicant.

g 3. part. Paſtor. c. 35 col. 96. to. 2.

h in ſumm. par. 2. tit. 4. c. 2. §. 4.

14 Huc ſpectat alia controverſia; an ſtemmata familiæ, vel nomina Servorum Dei appoſita ædificiis, aliiſque rebus ipſorum auctoritate, aut ære conſtructis, ſint vanæ gloriæ indicia.

Por-

Digitized by Google

Porro ſi hæc, inſciis illis, fiant, uti inſcio S. Carolo Borromæo inſignia familiæ ejuſdem, & apud Carolum a Baſilicapetri, & ex aliis monumentis appoſita fuerunt ædificiis, aliiſque rebus ejus auctoritate conſtructis, nulla eſt vanæ gloriæ ſuſpicio. Si vero ſcientibus, & volentibus, id damnat Thaulerus: ſed mitius fert judicium Nicolaus Alemannius *de Lateranenſibus parietinis*, addens quoſdam Pontifices *ritra vituperationem* imagines in Urbis Baſilicis ſibi poſuiſſe. Et etiam nunc viſuntur Inſignia familiæ S. Pii V. in angulis ædium, quas in Urbe tribunali Inquiſitionis aſſignavit. Baronius vero refert, Conſtantinum Imperatorem ab iis apponendis abſtinuiſſe. Concludendum itaque eſt, laudabilius eſſe ab ejuſmodi appoſitione abſtinere: hanc tamen honeſtam eſſe, ſi ſobrie fiat, & rectum finem reſpiciat, ut explicant Card. Palæotus, & alii. Inhoneſtam vero, ſi ad humanam captandam gloriam tendat, ut oſtendit S. Antoninus (*a*).

a in ſumm. par. 2. tit. 4. c. 1. ſub §. 4.

CAPUT XLI.

De nonnullis aliis rebus, de quibus in examine cauſarum Servorum Dei frequens ſe offert occaſio diſputandi; de nonnullis regulis adhibendis, ut tutum de geſtis a Dei Servis feratur judicium, & de quibuſdam extraordinariis actionibus, quæ a ſpeciali Dei impulſu facta aſſeruntur.

1. 2 EPiſcopus, dum ſacrum Presbyteratus Ordinem confert; multos interpellat, ut ſi quis aliqnid adverſus Ordinandos habeat, memor ſuæ conditionis libere pandat. Sic dum agitur de virtutibus Servorum Dei, requiritur multorum ſententia, ideſt omnium, qui Congregationi rituum adſcripti ſunt, ut omnia, etiam levia, quæ de eorum Actibus, & moribus ſentiunt, libere exponant. Hinc plura in eodem judicio proponnntur, quorum præcipua hic attingentur.

3 In Actis Servorum Dei teſtes ſæpe referunt, peccatores fuiſſe ab eis reprehenſos: ſi autem ſuaviter, de inertia; ſi fortiter, de exceſſu dubitatur. Peccator occultus, juxta præceptum Chriſti, ſecreto, publicus ex Apoſtolo publice eſt reprehendendus. Aliqui tamen Sancti apud Palladium peccata occulta, Deo revelante cognita, publice increparunt, ſed hi ob ſupernaturalem cognoſcendi modum non tenebantur lege privatæ admonitionis. Qualiſcumque ſit reprehenſio, quæſtio inſtituitur, utrum facta ſit verbis nimis ſuavibus, an nimis ſeveris, cujus quæſtionis reſolutio, juxta doctrinam S. Auguſtini (*b*), pendere videtur a qualitate perſonarum, quæ reprehenduntur. S. Franciſcus Xaverius monet, perſonas in dignitate conſtitutas caute, & moderate eſſe redarguendas; pertinaces vero, & publicos peccatores etiam ſevere, ſi inde fructus ſperetur, ut ipſemet fecit, teſte Turſellino, & jam antea fecerant SS. Joannes Baptiſta, Paulus, & Stephanus, quibus omnibus præiverat Chriſtus, qui Pbariſæos acriter, publice, & ſæpe objurgaverat. Id ipſum docuit S. Gregorius (*c*); Verumtamen reſipiſcentes paterne excipiendi ſunt, idcirco cum Decanus Bracarenſis apud Archiepiſcopum ſuum Bartholomæum de Martyribus graviter offendiſſet, huic illum, utpote reſipiſcentem enixe, etiam nomine Pii IV. S. Carolus commendavit.

b ſerm. 83. de verbis Domini n. 8. col. 451. to. 5.

c 2. par. Paſtor. c. 10. col. 30. to. 2.

4. 5 Similis quæſtio interdum excitatur de Servis Dei, qui Hæreticorum converſioni operam dederunt. Si enim leniter eos exceperint, de fortitudinis defectu; ſi increpando, de imprudentia redarguuntur. Monet Apoſtolus (*d*), Hæreticum poſt ſecundam correctionem eſſe vitandum; quod de obſtinatis intelligit S. Joannes Chryſoſtomus (*e*), addens, curandam eſſe diligenter Hæreticorum converſionem. S. Bernardus apud Alanum Epiſcopum Antiſiodorenſem modeſte, ac ſuaviter egit cnm Abaelardo hæreſi infecto, cujns proinde converſionum reportavit.

d ad Tit. 3. v. 10.

e hom. 3. in c. 1. Geneſ. pag. 18. oper. to. 4.

vit. Simili modo ſe geſſit Leo X. erga Martinum Lutherum; & S. Franciſcus Saleſius erga Theodorum Bezam, experientia edoctus, *ex lenitate majorem ſemper emergere utilitatem*, ut ajebat ipſe apud Carolum Auguſtum Saleſium. S. Auguſtinus apud Card. Baronium (*a*) Hæreticos incipientes, in ſpiritu lenitatis, ac manſuetudine; inveteratos, & refractarios, acriter redarguere conſuevit. Et juxta bas regulas ferendum videtur judicium de lenitate, aut ſeveritate, qua Servi Dei Hæreticos corripuerunt. Illud quoque advertendum, an tribunalibus Eccleſiaſticis eos denuntiaverint, ſi res ſit de Hæreticis, qui verſantur in regionibus, in quibus adverſus hæreſes tribunalia vigent, & edicta ſanctiſſimæ Inquiſitionis ſuum robur obtinent. SS. Patres aliquando ſevero, & acri ſtylo adverſus Hæreticos ſcripſerunt; interdum in ſpiritu lenitatis illorum errores detexerunt, & reprobarunt, non diſſimulantes, quidquid in eorum operibus approbatione dignum invenerunt, cujus rei exempla ſuppeditant SS. Epipbanius (*b*), Baſilius (*c*), Hieronymus (*d*), & Bernardus (*e*), necnon Nicolaus Papa apud Baronium (*f*). Quæ tamen dicta intelligantur, non, ut fas nunc ſit Hæreticos laudare; obſtat enim inſtructio Clementis VIII. ad regulas Indicis: *Epitheta honorifica, & omnia in laudem Hæreticorum dicta deleantur*: ſed, ut ſupra allata confirmentur, ſcilicet a rerum circumſtantiis potiſſimum pendere, utrum Hæretici reprehendendi ſint ſevere, an leniter.

6 Aliquando Servis Dei viventibus calumniæ affinguntur. Quod ſi eas repulerint, opponuntur exempla Sanctorum, qui calumniis impetiti tacuerunt: ſi neglexerint, traducuntur, uti propriæ famæ proditores: hanc enim propugnandam eſſe monent Eccleſiaſticus, cap. 41., & ſacri canones, licet S. Ambroſius innuat (*g*), exemplo Cbriſti calumniantibus non eſſe reſpondendum. Quæſtionem reſolvit Theopbilus Raynaudus ex SS. Patribus aſſerens, fas eſſe calumniam repellere, perfectionem vero a repulſu abſtinere, niſi ratione muneris, vel alieni boni repellere quis teneatur, ut proſequitur Roſignolius, ac de Religioſis docuerat S. Thomas (*h*).

7 Contigit aliquando, ut Servi Dei pro delinquentibus, & ad exilium, vel mortem damnatis preces exhibuerint, ut a pœnis liberarentur; hinc dubium, an a via perfectionis defecerint. Illud tamen approbavit S. Auguſtinus (*i*), & præſtiterunt SS. Ambroſius, Flavianus, aliique apud Baronium (*k*), & S. Bernardus (*l*) latronem famoſum ab imminenti morte liberavit.

8 &c. De Servis Dei Regularibus dubitari ſolet, an defecerint, ſi ab una ad aliam Religionem tranſierint, ſi Superioribus prompte non obedíverint, ſi proprium Inſtitutum laudantes aliis præferendum eſſe dixerint. Porro tranſitum ex animi levitate procedentem reprobat S. Bernardus (*m*): neceſſarium, aut utilem laudat S. Tbomas (*n*). Cujuſmodi fuit tranſitus S. Nicolai de Tolentino apud S. Antoninum, & aliorum apud Thomam de Herrer. S. Thomam Aquinatem Monacbum fuiſſe ſub Regula S. Benedicti, antequam Ordinem Prædicatorum ingrederetur, nonnulli autumant, ſed perperam, ut notavit Juſtus Fontaninus. S. Joannes Gualbertus vero, ut narrat Card. Baronius, monaſticum Inſtitutum antecedenter ſuſceptum reliquit, ut novum inſtitueret, idque fecerunt etiam SS. Dominicus, & Franciſcus de Paula, aliique apud Petrum Sutorem. Non vero ad aliam Religionem tranſit, qui ab una Familia in aliam ejuſdem Ordinis ſe inſinuat, ut perpenſum fuit in cauſa Ven. Michaelis a Sanctis. Cœcam obedientiam erga Superiorum mandata commendant Petrus Bleſenſis, & Caſſianus. Cujus quidem obedientiæ celebre exemplum apud S. Gregorium M. prodidit S. Maurus, cum juſſu S. Benedicti ſuper aquas cucurrerit, Placido Monacho in lacum prola-

a In Annal. ad an. 420.

b in epiſt. ad Acac. & Paul. n. 1. oper. to. 1.

c oper. to. 2. pag. 189. & ſeq. hom. 24. pag. 195 n. 7.

d Apol. 3. contra Ruffin. n. 27. col. 556. to. 2.

e epiſt. 90. ad Innocent. II.

f ad ann. 878. n. 62.

g l. 10. in Lucam n. 27. col. 1525. to. 1.

h quodlib. 5. ar. 26.

i epiſt. 153. alias 54. ad Maced. c. 1. num. 3. col. 525. oper. to. 2.

k ad ann. 398. n. 92. & ſeq.

l in lib. 7. vitæ c. 15. oper. vol. 2. col. 1219.

m lib. de præcept. & diſpenſat. col. 524. vol. 1.

n 2. 2. qu. 189. ar. 8.

pſo opem allaturus. Similia de S. Theodora, quæ ſub viri ſpecie inter Monachos vixit, & de Fliſano pariter Monacho leguntur apud Surium (*a*). Cæterum juxta *Can. Si is, qui præeſt*, Superiori aliquid contra Legem Divinam mandanti non eſt obediendum, neque contra Regulam, ut ſcribit S. Bernardus (*b*). Cæca vero obedientia excludit prudentiam carnis, non ſpiritus, proſequitur Suarez. Tandem juxta S. Thomam (*c*) obedientia trifariam diſtinguitur: alia ſufficit ad ſalutem, qua quis ſcilicet obedit in iis, ad quæ obligatur; alia eſt perfecta, & verſatur in omnibus licitis; alia indiſcreta, quæ etiam illicita attendit, & juxta eumdem, Superiori obediendum eſt in his, quæ ſunt Regulæ, vel ad Regulam reducuntur: quoad alia obedire non ad neceſſitatem, ſed ad perfectionem pertinet. Quapropter ubi inveniatur, Servum Dei præcepto Superioris non obtemperaſſe, ponderandum eſt præceptum, antequam ſuper obedientia judicium feratur. Qui de obedientia plura velit, adeat P. Rodericum. Exempla vero ſuperius allata oſtendunt, quantum Deo placeat obedientiæ virtus; non quidem, ut eumdem operandi modum imitemur, ſed ut virtutis perfectionem aſſequi contendamus. Demum aliquando ignoſcendum eſt ſimplicitati Servorum Dei, qui laudibus ſuam Religionem ſupra alias extulerunt, eorumque verba vel benigne interpretanda ſunt, aut caritati erga ſuum Ordinem adſcribenda. S. Bonaventura affirmavit, Regulam Ordinis Minorum, cui nomen dederat, eſſe *aliis regiminibus ſublimiorem*: ſed legi poteſt Card. Pallavicinus.

12 Gravior aliquando difficultas excitatur in cauſis Servorum Dei Regularium adverſus votum paupertatis ob non ſervatam vitam communem, & propter peculii poſſeſſionem contra Conſtitutiones Canonum, & potiſſimum Concilii Tridentini. In quodam *Tractatu de vita communi* Romæ edito an. 1675. decem numerantur circum-

a ad diem 2. Auguſti to.4.

b in epiſt. ad Adam Monachum

c 2. 2. qu. 104. art.5. ad 3.

ſtantiæ, in quibus, non obſtante Tridentino, Religioſis poteſt eſſe permiſſus peculii uſus: brevius dici poteſt licitus hic uſus, ſi ab Ordinis Conſtitutionibus a Pontifice approbatis permiſſus ſit, ſi vergat in cauſas licitas, aut neceſſarias a Superiore approbatas, ſi Regularis paratus ſit peculium, præcipiente Superiore, apud eumdem reſignare. B. Petrus Damiani de S. Leone IX. (*d*), qui bellum geſſit adverſus Normannos, ſenſit, eumdem eſſe ſanctum, non quod bellum geſſerit, ſed quod alia egregia opera præſtiterit. Hæc ſententia in aliquibus uſurpari poteſt in re præſenti; videlicet, Servum Dei Regularem, qui peculio uſus ſit, poſſe canonizari, non quod peculio uſus fuerit, ſed quod aliis virtutibus excelluerit.

13 &c. Hic exponendæ ſunt regulæ, quibus de geſtis Servorum Dei tutum ferri poteſt judicium. Actus humani itaque bonitatem deſumunt ab objecto, a circumſtantiis, & a fine operantis. Præterea actus ex objecto bonus, ſed ex fine, aut ex circumſtantiis malus, totus eſt malus. Actus vero ex objecto & ſpecie ſua indifferens, ideſt, nec definite malus, bonitatem, aut malitiam habet ex bono, aut ex malo fine. Item intentio boni finis vitiatur a prava medii electione: neque ejuſmodi intentio malitiam a prava intentione aufert, ſed minuit, ut docent S. Auguſtinus (*e*), & S. Thomas (*f*). Has regulas præſcribunt Theologi de bonitate, & malitia actuum humanorum, eædemque adhibendæ erunt, cum de geſtis Servorum Dei quæſtio inſtituitur in Congregatione rituum: objectum quippe geſtorum, circumſtantiæ, finis, & cætera ſupra expoſita ſedulo ponderanda erunt, ubi dubium occurrat de bonitate, aut malitia, quod præclare explicat S. Joannes Chryſoſtomus (*g*). Narrat Sulpitius Severus (*h*), S. Martinum a Maximo Imperatore honorifice exceptum permiſiſſe, ut Regina Imperatoris uxor ſola ſibi miniſtraret, ut ipſa, & Imperator roga-

ve-

d l.4. ep.9. circa fin.

e lib. contra Mendacium c. 7. n. 18. col. 456. to.6.

f 2. 2. qu. ſupra cit. ar. 2.

g hom.16. in epiſt. ad Rom. n.1. pag. 604. to.9.

h dial.2.c.7

Digitized by Google

verant. Quidam ſubinde fingitur, qui S. Martinum de hoc arguit, ſed alter reſpondet, locum, tempus, & perſonam conſideranda eſſe; item Martinum precibus Imperatoris, & Reginæ obſecundaſſe, idque facere debuiſſe, ut quoſdam e carcere, & exiliis liberaret. Huc revocari poſſunt, quæ ſuperius dicta ſunt de relatione, & manifeſtatione bonorum operum, & Divinorum chariſmatum: de ſuavi, aut acri Peccatorum, aut Hæreticorum reprehenſione: de pavido, aut impavido mortis occurſu, de quo multa Rodericus. Item nonnulli Sancti, ut Ignatius, & Philippus Nerius, corpus afflixerunt citra ullam immunditiem: alii, ut Job, & Franciſcus immunditiem ipſam admiſerunt. Similia paſſim occurrunt in Actis Sanctorum. Quæ quidem omnia, licet inter ſe diverſa, laudabilia, & meritoria ſunt, ſi a bono fine proceſſerint, & congruæ circumſtantiæ acceſſerint: ab una enim Caritatis radice mores hi ſpecie diverſiſſimi effloruerunt. Profecto nonnulli ex antiquis SS. Epiſcopis, ut Martinus, Malachias, & Bonifacius Martyr viles veſtes geſtarunt, & longa itinera pedites confecerunt: ſubſecutis temporibus, alii ſanctitate celebres, ut Thomas de Villanova, & Carolus Borromæus decentibus veſtibus, & modeſta ſuppellectili uſi ſunt. Utrique laudabiliter, cum omnes pro fine, & objecto primario reſpexerint felix regimen populi ſibi commiſſi. Legi quoque poſſunt, quæ de Card. Ximenio Archiepiſcopo Toletano narrant Donius, & Gomeſius, & de quibus contentio exarſit inter Promotores Fidei, & Poſtulatores.

18 In expendendis Servorum Dei cauſis, ſi actus occurrat a canonicis regulis diſſitus, retinenda eſt regula, quod malitia actus, adeoque pravæ electionis minuitur a bono fine: Pontifices enim, & Concilia aliquando probarunt, ab Epiſcopis, & Abbatibus milites ſubminiſtrari ad regni defenſionem. Præterea nonnulli Sancti Epiſcopi in caſtris manſerunt, ut Sacramenta miniſtrarent alii agmina duxerunt, ab armis tamen, & pugna abſtinentes, ut S. Udalricus Auguſtanus apud Surium. Quos & ſimiles exceſſus ob finem, & circumſtantias honeſtas excuſant Thomaſſinus, & Guillelmus.

19 Sed quid agendum, ſi in examine cauſæ inveniatur aliquis actus, de cujus bonitate, & malitia, penſatis omnibus, dubium ſuperſit? S. Bernardus (a), & S. Thomas (b) ſentire videntur, accipiendum eſſe in meliorem partem. Verumtamen ſi actus appareat malus, in judicio Canonizationis, cenſendus erit malus, ſeduloque inveſtigandum, an ceterarum virtutum fulgorem obtenebraverit. Quod ſi dubius omnino ſit, reſolutio in praxi petenda videtur ex reliquo vitæ curſu, & ab aliis rebus a Dei Servo geſtis e. g. ſi aliquis Dei Servus verba protuliſſet, de quibus dubitari poſſit, an ad jactantiam referenda ſint, ex aliis actibus inveſtigandum erit, an idem humilitate in gradu heroico præditus fuerit: ſi id conſtet, dubii interpretatio ſtabit pro actus bonitate, ut in quibuſdam ſuffragiis aſſeruerunt PP. Miroballus Theatinus, & Ildefonſus Mier Conſultores Congregationis rituum. Juvabit quoque advertere, an in Servo Dei fuerint ea, quæ vitium, de quo dubitaretur, comitari ſolent: hæc enim ſi defuerint, immo oppoſita deprehendantur, vitium quoque defuiſſe dicendum erit. Legi poſſunt, quæ de S. Franciſco Aſſiſien. ſcripſerunt Piſanus, & Waddingus.

20 Majorem inducunt difficultatem res quædam ſingulares, & inſolitæ, quæ aliquando in examinandis Servorum Dei cauſis occurrunt. Suſpectus eſt impulſus, quo quis ad ſimiles actiones movetur. Sed cum ex ſacris Litteris conſtet, Spiritum Dei ad hujuſmodi res nonnumquam movere, ut dum Abrahæ præcepit, ut filium immolaret, & ſimilia, quæ cumulant Cardin. Bona, Card. Federicus Borromæus, & S. Franciſcus Saleſius, idcirco talis inſtinctus non ſtatim damnandus eſt.

a ſerm. 40. ſuper Cantica n. 5. col. 1415. vol. 1.

b 2. 2. qu. 60. ar. 4.

Porro hunc impulſum eſſe a Deo, dignoſci poteſt ex his, quæ tradit laudatus Card. Bona, videlicet, ſi ex reliquo vitæ curſu conſtet, Dei Servum excellenti ſanctitate, & patientia in adverſis fuiſſe illuſtrem; ſi ex conjecturis, & circumſtantiis hauriri poſſit, impulſum adeo vehementem, & efficacem fuiſſe, ut cor, & mentem valide traxerit, & rapuerit, ut contigit in converſione S. Pauli; demum ſi Dei Servus pacem, & tranquillitatem poſt actionem inſolitam conſecutus fuerit. Proderit præterea, ſi aliquid ſupra naturæ vires in actione inſolita contigerit. Suarez quippe ait, præceptum S. Benedicti injunctum S. Mauro, ut Placido in flumen lapſo opem ferret, proceſſiſſe ab impulſu Divino, quandoquidem S. Maurus per aquas, tamquam per terram, ambulavit. Similis impulſus colligitur ex iis, quæ in obitu S. Franciſci Aſſiſienſis contigerunt, cum Jacoba Setteſoli, nulla habita ratione clauſuræ, in Conventum admiſſa fuerit, ut legitur apud Damianum Cornejum. Nonnulla hic addenda eſſent de iis, quæ a Deo præcipi poſſunt, licet præceptis Decalogi, & legi naturæ adverſentur. Mandavit Deus Oſeæ Prophetæ (*a*); *Sume tibi uxorem fornicationum, & fac tibi filios fornicationum*. S. Thomas (*b*) vero docet, Oſeam fornicando non peccaſſe, cum præcepto Divino obediverit, ſicut nec Abraham, dum ex eodem præcepto filium occidere vellet. Alia plura congerunt in hanc rem Interpretes, & Theologi. Sed quod ad rem noſtram attinet, quæſtio hæc reduci poteſt ad res inſolitas, de quibus ſupra, adeoque etiam in his ſatis eſſe videntur regulæ ibi traditæ, quas illuſtrant Caſtellinus, S. Franciſcus Saleſius, & Ven. Ludovicus à Ponte, quibus addi poteſt alia regula, nempe ipſa operis inſoliti felicitas, ut proſequitur laudatus Card. Borromæus.

a C. 2. v. 2.

b 1. 2. qu. 100. art. 8. ad 3.

CAPUT XLII.

De Gratia gratis data.

1. 2 Gratia juxta Theologos alia eſt gratum faciens, alia gratis data. Prima eſt donum ſupra naturam gratia a Deo conceſſum primo, & per ſe relatum ad propriam uniuſcujuſque ſpiritualem ſalutem. Secunda eſt donum a Deo gratis collatum principaliter ad aliorum utilitatem. Primus inter Theologos hanc diviſionem tradidit Alexander de Ales, quem ſecutus eſt D. Thomas (*c*), addens primam excellentiorem eſſe ſecunda.

c 1. 2. qu. 111. ar. 2.

3. 4 Gratiæ gratis datæ enumerantur ab Apoſt. 1. *ad Cor.* 12. videlicet: *Sermo ſapientiæ, ſermo ſcientiæ, Fides, gratia ſanitatum, operatio virtutum, prophetia, diſcretio ſpirituum, genera linguarum, & interpretatio ſermonum.* Inter gratias gratis datas non numeratur Apoſtolatus, & merito; licet enim hic, ſicut & ſacri Ordines, ſint dona a Deo data in aliorum utilitatem, non poſſunt tamen dici gratia gratia data, cum ad hujus eſſentiam pertineat, ut ſit ſenſibilis, & evidens in ſuis effectibus, ut explicant Theodoretus (*d*), S. Joannes Chryſoſt. (*e*), & Card. de Lauræa.

d In 1. ad Corinth. c. 12. v. 7.

5 &c. Gratiæ gratis datæ ex Apoſtolo, communes ſunt peccatoribus, & Juſtis, quia earum opera non pertinent ad voluntatem, nec ejus rectitudinem poſtulant, uti docent Suar., & Viguer. Hinc duplex oritur controverſia, an ſcilicet in judicio Beatificationis, & Canonizationis conſiderandæ ſint, gratiæ gratis datæ, & an, ſi in aliqua cauſa deficiant, ad ulteriora in eadem progrediendum ſit. Prima quidem facie non videtur earum habenda ratio; cum hoc judicium ſit de ſanctitate, innocentia morum, & virtutibus heroicis, cum quibus Gratia gratis data nihil habet commune, ut innuunt SS. Gregorius (*f*), & Hieronymus (*g*). Attendendæ tamen ſunt, præcipue ſi præ-

e hom. 29. in epiſt. 1. ad Corinth. pag. 258. to. 10. oper.

f Moral. 20. c. 7.

g col. 41. to. 7.

præter illas conſtet de virtutibus heroicis, & de innocentia vitæ Servi Dei. Comitatus quippe virtutum patefacit, eas gratias fuiſſe collatas etiam in teſtimonium ſanctitatis Servi Dei, qui illis præditus fuit; eædemque per accidens, & diſpoſitive poſſunt efficere gratum habentem illas; nam *diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum*, inquit Apoſtolus (*a*): cum quo conſonant Salmanticenſes, Matta, aliique Auctores. Neque in his graviter diſcrepant Promotor Fidei, & Poſtulatores cauſarum, quin etiam in Congregatione rituum de iiſdem Gratiis conſuevit ferri judicium, non quidem per dubium ſeparatum a dubio virtutum, ſed ſub eodem dubio; conſiderantur tamen hæ Gratiæ ſolum, ut ſigna manifeſtantia præſumptionem virtutum heroicarum.

a ad Rom. 8. v. 28.

9 &c. Controverſia ergo, quæ remanet inter Fidei Promotores, & Poſtulatores, eſt, utrum, ſi in aliqua cauſa alicujus Servi Dei deficiant Gratiæ gratis datæ, tutum de virtutibus, ferri poſſit judicium, & ad reliqua ſubinde procedi: an potius imponendum ſit cauſæ ſilentium. Salmanticenſes citt. docuerunt, *quod illarum defectus non oſtendit defectum ſanctitatis*. Matthæuccius vero ait, illas a Promotoribus Fidei requiri pro majori cautela. Sane cum in cauſa S. Vincentii de Paulis Promotor Fidei eaſdem requiſierit, Poſtulatores repoſuerunt, non eſſe neceſſarias ad ſtatuendum tutum de virtutibus judicium nonnullas tamen in hoc Sancto ſplenduiſſe. Idem contigit in cauſis B. Alexandri Saulii, & S. Camilli de Lellis. Hæc autem controverſiam non dirimunt. Quocirca dicendum videtur: tuto pede ad ulteriora procedi poſſe in cauſa Servi Dei, in qua virtutes heroicæ legitime probatæ ſint, licet Gratiæ gratis datæ deeſſent; cum ex alibi dictis virtutes, & miracula ſint ſubſtantialia requiſita in judicio Beatificationis, & Canonizationis, uti colligitur *ex cap. Venerabili*, 52. *de teſtib.*, *& atteſt.*, nec non ex bull. Canoniz. SS. Willelmi Bituricenſis Archiepiſcopi, & Antonii Patavini, quod ſentit etiam Auctor Tractatus de Canoniz. SS. ad Card. Montis Regalis. Addit Suarez cit., has gratias dari Juſtis, ſed non omnibus, cum non expediat communi utilitati Eccleſiæ: quod confirmat auctoritate S. Auguſtini. Non eſt itaque cauſæ Servi Dei imponendum ſilentium, licet Gratiæ gratis datæ deficiant multo magis, cum in quibuſdam Canoniz. bullis, & relationibus Auditorum Rotæ nulla fiat mentio hujuſmodi Gratiarum.

CAPUT XLIII.

De Sermone Sapientiæ, & de Sermone Scientiæ, Gratiis gratis datis.

1. 2 PRimus ſermo a ſecundo differt, ut ex verbis Apoſtoli ſuperius laudati explicat S. Auguſtinus (*b*). Docet S. Thomas (*c*) ſapientiam, & ſcientiam non cenſeri inter gratias gratis datas, prout ſunt dona Spiritus Sancti, ſed prout ſignificant quamdam abundantiam ſapientiæ, & ſcientiæ, ut homo non ſolum in ſe ipſo de Divinis ſapere poſſit, ſed etiam alios inſtruere, & contradicentes convincere. Idem proſequitur Viguer.

b lib. 12. de Trinit. c. 14. n. 22. col. 923. to. 8.

c 1. 2. qu. 111. art. 4. in reſponſ. ad 4.

3 &c. Sermo igitur ſapientiæ eſt ſermo externus, quo quis ſine humano ſtudio, & labore de Divinis ita diſſerit, ut appareat, Spiritum Sanctum in eo loqui, & per quem increduli convertuntur, credentes vero in Fide firmantur. Sermo ſcientiæ eſt locutio de rebus moralibus relatis ad ſalutem æternam, prompte ſine humano ſtudio prodiens ſcripto, aut verbo: ex quo audientes conjiciunt, eum eſſe ex Divina virtute. An vero ſcientia ſit a Spiritu Divino; dignoſcitur ex efficacia, ut notavit Thomas Boaius. Porro ſapientiam dici de Divinis, ſcientiam vero de humanis, aperte docuit S. Auguſtinus (*d*), & poſt ipſum Scacchus.

d lib. 14. de Trinit. c. 1. n. 3. col. 948. to. 8.

chus. Aliæ qualitates expoſitæ deſumuntur ex verbis Chriſti *Matth* 10. *cum tradent vos, nolite cogitare, quomodo, aut quid loquamini &c.*, & *Luc.* 21. *Ego dabo vobis os, & ſapientiam, cui non poterunt reſiſtere, & contradicere adverſarii*. Sermonem ſapientiæ ſibi a Domino datum, inquit Apoſtolus (*a*), non fuiſſe *in perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis, ſed in oſtenſione Spiritus, & virtutis*. Similis fuit ſermo S. Stephani in Act. Apoſt. (*b*), & concio S. Petri in die Pentecoſtes, de quibus Theodoretus.

a 1. ad Corinth. c. 2.

b c. 6. v. 10.

7 Plura de utriuſque ſermonis differentia, & qualitatibus differunt Suarez, & Card. de Lauræa, advertentes, has Gratias non conferri per habitus, ſed per actualem Spiritus Sancti motionem. Multa legi poſſunt in bull. Canoniz. SS. Vincentii Ferrerii, & Ludovici Bertrandi, in vita S. Bernardi a Gaufrido ſcripta, & in relat. Rotæ Auditorum in cauſis Ven. Nicolai Factor, & B. Juliani a S. Auguſtino. S. Thomas docet (*c*), hos ſermones pertinere quoad mulieres ad unum privatim, vel paucos familiariter docendos, non ad totam Eccleſiam alloquendam, itaut ſi mulieres habeant Gratiam Sapientiæ, aut ſcientiæ; poſſint eam adminiſtrare ſecundum privatam doctrinam, non ſecundum publicam. Et hoc modo eam habuerunt mater Salomonis, aliæque mulieres in ſacris Litteris. His quoque Gratiis illuſtratam fuiſſe S. Tereſiam demonſtrarunt Rotæ Auditores in relat. cauſ. ipſius. Plura dat Bozius ſupra laudatus.

c 2. 2. qu. 177. ar. 2.

8 Salmanticenſes ſcientiam infuſam referunt ad Gratiam gratis datam ſæpe dictorum ſermonum, de qua ſcientia multa alibi dicta ſunt. Verum ex ea nequit ſanctitas efficaciter probari; ejus tamen habetur ratio in judicio Beatificationis, & Canonizationis, ſi probatæ ſint virtutes heroicæ. Dicunt Theologi, hanc ſcientiam aliam eſſe per ſe infuſam, & abſolute Ordinis Divini, quæ naturaliter acquiri nequit: aliam per accidens, infuſam, & aliquo modo ſupra naturam ex parte principii, & modi, quo cauſatur, quæ naturaliter acquiri poteſt, ſed non acquiritur. Thomas a Jeſu ait, per ſe infuſam poſſe a Deo communicari hominibus in hac vita, & communicatam putat B. Virgini, aliiſque, ſed per modum actus. Et S. Thomas (*d*) docet, hanc infuſionem adſcribendam eſſe miraculo. Idque S. Antoninus (*e*) explicat exemplo ſanitatis corporum ægrotantium, & animarum, quæ in peccata lapſæ ſint.

d 1. 2. qu. 113. ar. 10. ad 3.

e In ſumm. Theol. to. 3. tit. 5. c. 1. §. 2.

9 Nequit Dæmon in mentem humanam infundere novas rerum ſpecies, vel habitus ſcientiarum, poteſt vero intellectum reddere ſubtiliorem quoad functiones ingenii, itaut breviſſimo tempore ſine ullo ſtudio ſcientia acquiri poſſit. Extat hujus rei exemplum in vita S. Norberti, in qua narratur, puellam extemplo ope Dæmonis Cantica Canticorum recitaſſe, & lingua Romana explanaſſe, & deinde Teutonica totum expreſſiſſe. Alia cumulant Majolus, & Scacchus, de quibus Martinus del Rio. Quare expedit, ut explicentur notæ, quibus dignoſcatur, unde hujuſmodi ſcientia proveniat.

10. 11 Ex moribus itaque habentis ſcientiam, ex qualitate habitus, & ex uſu dignoſci poterit a quo Spiritu illa procedat; ſed & nequitiæ ſignum erit, ſi quis ſcientiam in ſua non habeat poteſtate, ſed ſolum aliquando, præmiſſis certis cæremoniis ſuperſtitionis, nec recordetur eorum, quæ docuerat, uti monet Scacchus, & eruitur ex Tertulliano (*f*), & S. Petro Chryſ. (*g*) Moraliter impoſſibile eſt, ut de his notis agendum ſit in Congregatione rituum; Gratiæ enim gratis datæ expenduntur ſimul cum virtutibus, de quibus non agitur, niſi probata fama ſanctitatis, cum qua ſtare nequit ſcientia ope Dæmonis acquiſita. Perpenditur vero in Congregatione, an ſcientia infuſa fuerit eximia, an ars humana præceſſerit, & an ejus ha-

f In Apolog. c. 22.

g ſerm. 11.

habenda ſit ratio in judicio Beatificationis, & Canonizationis.

12. 13 Alibi dictum eſt S. Bernardum, & alios ſcientia infuſa a Deo donatos fuiſſe. Idem dicitur de S. Didaco in bull. Canoniz., eademque præditum fuiſſe S. Ignatium Auditores Rotæ in relat. cauſ. colligunt ex ejus libro excrcitiorum, quem Bollandiani contra alios eidem ſolide adjudicant, & de quo fuſe agit Suarez. Similia dicuntur in relat. cauſ. B. Juliani a S. Aug. Plura legi poſſunt apud Bagattam: Card. Baronius refert, Philoſophos a S. Catharina Alexandrina convictos fuiſſe ope ſcientiæ acquiſitæ, & infuſæ. Magna eſt controverſia de ſinceritate Actorum S. Catharinæ, de qua inter alios fuſe Papebrochius (*a*). Verumtamen ex iis, prout extant in Breviario Romano, colligitur, poſſe Dei Servum ſcientia acquiſita ſimul, & infuſa præditum eſſe, infuſam vero probari poſſe ex eo, quod acquiſitæ fines exceſſerit.

a ad diem 25. Nov.

14 Quædam reperitur ars, quæ *Notoria* dicitur, in qua præmiſſis nonnullis, quæ pietatem ſapere videntur, Jactatur, omnes diſciplinas liberales illico diſci. Eam damnat S. Thomas (*b*), ac neminem per illam doctum evaſiſſe affirmat Eraſmus, ex quo concludit Thiers, de ea ex ſola experientia actum eſſe.

b 2. 2. qu. 96. ar. 1.

CAPUT XLIV.

De Gratiis gratis datis, Fidei, ſanitatum, & operationis virtutum.

1 &c. Fides prout eſt Gratia gratis data, juxta nonnullos eſt certiſſimus aſſenſus principiis Catholicæ Fidei, qui in Evangelico Doctore eſt præſumendus. Ita ſentire videtur S. Thomas (*c*). Alii putant eſſe Fidem miraculorum; & hæc quoque ſententia innititur doctrinæ D. Thomæ (*d*). Alii intelligunt conſtantiam in Fide. Nonnulli extenſivam perfectionem cognitionis Fidei quoad modum concipiendi, perſuadendi, & defendendi doctrinam Fidei. Alii demum exiſtimant eſſe Fidem particularium revelationum.

c 1. 2. qu. 111. art. 4.

d 2. 2. qu. 178. ar. 1.

4 Fuſius hæc legi poſſunt apud Suarez. Card. de Lauræa vero docet, Fidem Gratiam gratis datam, non eſſe habitum ſcientificum, ſeu peritiam, qua quis alios Fidem docere poteſt; nec firmum aſſenſum rebus Fidei; neque conſiſtere in peculiaribus revelationibus; ſed probabiliter eſſe fervorem, & Fidei conſtantiam, quam Martyres coram Tyranno exhibent, quæ utilitatem Eccleſiæ attulit, cum innumeri, viſa hac conſtantia, Fidem ſuſceperint. Probabilius vero eſſe fiduciam in Deum ad impetranda quædam miracula, idcirco dicitur patrativa miraculorum, quam aſſertionem probat auctoritate S. Joannis Chryſ. (*e*), & Theodoreti (*f*). Addit, hanc Fidem eſſe Gratiam gratis datam, cum ſit manifeſtatio Spiritus; & Eccleſiæ afferre utilitatem, cum multi ejus intuitu ad Fidem convertantur, alii in eadem confirmentur, concluditque, hanc Gratiam eſſe actualem quamdam Dei motionem.

e hom. 29. in c. 12. ep. 1. ad Corinth. pag. 263. oper. to. 10.

f In loc. cit. Apoſtoli.

5 Juxta hanc explicationem, Gratia Fidei idem fere eſt, ac Gratia ſanitatum, & operationis virtutum. Suarez. laudatus ait, Gratiam ſanitatum ſignificare curationes mirificas a morbis corporis; operationem virtutum comprehendere cætera opera mirifica ſupra naturam. In eamdem fere explicationem conveniunt Salmanticenſes, & ipſe Card. de Lauræa, & antea docuerat S. Thomas (*g*).

g 2. 2. qu. 178. ar. 1.

6 &c. Datur quoque in Eccleſia Gratia miraculorum, per quæ confirmantur ea, quæ Gratia ſermonis protulit, juxta illud Marc. *ult. & ſermonem confirmante ſequentibus ſignis*. Ita docet D. Thomas (*h*), & proſequitur Silvius. Hæc gratia non eſt quid manens in anima per modum habitus, de qua re D. Thomas (*i*), ſed conſiſtit in hoc, quod cum Deus ipſam alicui tribuit, vel movet ejus mentem ad faciendum aliquid, quod conſequitur opus miri-

h loc. cit.

i qu. 6. de potentia ar. 4.

mirificum; vel contactu alicujus rei ad eumdem pertinentis, aut aliquo ipſius actu externo utitur tamquam inſtrumento. Ita Silvius cit. Chriſto autem, ut homini, data eſt conſtans operatio virtutum, & miraculorum, ut optime adnotavit Suarez, addens permanentem Gratiam, & frequentiam miraculorum initio Eccleſiæ fuiſſe neceſſariam, *ut enim Fides creſceret*, ait S. Gregorius (*a*), *miraculis fuerat nutrienda*: ſed adhuc permanere in corpore Eccleſiæ, quod monuit S. Auguſtinus (*b*). Et Bozius innumera fere miracula hiſce temporibus patrata refert.

a hom. 29. in Evang. col. 1571. to. 1.

b de civit. Dei l. 22. c. 8. col. 663 to. 7.

9 &c. Conſentiunt Theologi, Gratiam miraculorum eſſe Gratiam gratis datam, idcirco nedum Juſtis, ſed etiam peccatoribus, aliquando conferri. Ita Duvallius, Eſtius, aliique. Neque hinc ſequitur, miracula non eſſe neceſſaria in judicio Beatificationis, & Canonizationis. Nam, ut advertit Suarez, licet hæc Gratia, aliquando peccatoribus, plerumque tamen juſtis confertur: neque examinantur miracula, niſi prius conſtiterit de virtutibus heroicis, ut notavit Scacchus, & explicat Arauxo. De miraculis, quæ fieri poſſunt a peccatoribus, opportunius diſſeretur lib. 4.

CAPUT XLV.

De Gratia gratis data Prophetiæ.

1 PRophetia eſt futurorum præcognitio, juxta illud 1. Petri 1. *De qua ſalute .... ſcrutati ſunt Prophetæ, qui de futura in vobis gratia prophetaverunt*. Aliquando extenditur ad præteritum, quod eruitur ex *Joan.4.*, ubi Chriſtus Samaritanæ ait: *Quinque viros habuiſti*. Nonnumquam eſt de præſentibus loco diſtantibus, & occultis, necnon de internis cordis cogitationibus. Etenim *Luc.7.* cum mulier peccatrix ad Jeſum acceſſiſſet, Phariſæus, qui illum invitaverat, ſit intra ſe: *Hic, ſi eſſet Propheta, ſciret, quæ, & qualis eſt mulier, quæ tangit eum*. Propheta itaque eſt, quæ divinitus cognoſcit, & poteſt manifeſtare ea, quæ longe diſtant a ſenſu, & naturali cognitione hominum; *Non enim voluntate humana*, inquit S. Petrus *epiſt.2. c.1.*, *allata eſt prophetia, ſed, Spiritu Sancto inſpirati, locuti ſunt Sancti Dei homines*. Similia habentur *Iſaiæ* 41. Legi poſſunt Caſſiodorus (*c*), Matthæuccius, Scacchus, & alii.

c in præfat. ad pſal. c. 1. oper. to. 2.

2 S. Thomas docet (*d*), prophetiam comprehendere omnia prædicta, eorumque triplicem gradum diſtinguit: unum eorum, quæ procul ſunt a cognitione unius, non omnium hominum: alterum eorum, quæ excedunt cognitionem omnium hominum, non quod cognoſci nequeant, ſed propter defectum cognitionis humanæ: ultimum eorum, ad quæ nullius hominis cognitio pertingit, quia in ſeipſis cognoſci nequeunt: concluditque prophetiam proprie eſſe de futuris, quod comprobat auctoritate S. Gregorii (*e*), idemque late proſequitur Dominicus Gravina, & P. Baldellus in narratione Gratiarum gratis datarum *Arſiliæ Altiſſimi viduæ Tiburtinæ*, quæ narratio aſſervatur Romæ inter manuſcripta PP. Societatis Jeſu.

d 2. 2. qu. 171. ar. 3.

e l. 1. hom. 1 to. 1. col. 1173.

3 Prophetia conſiſtit in cognitione, & cognitorum manifeſtatione, ſed Card. de Lauræa oſtendit, manifeſtationem præcellere cognitioni, cum Gratiæ gratis datæ ſint manifeſtationes Spiritus in aliorum utilitatem. Juxta S. Thomam (*f*) ad prophetiam requiritur lumen ſupernaturale. Quare cognitio Prophetarum ex parte Dei continet quodammodo increatam actionem, quæ *revelatio*, ſeu *locutio Dei* appellatur: ex parte Prophetæ, quatenus ab ejus intellectu vitaliter elicitur, dicitur *viſio*, & *auditio*, ut explicant Salmanticenſes.

f 2. 2. qu. 171. ar. 1.

4 Ut Propheta cognoſcat, opus eſt, ut ejus intellectui repræſententur ea, quæ debet cognoſcere, & manifeſtare, quæ quidem repræſentatio fit vel per ſenſus externos, vel per ſen-

ſenſum internum; vel omnino independenter a quocumque ſenſu, & eſt repræſentatio omnino intellectualis, & hic tertius gradus Prophetiæ eſt perfectiſſimus, in quo nulla eſt cum ſenſu communicatio: medius vero eſt, qui dependet a ſenſu interno; infimus, qui a ſenſibus externis oritur, ut late oſtendit D. Thomas (*a*). Addunt Salmanticenſes, hos gradus diſtingui, non quatenus ſecundum aliquem eorum cognitio Prophetæ conſiſtat in ſola ſenſatione externa; ſemper enim debet pertingere ad intellectum: ſed quatenus in ſupremo cognitio non oritur a ſenſibus, neque ab illis dependet, ut in aliis duobus. Conſentit Card. de Lauræa.

a 2. 2. qu. 173. ar. 2.

5 Prophetica revelatio fit per Angelos; ut congeſtis exemplis affirmat Petrus Joannes Olivarius, & ſcripſit Hieronymus Savonarola alibi memoratus: Divinam tamen dicendam eſſe, docet S. Thomas (*b*), cum Angeli illuminationes, & revelationes Divinas, tamquam Dei miniſtri, ad homines deferant. Sed Card. de Lauræa ait, non repugnare, ut Deus ipſe per ſe loquatur Prophetæ, oſtendens ei, quæ debet manifeſtare, juxta illud Iſaiæ (*c*): *Audivi vocem Domini dicentis: vade, & dices populo huic &c.* Admittit tamen, Deum regulariter Prophetas allocutum eſſe, & nunc etiam alios alloqui per Angelos: quod exornant Martinus del Rio, Card. Turrecremata, & Torreblanca.

b 2. 2. qu. 172. ar. 2.

c c. 6. v. 1.

6. 7 Prophetia ex parte luminis dividitur in perfectam, per quam cognoſcitur res revelata, revelatio, & Deum eſſe, qui revelat: & in imperfectam, per quam non ita certo cognoſcitur veritas, neque a quo fiat revelatio, & utrum ſpiritus Propheticus, an proprius loquatur, & hæc dicitur *Inſtinctus propheticus*, cui poteſt ſubeſſe falſum. Ex parte objecti cogniti dividitur in prophetiam comminationis, præſcientiæ, & prædeſtinationis. Per primam Deus revelat, quæ cognoſcit in ſuis cauſis, & in decretis conditionatis, adeoque res reſoluta non eſt abſolute futura, licet Prophetæ videantur loqui abſolute. Per ſecundam revelat futura dependentia a libero arbitrio. Per tertiam revelat, quæ ipſe facturus eſt. Ex parte medii dividitur in intellectualem, imaginariam, & corporalem, ut ſuperius explicatum eſt. Ex parte modi cognitionis dividitur in eam, quæ fit abſque alienatione a ſenſibus, & in eam, quæ fit cum ejuſmodi alienatione, & dicitur *Raptus*. Omnia hæc explicant Salmanticenſes omnino cohærenter ad doctrinam D. Thomæ (*d*). Item Suarez, Savonarola, & Torreblanca.

d in 2. 2. quæſt. 173. ar. 4.

8 Subjectum prophetiæ ſunt Angeli boni, dæmones, viri, mulieres, pueri, Ethnici; nec in homine, ut ſit prophetiæ ſubjectum, requiritur aliqua naturalis diſpoſitio, aut bonitas morum, licet hæc Prophetæ valde conferant. Angelus quippe futura libera, & contingentia, aut præterita occulta cognoſcere nequit, ut contra Durandum docent Theologi, nec ſecreta cordis: Angelus ergo fit Propheta, cum Deus iſta illi revelat. Nec quidquam obſtat, quin Deus poſſit uti dæmone, ut manifeſtet futura, præterita, & præſentia occulta. Idcirco *Luc.* 8. Dæmon, ut vidit Jeſum, exclamavit. *Quid mihi, & tibi eſt, Jeſu fili Dei altiſſimi?* Quod attinet ad mulieres, pueros, & Gentiles, Maria ſoror Moyſis, & aliæ mulieres in ſacris Litteris appellantur Propheti ſſæ: Samuel, & Daniel adhuc pueri prophetia claruerunt: Balaam Gentilis inter alia prædixit adventum Meſſiæ, vaſtationem Aſſyriæ, & Palæſtinæ. Hæc late proſequuntur Suar., Card. de Lauræa, & Gottus. S. Thomas (*e*), ut ſuadeat Ethnicos eſſe capaces prophetiæ, utitur exemplo Sybillarum, quas, licet Gentiles, in præmium virginitatis dono prophetiæ inſignitas fuiſſe autumat S. Hieronymus (*f*). Antiqui Patres, & Auctores Eccleſiaſtici laudarunt earum oracula, quorum veritati refragatur Caſaubonus, & nonnulli

e 2. 2. 172. ar. 6.

f l. 1. adverſ. Jovinian. n. 41. col. 306. to. 2.

li Sectarii; multi hos redarguunt. Extant Sybillarum carmina a multis ſæculis interpolata; ſed hoc non facit, ne multa, præſertim quæ a Patribus laudantur, genuina ſint.

9 Quod ſpectat ad naturalem diſpoſitionem, S. Thomas (*a*) docet, Deum poſſe animam in creatione diſponere ad prophetiam, eique conferre gratiam prophetandi. Quocirca negat Gravina prædictam diſpoſitionem requiri ad prophetiam, niſi quantum ad uſum, idque deſumitur ex S. Gregorio (*b*), & Card. de Lauræa hoc ipſum ex eo infert, quod Deus prophetiam communicaverit hominibus omnis ætatis, & ſexus. Pro uſu prophetiæ requiruntur intellectus, & ſenſus interni, & aliquis externus, cum ea ſit manifeſtatio ſpiritus in utilitatem aliorum: idcirco Deus ad manifeſtanda futura, vel occulta numquam uſus eſt irrationali, aut mortua creatura. S. Thomas (*c*) vero ex D. Hieronymo ait, uſum impediri poſſe per naturalem indiſpoſitionem, ſed hanc a Divina virtute removeri, quod etiam advertit Suarez. Quoad morum bonitatem, ſæpe laudatus S. Thomas (*d*) ait, prophetiæ donum non requirere per ſe conjunctionem cum Deo per Caritatem, adeoque etiam peccatoribus, aliquando communicari; addit, prophetiam pertinere ad intellectum, & dari in utilitatem Eccleſiæ, ſicuti dantur aliæ Gratiæ gratis datæ: & aliquem ob morum malitiam impediri poſſe, ne prophetet. Hæc confirmantur *can. Multæ autem*, & *can. Prophetavit* (*e*). Narrat Calmet, Rabbinorum ſententiam fuiſſe, quod ſpiritus prophetiæ reſederit dumtaxat ſuper homines ſapientia, divitiis, & potentia præſtantes: gratiam vero prophetiæ retuliſſe ad indolem, ſtudium, & ſimilia; quos idcirco ſtrenue redarguit. Notum eſt, quantum res Galliæ ſub Carolo VII. Francorum Rege juverit Joanna Darcia, Aurelianenſis puella dicta; ſed quomodo factum ſit, ut Virgini ruſticæ commiſſa ſit cura ducendi exercitum, explicari nequit, niſi ad ſpiritum propheticum referatur, quo præditam fuiſſe ſolidis fundamentis cenſuerunt Theologi, & Doctores Pariſienſes. Indubitatum quoque eſt, eam bonis moribus claruiſſe: cumque de ejus ſanctitate numquam actum ſit, infertur, prophetiæ donum poſſe a ſanctitate ſejunctum eſſe.

a 2. 2. qu. 172. art. 3. & 4.

b hom. 30. in Evang. n. 8. col. 1580. [illegible]

c cit. art. 3. ad 3.

d ar. 4.

e 2. qu. 1.

10 His addendum, nullum purum hominem (ideoque excipitur Christus ratione unionis hypoſtaticæ) habuiſſe cognitionem propheticam in habitu, vel poteſtate ſua, neque ita, ut quamcumque rem occultam cognoſcere, aut de ea pro libito prophetare poſſet, ut exemplis ex Divino textu congeſtis ſtatuunt Theologi, quam quidem aſſertionem per ſua principia roborat D. Thomas (*f*). Legi etiam poſſunt Scacchus, & Calmet.

f 2. 2. qu. 171. ar. 2.

11. 12 Ex huc uſque adductis colligitur, ad eſſentiam veræ prophetiæ pertinere, ut Propheta cognoſcat ſibi revelata, & Deum eſſe, qui revelat: præterea nullam in Divina prophetia requiri naturalem diſpoſitionem; nec prophetiæ donum requirere per ſe conjunctionem cum Deo per Caritatem, adeoque etiam peccatoribus, aliquando fuiſſe communicatum: nulli autem puro homini per modum habitus. Omnia docte explicat P. Baldellus, cui ſuffragatur Silvius.

CAPUT XLVI.

In quo dicta in capite præcedenti confirmantur; & nonnullis, quæ proponi poſſunt, difficultatibus reſpondetur.

1 NOnnulli ex Philoſophis divinandi munus animæ adſcripſerunt. Alii docuerunt, animum a ſenſibus expeditum, præſertim in ſomno, & in morte ſentire mirabilia, interdum annunciare futura; idque extendunt ad melancholicos. Quod ſi addantur oracula Pythii, & ſimilium, cognitio, & præſcientia actuum internorum; & futurorum contingentium non

Digitized by Google

non videtur ſoli Deo reſervata, ſed naturaliter haberi poſſe ab homine, & ab Angelo ſive bono, ſive malo. Adverſus hæc militant Divina teſtimonia, Theologorum aſſertiones, & placita Philoſophorum.

2 Divina quidem teſtimonia. Deus enim *Iſaiæ 16.* inquit: *Nec eſt ſimilis mei, annuntians ab exordio noviſſimum, & ab initio, quæ necdum facta ſunt.* Similia leguntur *Daniel 2.*, *2.Paralip.6.*, *Jerem.17.*, *Joan.2.*, & Matth.9. legitur: *Cum vidiſſet Jeſus cogitationes eorum.* Ex quo arguit S. Hieronymus (*a*), Chriſtum eſſe etiam Deum.

a in c.17. Jerem. col. 960. oper. to.4.

3 Quoad Theologorum aſſertiones, docet S. Thomas (*b*), cogitationes hominum aliquando dignoſci ex corporalibus ſignis, ut cum timentes palleſcunt, & ſimilia; Et hoc modo cogitationes a Dæmone magis, quam ab homine cognoſci; ſed cum ſolus Deus voluntatem interius moveat; idcirco voluntarias cogitationes a ſolo Deo, & ab homine volente, & cogitante cognoſcit. Oſtendit præterea, effectus contingentes a nemine cognoſci poſſe, niſi conjecturaliter: ſolum autem Deum cognoſcere omnia contingentia in ſuis cauſis, & in ſe ipſis. Rurſus, Angelos certo cognoſcere, quæ neceſſario: conjecturaliter, quæ plerumque, nullatenus, quæ raro ex ſuis cauſis proveniunt: futura vero in ſeipſis, quæcumque ſint, a ſolo Deo cognoſci. Cohærenter ad hæc docent Theologi, Dæmonem non poſſe certo prædicere futura libera, nec ſpontaneas hominum cogitationes cognoſcere, niſi externo ſigno manifeſtentur, licet poſſit ex his, quæ certo novit, vel quæ a cauſis neceſſariis pendent, multa per conjecturam prædicere; præterita, quæ audivit, vel vidit, memoria retinere, præſentia obſcura, & externa ſcire, & ea, quæ in remotis regionibus geruntur, tam cito denuntiare, ut ab ignaris reputentur diu ante prædicta, ut late proſequuntur Anaſtaſius Epiſcopus Nicænus, Martinus del Rio, Matta, & præter alios innuit S. Auguſtinus (*c*). S. Thomas (*d*) vero admittit, Prophetas Dæmonum ex inſpiratione Divina, & Dæmones ex bonorum Spirituum revelatione, futura, Deo permittente, prænunciare, quod exemplo Balaami illuſtrat Silvius. Omnia explicat Tertullianus (*e*).

b qu.16.de malo ar.8.

c de Civit. Dei lib. 2. c.32.

d 2. 2. qu. 172. art.5. & 6.

e in Apolog. c. 22. pag.55.

4. 5. 6 Suffragantur Philoſophi, aſſerentes futurorum cognitionem excedere metas humanæ mentis, adeoque ſolius Dei eſſe illa prænoſcere, ut monet Philoſtratus. Admittunt, ſolertiſſimum aliquem, & rerum uſu expertum poſſe ex cauſis aliquo modo manifeſtis, vel non ita occultis judicium de venturis proferre; iidemque explicant, quomodo id poſſint melancholici, aut morientes; quin inde inferatur, inſitam eſſe animæ facultatem prædicendi futura, aut horum cognitionem non ſoli Deo eſſe ſervatam. Legi poſſunt Valleſius, Gaſpar a Rejes, & Zacchias. Plato (*f*), Tullius (*g*), & ipſe S. Gregorius (*h*) conſenſerunt, morti proximos aliquando prænoviſſe futura; & Plato, & Ariſtoteles majorem divinandi diſpoſitionem fatuis, ſtupidis, & melancholicis attribuerunt. Sed hæc de divinatione cum ſuis cauſis naturalibus connexionem habente, bene explicat Raphael de la Torre. Multa apud Ivonem Carnotenſem ex S. Auguſtino deſumpta extant de prædictionibus Dæmonis, ſed ſimul demonſtratur, hunc nec intimas cogitationes certo cognoſcere, nec futura contingentia tuto prædicere poſſe. Omnia, quæ ſuperius tradita ſunt, clariſſime explicat laudatus P. Baldellus.

f in Apologia.

g l.1. c.30. de divinat.

h l.4. dialogor.c.26. col.409.to.2.

7 Denique oſtendit Villalpandus, Dæmonem petentibus reſponſa dediſſe ex antris, vel ſtatuis. Sed ſi quas internas cogitationes revelavit, id, juxta Majolum, ſupradictis modis præſtitit, & præcipue conjecturaliter. Prædictiones quippe, vel plerumque falſæ fuerunt, teſte S. Joanne Chryſ. (*i*), vel ambiguæ apud Ciceronem (*k*), & Tertullianum, quod experti ſunt Crœſus apud Euſebium (*l*), & Pyr-

i hom. 19. in Joann. pag.122.to. 8.

k de Divinat. c. 54. lib.2.

l l.5. c.20. de præpar. Evang.

Pyrrus apud Tullium (*a*). Quare Gentiles ſanæ mentis oracula contempſerunt: eorum vanitatem faſſus eſt Porphyrius apud eumdem Euſebium (*b*), & demonſtrant Origenes (*c*), & Lactantius (*d*). Narrant Suidas, & Cedrenus, oracula in adventu Chriſti ceſſaſſe, & ſignanter Delphicum, cum ab Auguſto conſultum dixerit, ſibi a puero Hebræo interdicta eſſe reſponſa; idcirco Auguſtum in Capitolio erexiſſe aram inſcriptam: *ARA PRIMOGENITI DEI*, quam dicunt fuiſſe, ubi nunc eſt baſilica S. Mariæ dicta hac de cauſa *ARA COELI*. Quod ex ſilentio Juſtini Martyris, Tertulliani, & aliorum non adeo exploratum eſſe advertit Graveſon. Qui plura velit, adeat Pignatellum.

a loc. cit.

b præp. l. 6. c. 4.

c l. 7. contra Celſ.

d l. 2. Divinar. inſtit. c. 17.

CAPUT XLVII.

De Gratia gratis data Prophetiæ, quod attinet ad cauſas Beatificationis, & Canonizatiodis.

1 PErſeveraſſe ſemper in Eccleſia a temporibus Apoſtolorum ſpiritum prophetiæ, apud omnes compertum eſt, & indubitanter affirmavit Juſtinus Martyr (*e*). Plura extant Sanctorum firma vaticinia Spiritu Dei prolata, ut illud S. Gregorii (*f*): *Qui poſt nos vixerint, deteriora tempora videbunt*, cujus veritatem probavit eventus, cum poſtea gravia mala, præcipue nefandiſſima ſecta Mahumetana, Eccleſiam invaſerint. Similia legi poſſunt in hiſtoria Eccleſiaſtica, nec non apud Bozium, & Bagattam: alia videre eſt in bull. Canoniz. SS. Petri de Alcantara, Franciſci Xaverii, & aliorum. In cauſa quoque S. Pii V. rite probatum eſt, ipſum Divina cognitione reſciviſſe diem, & horam victoriæ a Chriſtianis ad Echinadas inſulas adverſus Turcas obtentæ. Et in cauſa S. Catharinæ Bononienſis conſtitit, eam prædixiſſe, Hannibalem Bentivolum de Philippo Duce Mediolanenſi triumphaturum, & Conſtantinopolim in manus Turcarum caſuram, prout cecidit. Quod vero dicitur *Matt.* 11. *Omnes Prophetæ, & Lex uſque ad Joannem prophetaverunt*, intelligendum eſt, Prophetas, & Legem uſque ad Joannem promiſiſſe Chriſtum, ejuſque regnum; Joannem vero primum diſerte cœpiſſe prædicare regnum cælorum, & Chriſtum ipſum Judæis digito demonſtraſſe, adeoque non excludit Prophetas poſt Joannem, ut docet D. Thomas (*g*), & adnotarunt Cornelius a Lapide (*h*), Conſalvus Durantus, & alii.

e in dial. cum Trypbone pag. 308.

f l. 10. ep. 36. indict. 3

g 2. 2. qu. 174. ar. 6. ad 3.

h in c. 11. Matth. v. 13

2 In cauſis Beatificationis, & Canonizationis nulla habenda erit ratio prophetiæ, niſi præceſſerit probatio virtutum heroicarum. His probatis, ipſa grave adſtruendæ ſanctitati argumentum ſuppeditabit, ut docuit D. Thomas (*i*), & quoad judicium Beatificationis, & Canonizationis inter alios adnotarunt Auguſtinus Triumphus, Scacchus, & Rotæ Auditores in relat. cauſ. SS. Pii V, Tereſiæ, & aliorum. Neque enim, juxta Calmet, & Card. Bona, abſurdum eſt prophetiam, utpote Gratiam gratis datam, aliquando peccatoribus, ſæpius tamen Juſtis concedi.

i 2. 2. qu. 172. ar. 4. ad 1.

3 Si itaque certa ſit ſanctitas alicujus Servi Dei, & Poſtulatores contendant, hunc dono prophetiæ a Deo illuſtratum fuiſſe, expendenda erunt prophetica dicta; ac primo quidem perpendendum erit, an veritati, ac pietati Chriſtianæ conformia fuerint; ſecus enim, juxta regulam a Domino traditam *Deuter.* 13., judicium ferendum eſſet adverſus aſſertam ſanctitatem, quemadmodum etiam, ſi fuerint de vanitatibus, & rebus inutilibus: legitur enim *Iſaja* 48. *Ego Deus tuus, docens te utilia*. Conſonat Apoſtolus 1. *ad Cor.* 14. Oſtendit Card. Cajetanus, dicenti, ſe eſſe Prophetam, non eſſe credendum in rebus publicis, ut decernitur *in cap. cum ex injuncto de Heret.*; eumdem vero poſſe audiri a privatis perſonis, ſi harum privatos actus dirigat juxta univerſales Eccleſiæ regu-

Digitized by Google

regulas, aliter eſſe abjiciendum. Apoſtolus enim 1. *ad Theſſal. v.* 19. ait: *Prophetias nolite ſpernere: omnia probate: quod bonum eſt, tenete*. Cajetano adhærent Arauxo, Hurtado, & Calmet.

4. 5 Ponderandum inſuper erit; an quæ prædicta ſunt, latuerint humanam cognitionem, uti ſunt internæ cogitationes, & futura contingentia. An prædicens habere potuerit conjecturalem ſcientiam eorum, quæ prædixit: an dubitanter an ſpe temporalis commodi; aut mente commoti locutus ſit: an pro confirmatione dictorum uſus ſit humanis ratiociniis: an vere cognoverit ſaltem aliqua eorum, quæ prophetavit. Omnia hæc fuſe explicant Calmet, & Scacchus, & conſtant ex qualitatibus, quibus inſigniti fuerunt veri Prophetæ, quorum dignitate nil, juxta S. Auguſtinum (*a*), inter Hebræos anguſtius. Emicat in iis gravitas, ac vis, & efficacia talis, ut fraudem omnem abjiciat. Procul ab iis ambiguitas, & dolus: raro argumentis ad ſuadendum uſi ſunt: procul lucri amor, & auri fames, Pſeudoprophetarum propria apud Michæam *c.* 3. Placidum Spiritus Sancti illapſum recipiebant, ſui compotes erant, tranquillitate mentis fruebantur, debita in Deum obſervantia inducti loquebantur, ſuperni Spiritus ductum ſecuti; ſecus falſi Prophetæ. Legi poteſt S. Joannes Chryſoſt. (*b*), quem ſequitur Card. Bona. Quod vero ad cognitionem eorum, quæ prædicuntur, attinet, docet S. Thomas (*c*), mentem in revelatione prophetica diverſimode a Spiritu Sancto moveri: quando autem aliquis cognoſcit, ſe a Spiritu Sancto moveri ad aliquid verbo, vel facto ſignificandum, hoc proprie pertinere ad prophetiam: quando non cognoſcit, ait, eſſe inſtinctum propheticum.

a de Civit. Dei l. 18. c. 41. n. 3. col. 524. to. 7. oper.

b hom. 29. in 1. ad Corinth.

c 2. 2. qu. 173. ar. 4.

6 Inde advertendum erit, an occultum revelatum, & futurum prædictum extiterint, ut Propheta locutus eſt, quæ regula traditur *Deuter.* 18. *Quod in nomine Domini Propheta prædixerit, & non evenerit, hoc Dominus non eſt locutus*. Sed hæc regula nonnullas admittit limitationes. Prima eſt: ſi prophetia non fuerit abſoluta, ſed comminativa, & conditionata, vera eſt, ac Divina, licet non acciderit, quod Propheta prædixerat. Hæc enim profertur a Prophetis juxta leges Divinæ juſtitiæ, attentis præſentibus circumſtantiis, & hominum demeritis, quibus immutatis, Deus avertit, quod fuerat prædictum, ut bene explicat Valentia. Vaſquez vero docet, hujus generis eſſe revelationes de propria, vel alterius damnatione, ut ſcilicet peccatores timore ſententiæ convertantur. Exempla ſuppeditant Jonas prædicens Ninivitis everſionem; & Iſaias annuncians mortem Ezechiæ Regi, quorum neutrum evenit ſublatis culpis, ac mutatis circumſtantiis, a quibus prædictio pendebat. Simile quid declarat Deus ipſe *Jerem.* 18. De his agunt Card. Cajetanus, Silvius, Savonarola, & Viguer.

8 Rurſus non repugnat, revelationem veram eſſe, & a Deo, & falſam ejus explicationem eſſe ab homine aliter, ac Deus intelligit, interpretante: Idcirco *etiam veri Prophetæ*, inquit S. Thomas (*d*) *non omnia cognoſcunt, quæ in eorum viſis, aut verbis, aut etiam factis Spiritus Sanctus intendit*. Profecto S. Bernardus teſte Othone a Ludovico juniore Francorum Rege conſultus, & auctoritate Eugenii Pontificis ſuffultus multas Chriſtianas nationes prædicando excitavit ad ſacram Hieroſolymitanam expeditionem, ſed in hac victi Chriſtiani milites, juſto Dei judicio, interierunt. Quapropter S. Bernardus, quem prius Galliæ, & Germaniæ populi tamquam Apoſtolum, & Prophetam venerabantur, poſtea ut impoſtor, & Pſeudopropheta traductus eſt. Porro ipſe repoſuit, ſe non temere in eo opere cucurriſſe, ſed jubente Deo, & miraculis ejus prædicationem confirmante. Vera itaque fuit revelatio, & prophetia, ſed ab hominibus minime intellecta:

d 2. 2. qu. 173. ar. 4.

ɑ̃a: hi enim glorlam, divitias, & Regni Hieroſolymitani receptionem ſibi propoſuerant, ſed Deus æternam eorum, qui in expeditione ceciderunt, ſalutem intendit, ut eidem Sancto aperuit Joannes Caſemarii venerabilis Abbas. Hoc exemplo in re præſenti utitur Card. Bona, eoque Gravina vindicat S. Vincentii Ferrerii prædictionem de imminente mundi fine, & Antichriſti adventu.

9 Alia limitatio deſcendit ex his, quæ ſuperius dicta ſunt, prophetiam ſcilicet non dari per modum habitus: ideoque poteſt contingere, ut quæ a vero alioquin Propheta prædicta ſunt, non vera reperiantur, quod ipſe videlicet putaverit, ſe ex revelatione Divina prædicere, licet inſtinctu dumtaxat prophetaverit. Otho enim, ut infelicem memoratæ expeditionis exitum excuſet, inter alia inquit, ſpiritum Prophetarum non ſemper ſubeſſe Prophetis. Legantur S. Gregorius (*a*), & S. Thomas (*b*).

a l.2. dialog. c. 21. col.248.10. 20

10 Hæc vera ſunt, ſed ne in diſcutiendis cauſis Beatificationis, & Canonizationis ambigendi occaſio ſubrepat, nonnulla videntur addenda. Prophetiæ igitur comminativæ, & conditionatæ reſpiciunt dumtaxat res futuras, & quæ ab hominum meritis, vel culpis pendent, ut explicant Thyræus, & Suarez. Docet vero Canus, comminativas bene cognitas fuiſſe à Prophetis. Thyræus vero vult, non omnes Prophetas cognoſcere abſolutam Dei voluntatem in rebus pendentibus ab hominum meritis. At in Judicio Beatificationis, & Canonizationis non videtur habenda ratio prophetiæ comminativæ, niſi oſtendatur Dei Servum cognoviſſe indolem, & exitum prophetiæ, alioquin poſſet errori via aperiri, ut oſtendit Gravina, cum quo conſentit Picus.

b 2. 2. qu. 171. ar.5.

11 Quod ſpectat ad prophetias, in quibus Propheta rem juxta Dei mentem non intelligit, adeoque eventus prædictioni non reſpondet, neque iſtæ admittendæ videntur, niſi Deus ſubſecutis miraculis eas illuſtraverit, ut explicat Thyræus, & ita contigiſſe in prophetia S. Bernardi de memorata expeditione, colligitur ex ejus vita a Gaufrido Monacho ſcripta.

12. 13 Supereſt, ut aliquid indicetur de his, qui prophetant inſtinctu prophetico, quorum proinde prophetiæ aliquando non reſpondent. Ut igitur Dei Servus, de cujus Beatificatione, & Canonizatione agitur, in his excuſetur, & ut vere prophetans habeatur, opus eſt, ut conſtet de ejus correctione, qua profecto, juxta Sanctum Gregorium (*c*), veri Prophetæ a falſis diſtinguantur. Sic Nathan Propheta, poſtquam Davidi Templum Domini ædificari cogitanti dixit (*d*); *Vade, fac, quia Dominus tecum eſt*; eadem nocte, jubente Domino, reverſus nuntiavit eidem, Templum a filio fore ædificandum. Pluribus hæc proſequitur Cajetanus, & exornat Fucechius. Quæ ſpectant ad alienationem a ſenſibus, quæ aliquando Prophetis contingit, expendentur, cum de Ecſtaſi, & Raptu ſermo erit.

c ſuper Ezechiel. n. 17.

d l.2. Reg. c.7. v.3.

CAPUT XLVIII.

De Gratiis gratis datis Diſcretionis Spirituum, Generum Linguarum, & Interpretationis Sermonum.

1. 2 Diſcretio ſpirituum vel exponi poteſt, juxta S. Thomam (*e*), ut ſit cognitio cogitationum cordis, & ſic idem erit, ac prophetia, niſi quod hæc futurorum, illa cogitationum cognitio ſit, ut advertit Suarez; vel, ut ſit judicium, per quod homo inter varios, & dubios motus, quicumque hi ſint, & quocumque ſpectent, diſcernit, a quo ſpiritu proveniunt, bono ne, an malo, ut explicat S. Joannes Chryſoſt. (*f*), quem ſequuntur Card. Bona, & Suarez cit.

e 1. 2. qu. 111. ar.4.

f hom. 29. in ep.1. ad Corint. to. 10.pag.264

3. 4. 5 Difficultatem diſcernendi ſpiritum ob Spirituum mutiplicitatem luculenter exponit Gerſonius. Porro du-

duplici via ad ſpirituum diſcretionem perveniri poteſt: vel per regulas ab Aſceticis, & Myſticis traditas, idque non pertinet ad hanc Gratiam gratis datam, vel per ſpecialem inſtinctum, & motionem Spiritus Sancti, & hoc ad eamdem Gratiam refertur, ut animadvertit Card. de Lauræa. Quapropter Gratia diſcretionis ſpirituum erit illuſtratio mentis, qua homo ſine errore dijudicat, a quo principio proprii, aliorumque motus, & cogitationes ad electionem pertinentes, excitentur. Hanc, ſicuti & alias Gratias gratis datas, Chriſtus habuit per habitum: cæteri per modum actus, ut notavit laudatus Cardinalis. Poteſt reperiri in malis, utpote quæ datur ad aliorum ædificationem; plerumque tamen invenitur in juſtis, juxta Card. Bonam, plura exempla attexentem. Eamdem Gratiam memorarunt Rotæ Auditores in relat. cauſ. SS. Petri de Alcantara, & Philippi Nerii, eaque inſignitum fuiſſe Ven. Alfonſum de Oroſco in ejuſmodi cauſa, auctoritate Card. Bonæ adductus admiſit Benedictus XIV. tunc Fidei Promotor: addidit tamen non eſſe hujus Gratiæ habendam rationem, ſed oppoſitum repoſuerunt Poſtulatores, quibus adhæſit ſacra Congregatio, attentis Servi Dei virtutibus heroicis.

6. 7. 8 Gratia generum linguarum juxta Apoſtolum 1. *ap Cor.* 14. inferior eſt Gratia prophetiæ. Per eam homo non loquitur eleganter idiomata peregrina, ſed ita, ut ab aliis intelligi, & alios intelligere poſſit: datur enim ad utilitatem aliorum. Eadem inſigniti fuerunt Apoſtoli *Act.* 2. Simplex tamen erat eorum ſermo: adeoque perſpicuum eſt, hanc Gratiam non conferre elegantiam, ut ſæpe monet Apoſtolus. Potuit Apoſtolis communicari, vel ita, ut uno idiomate loquentes ab hominibus diverſarum linguarum intelligerentur; vel ita, ut ipſi notitiam haberent diverſarum linguarum, & hoc ſecundum placet S. Thomæ (*a*). Favet huic ſententiæ illud S. Pauli 1. *ad Cor.* 24. *omnium veſtrum lingua loquor*. Accedit ratio: oportuit enim, ut Apoſtoli non ſolum ab aliis intelligerentur, ſed etiam ut alios ſibi loquentes intelligerent, eiſque reſponderent. Adhærent Suarez, Scacchus, & alii, ſimul fatentes, fieri potuiſſe, & forte contigiſſe, ut Apoſtoli unico idiomate loquentes ab auditoribus diverſarum linguarum intelligerentur, ut proſequuntur Matthæuccius, & Silvius.

9 Omnes linguas perfectiſſime calluit Chriſtus Dominus, ſed advertit S. Thomas (*b*), non oportuiſſe, ut omnibus linguis loqueretur, utpote uni tantum genti prædicaturus, quamquam putat Silvius, variis linguis uſum fuiſſe, occaſione id exigente. Aliis quoque præter Apoſtolos hanc Gratiam ad Fidelium utilitatem, & ædificationem Deus elargitus eſt. Nonnulla exempla exhibet Bagatta: alia cumulant Bollandus, hujuſque Continuatores: eademque claruiſſe S. Vincentium Ferrerium teſtantur S. Antoninus, & Spondanus: idipſum de S. Aloyſio Bertrando affirmat Thomas Bozius, ac de S. Franciſco Xaverio referunt Auditores Rotæ in relat. cauſæ ipſius, ſed cum idem in quadam epiſtola ſcripſerit: *Faxit Deus, ut ... Japonicam linguam condiſcamus &c.*, hoc illi donum abjudicat Jacobus Piceninus, quem ſtrenue refellit Card. Gottus, cum fieri potuerit, ut uno tempore linguas non calluerit, & poſtea hoc dono a Deo inſigniretur, ut in Apoſtolis contigit.

10 Poſſunt, permittente Deo, ſimilia fieri a Dæmone: nam S. Hilarion, teſte S. Hieronymo (*c*), Dæmonem expulit a quodam melancholico, qui Syriaca verba antea ignorata loquebatur. Et Gaſpar a Rejes notat, hoc eſſe certiſſimum ſignum Dæmonis quempiam obſidentis. Quapropter, ſi in aliqua alicujus Servi Dei cauſa agendum ſit de Gratia generum linguarum, opus erit, ut viri probi teſtentur, eum his linguis numqaam operam dediſſe, ut monet Matthæuccius, & proſequuntur Auditores Rotæ in relat. cauſ. S. Franciſci

Xa-

a 2. 2. qu. 176. art. 1.

b loc. cit. ad 3.

c In ejus vita.

Xaverii. Si vero aſſeratur, Dei Servum unico idiomate loquentem a pluribus diverſarum linguarum fuiſſe in propria intellectum, opus erit, ut teſtes diverſarum rationum affirment, ſe illum audiviſſe in proprio uniuſcujuſque idiomate eadem loquentem, ut notarunt laudati Auditores. Uſus linguarum tendens ad captandam auram popularem, aut aliam vanitatem, dicendus erit non proceſſiſſe a Deo. Si magnalia Dei extulerit, & in errantium converſionem retenderit, donum Dei procul dubio reputabitur, ejuſque maxima habenda erit ratio in ejuſmodi cauſa, præcipue probatis heroicis virtutibus, ut advertunt Matta, Scacchus, & Matthæuccius.

11. 12 Ultima Gratia gratis data eſt interpretatio ſermonum, & hæc explicari poteſt, vel ut ſit expoſitio verborum unius idiomatis per verba alterius, qualis fuit verſio ſeptuaginta Interpretum ſacræ Scripturæ, quomodocumque ea facta fuerit; vel ut ſit docere myſteria in verbis latentia, ut bene docet Suarez, idque præſtiterunt Interpretes Apoſtolorum. Interpretes ſiquidem iſti operam ſuam præſtabant Apoſtolis, vel cum, his alicui genti loquentibus, aliquis adeſſet, qui idioma illius gentis ignoraret: vel cum Apoſtoli captu difficilia loquerentur; tunc enim Interpretum erat ea explanare, ut oſtendit Baronius (*a*), cui adhæret Suarez. Profecto Petrus Marco Interprete uſus eſt, & Paulus Tito, ut ipſe innuit 2. *ad Cor.*2. *Cum veniſſem Troadem ... non habui requiem ſpiritui meo, eo quod non invenerim Titum*. Quamvis Eſtius ſolidis fundamentis cenſeat, percipi non poſſe, quomodo Paulus linguarum ſcientiam divinitus aſſecutus indiguerit tunc Tito Interprete: adeoque concludit, ſpiritum Pauli non habuiſſe requiem, non invento Tito, quod hunc miſiſſet Corinthum, ut ſibi nuntiaret, an Corinthii ſe correxiſſent. Conſentit Cornelius a Lapide. Sed hæc retuliſſe ſatis. In cauſis vero Beatificationis difficillimum eſſe videtur, ut de hac Gratia agendum ſit. Licet enim aliquis Dei Servus abdita Scripturarum myſteria ſine humano ſtudio explicuerit, id ad ſcientiam infuſam referendum erit.

a in annal. ad ann. 45. n. 37.

CAPUT XLIX.

De mentis Exceſſu, Ecſtaſi, & Raptu.

1 Ecſtaſis, juxta Matthæuccium, reducitur ad aliquam ex Gratiis gratis datis. Agitur autem prius de mentis exceſſu, ecſtaſi, & raptu, quam de viſionibus, apparitionibus, & revelationibus; vel quia hæc non ſemper iis conjunguntur, ut notat Card. de Lauræa; vel juxta Card. Bona, quia eædem in iis utplurimum contingunt. De ecſtaſi, & raptu fuſe Theologi, & fuſius Myſtici. Hic nonnulla de natura, ſpeciebus, & ſignis ecſtaſis, inde ad cauſas Beatificationis, & Canonizationis pertinentia exponentur.

2 S. Iſidorus (*b*), & S. Auguſtinus (*c*) Ecſtaſim vocant mentis exceſſum. Et juxta S. Thomam (*d*), *ecſtaſim pati aliquis dicitur, cum extra ſe ponitur: quod quidem contingit, & ſecundum vim apprehenſivam*, & in hac facultate ecſtaſis dicitur eſſe formaliter. *& ſecundum vim appetitivam*, & in hac dicitur eſſe cauſaliter. Anima in ecſtaſi aliquando omni ſenſuum uſu deſtituitur, agente tamen potentia vegetativa, uti docet S. Thomas (*e*), cujus doctrinam late exornant Suarez, Thyræus, & alii: non vero, ſive naturalis, ſive Dæmoniaca ſit ecſtaſis, a corpore ſeparatur, quidquid Plato, & Plinius fabuloſis adducti exemplis, aliique apud Bodinum ſomniaverint: ſola enim Divina virtute anima ad corpus, quod reliquit, redire poteſt, nulla naturæ, aut Dæmonis poteſtate. Quod ſi id aliquando contigiſſe viſum eſt, ut *de Lappiorum*; *& Finorum ecſtaſi* ſcribit Olaus Magnus, ad virtutem Diabolicæ ſuperſtitionis referendum eſſe do-

b l. 7. etymol. c. 8.

c de geneſi ad liter. l. 8. c. 25. col. 241. to. 3. par. 1.

d 1. 2. qu. 28. ar. 3.

e 2. 2. qu. 175. art. 5. ad 3.

docet Gaſpar a Rejes. Ne in ecſtaſi quidem Divina anima ſeparatur a corpore: licet enim virtute Divina ab eo ſeparari, & ad illud redire poſſit, hoc tamen non eſt neceſſarium, cum Deus omni animæ præſens poſſit in ecſtaſi, quæcumque velit, ei revelare, quin eam a corpore ſeparet, quod neque ulli Prophetæ, aut Dei Servo ecſtaſim paſſo contigiſſe legitur, ut oſtendunt Suarez, Cornelius a Lapide, Martinus del Rio, aliique. Quin etiam S. Paulus faſſus eſt, ſe ignoraſſe, an in ſuo celebri raptu 2. *ad Cor.* 12. hujuſmodi ſeparatio contigerit. Quocirca S. Auguſtinus (*a*) ait, imprudentem eſſe inquiſitionem, an S. Pauli anima in hoc raptu fuerit a corpore ſeparata, & S. Thomas (*b*) docet id non fuiſſe neceſſarium. Utriuſque auctoritatem interpretatur Silvius.

a de peccato orig. c. 23.

b 2. 2. qu. 175. ar. 5.

3 Raptus, juxta D. Thomam (*c*), ſupra ecſtaſim addit violentiam; & juxta ejus mentem differentiam inter raptum, & ecſtaſim explicant Arauxo, Scacchus, & alii, inter quos Silvius docet, ſufficere, ut in Raptu reperiatur aliquid ſimile violentiæ. Card. Bona vero ait: diſtingui inter ſe Raptum, & ecſtaſim; *nam hæc ſuavius mentem a ſenſibus abſtrahit, ille fortius, & cum quadam violentia &c.* Myſtici violentiam intelligunt violentum corporis motum, ut eſt elevatio in altum. Sed hæc indicaſſe ſufficiat, cum juxta Card. de Lauræa, Conſalvum Durantum, & Baldellum ecſtaſis, & Raptus paſſim promiſcue ſumantur.

c ar. 2. ad 3. loc. cit.

4 Ecſtaſis, & Raptus, ut ſupra innuimus, dividitur ex S. Thoma (*d*) in naturalem, dæmoniacum, & Divinum. Naturalis a cauſis naturalibus oritur, ut a morbo, quem medici vocant *Catochen*, ſeu *Catalepſim*; aut ex vehementi imaginatione, tunc enim ſpiritus animales in cerebrum confluunt, adeoque deſinunt ſenſuum externorum functiones, quod accidiſſe dicitur Platoni, ac S. Thomæ. In hac ecſtaſi, ut ſcribit Zacchias, corpus a terra non elevatur. Ecſtaſis Dæmoniaca eſt, cum Dæmon ligat ſenſus, excitatque in phantaſia, & in facultate cogitante vehementem alicujus rei cogitationem: & in hac poteſt contingere corporis a terra elevatio, uti contigiſſe Pytagoræ referunt Jamblicus (*e*), & Origenes (*f*). Cujuſmodi etiam fuit Simonis Magi volatus apud Baronium (*g*), quem quidem volatum, quidquid dubitet Henricus Valeſius, tamquam certum ex Patribus, & Hiſtoricis adſtruunt Tillemontius, & Calmet. Similia de Magdalena de la Cruz refert Torreblanca. Divina demum eſt, cum Deus per ſe, aut per Angelum bonum rapit hominem, & a ſenſibus alienat, ut liberius Divina contempletur; & in hac poteſt corpus a terra elevari, ſed minime neceſſario. Divina ecſtaſis a Deo immitti poteſt, nulla præcedente hominis meditatione, & poteſt dari eodem movente, & illuminante hominem ad aliquid conſiderandum. Omnia hæc confirmant Suarez, S. Franciſcus Saleſius, Zacchias, Matta, aliique Theologi, Myſtici, Philoſophi, & qui de Canonizatione SS. ſcripſerunt. Sed & P. Baldellus ſæpe laudatus triplicem hanc ecſtaſim fuſe explicat, addens, Ecſtaticorum vultum aliquando ſplendere, nonnulloſque ex ipſis longam a cibo abſtinentiam ſervaſſe; ſed de his alibi. Pauca quoque innuit ſuper hiſtoria ſeptem dormientium, quos ſic dictos nonnulli exiſtimant, quod ducentis circiter annis, a Decio ſcilicet ad Theodoſium juniorem, in ſpelunca dormierint; vel quod ſub Decio in ſpelunca clauſi Martyrium conſummaverint, & ſub Theodoſio inventi, redivivi apparuerint: *Dormientes* vero appellati ſint, quod juxta Scripturam, ita dicantur omnes pie in Domino morientes: & in hanc ſecundam ſententiam propendet Baronius (*h*), primam tamen late propugnat Aſſemanus.

d ar. 1. loc. cit.

e de vita Pytagor. c. 28.

f lib. 6. contra Celſum.

g in Annal. ad ann. 68. n. 13. & ſequent.

h in Annal. ad ann. 68. n. 13. & ſequent.

5 Jam indicanda ſunt ſigna harum ecſtaſum, quæ graves ſint, nam levium nulla eſt habenda ratio. Naturalis igitur ecſtaſis ſigna ſunt: illa morbi indicia, ex quo ecſtaſis oritur: item

Digitized by Google

tempus determinatum, morbus progreſſu temporis occurrens, laſſitudo, pigritia membrorum, offuſcatio intellectus, præteritorum oblivio, pallor faciei, & animi triſtitia ecſtaſi ſuccedentes, quemadmodum oſtendit Zacchias. Ex circumſtantiis quoque hæc ecſtaſis colligi poteſt, ut ſiquis ecſtaticus fiat, dum rem terrenam concupiſcit, vel ſubito alicujus eventus pavore, aut triſtitia corripitur, ut cum Iſaac *Geneſ.* 27. advertens ſe pro Eſau benedixiſſe Jacob, *expavit ſtupore vehementi*, & ſimilia, quæ in ſacris Scripturis referuntur. Demum, juxta Calmet, alioſque, ſiquis audiens Muſicam alienetur a ſenſibus.

6 Ex circumſtantiis pariter dignoſci poteſt Ecſtaſis dæmoniaca, ut ſi homo perditæ vitæ, vel in actu peccati, aut cum maxima membrorum diſtorſione, motuque corporis incompoſito rapiatur in ecſtaſim; quod optime exponit Card. Cajetanus, cum quo conſentiunt Gravina, Card. de Lauræa, & alii. Præterea hanc ecſtaſim indicant alienatio ad libitum; ecſtaſis enim non datur per habitum; aut ad libitum reverſio, vel ad certam vocem, niſi forte hæc eſſet Superioris: ſi alienatus loquatur mente turbata, quaſi actus ab alio: ſiquæ in alienatione dixerat, repetere neſciat: ſi palam frequenter alienetur. Horum exempla legere eſt apud S. Auguſtinum (*a*), Martinum del Rio, Zacchiam, & Scacchum. Card. de Lauræa monet, cavendum eſſe ab ecſtaticis, qui ejulatus ferinos horrorem incutientes emittunt. Raphael de la Torre ſuſpectos cenſet alios, qui ad inſuſurratam auribus certam vocem expergiſcuntur; quoad ecſtaticos vero, qui, jubente Prælato, ad ſenſus revertuntur, ait, Divinam ecſtaſim ex aliis circumſtantiis eſſe deſumendam. Demum aperta dæmoniacæ ecſtaſis ſigna ſunt, ſi in ecſtaſi ſuadeatur malum, aut bonum in finem malum. Narrat P. Ribadeneyra, S. Ignatium conſultum, quid ſentiret de quadam moniali, quæ a ſenſibus ita alienabatur, ut ignem non ſentiret, ac ſtigmata in manibus, latus perfoſſum, & caput veluti ſpinis compunctum exhiberet, reſpondiſſe, attendendam dumtaxat eſſe illius promptiſſimam, quæ ſimul addebatur, erga Superiores obedientiam, cætera etiam a Dæmone fieri poſſe. Poſt Cajetanum notavit Silvius, ecſtaticos ſub perſona Chriſti, aut alterius Sancti loquentes, vel ſeduci, vel ſeducere.

a lib. 14. de Civit. Dei c. 24. col. 375. to. 7.

7 Signa demum ecſtaſis Divinæ ex moribus potiſſimum petenda ſunt. In hac ecſtaſi homo totus compoſitus eſt, loquitur tantum cœleſtia, quæ aſtantes ad amorem Dei excitant: ad ſe reverſus apparet humilis, vultu hilaris, & corde ſecurus. Hæc ecſtaſis ut plurimum contingit in oratione, vel in audiendo ſacrum, vel ſermones de Deo, aut de paradiſo, vel poſt ſumptam Euchariſtiam, ut de quadam Serva Dei narrat Martinus del Rio, de S. Catharina Senenſi Scacchus, de S. Petro de Alcantara Marcheſius. Divini Raptus juxta Card. Bonam, & Thomam a Jeſu ſæpe ſunt breves. Demum perpendenda ſunt antecedentia, concomitantia, & ſubſequentia ecſtaſim. Si enim Ecſtaticus virtutibus floruerit, & poſt ecſtaſim in iis magis profecerit: ſi quæ ecſtaſim comitata ſunt, cum relatis concordent; ecſtaſis procul dubio erit Divina, ut advertit Conſalvus Durantus, & proſequuntur Matta, Scacchus, Card. Bona, aliique.

8 Juxta Richardum de S. Victore ecſtaſis Divina provenire poteſt ex magnitudine admirationis, amoris, & exultationis, quod late explicat Harfius. His tamen, utpote internis, nec judicio Eccleſiæ ſubjectis, adeoque ad Myſticos pertinentibus, omiſſis; nonnulla adnotanda ſunt de actibus externis. Zacchias itaque laſſitudinem membrorum, de qua ſupra, adſcribit ecſtaſi naturali, excludit a ſupernaturali: cum quo conſentire videntur Conſalvus Durantus, & Auditores Rotæ in relat. cauſ. Servi Dei Nicolai Factor. Sed hæc intelligenda ſunt de laſſitudine

poſt

poſt Raptum : hoc enim durante, vi mentis in rerum contemplatione Divinarum defixa, opus eſt, ut corpus frigeſcat, & infirmetur, ut innuunt Caſſianus, & Sancta Tereſia. Et ſane *Daniel*, 10. legitur: *Vidi viſionem grandem hanc, & non remanſit in me fortitudo*.

9. 10. Elevationem corporis a terra, quam in Dæmoniaca ecſtaſi ſupra admiſimus, multo magis in Divina contingere poſſe, pluribus Sanctorum exemplis confirmat Thomas a Jeſu. Id quippe legitur in vita S. Petri de Alcantara, & in vita S. Thomæ Aquinatis apud Surium (a): & referunt Auditores Rotæ in relat. cauſ. SS. Tereſiæ, Franciſci Xaverii, Philippi Nerii. Idipſum affirmarunt idonei teſtes in cauſa Ven. Joſephi a Cupertino. Item ſupra dictum eſt, inordinatos, & indecentes corporis motus ſignum eſſe ecſtaſis diabolicæ, quod comprobant etiam Silvius, & Hurtado. Verumtamen non omnis inſolitus motus habendus eſt, tamquam indecens, & inordinatus. Et ſane in vita S. Philippi Nerii legitur, ipſum tali gaudio in Sacro peragendo exultaſſe, ut quaſi paralyticus videretur, alioſque inuſitatos motus ederet. Similia leguntur in vita, & bulla Canoniz. S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis, & in Actis Ven. Michaelis de Sanctis. Ex quibus palam fit, motus dumtaxat vere indecentes; præcipue inhoneſtos, ſignum eſſe ecſtaſis diabolicæ; at pure inſolitos, ceteris concurrentibus, etiam ad Divinam referri poſſe, ut innuunt Jacobus Alvarez de Paz, & Matthæuccius.

a ad diem 7.Mart.n.9.

11 Demum in ſuperioribus dictum eſt, ecſtaſis diabolicæ ſignum eſſe, ſi quis loquatur mente turbata: & ſignum Divinæ eſſe verba in Dei laudem redundantia. Thomas a Jeſu docet, non eſſe perfecte raptum, qui liber eſt ad dicendum, & dicta intelligit. Nihilominus Gravina, & Card. de Lauræa in ecſtaſi Divina admittunt, tamquam ſigna ineffabilis gaudii, verba ſanctitatem reſonantia, clamoreſque, & ejulatus horrorem non inducentes, ut ſupra diximus. Et clamorum quidem ſine horrore in ecſtaſi mentio fit in vita B. Angelæ de Fulgineo, & in vita S. Petri de Alcantara a P. Marcheſio ſcripta: eoſdemque memorat Caſſianus. Nec inficiari quis poteſt raptos in ecſtaſim Divinam aliquando loqui. S. Maria Magdalena de Pazzis cum reliquias S. Aloyſii Gonzagæ a P. Virgilio Cepario Confeſſario ſuo acceptas Sororibus divideret, repente in Divinam ecſtaſim rapta ſupremam ejuſdem Sancti gloriam ampliſſime enarravit: Nonnullæ ex Monialibus verba ſcripſerunt, exhibitoque poſtea ei folio, juſſu Archiepiſcopi Florentini, jurejurando faſſa eſt, omnia in folio deſcripta, vera eſſe, ut in cauſa S. Aloyſii comprobavit P. Andreas Budriolus ejuſdem cauſæ Poſtulator. In his demum regula eſt, ut verba, quæ ab Ecſtaticis proferuntur, cum omnibus circumſtantiis obſerventur, ut oſtendit Pignatellus.

12 Ex dictis infertur, Ecſtaticos, & Raptos ſupra naturæ vires, recordari eorum, quæ in ecſtaſi, & raptu contigerunt, quod admittit etiam Silvius. Verum juxta doctrinam S. Tereſiæ advertendum eſt, revelata a Deo in ecſtaſi per viſionem imaginariam, remanere, & poſſe ab Ecſtatico poſtea referri: revelata vero per viſionem intellectualem, remanere quidem, ſed Ecſtaticum poſtea de iis non recordari, niſi confuſe, nec poſſe aliis referre. Quare ex defectu perfectæ memoriæ, vel poteſtatis ea referendi inferri nequit, ecſtaſim non fuiſſe ſupra naturæ vires, cum Deus hanc poteſtatem Ecſtatico non indulgeat, niſi prophetare debeat, aut in aliorum utilitatem viſa revelare, quemadmodum advertunt Pignatellus, & Card. de Lauræa.

13 Quod attinet ad cauſas Beatificationis, & Canonizationis, primo oſtendendum eſt, ecſtaſim non fuiſſe naturalem. De dæmoniaca vix hic ratio haberi poteſt, cum percipi nequeat, viros ſanctitate illuſtres eam paſſos

fuiſſe; niſi forte Deus id permiſiſſet, ut humiliores redderet, quod monet Card. de Lauræa; vel niſi ecſtaſi immixta fuiſſet luxuria ſpiritalis, cum ſcilicet Dei Servus, non Dei gloriam, ſed conſolationem, & delectationem, quam in exceſſu experitur, reſpicit, tamquam finem principalem, ut notant Durantus, & Scacchus. Sed hæc interna ſunt, adeoque Eccleſia ſcire nequit, eadem abfuiſſe, niſi certo cognoverit heroicas Ecſtatici virtutes. His duabus ecſtaſibus excluſis, poſitiſque ſupra dictis Divinæ ecſtaſis ſignis, de hac non erit dubitandum, juxta Auditores Rotæ in relat. cauſar. SS. Franciſcæ Romanæ, & Catharinæ de Ricciis.

14. 15 Hæc tamen ecſtaſis non confert per ſe ad probandam ſanctitatem, cum ea non ſit effectus Gratiæ ſanctificantis. Idcirco, ut ejus ratio habeatur in judicio Beatificationis, & Canonizationis, oſtendendum erit, Ecſtaticum heroicis virtutibus floruiſſe, tuncque illa erit ſignum ſanctitatis, & amoris. Card. de Lauræa putat, actus intellectus, & voluntatis in ecſtaſi non eſſe meritorios, utpote non liberos; oppoſitum docent Suarez, Gravina, & alii. His omiſſis; cum hujuſmodi ecſtaſes utplurimum concedantur viris perfectis; ut colligere eſt ex Act. SS. Dominici, Franciſci, & aliorum, ex iis, accedentibus virtutibus heroicis, aliquod ſanctitatis argumentum indirecte deduci poterit, ut late probant Card. de Lauræa, Scacchus, Matta, & Matthæuccius. Sed quamvis eædem mirificæ dici poſſint, numquam a Sede Apoſtolica inter miracula recenſentur: his tamen adſcribi poſſunt ſigna ecſtaſim comitantia, ut ſplendor vultus, & ſimilia, ut proſequitur idem Eminentiſſimus Auctor, qui illud quoque docuit, contemplationi acquiſitæ non eſſe conjunctam ecſtaſim, aut raptum, & ex vehementi contemplatione oriri poſſe ecſtaſim naturalem. Omnia hæc fuſe explicat P. Baldellus ſæpe laudatus, loquens de ecſtaſi Arſiliæ Altiſſimæ ſuperius memoratæ.

CAPUT L.

De Viſionibus, & Apparitionibus.

1 Cardinalis de Lauræa, poſtquam, ut paulo ante innuimus, fuſe probavit, viſiones non ſemper ecſtaſi conjunctas eſſe, ſubdit viſiones dici poſſe revelationes, & contra, ſi de rebus occultis, ſive futuris, ſive præſentibus, ſive præteritis ſint: atque ex parte Dei, vel alterius eadem oſtendentis dici revelationes, ex parte accipientis viſiones. Card. Bona inquit, pro eadem re ſumi viſionem, & apparitionem, niſi quod hæc ita dicitur, cum ſpecies apparentis noſtris ſe ingerit obtutibus, ſed quis appareat, ignoratur: illa, cum externæ apparitioni ejus intelligentia conjungitur. Bordonus vero putat, apparitiones dici viſiones ex parte videntium rem mirabilem.

2 Deus ſub viſibili forma undecies apparuit in veteri Teſtamento: ideſt, primis Parentibus, Cain, Noe, Agar, Abrahamo, Lot, Jacob, Moyſi, Joſue, Gedeoni, & parentibus Samſonis. Externa quoque voce locutus, & auditus dicitur, & ſane, præter alia, *in hiſtoria Moyſis* novies locutus eſt Abrahamo. Externa ejus vox audita fuit per nubem, per ardentem rubum, per ignem, in turbine, in ſibilo, de Propitiatorio, de cœlo, & per Urim, & Tummim. De Propitiatorio ſe locuturum promiſit Moyſi, & ex eo locutum eſſe colligitur ex *Num.7.* In Urim quoque, & Tummim multa per Sacerdotem revelaſſe exploratum eſt *1.Reg.* 23. & 30. Sed admodum incertum eſt, quid eſſent Urim, & Thummim. Legi poſſunt Natalis Alexander, Calmet, Lamy.

3 Triplex eſt viſio, & apparitio: ſcilicet, corporalis, imaginaria, & intellectualis. Imaginariæ fuerunt Dei apparitiones per ſomnium factæ Salo-

moni

moni 3.*Reg.*3., & Mardochæo *Eſter* 11. Intellectuales cenſentur, in quibus certum eſt, Deum apparuiſſe, & locutum fuiſſe, incertum tamen, an externa forma viſus, & voce humana locutus fuerit. Hujuſmodi fuit illa facta Eliſeo 4.*Reg.*3., cum tres Reges aquæ penuria laborantes eumdem de voluntate Dei conſuluiſſent. Et alia, per quam Propheta 4.*Reg.*13. intellexit, quæ revelaret Joas Regi Iſrael. Toſtatus hanc ſtatuit regulam: ut in Scripturis intellectuales cenſeantur Dei apparitiones, & locutiones, quotieſcumque Prophetæ dicunt: *Hæc dicit Dominus*. Angelos quoque in veteri Teſtamento ſæpe apparuiſſe docet *Liber Geneſeos*. Sed & animæ mortuorum nonnumquam apparuerunt, ut animæ Oniæ Sacerdotis, & Jeremiæ Prophetæ *in libris Machabæorum*. Samuel pariter a mortuis excitatus, & Sauli apparuiſſe dicitur 1. *Reg.*28. Utrum autem vere anima Samuelis, an ſpectrum Samuelem repræſentans apparuerit, quæſtio eſt, quam fuſe pertractatam quiſque legere poteſt apud S. Auguſtinum (*a*), S. Thomam (*b*), & Natalem Alexandrum.

a lib.2. ad Simplic.qu. 3.

b 1. part. q.89. art.8. ad 2.& 2.2. qu.95.ar.4. ad 2. & qu. 174. ar. 5. ad 4.

4 Dei apparitiones in veteri Lege, juxta communiorem Theologorum ſententiam non fuerunt perſonales, ſed per Angelos perſonam Dei ſuſtinentes, ut late probat Durantus, explicans, quomodo hi dicere potuerint: *Ego ſum Dominus Deus tuus*. Subſcribit Thyræus, oſtendens, Angelos ad hoc aſſumpſiſſe corpora aerea. Per Angelos quoque, voces humanas efformantes, locutus eſt Deus in veteri Teſtamento, ut colligitur ex Apoſtolo *ad Hebr.* 2., *& ex Act. Apoſt.*7. Angeli pariter effecerunt apparitiones imaginarias veteris Teſtamenti, præcipue eas, quæ in ſomno contigerunt, quales fuerunt factæ Jacob *Geneſ.*31., Eliæ 3. *Reg.*13., & Abrahamo *Geneſ.*22. Omnia hæc fuſe proſequitur Thyræus, docens, hiſce viſionibus, apparitionibus, revelationibus, & locutionibus intellectualibus ineſſe ſpecies, & lumen ſupernum: concluditque novas ſpecies, a Deo revelatas, & novum lumen intellectui communicatum, a ſolo Deo conferri, non ab Angelis. Petrus Cunæus, quem ſequuntur Lamy, & Graveſon, in ea eſt ſententia, ut, quando Deus apparuiſſe dicitur, id intelligendum ſit de verbo Divino; ſed a prima ſententia a Patribus, & Scholaſticorum Principibus, teſte Card. Bona, propugnata non eſt diſcedendum.

5 Succedunt viſiones, & apparitiones novi Teſtamenti. Celebris eſt illa D. Pauli ad tertium cælum rapti 2.*ad Cor.*12., & altera D. Petri *Act.*10. Plures vero memorantur in Apocalypſi. Sentiunt communiter Theologi, purum hominem non poſſe in ſtatu viæ ad claram Dei viſionem naturaliter pervenire (Chriſtus vero a primo inſtanti ſuæ conceptionis fuit Beatus); poſſe tamen ex privilegio, cum Deus poſſit aliquem ad hoc elevare, vel remorando ſenſus externos, ne agant, vel dando intellectui lumen gloriæ tranſeunter, vel permanenter. An vero hujuſmodi fuerit viſio Pauli, & viſio Moyſis, de qua *Num.*12., & *Exod.*33. diſputant Theologi. Affirmare videtur S. Auguſt. (*c*), quem ſequitur S. Thomas (*d*), non ita tamen, ut Paulus, & Moyſes eſſentiam Dei plene viderint, & beati facti ſint, ſed ut eorum viſio media inter viſionem Beatorum, & Prophetarum fuerit, & tranſiens.

c lib.12.de Geneſi ad litt.& epiſt. 112. nunc 147. c.13.

d 1. part. q.12.ar.11. ad 2.& 2.2. q.175.ar.3. & in 4.diſt. 49. q.2. ar. 7.ad 4.& 5. & alibi.

6 Chriſtum pariter ſæpe apparuiſſe poſt nativitatem ante paſſionem, & poſt reſurrectionem ante aſcenſionem ad cælum teſtantur ſacra Evangelia. Aliquando apparuit poſt aſcenſionem. Verum ejus apparitiones poſt reſurrectionem ante aſcenſionem fuerunt perſonales. Et veroſimile admodum eſt, perſonalem fuiſſe Chriſti apparitionem factam Apoſtolo 1.*ad Cor.*15. poſt aſcenſionem; quamvis probabiliter aliæ ejus apparitiones poſt aſcenſionem non fuerint perſonales, ut oſtendit Thyræus. S. Ambroſius narrat (*e*), Chriſtum D. Petro Roma exeunti apparuiſſe, & ab hoc interrogatum: *Domine, quo vadis*, reſpondiſſe: *Venio, iterum cruciſi-*

e in Auxent. de baſilicis &c. n. 17. col. 866. oper. to.2.

Digitized by Google

ciſigl: quod etiam refertur in *Act. SS. Proceſſi, & Martiniani*. Nonnulli hanc apparitionem minus ſinceram reputant, ſed in ejus memoriam extat adhuc Romæ ædicula ſacra, quæ dicitur *Domine, quo vadis*, de qua Panvinus, & Severanus. Et hanc apparitionem nonnulli apud Pignatellum reputant perſonalem. Utcumque res ſe habeat, quærunt Theologi, an Chriſtus poſt aſcenſionem perſonaliter apparens cælum reliquerit, & ad terras deſcenderit: S. Thomas (*a*) non improbabile putat, Chriſlum tunc ad tempus cælum reliquiſſe. Joannes Major ſentit, numquam poſt aſcenſionem cælum deſeruiſſe, attamen interdum in terris viſibili forma per veram ſui corporis præſentiam spparuiſſe; adeoque in duobus ſimul locis extitiſſe. Suarez vero poſt aſcenſionem aliquando in terra fuiſſe, incertum tamen, an tunc a cælo abfuerit.

a 3. part. qu. 57. ar. 6. ad 3.

7 De aliis viſionibus, & apparitionibus, quæ leguntur in hiſtoriis Eccleſiaſticis, multa differunt Martinus del Rio, & Gravina. Quocirca hic agendum eſt de aliis, quæ apud Theologos memorantur. Narrat S. Gregorius (*b*), S. Benedictum omnem mundum veluti ſub uno ſolis radio collectum vidiſſe. Nec mirum, *quia animæ videnti Creatorem*, ſubdit S. Gregorius (*c*), *anguſta eſt omnis creatura*. Ex his, aliiſque S. Gregorii verbis Sandeus, Angelus de nuce, & alii affirmant, S. Benedictum vidiſſe Dei eſſentiam. Negat vero S. Thomas (*d*), addens, per illuſtrationem Divini luminis facile fieri potuiſſe, ut omnia viderentur: nec poſſe humanam mentem corpori unitam videre Dei eſſentiam, niſi homo moriatur, vel ita a ſenſibus alienetur, ut neſciat, utrum ſit in corpore, an extra corpus; neutrum vero ex his S. Benedicto contigiſſe.

b In vita S. Benedicti c. 35.

c loc. cit. col. 272. oper. to. 2.

d 2. 2. qu. 180. ar. 5. ad 3.

8 Alia, quæ hic diſcutienda occurrit, apparitio eſt Chriſti Domini in Sacramento altaris ſub ſpeciebus, & formis peregrinis, & inuſitatis, ut infantis, ſanguinis, & ſimilium, quarum exempla exhibent Thyræus, Bozius, Chriſtianus Lupus, & alii. S. Thomas docet (*e*), hujuſmodi apparitiones dupliciter contingere poſſe: primo ex parte videntium facta in eorum oculis immutatione, ac ſi expreſſe prædicta viderent: ſecundo, facta mutatione in ſpeciebus Sacramentalibus. Primum contingere, quando unus videt apparitionem, non autem alii: ſecundum, quando omnes, & ad longum tempus illam ſpectant: utroque tamen modo Chriſtum remanere in ſacramento. Hanc doctrinam ſequuntur Theophilus Raynaudus, P. Philippus Maria a S. Paulo, eademque explicatur, & confirmatur *in conferentiis Eccleſiaſticis* ab Henrico Epiſcopo Lucionæ editis. De his apparitionibus teſtimonium perhibet Card. de Vitriaco.

e 3. part. qu. 76. ar. 8.

9 Supereſt, ut aliqua addantur de viſionibus, & apparitionibus procedentibus a Dæmone, & a cauſis naturalibus. In veteri Teſtamento Dæmon in corpus ſerpentis ingreſſus voces humanas, juxta S. Joannem Chryſ., alioſque apud Cornelium a Lapide (*f*), ut potuit, effinxit, & Hevam allocutus ſeduxit. In novo autem *Matth. 4.*, & *Luc. 4.* Chriſto Domino apparuit, oſtendens, & promittens regna mundi, ſi Chriſtus ipſum adoraret. Apparuit vero, aſſumpto corpore aereo, ut docent Arauxo, Durantus, & Rocca. Porro viſiones, & apparitiones imaginariæ ope Dæmonis fiunt, cum ipſe *phantaſiam commovet, multaque in ea repræſentat, & ſuggerit*, inquit Card. Bona. Plura dat Pignatellus. Phantaſia quippe poteſt eſſe cauſa multorum effectunm in alieno, & proprio corpore, quemadmodum advertit Thomas Fienus. Quod ſpectat ad viſiones, & apparitiones ex naturali cauſa procedentes, P. Baldellus ex S. Auguſtino, & Ariſtotele opinatur eas contingere, cum in organo ſenſus diverſæ occurrunt mutationes circa objectum, & accidentia: & ob has mutationes judicium potentiæ imaginativæ eſſe im-

f in cap. 3. Geneſ.

per-

perfectum, & infirmum, quod neque a potentia ſuperiori, & vivaciori corrigitur. Porro juxta eoſdem Auctores, hæ mutationes cauſam habent a diverſis corporis diſpoſitionibus, & affectionibus, nec non ab animæ paſſionibus; quibus imaginationem diverſimode afficientibus diverſa phantaſmata excitantur, quin potentia ſuperior verius judicium ſuperinducere poſſit; inde fit, ut diverſæ, ac falſæ viſiones ſequantur. In viſione vero, ſive apparitione pure intellectuali nulla deceptio inveniri poteſt, quod animadvertit Card. Bona. Si quis de viſionibus, & apparitionibus Dæmonum plura velit, adeat Thyræum.

10. 11 Ex hucuſque dictis colligitur, viſiones, & apparitiones alias eſſe naturales, alias præternaturales: viſionem præternaturalem eſſe corporalem, imaginariam, & intellectualem. Corporalis, juxta S. Auguſtinum (*a*), fit per viſum, alioſque ſenſus. Imaginaria fit per ſpecies, ſeu imagines rerum, vel in phantaſia exiſtentes, vel a Deo, aut ab Angelo immiſſas; & evenire poteſt in ſomno, aut vigilia. Intellectualis eſt clariſſima rerum Divinarum manifeſtatio, vel per gratiam illuminantem, vel per ſpecies a Deo intellectui immediate infuſas. Viſio corporalis, & imaginaria præternaturalis poteſt eſſe a Deo, & a Dæmone. Plura docent D. Thomas (*b*), Cardinales Bona, & de Lauræa, Gravina, Thyræus, Matta, & Durantus, & fuſiſſime P. Baldellus.

a lib. 10. Confeſſ. c. 35. col. 189. to. 1. oper.

b 2. 2. qu. 174. ar. 2.

CAPUT LI.

De diſcernendis Viſionibus, & Apparitionibus.

1 INitio ducto a viſionibus, & apparitionibus naturalibus, ut dignoſcatur, an hæ plane tales fuerint, ſedulo inveſtigandum eſt, an aliqua præceſſerit cauſa naturalis, ideſt morbus, vel alia corporis affectio, aut diſpoſitio, a qua procedere potuerint. Hanc regulam tradunt Bartholomæus Medina, Philomarinus, & Card. Bona, addens habendam eſſe rationem ætatis, & ſexus, cum ſenes, pueri, & fœminæ ob proprium corporis temperamentum facile decipiantur, ut notant etiam Valgoner, Martinus del Rio, Arauxo, & P. Antonius ab Annuntiatione. Nec tamen hæc ita intelligantur, ut omnes fœminarum viſiones, & apparitiones cenſendæ ſint naturales (ſupernaturales quippe contigerunt SS. Birgittæ, Catharinæ Senen., Tereſiæ, & aliis, ut monent Matthæuccius, & Tanner); ſed ut accuratior indago de iis promoveatur. Profecto S. Monica apud S. Auguſtinum (*c*), cum optaret aliquid ſibi per viſum oſtendi, *videbat quædam vana, & phantaſtica, quo cogebat impetus ſatagentis humani ſpiritus ...., ſed contemnens ea*: Gratia enim diſcretionis prędita, ſciebat quid intereſſet inter Deum revelantem, & animam ſomniantem, quod non omnibus datum eſt.

c lib. 6. Cõfeſſ. cap. 13. col. 130. to. 1.

2 Somnia a Deo aliquando immittuntur (Deus enim per ſomnium Abimelech Regem Geraræ admonuit, ne tangeret uxorem Abrahæ; & ſimilia, quæ e ſacris Scripturis deſumpta refert Durantus); multa tamen a Deo eſſe videntur, ſed a cauſis naturalibus procedunt, ut explicat Valleſius. Juxta D. Thomam (*d*) duplex eſt ſomniorum cauſa, interna, & externa. Interna alia eſt animalis, cum hominis phantaſiæ ea in ſomnis occurrunt, circa quæ vigilantis cogitatio, & affectio verſari conſueverunt; alia corporalis, cum ex interna corporis diſpoſitione aliquis motus ipſi conveniens in phantaſia efficitur. Externa quoque alia eſt corporalis ex aere continente, vel corporis cœleſtis impreſſione procedens, ut late explicat Gaſpar a Rejes: alia ſpiritalis a Deo, vel a Dæmone proveniens, ut explicant Gravina, Philomarinus, & Hurtado. Hinc ſi de viſione, & apparitione, ſeu revelatione, quæ in ſomnis contigerit, quæſtio inſtituatur, ſedulo expendendæ

d 2. 2. q. 95. ar. 6.

ſunt

ſunt naturales ſomniorum cauſæ, *& magna prudentia adhibenda eſt*, inquit Scholiaſtes Climaci. Nam etiam ſacra Scriptura inculcat, ut nulla eorum ratio babeatur. Rariſſima quippe ſunt ſomnia Divina, quæ futura portendant, ut obſervat Card. Bona. Multa ſomnia apud Cardanum, Quercetanum, & alios veritatem attigerunt; ſed notat Fracaſtorius, ea utplurimum ad caſum referenda eſſe. Cetera, quæ Medici obſervant, indicare poſſunt corporis diſpoſitiones, ut proſequuntur Gaſpar a Rejes, & Zacchias.

3. 4 Succedunt viſiones, & apparitiones præternaturales, quæ a Deo, vel a Dæmone, in ſomnis, vel in vigilia contingunt. Terribilem diabolicæ viſionis caſum narrat S.Antiochus (*a*). Dæmon ſcilicet cuidam Monacho in Monte Sina caſtitate celebri turbam Apoſtolorum, aliorumque Chriſtianorum denſiſſimis tenebris circumfuſam oſtendit: tum Moyſen, populumque Judæorum ſplendida luce conſpicuos obtulit: hiſque inſomniis illuſus Monachus ad Judaiſmum delapſus eſt. Multa ſunt apud Doctores ſigna, quibus Divinæ viſiones a dæmoniacis diſcernuntur. Humilitatem, tamquam ſignum Divinæ viſionis certum, aſſignat Gerſon, cui adhærent Tanner., S. Catharina Senen., & Card Bona. A fructibus dignoſci poſſe, monet Alphonſus Epiſcopus Giennenſis. Subſcribunt alii, addentes, etiam a perſona, cui contingunt, a modo, & ab effectibus eſſe dijudicandas. Si enim perſona virtutibus prædita ſit: ſi nihil in viſione ſit, quod ad Dei cultum non tendat; & humilitas ſubinde, aliæque virtutes excreverint, de ſuperna, & Divina viſione non erit ambigendum, ut innuunt S. Gregorius (*b*), & S.Macarius Ægyptius (*c*). Formis quoque diſcrepare, ajunt, Angelorum, ac Dæmonum apparitiones. Angelis enim ſolet eſſe forma humana: Dæmonibus vero vel humana, ſed atra, & deformis, vel beſtiar[illegible] præter agnos, & columbas: an[illegible] vero ſeparatæ, etiam damnatorum, ſi viventibus appareant, formam aſſumunt, ex qua dignoſcantur. *Spiritus contaminati*, inquit Lactantius (*d*), *omnia inſidiis, fraudibus, erroribus complent*: itaut, permittente Deo, aliquando in Angelos lucis ſe transfigurent, & Chriſti, B. Virginis, ac Sanctorum perſonam ſæpius præſeferant, uti oſtendunt Villalpand., Raynaud., & Card. Bona. Quandoque etiam bonum ſuaſerunt, ut incautos deciperent, ut monet S.Bonaventura,(*e*) cujus rei exemplum videre eſt *in vita S.Mariæ Oigniacenſis* apud Bollandianos(*f*). Thyræus vero putat, apparitionum Chriſti in Sacramento Euchariſtiæ ſub ſpeciebus peregrinis *Dæmones auctores eſſe poſſe*. De Divina ſapientia ſcribit S. Jacobus Apoſtolus, quod *primum pudica eſt, deinde pacifica &c.*, & Doctores hæc explicantes affirmant, viſiones, & apparitiones Divinas, ſi aliquando timorem initio injiciant, poſtea jucundas evadere, quod contigit Abrahamo *Gen.* 15., Jacob *Gen.* 28., Zachariæ, B. Virgini, & Paſtoribus apud S.Lucam (*g*). Contra Dæmoniacas, ſi ab initio turbent, aut alliciant, poſtea ſemper concutere; ac videntem turbatum relinquere. His conſonant, quæ in vita S. Antonii Abbatis deſcribit S.Athanaſ. (*h*) Conſentiunt Martinus del Rio, Villalpand., & S.Catharina Senenſis; S. Thomas (*i*) addit, perturbationem poſſe accidere non ſolum in viſione corporali, ſed etiam in imaginaria. Gravina vero animadvertit, triſtitiam permanere poſſe etiam in Divinis apparitionibus, ſed ad pœnitentiam: lætitiam in diabolicis, ſed a virtutibus, præcipue humilitate, alienam. Cætera, quæ de perſona, modo, & effectis ſupra indicavimus, fuſe traduntur a Duranto, Medina, Roſignolio, aliiſque pluribus.

5 Alia huc ſpectantia infra expendentur. Interim quædam ſubjicientur de viſionibus, & apparitionibus in ſomnio contingentibus; de ſomniis a Deo, vel a Dæmone cauſam habentibus; de modo digno-

a hom. 84. to. 12. Bibl. PP. pag. 265.

b libr. 1. Dialog. c. 1. col. 156. to. 2.

c hom. 10. Bibl. PP. to. 4. pag. 115.

d lib. 2. c. 15.

e de Prof. relig. lib. 2. c. 75. pag. 648. to. 7.

f ad diem 23. Junii.

g c. 1. v. 30.

h q. 35. pag. 825. to. 1.

i 3. part. q. 30. ar. 3. ad 3.

dignoſcendi viſiones ſupernaturales, Divinas, & pure Angelicas: & an liceat adorare ſpiritum, qui repræſentet Chriſtum, B. Virginem, aut aliquem Sanctum.

6 Nonnulla Divinorum ſomniorum exempla ſuperius allata ſunt, quibus addi poſſunt illa, quæ habuit Joſeph filius Jacob de manipulis, & ſtellis ipſum adorantibus, nec non illa Joſephi Mariæ Sponſi, ut perſecutionem Herodis effugeret. Somniorum vero, quæ Divina dici nequeunt, ſeptem Thyræus notas enumerat, nempe perturbationem, falſitatem, levitatem, malitiam, inutilitatem, ſuperfluitatem, & ſomniantium impietatem: Divinis vero ineſſe debere horum contraria, & inſuper opus eſſe, ut rerum revelatarum cognitio, & mentis humanæ motio a ſolo Deo eſſe potuerit. Et hanc eſſe Theologorum ſententiam teſtatur Gaſpar a Rejes. Clarius utrorumque ſomniorum indicia exponit Card. Bona, concluditque, tutius indicium deſumi ex rebus in ſomnio oſtenſis, quam ex modo, quo oſtenſa ſunt.

7 Ad diſcernendas Divinas, & Angelicas viſiones, & apparitiones nonnullæ a Theologis regulæ traduntur. Prima deſumitur ex re, quæ in apparitione verſatur, quæ ſi Deo competat, Angelus ſub perſona Dei apparuiſſe dicendus erit, & apparitio Divina reputabitur, qualis fuit illa facta Adamo, dum peccavit. Si res Angelo proprie conveniat, apparitio erit pure Angelica, ut cum Angelus ſe Tobiæ comitem addidit, & B. Virgini Incarnationem prædixit. Secundam regulam ſuppeditant modus, & auctoritas verborum. Quare Divina cenſenda eſt apparitio facta Agar, cui dictum fuit
(a): *Multiplicabo ſemen tuum*: & altera facta Abrahamo, ut immolaret filium ſuum. Hæc enim ſolus Deus tradere poterat. Legantur Valentia, Bubalus, & Durantus. Chriſto Domino ratione Divinæ hypoſtaſis, & meritorum convenit judicandi poteſtas, quæ quidem exercenda eſt in judicio univerſali, & particulari. Sed nonnulli autumant, judicandos in judicio particulari ſententiam accipere ab Angelo tamquem Chriſti Legato, quocirca hæ Angelorum apparitiones dicendæ eſſent Divinæ. Alii cum Abulenſi dicunt, Chriſtum in morte uniuſcujuſque venire, non per localem præſentiam, ſed per efficaciam. a geneſ. c. 26. v. 10.

8 At quidquid ſit de hac controverſia, illud hic expendendum eſt, an adorari poſſit ſpiritus repræſentans Chriſtum, vel B. Virginem, aut alium Sanctum. Porro S. Thomas docet (b), non poſſe ſine peccato adorari Diabolum in ſpecie Chriſti apparentem, niſi ſub conditione actu explicita. Idem docet S. Bonaventura (c). b in 3. ſent. diſt. 9. q. 1. ar. 2. quæſtiunc. 6. ad 3. c in 3. ſent. diſt. 9. ar. 1. q. 6.

CAPUT LII.

De Viſionibus, & Apparitionibus quoad cauſas Beatificationis, & Canonizationis.

1. 2 OMnes viſiones, & apparitiones bonis, & malis communes ſunt, inquit Card. Bona. Nam Divinæ etiam Gentilibus, & ſceleſtis contigerunt, ut Pharaoni, Balaamo, & Balthaſſari. Quare concludit Card. de Lauræa, illas non ſemper eſſe ſigna ſanctitatis. Sunt enim Gratiæ gratis datæ, adeoque etiam peccatoribus concedi poſſunt. Quamquam notavit Thyræus, ſupernaturales probis ſæpius conferri. In cauſis ergo Beatificationis, & Canonizationis, omiſſis viſionibus, & apparitionibus naturalibus, & Dæmoniacis, utpote quæ in iis locum obtinere nequeunt, ſupernaturalium ratio habenda eſt inſtar Gratiæ gratis datæ, poſitis tamen qualitatibus jam indicatis, probatiſque omnino heroicis virtutibus. Cum enim viſiones, & apparitiones ſolus teſtari poſſit is, cui factæ ſunt, hic, ut in re propria fidem mereatur, debet eſſe omni exceptione major, adeoque virtutibus heroicis præditus.

3. 4 Hæc ex pluribus Beatificatio-

nis, & Canonizationis cauſis confirmari poſſent, ſed præcipue ponderanda eſt relatio Auditorum Rotæ in cauſa S. Tereſiæ, cujus eæ fuerunt viſiones, apparitiones, & revelationes, ut Card. Bona affirmaverit, ex earum qualitatibus cæterarum valorem eſſe explorandnm. Ipſa enim, ut innuunt iidem Auditores, & narrat laudatus Cardinalis; ſemper timebat diabolicas illuſiones, itaut viſiones numquam petierit, aut optaverit, ſed ſolum, ut in ſe fieret Divina voluntas: a Spiritu ſibi apparente audiebat, ut communicaret cum viris doctis, quod quidem præſtitit, addens obedientiam ſuis Directoribus: & poſt viſiones in caritate, & humilitate magis proficiebat: libentius agebat cum minus credulis, & perſecutores diligebat: tranquillitas in munere, deſiderium perfectionis in corde erat: intus reprehendebatur de imperfectione, ſi quam haberet: multa a Deo petiit, & obtinuit: qui cum ea verſabantur, niſi quid obſtaret, excitabantur ad Dei amorem: viſiones poſt orationem, vel ſuſceptam Euchariſtiam experiebatur, eæque deſiderium patiendi pro Deo ingerebant: carnem caſtigabat: gaudebat in tribulationibus: amabat ſolitudinem: tranquillitatem in proſperis, & adverſis ſervabat: demum in ejus viſionibus nil reprehenſione dignum viri docti invenerunt.

5 &c. His ſuffragatur ſolida multorum auctoritas. Sanctus quippe Bonaventura (a), Gerſon, S. Philippus Nerius, & S. Vincentius Ferrerius apud Gravinam conſentiunt, ſecurius eſſe talia non quærere, immo oblata parvipendere valde expedire, ut cum viris doctis communicentur. Et Card. a Turrecremata loquens de revelationibus S. Birgittæ, mentis tranquillitatem, amoris Divini incrementum, & continuam humilitatem extollit, tamquam ſigna Divinæ viſionis, & revelationis. Accedunt Gerſon, ac Magiſter Joannes de Avila, hiſque conſonant, quæ B. Angelam de Fulgineo de ſuis, viſionibus, apparitionibus, & revelationibus dubitantem Deus ipſe docuit. Carnis mortificationem in his expoſcit Gravina: & Epiſcopus Giennenſis inter hæc ſigna admittit aliorum converſionem. Amorem ſolitudinis, & ſtudium celandæ viſionis conſiderat Larrea, inferens ſuſpectas eſſe viſiones, & apparitiones, ſi qui eas habuit, paſſim evulgat. Non itaque improbanda communicatio cum viro probo, ut hujus animæ proſit viſio, & apparitio, ut monet S. Tereſia. Huc referri poſſunt, quæ alibi dicta ſunt de jactantia, & vana gloria. Plura legi poſſunt apud P. Ludovicum a Ponte.

(a) In tract. de Prof. Relig. lib. 2. c. 76. pag. 649. to. 7.

10 &c. Concludendum itaque eſt, nullam viſionum, & apparitionum habendam eſſe rationem in cauſis Beatificationis, & Canonizationis, niſi virtutum heroicarum probatio præceſſerit, &, ut optime notavit Gravina, niſi vitæ exitus illuſtris, & ſanctimonia plenus fuerit: & hoc ſpecialius attendendum eſſe teſtatur Epiſcopus Giennenſis. Neque pro Divinis, & cæleſtibus habendæ ſunt viſiones, & apparitiones, quæ ſupra dictis qualitatibus non inſtruantur. Sed, & cauſa Beatificationis, & Canonizationis viſionibus, & apparitionibus abundans felicem non obtinebit exitum, niſi earum qualitates teſtimonio Magiſtrorum ſpiritualium probitate, prudentia, & experientia inſignium fulciantur. Profecto a doctiſſimis viris examinatas, & approbatas fuiſſe revelationes S. Birgittæ referunt Card. a Turrecremata, & Alphonſus Epiſcopus Giennenſis. Spiritum S. Tereſiæ probarunt S. Petrus de Alcantara, S. Franciſcus Borgia, aliique doctiſſimi viri: & ita res ſe habuit in cauſis S. Catharinæ de Ricciis, S. Catharinæ Jannenſis, & Servorum Dei Joſeph de Cupertino, & Alphonſi de Oroſco. Non tamen reſpuendæ ſunt cauſæ viſionibus, & apparitionibus deſtitutæ. Hæ quippe comparantur cæteris Gratiis gratis datis, quæ ſolum illuſtriores reddunt virtutes

tutes

tutes in cauſa illius, qui iis inſignitus fuerit. Legi poteſt S. Vincentius Ferrerius.

13 Siquis dicat, viſiones, apparitiones, revelationes, & earum qualitatem ex aliis capitibus ſupra non indicatis diſcerni poſſe (ſi enim perſona, cui contigerunt, ſit Infidelis, apoſtata a Fide, arreptitia, ſuperba, hypocrita, aliiſque vitiis addicta, hæc argumento ſunt, omnia a Dæmone proceſſiſſe) reſpondetur, hæc expendenda eſſe in tribunali ſanctiſſimæ Inquiſitionis, ut obſervat Card. Albitius: hîc vero agitur de cauſis Beatificationis, & Canonizationis in Congregatione rituum pertractandis.

CAPUT ULTIMUM.

De Revelationibus.

1 OMnes viſiones, & apparitiones potiſſimum tendunt ad aliquid hominibus manifeſtandum, ad ſalutem quidem, & inſtructionem, ſi a bono, ad perniciem, ſi a malo ſpiritu procedant, quemadmodum notat Card. Bona. Revelatio quoque eſt alicujus rei incognitæ manifeſtatio, uti de viſione dictum eſt, ſed ſupra viſionem *addit ejus, quod videtur, intelligentiam*, inquit Arauxo, adeoque viſio non ſufficit ad conſtituendam revelationem. S. Petrus *Act.* 10. vidit linteum animalibus plenum de cælo in terram ſubmiſſum, nec intellexit, quid hoc ſignificaret, adeoque ſola viſio fuit: cumque veniſſet Joppen, & apud Cornelium Centurionem inveniſſet Gentiles ipſum expectantes, ut audirent verbum Dei, intellexit viſionis ſignificationem, & revelatio facta eſt.

2 Non agitur hîc de revelationibus, quæ Prophetis, & Apoſtolis factæ ſunt, quibus, juxta S. Thomam (*a*), Catholica Fides innititur: ſed de revelationibus privatis, quæ ſiunt alicui particulari perſonæ, ſive id, quod revelatur, cedat in commune bonum Eccleſiæ, ſive non. Hæ quoque, ut de viſionibus dictum eſt, ſunt triplicis generis: videlicet naturales a cauſis naturalibus ortæ, quas explicant Moura, Card. Albitius, & Torre: Dæmoniacæ a Dæmonibus propoſitæ, de quibus fuſe Lauræa, Martinus del Rio, & Philomarinus, & quales ſorte fuerunt, quas ſibi factas jactarunt Montanus, Lutherus, aliique Hæretici: aliæ demum ſunt cæleſtes, & Divinæ, quibus Deus aliquam perſonam illuminat, & inſtruit ad ſuam, vel aliorum æternam ſalutem, qualis fuit illa facta S. Cypriano (*b*) de futura Deciana perſecutione, & futura pace Eccleſiæ.

a 1. part. qu. 1. art. 8. ad 2.

b epiſt. 11. pag. 186.

3 Centuriatores Magdeburgenſes, & Melancthon privatas revelationes eliminare conantur. Inter Catholicos Henricus de Haſſia, & Sibyllanus, quamvis nonnullas admittant, alias ſanctis fœminis factas rejiciunt. At Gravina adverſus Centuriatores oſtendit, fruſtra alios Hæreticos idipſum tentaſſe, & quaſdam privatas revelationes a multis impoſtoribus fuiſſe confictas, nonnullas tamen ex hiſtoria Eccleſiaſtica deſumptas eſſe admittendas, earumque donum ſubſecutis temporibus perſeveraſſe: ac ſolum recte perpendendum eſſe, quænam privatæ revelationes vere ad Deum referri poſſint: quod proſequuntur Theophilus Raynaud., & Hurtado. Huc quoque ſpectant revelationes SS. Gertrudis, Birgittæ, Tereſiæ, & aliarum.

4. 5. 6 Card. a Turrecremata docet, cæleſtem revelationem a dæmoniaca diſcerni ex approbatione virorum expertorum: ex effectibus devotionis, humilitatis, & ſimilium: ex veritate revelatorum, ex conformitate cum ſacra Scriptura, & ex ſanctitate perſonæ, cui ſit revelatio. Suarez autem monet, prius indagandam eſſe conformitatem cum ſacris Litteris, boniſque moribus, eaque ſtatuta, alias qualitates examinari poſſe. Præcipua itaque privatæ Divinæ revelationis teſſera eſt conformitas cum ſacris Litte-

ris, cum Divinis, & Apoſtolicis traditionibus, cum moribus, & definitionibus Eccleſiæ: non quod ſtatim ac hujuſmodi conformitas eluceat, revelatio habenda ſit, ut Divina; ſed quod ſi revelatio illis adverſetur, ſtatim ſit rejicienda, juxta monita Apoſtoli *ad Galat.1., 2. ad Theſſal.2., & ad Hebr.13.* Idem dicendum eſt de revelationibus continentibus aliquid unanimi SS. Patrum, aut Theologorum ſententiæ contrarium, quæ quidem Patrum ſententia in explicanda ſacra Scriptura, & Theologorum conſenſus in rebus Fidei & morum, quanti ſit, eruitur ex Conciliis Tridentino (*a*), & Viennenſi (*b*). Unanimis vero Patrum conſenſus intelligendus eſt moraliter, ideſt fere omnium, ut innuit Cardin. Perronius. Eadem aptanda ſunt revelationibus ſuadentibus malum, aut bonum impediens majus bonum, vel malis admixtum: aut mendacia, contradictiones, res inutiles, & curioſas præſeferentibus: item ſi revelatum ſit, quod non erit, vel quod potuiſſet humana ratione deprehendi, vel ſapientiæ, aliiſque Dei attributis non convenientia. Legi poſſunt Martinus del Rio, Gravina, Philomarinus, Arauxo, & præter alios Gerſon, qui addit periculoſas eſſe revelationes, in quibus manifeſtatur aliquid Scripturæ, aut Patribus minime conſonum, & ſolum a quadam decentia deductum.

a ſeſſ.4. in decreto de edit. & ſacrorum librorum uſu.

b in Clementina unic. de ſumma Trinit.

7 Sed quid dicendum de revelationibus, non unanimi, ſed communi Patrum, & Theologorum ſententiæ adverſantibus, novitatem continentibus, in quibus aliquid dicitur revelatum, quod adhuc eſt ſub judicio Eccleſiæ, & in quibus quis aſſerit aliquid ſibi laxatum in lege communi naturali, vel Eccleſiaſtica. Hurtado, & Martinus del Rio dicunt, primas non ſtatim eſſe damnandas, ſed rigidiori examine diſcutiendas. Et Matthæuccius contendit, falſas, vel doloſas non eſſe cenſendas revelationes adſtruentes myſterium, aut aliquam circumſtantiam, etiam de Chriſto, vel B. Virgine, expreſſe non declaratam per Scripturam, traditiones, vel Sedis Apoſtolicæ definitiones, aut in ſcriptis Patrum non contentam; adeoque non repugnare, quin alicui particulari perſonæ aliquid reveletur, quod adhuc eſt ſub judicio Eccleſiæ. Quod ſi dicatur, in his revelationibus contineri novam doctrinam, ipſe ſubdit, cavendam eſſe novitatem illam, quæ aliam Fidem, aut vivendi regulam præſcribit, vel diſſolvit Chriſtianam diſciplinam, aut nocet animarum ſaluti. Suffragatur P. Joannes Corteſius Oſſorius in ſuo voto ſuper revelationibus Servæ Dei Mariæ a Jeſu de Agreda. Arauxo contra, & Gravina cenſent, rejiciendas eſſe revelationes de re, quæ adhuc eſt ſub opinione. Demum veræ poſſunt eſſe revelationes, in quibus aliquid diceretur alicui laxatum eſſe a Deo in Lege communi. Deus enim Abrahamo conceſſit, ut filium ſuum occideret. His tamen publica fides non eſſet adhibenda, niſi miraculo, aut Scripturæ teſtimonio firmarentur, ut definit Innocentius III. *in cap. Cum ex injuncto, de Hæret.*, quod late exornat Torre. Profecto rejectæ fuerunt nonnullæ privatæ revelationes adverſus electionem Urbani VI. aſſertæ, utpote nullo miraculo, vel Scripturæ teſtimonio fulſultæ apud Balutium, & Raynaldum.

8 Quod vero attinet ad cauſas Beatificationis, & Canonizationis, ſi exhibeantur revelationes ſacris Litteris, Divinis, & Apoſtolicis traditionibus, moribus, & definitionibus Eccleſiæ adverſantes, aut malum ſuadentes, imponendum eſt cauſæ ſilentium, juxta decreta Urbani VIII. Si vero contineant aliquid inutile, & curioſum, vel novum, aut communi Patrum, vel Theologorum ſententiæ contrarium, vel quod adhuc ſit ſub judicio Eccleſiæ, vel aliquid inſolitum ſuadeant, haberi poterunt tamquam ſuſpectæ, ſed in causa ad ulteriora procedi poterit: non ita tamen approbandæ ſunt, ut colligi poſſit, Sedem Apoſtolicam iis

eam

eam auctoritatem addidiſſe, ut abſonum ſit iiſdem refragari. Si autem piæ, ſanctæ, animarum ſaluti proficuæ, prædictiſque damnoſis, & ſuſpectis qualitatibus carentes, nec admodum frequentes afferantur, poterit tuto affirmari, nihil eis ineſſe, quod cauſæ progreſſum retardet. Quod ſi Poſtulatores contendant, virtutes ob donum revelationum illuſtriores eſſe, examinandæ erunt qualitates, quas expendimus, cum de viſionibus, & apparitionibus ageremus.

9. 10. 11 Quapropter judicium habendum erit de perſona, cui revelationes factæ ſunt, de modo, & effectibus earumdem; & ex his quidem capitibus cœleſtes viſiones a naturalibus, & dæmoniacis ſecerni diximus. Præterea explorandum erit, an is, cui revelationes contigerunt, illas petierit, aut optaverit, an cum viris doctis communicaverit, ejus mens tranquilla remanſerit, jactantiam horruerit, humilitate excelluerit, & corpus caſtigaverit, uti de viſionibus dictum eſt, & proſequuntur Scacchus, Durantus, & Card. Bona. P. Antonius ab Annuntiatione ſuſpectam cenſet revelationem, ſi, qui eam habuit, etiam obtentu majoris gloriæ Dei, propenſus ſit ad aliis communicandam, excepto Rectore ſpirituali; vel ſi eamdem præceſſit aliqua diligentia orta ex deſiderio habendi revelationem; aut ſi qui hanc habuit, ei mordicus adhærere velit, licet viri docti falſam exiſtimaverint. Martinus del Rio, & Philomarinus monent, valde attendendum eſſe finem, ob quem aliis indicantur. Hurtado vero notat, humilitatem ſuper omnia in revelationibus attendendam eſſe. Communia quoque ſunt revelationibus ea, quæ de viſionibus diximus, lætitiam ſcilicet in mærorem converſam ſignum eſſe demoniacæ viſionis; horrorem vero, quem jucunditas excipit, Divinam indicare; & magnam habendam eſſe rationem feminei ſexus, ut inſinuant del Rio, & Philomarinus: non jam quod feminis negandæ ſint cæleſtes revelationes, cum forte plures ex iis, quam ex viris eas expertæ ſint, ut innuunt S. Tereſia, & S. Thomas (a); ſed quod propter debilem ſexum magis obnoxiæ ſint illuſionibus apud Torre, Gravinam, Matthæuccium, & alios. Et hæc quoad ſigna, quibus cæleſtes a naturalibus, & dæmoniacis revelationibus ſecernuntur.

a 2. 2. qu. 82. ar. 3.

12. 13 Privatæ revelationi firmiter aſſentiri debet is, cui facta eſt. Arauxo tamen putat, eum nec poſſe, nec teneri credere Fide Catholica. Verum eidem revelationi credendum eſſe Fide Theologica docet Card. Gottus, ſive revelatio reſpiciat bonum commune, ſive privatum. Et Joannes Salas opinatur, ſufficere probabilitatem revelationis, ut quis ei credat, eique proprios, aut alienos actus componat. Hurtado vero eamdem ſufficientiam admittit, ſi revelatio tendat ad bonum faciendum, vel malum vitandum, non vero ſi aliquod præceptum ſolvat. Et in hoc ſenſu locutus videtur Savonarola. Joannem Salas acriter impugnat Torre, affirmans, ejus ſententiam juſſu ſanctiſſimæ Inquiſitionis fuiſſe expunctam. Evidentia ergo Divinæ revelationis requiritur, ut quis ei credat, præcipue ſi contra præceptum Dei, aut Eccleſiæ aliquid reveletur. Quare Propheta Dei 3. *Reg.* 13. occiſus eſt a leone, quia contra certam Divinam revelationem ſibi factam, ut non comederet in Bethel, voluit ibidem comedere, ſecutus alterius Prophetæ probabilem revelationem. Legi poteſt Toſtatus. Quin immo proſcripta dici poteſt a Concilio Tridentino (*b*), & ab Innocentio XI. (*c*) ſententia affirmans ſufficere probabilem revelationem, ut is, cui facta eſt, teneatur eidem aſſentiri Fide Divina.

b ſeſſ. 6. c. 9.

c 25. propoſ.

14 Quod vero attinet ad alios, quibus privata revelatio immediate non ſit, Card. de Lugo, & Arauxo conſentiunt, eum, ad quem revelatio dirigitur, debere illi credere, ſi ſufficientibus argumentis proponatur; alios vero,

vero, ad quos non dirigitur, non teneri, &, ſi credant, eorum aſſenſum non eſſe Fidei Catholicæ, aut Divinæ.

15 Sed quid dicendum de privatis revelationibus, e. g. B. Hildegardis, & SS. Birgittæ, & Catharinæ Senen., a Sede Apoſtolica approbatis. Porro *lib.2. cap.32.* diximus non debere, nec poſſe his adhiberi aſſenſum Fidei Catholicæ, ſed humanæ, quod præter Auctores ibi allegatos confirmant Melchior Canus (*a*), Card. Cajetanus, Martinus del Rio, Vaſquez, & alii, quibus addi poteſt Card. a Turrecremata, qui in approbatione librorum eevelationum S. Birgittæ ait, ſe *nullum eorum pie & modeſte intellectum* reperiſſe *ſacræ Scripturæ, aut SS. Patrum adverſum ſententiis*: adeoque *poſſe legi in Eccleſia eo modo, quo aliorum Doctorum libri, & Sanctorum hiſtoriæ, & Legendæ licentiantur legi Fidelibus*. Hinc ſequitur, unumquemque, ſalva Fide Catholica, poſſe prædictis revelationibus aſſenſum non præſtare, modeſte tamen, rationabiliter, & citra contemptum. Porro Card. a Turrecremata per illa verba *pie, & modeſte intellectum* forte reſpexit, ea, quæ in iis revelationibus dicuntur de malis Sacerdotibus, ſcilicet quod *perdiderunt clavem*, & *quod conficiunt corpus Chriſti ..., qui non ſunt hæretici*; Hæc enim benigna indigent interpretatione: ideſt malis Sacerdotibus jure prohiberi adminiſtrationem Sacramentorum, & exercitium conſecrandi, ut explicat Durantus.

a loc. Theolog. lib. 13. c. 3. concl. 3.

16 Inter revelationes approbatas nonnullæ apocryphæ irrepſerunt. Nam, miſſis aliis, quæ inter approbatas non referuntur, ut ea, quæ dicitur Pauli, altera Thomæ, & alia Stephani, quæ procul dubio apocryphæ ſunt, apocrypha cenſetur revelatio B. Coletæ adſcripta apud Caniſium, nempe S. Annam tres habuiſſe maritos: apocrypha quoque declarata fuit apud Card. Albitium revelatio, quæ a S. Michaele, & Eliſabeth facta aſſeritur S. Birgittæ: & Card. Gottus inter apocryphas recenſet eam, quæ inter revelationes S. Catharinæ Senenſis circumfertur, nempe B. Virginem conceptam fuiſſe in peccato originali. Gerſon vero refert, Gregorium XI. morti proximum aſtantes monuiſſe, ut caverent a viris, & mulieribus *ſub ſpecie religionis loquentibus viſiones ſui capitis*, eumque ad ſuaſiones Petri Aragonii, & SS. Birgittæ, & Catharinæ Senen. alluſiſſe putat Spondanus; ſed Natalis Alexander falſam exiſtimat narrationem Gerſonis. Huic narrationi inſiſtens Marcus Antonius de Dominis apoſtata, S. Catharinam impudentiſſime impetit, quem bene caſtigat Arauxo.

17 His addere fas ſit, contingere poſſe, ut aliquis Sanctus ex anticipatis opinionibus, aut ideis aliquid ſibi a Deo revelatum eſſe putet, quod revelatum non eſt. Ita ſentit Hurtado, & affert revelationem S. Birgittæ, quod Chriſtus, cum flagellaretur, & crucifigeretur, verenda velamine obtexerit. Menochius, Toſtatus, & Salmeron ſcribunt, eos, qui flagellabantur, & in crucem agebantur, id facere conſueviſſe, atque ex horum præconcepta opinione revelationem illam originem habuiſſe, vel oriri potuiſſe Hurtado exiſtimat. Idem de revelatione S. Catharinæ Senenſis circa B. Virginis Conceptionem in peccato originali aſſerit Lancifius. Et Bollandiani (*b*) probant, Raptus eſſe poſſe ſubſtantia Divinos, ſed in circumſtantiis conformatos ad ſpecies naturalitee perceptas. Aſſerunt ſanctarum mulierum revelationes, in quibus Chriſtus modo tribus, modo quatuor clavis cruci affixus apparuit: item alias, in quibus S. Hieronymus leone comitatus, aut S. Jacobus Apoſtolus peregrinationis inſignibus indutus viſus eſt: tum autumant, a Deo proceſſiſſe ferventiſſimas eas meditationes Paſſionis Chriſti, pios illos affectus erga SS. Hieronymum, & Jacobum, ſed Spiritum Sanctum noluiſſe ulteriorem hiſtoriarum veritatem patefacere. Cæterum

b ad diem 25. Maii p. 246. to. 6.

neque

neque S. Hieronymus, dum viveret, leonem comitem habuit, nec S. Jacobus iis inſignibus uſus eſt, ſed ad aliam rem ita pinguntur. Et hoc ſenſu cum Bollandianis Cornelius Curtius explicat informationem trium clavorum in corde B. Claræ de Monteſalco apparentem.

18 Reliquum eſt, ut expendatur, an revelationum cæleſtium, & Divinarum habenda ſit aliqua ratio in judicio Beatificationis, & Canonizationis. Contelorius, Scacchus, & Martinus del Rio docent, ex iis non inferri ſanctitatem. Sed quod ſpectat ad prædictum judicium, revelationes ipſæ erunt expendendæ, & a ſacra Congregatione declarandum, ipſis nil Fidei, aut bonis moribus adverſum, nec novam doctrinam, aut a ſenſu Eccleſiæ, & conſuetudine alienam ineſſe. Approbatis revelationibus, opus eſt, ut perſpicuæ fiant virtutes heroicæ: tum expedit, & forte oportet, ut exploratum ſit, quid ſenſerit is, cum quo Servi Dei revelationes communicarunt: nam etiam ſuper revelationibus S. Birgittæ judicium tulerunt viri probatiſſimi apud Durantum; & Eugenius Pontifex apud Surium (a), ut revelationes S. Hildegardis dignoſceret, miſit viros idoneos, qui ſpiritum illius explorarent. Scacchus vero cit. ſuſpectam cenſet ſanctitatem illorum, qui ſuis revelationibus facile credunt, inconſultis Theologis, & Confeſſario. Præterea ex proceſſibus obſervandum erit, an concurrant ſupradictæ qualitates, quibus Divinæ revelationes internoſcuntur. His omnibus plane ſuppoſitis, ratio habenda erit revelationum in memorato judicio, cum, ut notavit Arauxo, illuſtriorem reddant ſanctitatem.

a ad diem 17. Septem.

FINIS LIBRI TERTII.

LIBER

Digitized by Google

LIBER QUARTUS
PARS PRIMA
IN QUA AGITUR DE MIRACULIS.

CAPUT I.

De Miraculis, & Miraculorum gradibus.

1. 2 DUplex totius naturæ creatæ ordo a Deo inſtitutus eſt. Naturalis unus, quo viſibilis hic mundus regitur. Supernaturalis alter, pertinens ad Gratiam, & gloriam Sanctorum: & quamvis quæcumque ad hunc ordinem ſupernaturalem pertinent, ut Incarnatio Filii Dei, & ſimilia, ſi cum ordine naturali comparentur, miraculo adſcribenda ſint, cum eum longiſſime excedant: non ſunt tamen miracula, de quibus hic agendum eſt. Ad hæc reducitur *juſtificatio* impii, ſi modo extraordinario contingat, ut S. Paulo contigit. Agitur ergo de miraculis naturalibus, adeoque inferioris ordinis, de quibus *Exod.*11. dicitur; *morietur omne primogenitum in terra Ægyptiorum &c., ut ſciatis, quanto miraculo dividat Dominus Ægyptios, & Iſrael.* Et *Numer.*26. *Factum eſt grande miraculum, ut, Core pereunte, filii illius non perirent.*

a 1. par. qu. 110. ar. 4. in corp.

3 D. Thomas docet (*a*), miraculum eſſe, *cum aliquid fit præter ordinem naturæ*: quod ex S. Auguſtino hauſiſſe videtur. Advertit tamen, non ſtatim ac aliquid contra propriam inclinationem movetur, miraculum eſſe, ſed miraculum contingere, *quando hoc fit præter ordinem propriæ cauſæ, quæ nata eſt facere hoc*. Dupliciter hic ordo perverti poteſt. Primo, cum agens creatum rem contra naturam ſuam impellit, ut, ſi manus ſaxum ſurſum projiciat: & hic modus non eſt prodigioſus. Secundo, cum Deus id ſine agente creato præſtat, & hoc eſt prodigioſum.

4 Quod ſi miraculum eſt, quod fit præter ordinem naturæ, illud non ſolum eſt ſupra naturæ conditionem, & exigentiam, ſed etiam illius vires excedit. Nonnulli miraculum definiunt, *opus excedens naturæ vires*. At licet non poſſit dari miraculum, quod vires naturæ non excedat; tamen non quidquid has vires excedit, miraculum eſt; ſed ulterius requiritur, ut ſit præter ordinem naturæ: quamvis enim, quidquid eſt extra ordinem naturæ, ſit ſupra vires naturæ; non tamen quidquid eſt ſupra vires naturæ, eſt extra ordinem naturæ a Deo præſcriptum. Sic creatio animæ rationalis excedit vires naturæ, ſed non eſt præter ordinem naturæ, cum fiat a Deo, juxta conditionem corporum ſufficientibus organis inſtructorum ad animam recipiendam; quamquam creatio, & infuſio animæ in corpus Adami fuit miraculoſa, cum illud corpus non eſſet diſpoſitum ad animam recipiendam, ut explicat S. Thomas (*b*). b in 2. diſt. 18. qu. 1. ar. 3. ad 2.

5 Ex hoc, quod miraculum ſit præter ordinem naturæ, dicitur inſolitum; non quod ad miraculum requirantur paucitas, & infrequentia: alioquin miracula non fuiſſent, quæ fecit Chriſtus, quando omnem languorem, & infirmitatem in populo ſanavit, & tot mutos, claudos, & debiles curavit; ſed quod *excludat ſolitum curſum naturæ*, ut ait S. Thomas, & ante ipſum Albertus Magnus (*c*). Sic mannam c in 2. ſent. diſt. 18. ar. 3

Digitized by Google

e cœlo delapſam circa caſtra Hebræorum, aquam zelotypiæ, & ſimilia inter miracula antiquæ Legis recenſet Petrus Galatinus. Dicitur præterea miraculum, quaſi admiratione plenum; ad hoc autem opus eſt, ut effectus ſit manifeſtus, & cauſa omnibus occulta, ac in re aliquid ſit, per quod revera ipſa res aliter contingere deberet, ut docet idem S. Thomas (*a*).

a 1. par. qu. 105. ar. 7.

6. 7. 8 Quod vero attinet ad exceſſum ſupra vires naturæ, hic poteſt eſſe major, vel minor, non quoad Deum, ſed quoad facultatem naturæ, quam excedit. Hinc S. Thomas obſervat (*b*), nonnulla miracula eſſe ſupra, quædam contra, alia præter naturam; quam doctrinam amplectuntur Ægidius Columna, Viguer, Rocca, & alii. Idem S. Doctor docet (*c*), unum miraculum dici majus alio, ſi excedat facultatem naturæ quoad ſubſtantiam facti; minus, ſi excedat quantum ad id, in quo fit; inferius, ſi exceſſus ſit quantum ad modum. Archidiaconus, & Bellamera duos tantum miraculorum gradus admittunt: unum quoad factum, alterum quoad modum. Sed doctrinam D. Thomæ tres gradus ſtatuentem communi calculo recipiunt Abulenſis, Caſtellinus, Petraſancta, Rocca, Matthæuccius, & præter alios triplicem hunc gradum admiſerunt Rotæ Auditores in relationibus cauſ. SS. Franciſci de Paula, Hyacinthi, Raymundi, aliorumque plurium, & Innocentius VIII. in bulla Canoniz. S. Leopoldi Auſtriæ. Nonnulli ex Theologis quartum addunt gradum, quando ſcilicet aliquid contingit, quod nullo ex modis deſcriptis facultates naturæ excedit, ſed ex circumſtantiis deſumitur, a Deo proveniſſe. Quartam hanc claſſem admittunt Gretſerus, Malderus, Petraſancta, Segnerius, & Pinamonti. Fundamentum ſuppeditat Ariſtoteles, inquiens (*d*): *In iis, quæ a fortuna proveniunt, illa maximam admirationem præſeferunt, quæ veluti ſuopte impulſu provenire videntur*. Affert exemplum ſtatuæ cujuſdam Mityi, *quæ ſuper inſpectantem collapſa auctorem Mityi necis interfecit*, concluditque, *hæc ...... non temere facta eſt*. Majus fundamentum exhibet D. Thomas docens (*e*), miracula præter naturam tribus modis accidere poſſe, quorum unus eſt *propter hoc, quod hora determinata contingunt ad invocationem Divini nominis, ſicut quod manus Jeroboam extenſa contra Prophetam areſacta fuit, & ara ejus diviſa*. Hæc enim, & ſimilia, quæ ex ſacris litteris cumulari poſſunt, licet facultatem naturæ non excedant, ratione tamen circumſtantiarum miraculo adſcribuntur. Hos eventus ad tertiam claſſem reduci poſſe diximus *lib. 1. c. 28.* Sed adhuc admitti poteſt memorata quarta claſſis, cum in cauſis Beatificationis, & Canonizationis nil referat, verum in tertia, an in quarta claſſe eventus illi vere prodigioſi reponantur.

b in 2. lib. ſent. loc. cit. ar. 3. in corp.

c 1. par. qu. 105. ar. 8.

d Poetic. c. 8.

e in 2. ſent. diſt. 18. qu. 1. ar. 3. in corp.

9 Poſt hæc, ut exemplis illuſtremus, quæ ſuperius diximus de miraculis ſupra, contra, & præter naturam, juxta D. Thomam ea dicuntur eſſe ſupra naturam, in quibus vel forma inducitur a Deo, quæ a natura induci non poſſet, vel ſi induci poſſet, in eo tamen ſtatu non poſſet. Natura quippe poteſt vitam producere, ſed non in mortuo. Elias vero 3. *Reg.* 17. a Deo impetravit, ut filius viduæ a mortuis revocaretur. Et Eliſeus 4. *Reg.* 4. puerum pariter mortuum ſuſcitavit: quem quidem puerum vere fuiſſe mortuum, non ſyncope correptum, tenet communior, & verior ſententia apud Franciſcum Valleſium, & ex ſacro textu colligit Cornelius a Lapide (*f*). Adeoque hujus pueri reſurrectionem miraculo adſcribit S. Cæſarius Arelatenſis Epiſcopus (*g*), additque adumbraſſe vocationem gentium ad Eccleſiam Chriſti.

f In c. 4. l. 4. Reg. v. 34.

10 Miracula contra naturam fiunt, cum in natura remanet diſpoſitio contraria effectibus, quos Deus operatur: ut cum ad vocem Joſue ſol, volente Deo, unius diei ſpatio immotus permanſit, *Joſue* 10., & orante Iſaia, 4. *Reg.* 20., *Iſaiæ* 38., & 2. *Paralip.* 32.

g ſerm. 48. in append. oper. S. Auguſt. to. 5. col. 83.

umbra

umbra Solis decem lineas in horologio Achaz retrogrado curſu repetiit, ut Rex Ezechias infirmus de futura intra triduum valetudine certior redderetur. Hæc miracula extollit S. Auguſtinus (a): contra naturam vero facta dicenda ſunt, cum juſſu Dei Sol ſteterit, remanente in eo virtute naturali, quæ exigebat, ut progrederetur. Ad hanc claſſem referendum eſt prodigium a Deo patratum ad mare rubrum, cum elata ejus juſſu a Moyſe virga, pelagus in duas partes diviſum viam Iſraelitis præbuit, *Exod.* 14. Porro Solem revera ſtetiſſe, & mare fuiſſe diviſum, adverſum nonnullos oppoſitum ſentientes late propugnant Natalis Alexander, Calmet, & Graveſon.

a l. 21. de Civit. Dei c. 8. n. 2. col. 628. oper. to. 7.

11 Præter naturam illa ſunt, quæ a natura produci poſſent, ſed non quomodo a Deo efficiuntur. Orante Abrahamo, *Geneſ.* 20. ſanavit Deus Abimelech, & uxorem ejus. Naaman Syrus, cum juſſu Eliſei ſepties in Jordane ſe laverit 4. *Reg.* 5., a lepra mundatus eſt: item ad vocem Eliæ ignis de cælo deſcendit, devoravitque virum quinquagenarium, ejuſque ſocios, 4. *Reg.* 1., & Joſue Chananæos perſequente in deſcenſu Bethoron, Deus de cælo lapides magnos miſit, quibus plurimi ex iis conſumpti fuerunt, ut legitur *Joſue* 10. Porro hanc fuiſſe pluviam lapideam, non grandinem vulgarem affirmat S. Auguſtinus (b). Jam vero licet hæc alias naturaliter contingere potuiſſent, tamen prout facta ſunt, indubitatum eſt, ea fuiſſe miracula præter naturam; cum Divinæ providentiæ virtute factum ſit, ut in producendo effectu cauſæ ſecundæ certum temporis articulum, & opportunitatem ſervarent, ut oſtendunt Calmet, & Abulenſis, & Valleſius. Alia ſimilium miraculorum præter naturam exempla refert Viguer.

b lib. 3. de Civit. Dei c. 31. col. 87 to. 7.

12 Miracula quæcumque explodit Spinoſa, negans naturæ curſum poſſe umquam præverti, cum naturæ leges ſint ipſiſſima Dei volentis decreta, quæ ſi umquam mutarentur, ipſe immutabilis Deus mutaretur. Hoc ſyſtema impugnat Calmet, advertens, Spinoſam, ut Dei immutabilis ideam exponat, deſtruere ideam ſummi illius liberi ſapientiſſimi, & potentiſſimi. Licet enim, quando novi aliquid in mundo contingit, ſciamus Deum non tunc primo rem cognoſcere, nec novum de illa decretum edere, & admittamus cauſarum ſecundarum connexionem, & ſubordinationem; hinc tamen non ſequitur, ut miracula quæcumque excludenda ſint, ac multo minus, ut Deus ex his mutetur: miracula enim ſunt opus peculiaris liberæ Dei voluntatis, qui ſibi inſueta quædam pro ſua libertate agenda reſervavit; & dum a conſuetis gubernandi legibus recedit, tunc exequitur illa ſuæ peculiaris voluntatis decreta ab æterno præfixa. Ita plane ante Calmet docuerat S. Thomas (c), & explicatur exemplo Principis, qui cum primum legem aliquam decernit, ſimul ſtatuit, ſe in talibus circumſtantiis velle illius vinculum ſolvere: & quando ſolvit, non poteſt inconſtantiæ, aut mutationis redargui. Cæterum Spinoſæ ſyſtema confutaruut etiam Rodegnerus a Manſuelt, & Cuperus heterodoxi.

c In quæſt. diſput. qu. 6. de Mirac. ar. 2.

13 In ſacra Scriptura non ſolum mentio fit miraculorum, ſed etiam prodigiorum, aut ſignorum *Deuter.* 6., & *Joan.* 4., item portentorum *Deuter.* 4., monſtrorum 2. *Machab.* 5., oſtentorum *Exod.* 4. necnon virtutum *Matth.* 7. & 2. *ad Cor.* 12. Mirabilium quoque, & gratiarum frequens occurrit mentio apud Scriptores. S. Thomas ſcribit (d), ea, quæ cauſam habent, non ſimpliciter, ſed alicui occultam, dici mira, & mirabilia, ſed non miracula. Signa eſſe minora miracula, portenta vero, majora. Præterea miracula, ſi attendatur, quod fit, dici poſſe virtutes: ſi ſpectetur illud, propter quod fiunt, puta ad manifeſtandum aliquid ſupernaturale, dici ſigna: propter excellentiam autem, portenta, vel prodigia, quaſi procul aliquid oſtendentia.

d In 2. ad Teſſalonic. lect. 2.

Digitized by Google

Subſcribit Vigueriua, & Card.de Lauræa prædicta nomina fuſe explicat. Gratiæ non ſunt vera miracula, ſed ex aliqua circumſtantia miraculi ſpeciem præſeferunt, ut explicant Scacchus, Pignatellus, Matthæuccius, & alii. Sed nec mirabilia veram habent rationem miraculi, & ad hanc claſſem referri poſſunt automata Dedali, Archimedis, & aliorum. In cauſis vero Beatificationis, & Canonizationis nullatenus attenduntur gratiæ, nec mirabilia; de mirabilibus vero plura legi poſſunt apud Joannem Hieronymum Sbaragli.

14 &c. Quæres, an ad conſtituendum miraculum opus ſit, ut aliquid excedat vires naturæ tam inviſibilis, & incorporeæ, ideſt Angeli, quam viſibilis, & corporeæ. Affirmandum
a par.1.qu. 110. ar.4. videtur juxta D.Thomam, docentem(a), miraculum eſſe, quod fit præter ordinem totius naturæ creatæ, adeoque viſibilis, & inviſibilia. Sed idem S.Do-
b in cit.qu. 110. ar. 4. ad 2. ctor docet (b), non omnem virtutem naturæ creatæ eſſe nobis notam, adeoque miraculum eſſe, quoad nos, quod per virtutem creatam nobia ignotam fit præter ordinem naturæ creatæ nobis notæ. Alias docuerat, quod, utentibus Angelis rebus naturalibus, tamquam inſtrumentis, ſic effecta, quamvis miracula ſimpliciter dici non poſſint, redduntur tamen nobis mirabilia; *Uno modo ex hoc, quod per ſpirituales ſubſtantias tales cauſæ modo nobis inſueto ad proprios effectus apponuntur &c. alio, modo ex hoc, quod cauſæ naturales, appoſitæ ad effectus aliquos producendos, aliquid virtutis ſortiuntur ex hoc, quod ſint inſtrumenta ſpiritualium ſubſtantiarum, & hoc magis accedit ad rationem miraculi*. Ex his inferri poſſe videtur, ea, quæ excedunt vires
c l.26.contraFauſtum c.3.col.435 to.8. ſolius naturæ creatæ viſibilis, eſſe miracula, minora tamen ila, quæ excedunt vires naturæ etiam inviſibilis. Conſentit Ferrarienſis, quin etiam hæc
d cit.par.1. qu.110. ar. 3. miracula agnoviſſe videtur S. Auguſtinus (c). Probat ulterius S.Thomas (d), corpora obedire Angelis ad motum localem, adeoque ardua, inſolita, & admiranda, quæ ex hac obedientia ſequuntur, non ſunt a miraculis excludenda, licet naturalem Angeli facultatem non excedant: uti quod Angelus excuſſerit ignem de fornace Babylonia, itaut tres pueros illuc immiſſos non tangeret, *Daniel*.14., quod exercitum Aſſyriorum una nocte diſſipaverit, 4.*Reg*.10., & ſimilia, quæ paſſim occurrunt in ſacris Litteris, quo etiam referri poſſunt Angelorum apparitiones, quæ vera miracula ſunt, quamvia eorum vim non excedant, ut adnotavit Thyræus.

17 Ab his non diſſidet Chriſtianus Hollmannus, quamvis heterodoxus, contendens, dari vera miracula, quæ vires totius naturæ creatæ non ſuperant: idque animadverſum fuit etiam a Suarez, & Petraſancta: & Matthæus Magnanus miracula dividit in ea, quæ totius naturæ creatæ vim excedunt, & ea, quæ ſolius corporeæ efficaciam ſuperant. Nonnulli miracula primi generis appellant: *Miracula ſtricte, & ſimpliciter*: ſecundi generia, *large, & quoad nos*. Sed clarius miracula primi generis vocantur majora: ſecundi generis minora.

CAPUT II.

De cauſa efficiente miraculorum.

1.2 SOlus Deus eſt cauſa efficiens principalis miracu-
lorum, ut oſtendit S. Thomas (e), & ante ipſum S. Auguſtinus (f): quorum doctrina apertis innititur Scripturæ teſtimoniis. *Qui facit mirabilia ſolus*, legitur *Pſal*.71. Similia leguntur *Exod*.3., & 15., ac *Pſal*.105. confirmantur autem ex miraculis, quæ a Sanctis eduntur. Petrus enim *Act*.3., cum ſanavit claudum inquit: *In nomine Jeſu Chriſti ſurge, & ambula*: hiſque concordant, quæ ab eodem patrata referuntur *Act*.3. e 1.par. qu. 110. ar. 4. in corp. f lib.10. de Civit. Dei c. 12. col. 249. to.7.

3 Probat præterea S. Thomas (g), decentiſſimum, & convenientiſſimum fuiſſe, g 3.par.qu. 43. ar.1.

Google

fuiſſe, ut Chriſtus miracula patraret, ut conſtaret, Deum eſſe in eo per gratiam unionis, & a Deo eſſe illius doctrinam: at non fuiſſe neceſſarium, cum per internam vocationem, & externam prædicationem ei credendum eſſet. Porro edita ab eo fuiſſe miracula colligitur ex Evangeliſtis: eaque verſibus expreſſit S. Gregorius Nazianz. Quin etiam Joſephus Hebræus luculentiſſimum de iis teſtimonium edidit (a); quod quidem teſtimonium in dubium a nonnullis vocatum alibi vindicavimus, pluribuſque defendit Huetius (b). Eadem faſſus eſt Julianus Apoſtata apud S. Cyrillum (c). Verumtamen Thomas Wolſtonius olim in Collegio Sidnæo Academiæ Cantabrigenſis Socius impie effutiit, miracula vere a Chriſto non fuiſſe edita, ſed ab Evangeliſtis deſcripta tamquam emblemata repræſentantia vitam ſpiritalem in hominum animabus. Quare Senatus Anglicanus ejus librum igni tradidit. Auctor vero a Collegio expulſus, ad Judæos turpiter defecit, ut narratur in Act. Erudit. Lipſiæ (d).

4 &c. Initium ſignorum Chriſti contigit in nuptiis Canæ Galilææ, cum aquam in vinum convertit, *Joann.* 2. Idque comprobant Tertullianus (e), & Epiphanius (f). Quare in can. *Sancta Romana diſt.* 15. merito inter apocrypha recenſentur liber *de infantia Salvatoris*, & alii ſimiles, in quibus plura narrantur miracula ab eo patrata in infantia, quæ etiam explodit S. Joannes Chryſoſtomus (g): cum quo conſentit S. Thomas (h), inter alia docens, quod non debuit miracula facere, antequam docere inciperet. Legi poteſt Card. Gotti. S. Joannes, poſtquam nonnulla miracula retulit, ſubdit (i): *Sunt & alia multa, quæ fecit Jeſus, quæ ſi ſcribantur, nec ipſum arbitror mundum capere poſſe .... libros.* S. Auguſtinus hunc loquendi modum putat hyperbolicum: ſed ex eo maxima miraculorum multitudo colligitur, teſte S. Cyrillo Alexandrino (k). S. Thomas ulterius probat (l), Chriſtum feciſſe miracula virtute Divina: ſed Card. Bellarminus tria diſtinguit Chriſti operum genera; pure Divina; pure humana; & *theandrica*, hoc eſt divino-humana, & ad hanc claſſem pertinent ejus miracula, licet omnis ejuſdem actio ratione Suppoſiti operantis dici poſſit theandrica. Aliquando miraculis præmiſit orationem; hinc tamen non inferas, eum virtute Divina miracula non edidiſſe: orationem enim præmiſit, non propter neceſſitatem, ſed ut exemplo confunderet Judæos calumniantes, ipſum in Beelzebub Dæmones expellere. Additur, interdum non præmiſiſſe orationem, ut dum Leproſum mundavit, ut animadvertit S. Joannes Chryſoſtomus (m). S. Iræneus notat (n), tres mortuos fuiſſe a Chriſto ad vitam revocatos: & S. Auguſtinus addit (o), innumeros ad vitam æternam fuiſſe reſuſcitatos. Enimvero S. Thomas docet (p), Chriſto conveniſſe, ut corpus curando, animam etiam curaret; & ut circa creaturas rationis expertes miracula operaretur. Quomodo autem miracula demonſtrarent, eum eſſe Deum, late differit Cornelius a Lapide (q): & Card. Bellarminus advertit, Chriſtum aliquando ſola voluntate miracula patraſſe; nonnumquam addidiſſe verba, & contactum, vel etiam alia inſtrumenta, nec inutiliter.

7. 8 Ad Angelos quod attinet, S. Thomas negat (r), eos poſſe propria virtute operari miracula, utpote quæ ſuperant ordinem totius naturæ creatæ. Ipſi vero aliquando miracula facere dicuntur, vel quia ad eorum deſiderium Deus miracula operatur; vel quia aliquod miniſterium in miraculis exhibent. Item docet S. Doctor, Angelos ad patranda miracula tripliciter operari; precibus impetrando; materiam ſua naturali virtute diſponendo; demum, aliquid ſimul agendo, tamquam inſtrumenta Divinæ virtutis ad miraculi perfectionem. Hæc D. Thomæ doctrina reſpicit miracula excedentia facultatem cujuſcumque naturæ

crea-

a l. 18. Antiquit. c. 3. n. 3.
b demonſtr. Evang. propoſ. 3. n. 11.
c lib. 6.
d In ſuppl. ann. 1719. pag. 449. & ſeqq.
e lib. de Baptiſmo c. 9 pag. 390.
f hæreſ. 51. §. 16. to. 1.
g hom. 17. al. 16. n. 3. pag. 99. to. 2.
h cit. qu. 43 ar. 3.
i c. 2.
k In comment. in Joann. l. 12. to. 4. pag. 1113.
l 3. par. qu. 3 ar. 2.
m hom. 25. al. 26. in Matth. pag. 307. to. 7.
n l. 7. adverſ. hæreſ. c. 13.
o ſerm. 98. al. 44. de verb. dom. c. 3. col. 517 to. 5.
p 3. par. qu. 44. ar. 3.
q In c. 5. in Joann.
r 1. par. qu. 110. ar. 4.

creatæ; ſed applicari poteſt miraculis excedentibus dumtaxat facultatem naturæ viſibilis, & corporeæ; cum hæc ab Angelis bonis propria quidem virtute fiant, ſed juſſu Dei, ut loquuntur Caſtaldus, & Svverts. Et Philoſophi quidem, ac Theologi cum Chriſtiani, tum Hebræi hucuſque tradiderunt, Angelos in corpora ſublunaria agere poſſe ſolum ad nutum Dei: nihilominus docuit Mallebranchius, in quocumque miraculo veteris Legis non Angelos Divinæ, ſed Deum potius Angelicæ voluntatis fuiſſe executorem, itaut non particulari voluntate ullum ex dictis miraculis voluiſſe dici potuerit, ſed generali, faciendi ſcilicet quidquid Angeli voluiſſent. Sed hæc doctrina nova prorſus, & periculoſa funditus everſa fuit in quadam diſſertatione Coloniæ edita an. 1685, in qua docte oſtenditur, in Divinis Scripturis haberi quidem, Legem per Angelos datam fuiſſe, & ſimilia; ſed hinc tantum inferri, Deum Angelis uſum eſſe, tamquam miniſtris ſuis, ut hæc mirabilia operaretur.

9 Sancti quoque homines in vita, & poſt obitum miracula ediderunt. Sed Sancti veteris Teſtamenti ſæpius in vita, rarius poſt obitum miraculis claruerunt, utpote qui a Deo canonizati miraculis poſt obitum non indigerent. Sancti vero novi Teſtamenti, utpote ab Eccleſia canonizandi, rarius in vita, ſæpius poſt obitum miracula patrarunt. S. Joannes Baptiſta ſtricte ad novum Teſtamentum pertinet; cumque nulla miracula in vita feciſſet, putavit Herodes, eum in Chriſto reſurrexiſſe, & miracula patraſſe, ut legitur *Matth.* 14. Albertus Magnus ſcribit, Herodem in hoc crediſiſſe reſurrectionem, & Sanctos poſt ipſam majoris eſſe virtutis. At præter hæc Irenæus (*a*), Chryſoſtomus (*b*), Hilarius (*c*), aliique SS. Patres teſtes oculati ſunt miraculorum a Sanctis patratorum. Chriſtus quippe, cujus animæ, juxta S. Thomam (*d*), adeo excellens gratia miraculorum patrandorum collata fuerat, ut aliis quoque hanc facultatem communicare poſſet, diſcipulis ſuis *Matth.* 10., & *Luc.* 10. poteſtatem fecit ſuſcitandi mortuos, & alia operandi miracula: quin etiam *Marc. ult.* pollicitus eſt donum miraculorum in Eccleſia ſua eſſe perſeveraturum. S. Gregorius teſtatur, miracula fuiſſe frequentiora tempore perſecutionum. *Nec illa*, inquit S. Auguſtinus, *in noſtra tempora durare permiſſa ſunt, ne animus ſemper viſibilia quæreret*. Nemo tamen hinc inferat, gratiam miraculorum ſubſecutis temporibus deſiiſſe; nam ipſi SS. Auguſtinus, & Gregorius in *libris dialogorum*, nonnulla ſuis temporibus contigiſſe declarant: quos quidem libros adverſus quorumdam opinionem S. Gregorio adjudicant Card. Baronius (*e*), & Bellarminus (*f*). Perſeverantiam vero miraculorum in Eccleſia Dei demonſtrant Horantius, Bozius, Card. de Lauræa, aliique, & evincunt frequentes Canonizationes, quæ non niſi approbatis miraculis peraguntur. Sed miracula, quæ a Sanctis hominibus fiunt, ſoli Deo, tamquam cauſæ principali adſcribenda ſunt.

10 Angeli itaque, & ſancti homines, tamquam inſtrumenta Divinæ omnipotentiæ miracula operantur, adeoque dici poſſunt cauſa miraculorum. Sed diſputant Theologi, utrum Chriſtus, ut homo, & ſancti homines ſint cauſa phyſica, an moralis miraculorum. Cauſam *phyſicam* vocant, quæ ex ſe, prævia operatione attingit effectum, ſuas vires non excedentem: *moralem* vero, quæ movet cauſam principalem ad effectum producendum. Scotus itaque, Vaſquez, Card. de Lauræa, Bordonus, & alii aſſerunt, Chriſtum, ut hominem, ejuſque Sanctos eſſe cauſas ſolum morales miraculorum. Contra D. Thomas (*g*), Suarez, Cajetanus, & alii volunt, eos eſſe cauſas phyſicas. Sed hæc innuiſſe ſatis ſit: quomodocumque enim creaturæ miracula cauſent, ſemper Deus eſt vera cauſa efficiens, ipſæ vero inſtrumenta. Sed eſto: creatura phyſice cauſet,

a l. 2. adverſ. hæreſ. c. 66.

b to. 5. ſer. 67. veter. edit.

c lib. adverſ. Conſtantium Imperat.

d 3. par. qu. 13. ar. 2. ad 3.

e in not. ad Martyrol. Rom. ad diem 23. Dec.

f de Script. Eccl. pag. 225. edit. Venetæ.

g 2. 2. qu. 178. ar. 3. in reſponſ. ad 1.

cauſet, id Divinæ Majeſtati nil derogat, quemadmodum in Sacramentis Deus ſemper eſt verus Gratiæ auctor, licet admittatur, illa Gratiam phyſice cauſare. Miraculorum autem potentia a Deo communicatur puræ creaturæ, non per modum habitus, ſed per modum actus, & qualitatis tranſeuntis, ut explicat Viguer. Adeoque in Chriſto fuit, quaſi proprietas conſequens unionem, quæ eſt permanens.

CAPUT III.

De malis Angelis, Infidelibus, Hæreticis, & Antichriſto, & demum de Peccatoribus quoad miraculorum patrationem.

1 DIximus, ſolum Deum principaliter efficere miracula, Angelos vero, & homines ſanctos eſſe illius inſtrumenta. Nunc obſervandum eſt, an hoc ipſum dici poſſit de malis Angelis, & reliquis ſuperius recenſitis, & an Angeli mali miracula virtute propria operari valeant.

De malis Angelis.

2 Omnis virtus naturalis operandi *ad extra* actione tranſeunte, & corporali, manſit integra in Dæmonibus poſt peccatum, cum hoc eorum naturalia non minuerit. Virtutis vero ſubjectio eſt aliqualiter immutata. Nam Angelus ſuperior poteſt naturaliter reprimere inferioris virtutem exterius operatricem: & hic ordo permanet in Dæmonibus inter ſe, at immutatus eſt reſpectu ſanctorum Angelorum, quorum minimus, licet natura inferior, poteſt, ut Dei miniſter, ſummo Dæmoni imperare; & hæc eſt communis Theologorum ſententia. Jam vero docet S. Thomas (*a*), vera miracula a Dæmonibus propria virtute fieri non poſſe, ſed ſolum quædam humanam facultatem, & conſiderationem excedentia, quæ large, & improprie miracula dici poſſunt, Item, ſicuti Angeli boni per Gratiam aliquid poſſunt ultra naturalem virtutem, ita Angelos malos minus poſſe, Divina providentia eos reprimente, quam poſſent ſecundum virtutem naturalem; eoſdemque aliqua non poſſe, etiamſi agere permittantur, quia naturæ modus eis a Deo præſtitus hoc non permittit: idcirco ipſos vera miracula facere non poſſe, quod Deus non det eis poteſtatem ad illa, quæ naturæ facultatem ſuperant, qualia ſunt miracula.

a 1. par. qu. 114. ar. 4.

3 Quæcumque igitur Dæmones inſolita, & admiranda in rebus corporeis operantur, ea juxta D. Thomam (*b*) triplici modo contingunt: videlicet, vel per illuſionem ſenſuum interiorum, & exteriorum, uti *quod Maga famoſiſſima Circe ſocios Ulyſſis mutaverit in beſtias*: & quod ſtriges *Dæmonum illuſionibus ſeductæ* credant, *ſe equitare ſuper beſtias, & multarum terrarum ſpatia intempeſtæ noctis ſilentio pertranſire*; & ſimilia, quæ leguntur *in can. Nec mirum*, & *can. Epiſcopi, 26. quæſt. 5.*, quamvis Grillandus, del Rio, aliique Scriptores Catholici putent, has ſtrigum deportationes vere fieri Dæmonum poteſtate. Vel per ſummam, & imperceptam celeritatem, ſublato uno corpore, alioque in ejus locum ſubſtituto; & hoc modo Iphigeniæ in cervam converſionem contigiſſe, ait S. Auguſtinus (*c*), ſubtracta ſcilicet Iphigenia a Dæmone, eique cerva celerrime ſubſtituta. Similia in fontibus ad pedes Panii montis, unde Jordanes profluit, fieri conſueviſſe narrat Euſebius; de quibus omnibus fuſe differit Vives. Vel demum applicando activa paſſivis, ut vel novum, & inſolitum; vel ſolitum, & vulgare novo, & inuſitato, hominibuſque incognito modo generetur. Ad hoc facit, quod refert Auctor *Teſtamenti duodecim Patriarcharum*, perduelles ſcilicet Angelos, aſſumpta virorum quarumdam mulierum gigantea ſpecie, furtivum cum iis habuiſſe concubitum, ex quo Gigantes nati ſunt (niſi malimus hoc cum Calmet inter fabulas recenſere);

b loc. cit. art. 4. in corp. & in reſponſ. ad 1.

c lib. 18. de Civit. Dei c. 18. n. 3. col. 502. to. 7.

Digitized by Google

re): vel quod de Dæmonibus incubis, & ſuccubis referunt del Rio, Sixtus Senenſis, Raynaldus, & SS. Thomas (*a*), & Bonaventura (*b*). Hi enim concubitus communiter admittuntur, licet nonnulli apud Fraſſen generationem excludant; verumtamen etiam hanc modo inuſitato, & hominibus incognito admittunt Suarez, & Abulenſis cum Valleſio.

a 1. part. q.51. art.3. ad 6.

b in 4. ſent. diſt.44. dub 5.

4 Aaron *Exod*.7. virgam projecit coram Pharaone, quæ verſa eſt in colubrum. Malefici quoque ſuas virgas projecerunt, quæ verſæ ſunt in dracones, ſed eas devoravit virga Aaron. Nonnulla alia, quæ fecit Aaron, fecerunt & Magi. Hinc quæſtio eſt, utrum hi veros ſerpentes procreaverint, an potius per illuſionem ſerpentes aliunde allatos virgis ſubſtituerint. S. Thomas (*c*), ſecutus S. Auguſtinum vult, Magorum virgas revera converſas fuiſſe in ſerpentes, idque a Dæmonibus factum putat per aliqua ſemina collecta, habentia vim putrefaciendi virgas, & in ſerpentes convertendi. S. Thomam laudat Didacus de Quadros. Alii putant, Magorum operationes fuiſſe præſtigioſas, veluti concludit Calmet.

c qu.6. de potent. ar. 5. ad 8.

5 Dices, ſupra admiſſum fuiſſe, dari nonnulla vera miracula non excedentia facultatem naturæ viſibilis: & in Dæmonibus integram remanſiſſe naturalem virtutem operandi *ad extra*: idcirco admittendum videtur, poſſe a Dæmone fieri ejuſmodi miracula multo magis, cum ipſe, aſſumpta ſerpentis ſpecie, Hevam allocutus fuerit (*d*): Acab deceperit (*e*): oves, & pueros Job, igne e cælo deducto, conſumpſerit (*f*): & Chriſtum Dominum ad pinnaculum Templi detulerit: item uxor Loth in ſtatuam ſalis converſa fuerit (*g*): & Nabuchodonoſor in beſtiam mutatus (*h*).

d Geneſ. c.3.

e Reg. c. 23.

f Job. c.1.

g Geneſ. c. 19.

h Daniel. c.4.

6. 7 Aſt hic reſumenda ſunt, quæ paulo ante diximus, Divinam videlicet providentiam Angelos malos reprimere, ne faciant; quæ virtute ſua naturali facere poſſent: proinde nullius generis vera miracula ab iis fieri poſſe, cum eorum virtus tantum poſſit, quantum Deus permittit, ut innuit S. Thomas (*i*), & ante ipſum S. Auguſtinus (*k*), quos ſequitur Pererius. Et quamvis ex allatis exemplis Deus videatur aliquando permiſiſſe, ut Dæmon naturali ſua poteſtate operaretur aliqua vim naturæ viſibilis excedentia: tamen ſi ea demantur, in quibus nil mirabile contigit, ea, in quibus nil Dæmon egit, & illa, quæ incerta ſunt: ſolum ſupererit, illud aliquando contigiſſe, volente Deo præſertim ad impiorum perditionem, ſemper autem citra verum miraculum.

i 1. 2. qu. 80. ar. 2. in corp.

k de Civit. Dei lib. 20. c. 23. n. 2. col. 52. to. 7

8. 9 Profecto nil mirabile contigit in deceptione Achab (*l*), cum ex toto contextu ſolum deſumatur, Deum permiſiſſe, ut Achab in pœnam præcedentium peccatorum a Dæmone deciperetur. Legi poteſt Calmet. In mutatione Nabuchodonoſor nil egit Dæmon. Cornelius a Lapide poſt SS. Hieronymum, Gregorium, & alios, ait (*m*), animam rationalem ab eo non receſſiſſe, dici vero converſum in beſtiam, quod ejus habitus magis ferinus fuerit, quam humanus. Calmet nunc metamorphoſim refert vitiò errantis phantaſiæ, miraculum vero conſtituit in ſubitanea mortis aggreſſione, & ſimilibus.

l lib. 3. Reg. 22. 20.

m in c. 4. Daniel.

10 Quod vero ad uxorem Loth attinet, licet ipſa juxta veriorem ſententiam apud Natalem Alexandrum, & Graveſon vere in ſalem lapideum converſa fuerit, incertum tamen eſt, boniſne, an malis Angelis Deus in hoc uſus ſit, ut innuit D. Thomas (*n*). Item localis, non imaginaria fuit, juxta eumdem S. Doctorem (*o*), Baronium (*p*), & alios, translatio Chriſti ad pinnaculum Templi: ſed incertum, utrum per aera translatus, an illuc ductus fuerit. Nec ambiguitatem excludunt verba illa *Matth*.4. *Aſſumpſit eum Diabolus &c.* nam etiam *Matth*.17. legitur: *Aſſumit Jeſus Petrum &c.* quæ deportationem non indicant, cum ſtatim ſubdatur: *Et ducit illos in montem &c.* Et de Chriſto quidem refert S.Lu-

n q.16. de malo ar.9. ad 3.

o 3. part. q. 41. ar. 4. ad 7.

p ad ann. 31. n. 20.

S. Lucas *cap.4. Et duxit illum Diabolus &c.* Legi poteſt de Quadros.

11.12 Verus ſerpens Hevam allocutus eſt, uti docet S. Auguſtinus (*a*), utcumque Origeniſtæ erroneè ſenſerint, ſerpentia tentationem allegorice intelligendam eſſe. Porro permiſit Deus, ut Diabolus per ſerpentem potius, quam per ovem, aut columbam tentaret hominem, ut hic vel ex ipſa forma ſerpentis, quem callidum animal eſſe non ignorabat, diſceret cavere inſidias, uti proſequuntur Abulenſis, & Card. Bellarminus. Quærunt Interpretes, quomodo Heva non horruerit ſerpentem loquentem. Magiſter ſententiarum, quem ſequitur S. Thomas, reſpondet, ipſam exiſtimaſſe, eum a Deo accepiſſe officium loquendi. At quomodo hoc animal loqui potuerit, difficulter explicabitur, teſte Scheuchzero. Quare non videtur denegari poſſe, in hac locutione aliquid, operante Dæmone, ſupra vires naturæ corporeæ contigiſſe. Profecto innuit S. Auguſtinus(*b*), Deum miris modis, adeoque facultatem naturæ corporeæ excedentibus, uti opera Dæmonum ad puniendos impios, quod etiam admittunt Gerſon, Eſtius, & Silvius, & ſancti quidem Hieronymus (*c*), & Auguſtinus (*d*), & poſt ipſos Rupertus, & Abulenſis Dæmoniorum operi tribuunt occiſionem primogenitorum in Ægypto, quæ miraculo aſcribenda videtur. Idem de prodigioſa Herodis morte ſentit Lorinus. Dionyſius Carthuſianus vero docet, incertum eſſe, utrum Deus immittens ad preces Eliæ ignem in quinquagenarios, & alias in Sacerdotes Nadab, & Abiu, uſus fuerit opera Angeli boni, an mali. Hæc autem palam faciunt, Deum aliquando per Angelos malos miracula operari, ut ſceleſtos puniat, non jam ut hominibus benefaciat. Quare, quando Chriſtus cæcum illuminavit, nonnulli ex Judæis dixerunt. *Dæmonium habet*; alii vero: *Numquid Dæmonium poteſt cæcorum oculos aperire?* quaſi dicerent, ut notat Gloſſa a *Dæmonium non ſolet bona operari* (*e*). Et Origenes (*f*) advertit, Magos in Ægypto potuiſſe virgas in ſerpentes, & aquam in ſanguinem convertere, non contra.

a de Civit. Dei lib.14. c. 11. n. 2. col.363.

b in expoſit. Pſal.77. n.28.

c in Iſaiam c.24.

d in Pſalm. 77.

e Joannis 10.21.

f hom. 13. in lib. Numer. n. 4. pag.319.co.2.

13 Nemo tamen hinc inferat, Dæmones poſſe naturali virtute operari miracula excedentia facultatem naturæ corporeæ. Aliud enim eſt, Deum aliquando uti opera Dæmonis in patrandis miraculis; aliud, Dæmonem facere miracula; cum juxta communem loquendi modum ille dicatur facere miraculum, qui opus extraordinarium efficit pro confirmanda veritate, quam prædicat, aut ille, ad cujus interceſſionem Deus aliquod mirandum facit, ut ejus ſanctitatem hominibus manifeſtet, ut bene proſequitur Eſtius. Abulenſis videtur admittere in Dæmone facultatem patrandi miracula, quæ ſuperant vim naturæ corporeæ: ait tamen ſigna facta a Deo multipliciter differre a ſignis factis a Dæmone, & ſignanter ex fine, ad quem diriguntur. De hoc agemus *capite ſequenti*. Interim adnotare fas ſit, quod, ſi miracula quæcumque reſpiciunt Divinam laudem, & gloriam, ea dici poterunt a bonis Angelis fieri, ſi Deus eorum opera utatur, cum ipſi laudem, & gloriam Dei ſemper intendant: non tamen a malis Angelis, etiamſi Deus his pariter utatur, aut permittat, ut naturali facultate peragant, quæ vires naturæ viſibilis ſuperant, ut plerumque accidit in punitione impiorum: Angeli quippe mali ſemper Divinæ gloriæ invident, eique reluctantes inſerviunt.

14 Hanc quæſtionem magnis animorum motibus pertractarunt Heterodoxi. Samuel Clarkius admittit, nonnulla omnem Dæmonis poteſtatem excedere, ut creatio ex nihilo, & ſimilia, fatetur tamen, quædam miracula ab eo fieri poſſe, cum ſit natura homine potentior. Iacobus Serces id prorſus negavit. Quod omnibus non placuit. Cudvvortus mediam ſecutus ſententiam relinquit Dæmoni poteſtatem

faciendi opera, quæ ſummam hominum admirationem excitant, ſpeciemque miraculorum præſeferunt; ſed negat, cum hac poteſtate uti poſſe ad conſilia Divina evertenda, & veram religionem oppugnandam. Hanc ſententiam pluribus roborat Moshemius. In hoc itaque ferme conveniunt Heterodoxi, Dæmonem poſſe operari miracula inferioris notæ: hac tamen poteſtate uti non poſſe, niſi ad libitum Dei. Sed non perpendunt, an Dæmon ea facultate, permittente Deo, utens, vere dici poſſit effector miraculi: quod omnino negamus.

De Infidellbus, & Hæreticis.

15 Hæc de malis Angelis innuiſſe ſufficiat: licet ultro cum S. Auguſtino
a lib. 3. de Trinit. c. 9. n. 18. col. 802. to. 8. fateamur (a), impoſſibile eſſe ſcire, quid ipſi poſſint per naturam, quidve per Dei interdictum nequeant. Quod vero attinet ad Infideles, & Hæreticos, Malvenda, Theophilus Raynaudus, & alii contendunt, omnia miracula, quæ ab Hæreticis, & Infidelibus patrata referuntur, fuiſſe Dæmonum ludibria. Et Card. de Lauræa pluribus probat, eos non habere gratiam miraculorum. At Eſtius admittit, Deum Paganis, Hæreticis, & Schiſmaticis, tamquam inſtrumentis, uti poſſe in patrandis miraculis, ut per hæc aliqua veritas ad Fidem, vel mores pertinens approbetur. Huc revocari poſſunt, quæ de oraculis Sibyllarum alibi
b lib. 3. diximus (b). Item ea, quæ leguntur *Marc. 9., & Luc. 9.*, ubi Joannes Chriſto dixit: *Vidimus quemdam in nomine tuo ejicientem Dæmonia, qui non ſequitur nos, & prohibuimus eum. Jeſus autem ait: Nolite prohibere eum; nemo eſt enim, qui faciat virtutem in nomine meo, & poſſit cito loqui male de me.* Ubi Gloſſa docet, tunc Dominum voluiſſe, ut alii, etiam non diſcipuli, miracula facerent, ut nomen Jeſu exaltaretur. His conſentit Caſtaldus.

16. 17 Oppones tamen, mulierculam apud Tertullianum, Minutium Felicem, & alios plures traxiſſe navim, qua ſimulacrum Matris Phrygiæ vehebatur, cum moveri nullis viribus poſſet. Item Tucciam virginem veſtalem apud eoſdem aquam cribro hauſiſſe: quæ ab utraque facta ſunt ad conteſtandam pudicitiam. S. Thomas reſpondet (c), hæc a Deo fieri potuiſſe per c de potentia, ſeu Mirac. qu. 6. ar. 5.
bonos Angelos in commendationem caſtitatis; vel etiam contigiſſe Dæmonum virtute. Idem inſinuat Coquæus. Quamcumque ex his ſententiis ſequamur, nil eſt validum, quod ſupradictis officiat, poſſe videlicet Paganos a Deo aſſumi tamquam inſtrumenta in patratione miraculorum: nec vera miracula a Dæmone propria virtute fieri poſſe. Patet id, ſi primam ſequamur, nempe ab Angelo bono ea proceſſiſſe in commendationem caſtitatis. Conſtat quoque, ſi ſequamur ſecundam, ea ſcilicet a Dæmone virtute naturali facta fuiſſe: licet enim vires naturæ corporeæ exceſſerint, vera tamen miracula non fuerunt, circumſtantiis, & ſignanter fine, deficientibus, quæ verum a falſo miraculo ſecernunt, ut notavit S. Auguſtinus (d). Huc ſpectat doctri- d lib. 10. de Civit. Dei c. 16. n. 2. col. 253. to. 7.
na Michaelis Medinæ, qui prodigia, quæ apud Gentiles contigerunt, in Deum uti eorum auctorem refert, tamquam ad veram religionem patefaciendam conducentia. Similia docet Melchior Corneus.

18 At alia plura, inquies, per Ethnicos, & Hæreticos miracula edita ſunt, quibus difficulter recenſitæ reſponſiones aptari poterunt. Philoſtratus enim tot miracula ab Apollonio Thianeo edita celebravit, ut Hierocles Ægypti Præfectus hunc Chriſto comparaverit. Veſpaſianus Imperator apud Tacitum, & Svetonium cæco viſum reſtituit, alterum manu ægrum, præmonente Serapide, ſanavit. Similia ab aliis Gentilibus, & Hæreticis e lib. adverſ. Hieroclem
geſta ſcriptis mandata ſunt. Verum Philoſtrati libros a capite ad calcem mendaciis, & fabulis ſcatere demonſtrant f to. 1. Annal. ad ann. 78.
Euſebius (e), Baronius (f), Scaliger, & Hue-

Digitized by Google

& Huetius, quorum ſolidæ rationes legi poſſunt apud Graveſon. Quod attinet ad Veſpaſianum, Silvius notat, veroſimile admodum eſſe, Dæmonem hos morbos intuliſſe, & lædere ceſſaſſe, cum Veſpaſianus curationem ſuſceperit: hæc ſiquidem aſtutia Dæmoni familiaris eſt teſte Tertulliano. Huetius autem demonſtrat, morbos fuiſſe ab Ægyptiis, inter quos res geſta fuit, confictos, ut adulationem explerent. Alia plura de hujus, aliorumque miraculorum Hadriani Imperatoris, & Gentilium falſitate legi poſſunt apud Cardinales Baronium (a), & Bellarminum (b), in quo conſentiunt Heumannus, Joannes Clericus, & Serces, homines licet a noſtra communione alieni. Solemne quoque fuit Hæreſiarchis gloriari de poteſtate patrandi miracula, ſed infelici prorſus eventu, teſte Binghamo, licet heterodoxo. Cyrola Arianorum Epiſcopus apud Gregorium Turonenſem (c), cum in confirmationem ſuæ religionis hominem ſimulantem cæcitatem illuminare vellet, revera excæcavit. Et Polychronius in ſexta Synodo (d) tentans ob eumdem finem ſuſcitare mortuum, nil profecit. Similia de Luthero referunt Staphylus, & Coclæus, de Calvino Bolſecus, & de quodam ejus miniſtro Alanus Copus, quarum narrationum veritatem ab Hæreticorum fraudibus vindicat Card. Gottus. Calviniſtæ apud Mornæum jactant novum prodigioſum ſidus in approbationem extraordinariæ eorum vocationis apparuiſſe, ſed jactantiam retundunt Hadrianus, & Petrus de Walenburch oſtendentes, nec ſidus fuiſſe prodigioſum, nec quidquam ipſis ſuffragari, cum quinquagintaquinque annis poſt Lutheri defectionem apparuerit. Curioſum eſt, quod de Mahumete refert Boulainvilliers: poſcentibus nempe ab eo Arabibus miracula in teſtimonium ſuæ ſectæ, reſpondit, hæc ſibi non eſſe neceſſaria, cum ſolum proponeret, quod natura docet.

a ad an. 71. n. 6.

b lib. 4. de notis Eccleſiæ c. 14.

c lib. 2. hiſtor. Francor. c. 3.

d act. 15.

De Antichriſto.

19 Plura de hujus characteribus, adventu, origine, nativitate, imperio, bellis, & morte ſcribunt Malvenda, Calmet, Suarez, & Philippus Meda Epiſcopus Converſanus. Quod autem ſpectat ad Antichriſti mirabilia, hæc talia erunt, *ut in errorem inducantur (ſi fieri poteſt) etiam Electi*, ut dicitur *Matth.* 24. S. Joannes *in Apocalypſi* tria refert illius prodigia: ignem de cælo deducet in terram: dabit ſpiritum imagini beſtiæ, ut loquatur, quippe Oracula inſtituet: eamque interfectam vitæ reſtituet. Sanctus Hippolytus addit, quod mundabit leproſos, fugabit Dæmones, ſuſcitabit mortuos, & ſimilia, quæ ſolis conjecturis innituntur. Apoſtolus 2. *ad Theſſal.* 2. ait, illius adventum eſſe *in ſignis, & prodigiis mendacibus*. Et S. Auguſtinus (e) quærit, quomodo hæc *ſigna* dicantur *mendacia*; ſed quæſtionem non reſolvit. Eſtius vero putat, dicta eſſe *mendacia*, non in genere rerum, ſed ſignorum, ideſt miraculorum, quæ in confirmationem erroris fieri nequeunt. Malvenda affirmat, quod Antichriſtus, *quæcumque naturæ totum ordinem ſuperant, revera patrare nequibit. Quod ſi videbitur operari, erunt mera præſtigiæ*. Similia doceat Suarez, Card. Gottus, & Theophilus Raynaudus. Calmet vero putat, illum patraturum vera miracula, ſed nequiſſimo fine. At S. Thomas docet (f), quod *operabitur multa ad eorum ſeductionem, qui hoc meruerunt non acquieſcendo veritati. Operabitur quædam præſtigioſe .... quædam per veram corporum immutationem .... non tamen vera miracula .... Quæ etiam mendacia dicuntur quantum ad intentionem facientis, quia per hujuſmodi mirabilia inducit homines ad credendum mendaciis*. Et Suarez oſtendit, quod licet Deus hæc permittat, id non erit contra ordinem Divinæ providentiæ.

e lib. 20. de Civit. Dei c. 19. n. 4. col. 598. 10. 7.

f qu. 6. de potent. ar. 5. ad ultim.

De malis Hominibus, ſeu Peccatoribus.

20 Per malos homines, & peccatores vera miracula fieri poſſunt, ut innuit Chriſtus *Matth.7. Multi dicent .... Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus? ...... Numquam novi vos.* Et S.Auguſtinus ait(*a*), Dominum per hæc monuiſſe, *ne talibus decipiamur, arbitrantes, ibi eſſe inviſibilem ſapientiam, ubi miraculum viſibile viderimus .... Non ergo cognoſcet, niſi eum, qui operatur æquitatem.* Ad hoc facit etiam illud Apoſtoli 1.*ad Cor.*13. *Si habuero omnem Fidem, itant montes transferam, Caritatem autem non habuero, nihil ſum.* Quæ verba oſtendunt, nil repugnare, quominus aliquis caritatem non habeat, & montes transferat, ut notat Eſtius. Et B.Petrus Damiani (*b*), præter alia teſtatur, quoſdam nullius meriti apud Deum miraculis claruiſſe. Plura legi poſſunt apud Gonzalez, Majolum, Theophilum Raynaud., Contelorum, & Roccam. Gratia enim miraculorum eſt gratis data, quæ indignis interdum confertur ob Fidei ædificationem, & aliorum ſalutem, ut monet Suarez.

a lib.2. de ſerm. Domini in mõte c.25. n. 84. col.235. to.3. par.2.

b opuſc. 6. c.18. to.2. oper.

21 Ad aliud quoddam genus referendum eſt, quod ſubnectimus, ad privilegium videlicet Regum Galliæ ſanandi ſtrumas: illud quippe non hæreditario jure, aut virtute innata obtinent, ſed Gratia ipſis gratis data, vel cum Clodoveus Chriſto nomen dedit, vel eum S. Marculphus ipſam omnibus Galliæ Regibus a Deo impetravit, de qua re diſſerunt Gaſpar a Rejes, & Thiers. Guibertus teſtatur, Ludovicum Craſſum Galliarum Regem hoc prodigio claruiſſe, Philippum vero ejuſdem patrem hanc gloriam, quibuſdam incidentibus culpis, amiſiſſe. Tum addit, ſe neſcire, an alii Reges, & ſignanter Anglicus, hoc privilegio gaudeant. At Willelmus Malmesburienſis narrat, S. Eduardum Angliæ Regem ſcrophas per miraculum curaſſe, eodemque interceſſore hanc facultatem in ſuos poſteros eſſe derivatam, quod etiam fatetur Joannes Bromton.

CAPUT IV.

De fine Miraculorum, & de differentiis inter vera, & falſa Miracula.

1 FInis generalis primarius miraculorum eſt gloria Dei, cum hic ſit finis omnium operum ejus: quapropter *Proverb.*16. legitur: *Univerſa propter ſemetipſum operatus eſt Dominus*; & Chriſtus loquens de Lazaro infirmo a ſe reſuſcitando, ait (*c*): *Infirmitas hæc non eſt ad mortem, ſed pro gloria Dei, ut glorificetur Filius Dei per eam.* Inter fines ſecundarios, qui tamen ad primarium ordinantur, recenſentur oſtenſio veritatis doctrinæ Fidei, & morum; necnon atteſtatio veræ ſanctitatis alicujus. Cum Moyſes a Deo miſſus ad populum, & ad Pharaonem in Ægypto dixiſſet *Exod.* 4. *Non credent mihi*: Deus oſtendit ei omnia ſigna, quæ facturus erat coram populo, & Pharaone. Cum Elias, & Sacerdotes Baal de vero Deo contenderent, pactum inierunt, ut qui ex duobus diis ignem e cælo mitteret, & ſacrificium conſumeret, ille pro vero Deo haberetur. Sacerdotes Baal ſæpius, ſed fruſtra Deum ſuum invocarunt; invocante autem Elia Deum Abraham &c. *cecidit ignis Domini, & voravit holocauſtum &c.* 3. *Reg.*18. Et de Chriſto *Joan.*6. dicitur: *Sequebatur eum multitudo magna, quia videbant ſigna, quæ faciebat.* Hæc pertinent ad oſtenſionem veritatis doctrinæ Fidei, & morum. Quod vero ad atteſtationem ſanctitatis ſpectat, licet Gratia miraculorum, utpote gratis data, peccatoribus etiam, dum vivunt, a Deo concedi poſſit, ut ſupra indicavimus; certum tamen eſt, eam in commendationem ſanctitatis alicujus dari conſueviſſe, ut alibi quoque ſignificavimus. Profecto cum Ochozias Eliam, a quo correctus fuerat, perſeque-

c Joann. 11. 4.

quereretur, & milites ad eum capiendum miſiſſet, ignis de cælo deſcendit, & voravit eos: & *Numer.* 12. cum Aaron, & Maria ſoror contra Moyſen locuti eſſent, Deus Mariam lepra percuſſit. Utque addantur exempla miraculorum, quæ ad declarandam ſanctitatem ſervorum Dei poſt obitum edita ſunt, defunctus 4. *Reg.* 13. projectus in ſepulchrum Eliſei revixit, eum ejuſdem oſſa tetigiſſet. Inter fines ſecundarios numerantur præterea beneficia ſpiritualia, & corporalia, necnon ultio Divina. Quorum omnium nonnulla communia ſunt toti generi hominum, quædam unum populum, & gentem reſpiciunt, aliqua unam familiam, alia unam dumtaxat perſonam.

2. 3 Quærunt Theologi, an Deus ſub alia providentia poſſet concurrere cum aliquo ad vera miracula, quibus hic uti vellet ad confirmandum falſum. De hac re plura diſſerunt Durandus, Albertinus, & Ripalda. Jam vero nonnulli exiſtimant, id non repugnare, exemplo ducto a concurſu, quem Deus poteſt offerre cauſæ ſecundæ, licet prævideat hanc male uſuram concurſu. Suarez, & Card. de Lugo id ad ſummum admittunt, ſi aliunde conſtare poſſet, miraculum, prout a Deo procedit, non fieri ad confirmandum falſum, ſed ad finem bonum. Quidquid de his ſit, certum eſt, vera miracula in præſenti providentia nec fieri a Deo, nec de potentia ordinaria fieri poſſe pro confirmatione falſæ doctrinæ, aut non veræ ſanctitatis. Et hæc eſt D. Thomæ doctrina (*a*), cui adhærent Porrecta, Viguer, Eſtius, & Silvius. Cum enim verum miraculum non poſſet fieri, niſi per virtutem Dei, & Deus nequeat eſſe teſtis falſitatis, manifeſtum eſt, miraculum non poſſe fieri in atteſtationem falſitatis, adeoque impoſſibile eſſe, rem illam non eſſe veram, in cujus veritatis atteſtationem fit verum miraculum. Et quamvis S. Joannes Chryſoſtomus (*b*) dicat, non eſſe credendum falſis Doctoribus, etiamſi mortuos excitarent, quoniam, inquit, Deus tentans te permiſit, ut illi hoc poſſint; & urgeat illud Apoſtoli *ad Galat.* 1. *Licet Angelus de cælo evangelizet vobis, præterquam quod evangelizavimus, anathema ſit*; ambo tamen loquuntur ſub conditione impoſſibili, qua poſita, negant, Angelo, vel miraculis eſſe credendum, cum tunc neutrum veritatem intenderet; & proinde, ſepoſitis miraculis, in eo eventu impoſſibili confirmatio veritatis Catholicæ repetenda eſſet ex doctrina Prophetarum, & Apoſtolorum, & ex perpetua Eccleſiæ traditione, quam ſæpe urget Apoſtolus, veluti inſinuat Eſtius, S. Pacianus, & Cornelius a Lapide.

a 2. 2. qu. 178. art. 2. in corp.

b hom. 5. contra Judæos.

4 Suffragantur Divina eloquia. Deus enim *Exod.* 4. facultatem dedit Moyſi faciendi miracula, *ut credant*, inquit, *quod apparuerit tibi Dominus*. Et Chriſtus *Matth.* 11. diſcipulis Joannis ipſum interrogantibus, an eſſet verus Meſſias, miracula dumtaxat protulit in comprobationem ſuæ miſſionis: *Renuntiate Joanni, quæ audiſtis, & vidiſtis. Cæci vident &c.* Alias quoque miraculis uſus eſt tamquam ſignis veræ Fidei, & doctrinæ; eademque inter ſigna ſui Apoſtolatus recenſet S. Paulus (*c*).

c 2. Corint. 12. v. 2.

5 Theologi utuntur exemplo Principis, qui, ſi alicui ſigillum ſuum traderet in aliqua circumſtantia, in qua prævideret ejus abuſum, particeps eſſet abuſus: hinc inferunt, Deum, utpote veracem, non poſſe operari miracula in eo ſtatu, in quo uſurpari poſſent ad confirmandam falſam doctrinam, vel falſam ſanctitatem: alias eſſet teſtis falſitatis, quod eſt impoſſibile, quoniam Deus verax eſt, & nec fallere, nec falli poteſt. Ita ſentiunt Cardinales de Lugo, & Gottus, & ante hos idem docuerunt Suarez, & Cardinales Baronius, & Bellarminus.

6 Martinus del Rio diſtinguit duas illationes: prima eſt: *Fecit miraculum, ergo Fides ejus eſt vera*: altera: *Fecit miraculum verum in confirmationem Fidei*,

Digitized by Google

Fidei, quam profitebatur ipſe: ergo hæc Fides ipſius erat vera. Tum docet primam poſſe eſſe falſam, quia per Infidelem Deus poteſt operari miraculum: poſteriorem eſſe veram, quia non poteſt Deus operari miraculum in confirmationem falſæ Fidei. Subſcribunt Petraſancta, & Card. Gottus. Quod autem ex Eſtio ſupra diximus, poſſe Deum per Hæreticos, & Schiſmaticos operari miraculum in conteſtationem alicujus Catholicæ veritatis, confirmari poteſt ex iis, quæ refert Socrates(*a*), Judæum ſcilicet veteratorem ab Arianis, & Macedonianis nulliter, utpote ſine aſſertione Sanctiſſimæ Trinitatis, baptizatum, acceſſiſſe ad Paulum Novatianum Epiſcopum, ut ab hoc baptizaretur; aquam vero, non ſemel immiſſam, Divina virtute evanuiſſe. Porro Card. Baronius (*b*) vult miraculum non Paulo, ſed Sacramento eſſe tribuendum, adeoque ceſſiſſe in confirmationem Catholicæ veritatis. Cum enim Judæus etiam ab Attico Novatiano valide, utpote Sanctiſſimæ Trinitatis aſſertore, baptizatus eſſet, aqua poſtea evanuit, ne cum injuria Sacramenti Baptiſmus iteraretur.

a lib. 7. c. 17.

b ad ann. 419. n. 109.

7 Nunc de differentiis inter vera, & falſa miracula aliquid innuendum eſt. Gloſſa *in cap. unic. de Reliq. & vener. SS. in 6.*, Oſtienſis, Fagnanus, Contelorius, Auditores Rotæ in relatione SS. Andreæ Corſini, & Franciſcæ Romanæ, aliique Canoniſtæ hæc quatuor in miraculis exigunt: ſcilicet, ut a Deo, non ex arte procedant; ut ſint præter ordinem totius naturæ creatæ; ut non fiant vi verborum, ut tranſubſtantiatio in Euchariſtia, ſed interceſſione alicujus Sancti; demum, ut fiant ad confirmandam Fidem Catholicam, vel alicujus ſanctitatem.

8. 9 At quidquid ſit de hac doctrina, an in omnibus admitti poſſit; cum Euchariſtia ſit memoriale omnium miraculorum, & miraculo plena eſſe debuerit, ne eſſet inferior, ſed ſuperior Manna, quæ fuit memoriale mirabilium, quæ in deſerto Hebræis contigerunt, ut ſcribit Card. Bellarminus: item an ex recenſitis qualitatibus colligi poſſit differentia inter vera, & falſa miracula; ad Theologos recurrendum eſt, ut hæc ipſa differentia tuto ſtatuatur. Ponderant ipſi in miraculis Chriſti primo ſpeciem operum, quæ omnem virtutis creatæ poteſtatem excedebant, ut aſſeruit cæcus natus, & illuminatus *Joan. 9.* Secundo, modum operandi, cum ſolo nutu miracula patraret; idcirco *Luc. 6.* dicitur: *Virtus de illo exibat, & ſanabat omnes*. Tertio doctrinam, qua Chriſtus ſe Deum dicebat, & virtutem Divinam miraculis comprobabat, quod Chriſto ſingulare fuit; licet enim Apoſtoli, aliique Sancti habuerint poteſtatem faciendi miracula ſimilia, & majora iis, quæ fecit Chriſtus, ut idem monuit *Joan. 14.*, miracula tamen fecerunt, ut ſe oſtenderent Servos Chriſti, ſine quo nihil agere poterant, & in cujus nomine miracula patrabant ad Dei gloriam promovendam, ut explicat S. Auguſtinus (*c*). Addunt, res, quæ agebantur, fuiſſe naturaliter evidenter veras, ac diu perſeveraſſe: eademque opera multa, & frequentia fuiſſe, ac rectitudinem, & honeſtatem morum, veri Dei cognitionem, & Dæmonis expugnationem pro fine habuiſſe. Legi poſſunt Suarez, & Huetius. Graveſon ulterius conſiderat, Moyſen, & Chriſtum miracula palam ediſiſſe; & Judæos ultro confeſſos fuiſſe, Chriſtum patraſſe miracula, licet per invidiam ad magicas artes referrent; ea tamen narrari ab Apoſtolis, & Evangeliſtis, quorum fidem, & ſinceritatem commendant vitæ probitas, ſimplex oratio, & mors pro Chriſti doctrina conſtanter obita: Quin etiam Judæos ipſos facto teſtimonium veritati perhibuiſſe; nam Evangeliſtas fraudis numquam inſimularunt, & multi ex iis, qui prodigia viderunt, Chriſtianam religionem ſuſceperunt, ut colligitur ex Euſebio (*d*).

c in expoſit. pſal. 130. num. 6. col. 1464. to. 4.

d lib. 3. Hiſtor. Eccleſ. c. 31.

10 &c. S. Auguſtinus diſcrimen inter Magorum, & Sanctorum miracula eſſe ait (*e*), diverſum finem, & diverſum

e In lib. 83. quæſtion. q. 80. n. 4. col. 71. to. 6.

jus:

jus: *Illi enim faciunt quærentes gloriam ſuam, iſti quærentes gloriam Dei; illi quædam poteſtatibus conceſſa &c., iſti publica adminiſtratione juſſu Dei*. Et S.Tho.(*a*) idem diſcrimen conſtituit in *efficacia, duratione, utilitate, modo, ac fine.* Miracula quippe Sanctorum Divina virtute fiunt, & naturæ activitatem ſuperant, quæ Dæmones revera facere non poſſunt, niſi præſtigiis quibuſdam, quæ diu durare nequeunt. Bonorum miracula utilitatem afferunt, Magorum ſigna ſunt noxia. Prima fiunt invocato pie, & reverenter Dei nomine, Fideique catholicæ ædificationem, ac bonorum morum propagationem reſpiciunt; ſecunda deliramentis, & incantationibus patrantur, ac Fidei, & honeſtati obſunt, ut proſequitur Rocca. Concordant ea, quæ fuſe tradit Auctor *tractatus de Canoniz. SS. ad Cardinalem Montis Regalis*, additque vera miracula a falſis differre etiam victoria, quocirca alibi diximus, Simonem Magum per aera volantem, orante S. Petro, cecidiſſe. Juſtus Lipſius eamdem differentiam repetit a magnitudine, fine, & fide. Grandia enim ſunt, quæ fiunt in veris miraculis; ad verum Deum ducunt, ac talia ſunt, ut omnem fidem mereantur. In falſis luſorium dumtaxat aliquid, & leve reperitur; nocendi finem habent, ac falſitatem produnt, ideoque indigna prorſus ſunt quacumque fide. Eſtius vero docet, falſa miracula vel ſolam admirationem, & curioſitatem excitare, vel nocere hominibus, aut ſi prodeſſe videantur, ſolum Dæmones a nocumento deſiſtere, vel ſi corporale beneficium afferant, id cauſis naturalibus eſſe tribuendum. Et juxta Calmet verum prodigium juxta inſitam nobis ideam conſuetas naturæ regulas tranſcendit, fictum ſpecie tantummodo naturæ leges ſuperat; idemque concludit, inter varia, & oppoſita prodigia confugiendum eſſe ad Eccleſiæ auctoritatem, idque late tradit Arauxo. Paſchalis autem hos vero miraculo characteres aſſignat; ſcilicet, ut excedat agentis naturalis vires notas, & ignotas; ut dirigat ad Deum, & Jeſum; ut veram doctrinam, pietatem, & Eccleſiam non labefactet: characteres vero ab efficacia, duratione, utilitate, modo, & fine deſumptos fuſe proſequuntur Bidermannus, Emmanuel Sanz, & Svveerts. Practici addunt, falſa procul dubio eſſe miracula, ſi aliqua vi edantur, vel per Dæmonis invocationem, vel per pactum cum eo initum, aut per modum ſuperſtitioſum, vel per Sacramentorum, aut Sacramentalium abuſum, ut late exponit Card. de Lauræa. Origenes reſpondens calumniis Celſi, qui improborum præſtigia miraculis Chriſti, & Moyſis oppoſuerat, ſæpe dictum diſcrimen ad quatuor capita reducit, videlicet ad ſanctitatem vitæ ejus, qui miracula patravit; ad eorumdem durationem; ad fidem iis præſtitam ab integris nationibus; demum ad finem, quem miracula reſpiciunt, correctionem ſcilicet morum, virtutem adipiſcendam, & ſanctitatem ſervandam; tum oſtendit hæc in veris, non in falſis miraculis eluceſcere.

a in 2. lib. ſent. diſp. 7. qu. 3. ar. 1.

13 Reliquum eſt, ut aliqua ſubjiciantur, quæ ad praxim pertinent: utque id recto ordine fiat, prænoſcere opus eſt, ex variis capitibus dubium de miraculorum falſitate oriri poſſe. Porro ex teſtibus, qui miraculum referunt; quibus fides præſtari nequeat, vel quia ſuſpicio ſit ſimulationis, & mendacii, ut in caſu expoſito a Natali Alexandro (*b*), referente, quoſdam nequam homunculos, & mulierculas, vulgata novarum Reliquiarum fama ad baſilicam S. Benigni morbos, & ſubitaneas ſanationes finxiſſe; vel quia non ita inter ſe conveniunt, ut plenam fidem facere poſſint. Secundo ex facti natura, an ſcilicet, quamquam verum ſit, excedat vires naturæ quoad factum, vel quoad modum. Tertio ex hoc, quod, utcumque conſtent factum, & exceſſus, tamen ſuſpicari liceat, an res ad Dæmonum præſtigias referenda ſit. De primo, & ſecundo capite ſæpe diſpu-

b in hiſtor. Eccleſ. ſæc. 9. c. 3. ar. 13.

Digitized by Google

diſputatur in Congregatione rituum, dum agitur de cauſis Servorum Dei: & quod attinet ad primum, repetenda ſunt, quæ de teſtibus diximus lib. 2., & 3. Ad ſecundum ſpectant ea, quæ in hujus libri decurſu dicemus, inquirentes, quænam ſint, quæ facultatem naturæ excedunt, in qua profecto inquiſitione non eſt neceſſe, ut omnes naturæ leges perſpectas habeamus, veluti quidam male feriati autumant; ſed ſufficit exploratum eſſe, omnia corpora ejuſdem naturæ ſecundum eaſdem leges moveri, & per eaſdem cauſas ordinatim eoſdem effectus produci: miraculum autem eſſe, dum corpus aliâ, ac reliqua ejuſdem naturæ corpora, lege movetur; & cauſa in iiſdem circumſtantiis alium, ac ſolet, effectum producit; ut admittit etiam Femina quædam Anonima, licet heterodoxa, in quodam opere *de veritate Chriſtianæ religionis*. Tertium nil habet commune cum Congregatione rituum, cum non inquiratur ſuper miraculis, niſi virtutes heroicæ præluceant. Ultimum diſcutietur in ſexto capite hujus libri. In ſecunda editione Logicæ, ſeu Artis cogitandi innuitur, nonnullos putare, ſe omnibus miraculis, quæ referuntur, fidem præſtare debere, cum omnium eadem ſit ratio. Alios paratos eſſe ad dubitandum de omnibus, quandoquidem nonnulla reperta ſunt falſa. Utrumque extremum Auctor refellit; tum nonnullas ſubitaneas ſanationes ex S. Auguſtino (*a*) refert, facultatem naturæ in ſubſtantia, vel modo excedentes, tantique Doctoris auctoritate perpenſa concludit, impudentis inſaniæ eſſe de veritate miraculi dubitare, ſi ex narratione deſumatur, factum excedere vires naturæ, & narratio teſtibus fide dignis innitatur.

a in lib. de Civit. Dei.

CAPUT V.

De miraculorum neceſſitate in cauſis Beatificationis, & Canonizationis.

1 SOlas pro ſanctitate virtutes expoſcere videtur S. Joannes Chryſoſtomus (*b*); *Actio quidem bona*, inquit, ... *introducit in cælum. Miraculum autem, & ſignum abſque converſatione adducere ad veſtibula illa non poſſunt*: quod latius proſequitur Anaſtaſius Nicænus Ep. (*c*). Et Ulricus Conſtantienſis Epiſcopus Calliſto II. Summo Pontifici miracula requirenti pro Canonizatione S. Conradi ejuſdem Eccleſiæ Epiſcopi reſpondit (*d*): *Operam dedi ... hujus viri digniſſimam Dei converſationem potius, quam miracula, quæ nonnumquam Reprobis cum Sanctis communia ſunt, colligere*. Similia Alexandro II. miracula quærenti ad ſtatuendam S. Rodulphi Eugubini Epiſcopi ſanctitatem innuit B. Petrus Damiani (*e*), qui cum alias nulla in vita S. Dominici Loricati miracula retuliſſet, id mirum non eſſe ait, cum nec legatur, ullum a B. V. Maria, nec a S. Joanne Baptiſta factum fuiſſe. His ſuffragantur, quæ de Malcolino adoleſcente adhuc Scotorum Rege ſcribit Gulielmus Neubrigenſis (*f*), quæve docuerunt S. Fulgentius Epiſcopus Ruſpenſis apud Bolland. (*g*), & S. Eulogius Martyr *in memoriali Sanctorum* (*h*). Huc quoque facit reſponſum Alexandri III. *in cap. Audivimus de Reliq., & vener. SS.*, ubi prohibetur cultus publicus abſque Sedis Apoſtolicæ auctoritate erga defunctum, *etiamſi per eum miracula fierent*. Ex his colligi poſſe videtur inutilitas miraculorum in cauſis Beatificationis, & Canonizationis. Et Baillet quidem totam fere vim in virtutibus conſtituendam eſſe contendit.

3 Alii contra præcipuum, ac fere unicum momentum conſtituunt in miraculis. Joannes enim Saresberienſis non-

b in inſcript. actor. pag. 64. oper. to. 3.

c de quæſt. in ſac. Scripturæ q. 23. to. 1. Bibl. PP.

d ap. Piſtorium Scriptor. rer. Germ. to. 3. p. 638.

e ep. 19. ad Alexandr. Pap. II. oper. to. 1.

f lib. 1. c. 25.

g ad 1. diem Januar. to. 1. pag. 42.

h lib. 2. pag. 247. to. 15. Bibl. PP.

nonnihil commotus in Alexandrum III., quod Canonizationem S. Thomæ Cantuarienſis nimium, licet rationabiliter, differret, ait: *Ubi Deus Auctor eſt, fruſtra ſuperior deſideratur auctoritas*: ſcilicet *putavit*, ut interpretatur Baronius (*a*), *Canonizationem, quam Deus tot miraculis divinitus factam oſtenderit, humana non indigere auctoritate*.

a ad ann. 1173. n. 4.

4 Verum tum virtutes, aut martyrium, tum miracula in hujuſmodi cauſis neceſſaria ſunt, ut ſæpe diximus. Honorius enim III. *in cap. Venerabili de teſt., & atteſt.* virtutes, & miracula exigit. Et Gregorius IX. in bull. Canoniz. S. Antonii Patavini ait, pro ſanctitate in Eccleſia triumphante ſufficere perſeverantiam uſque in finem; pro Eccleſia militante virtutes, & ſigna requiri. Huc revocari poſſunt, quæ lib. 1. dicta ſunt de neceſſitate miraculorum etiam in cauſis Martyrum. Et hanc quidem neceſſitatem in omnibus cauſis ſatis, ſuperque adſtruit inconcuſſa Sedis Apoſtolicæ praxis, quam late exornant Contelorius, Baldellus, Mabillonius, & Rotæ Auditores in relat. cauſ. SS. Franciſcæ Romanæ, Ignatii, Franciſci Xaverii, & aliorum.

5 Neque obſtant ſuperius dicta. Ea enim, quæ pro excluſione miraculorum adducta ſunt, ſi bene perpendantur, locum ſibi vindicant quoad Eccleſiam triumphantem, pro qua ſola ſufficit perſeverantia *finalis*, ut paulo ante ſignificavimus, & inſinuatur *in hiſtoria miraculorum S. Petri Archiep. Tarantaſien.* (*b*) poſt ejus obitum collecta, & oblata ſummis Pontificibus Alexandro III, & Lucio III. apud Bollandianos, non autem quoad Eccleſiam militantem; aut excludunt miracula vitæ dumtaxat, non vero, quæ poſt Sanctorum obitum eorumdem meritis, & interceſſione a Deo fiunt. Quod ut clarius percipiatur, reſumenda ſunt, quæ de Gratia gratis data miraculorum diximus *lib. 3. cap. 44.*, eam ſcilicet communem eſſe peccatoribus viventibus, neque ex miraculis in vita patratis certum deduci ſanctitatis argumentum.

b ap. Bolland. ad diē 8. Maii c. 2. n. 29. pag. 344.

Item quæ dicta ſunt *lib. 1. cap. 33.*, miracula nempe poſt obitum patrata pro Beatificatione, & Canonizatione omnino requiri. Hæc enim ſanctitatem defuncti demonſtrant, & Divinum teſtimonium præſeferunt, ut præter Auctores laudatos oſtendunt Gravina, Ceparius, Philippus a S. Paulo, & Ricciullus. Ex miraculis itaque alicujus interceſſione poſt obitum a Deo editis ad ejuſdem ſanctitatem patefaciendam, ſanctitas ipſa comprobatur: nec quidquam obſtat prædictum reſponſum Alexandri III. (*c*), loquitur enim de miraculis fallacibus, cum ibi agatur de homine in ebrietate occiſo, quem nonnulli tamquam Sanctum venerabantur, ut notat Caſtellinus. Pignatellus autem monuit, admiranda Magorum opera aliquando appellari miracula, quod aſſimilentur veris, & uti talia vulgus falſo exiſtimet. Quod vero attinet ad eos, qui pondus Canonizationum in ſolis miraculis conſtituunt, reſpondetur, Seresbērienſem nimio fervore erga S. Thomæ Canonizationem abreptum ſupradicta protuliſſe. Miracula quippe, etiam poſt obitum ſecuta, a Pontifice ſunt approbanda, ut Beatificationi, & Canonizationi proſint, ut contra Seresberienſem notavit Baronius (*d*), & proſequitur Scacchus. Nec Pontifex ſuper veris miraculis ſententiam profert, niſi poſt approbatas virtutes. Qui vero dixerunt, eum poſſe ad Canonizationem procedere ex ſola miraculorum evidentia, ut Auguſtinus Triumphus, explicari debent, in hypotheſi, in qua nil vitæ Sancti adverſetur, ut docet Rocca, quod idem eſt, ac poſt approbatas virtutes. Pater a Panormo olim Congregationis rituum Conſultor refert, nonnullos aſſerere, poſſe Canonizationem peragi, ſolis approbatis virtutibus. Cardinalis vero de Lauræa ex ſolis miraculis, ſed hæc ad ſummum admitti poſſunt *ſpeculative*, non *practice*, ut colligere eſt ex Suarez, Arauxo, Philippo a S. Paulo, Card. Petra, & Pignatello.

c in cap. Audivimus de Reliq., & Venerat. SS.

d ad ann. 1173. n. 4.

Digitized by Google

6 Alibi notavimus, ſummos Pontifices, & ſignanter Gregorium IX. in bull. Canoniz. SS. Franciſci Aſſiſien., & Antonii Patavini, requirere pro Canonizatione merita, & miracula, itaut utraque ſibi invicem fidem faciant; ſed ne quis putet, virtutes ex miraculis approbari, & contra, & ſic committi circulum vitioſum, advertendum eſt, in judicio Canonizationis prius diſcuti virtutes, aut martyrium, poſtea miracula, quæ certius reddunt judicium de virtutibus, aut martyrio jam prolatum, ut proſequitur Gregorius, adeoque omnis vitatur circulus vitioſus, veluti explicat Amatus. Huc faciunt verba S. Marci *c. ult. Illi ..., prædicaverunt, Domino .... ſermonem confirmante ſequentibus ſignis*: & illa Apoſtoli *ad Hebr.2. Conteſtante Deo ſignis, & portentis*. Legi poteſt S. Gregorius (*a*).

a lib.2.homil.3.ſuper Ezechiel.n.23.col.1340 to.1.

7. 8 Quæres, quomodo oſtendi poſſit, miraculum a Deo patratum fuiſſe ad patefaciendam alicujus ſanctitatem. Ab invocatione potiſſimum id probandum erit. Potiſſimum, inquam; nam aliquando Deus, vel nemine petente, miracula operatur. At ſi Dei Servus, vel Beatus, aut Sanctus rogetur, ut impetret miraculum, hoc tribuendum erit invocati interceſſioni, & hæc ex invocatione conſtabit, ut advertit Card. de Lauræa, cui adhæret Pignatellus. Quare cum ſæculo Eccleſiæ quarto multa miracula in baſilica S. Laurentii facta fuiſſent, & Auctor quidam apud Card Baronium (*b*) incertum eſſe dixiſſet Sancto ne Laurentio, an S.Damaſo tribuenda eſſent, idem Cardinalis S. Damaſo; utpote invocato, adjudicat. Si plures invocentur, quorum unus canonizatus ſit, alter non, miraculum ſecutum Canonizati interceſſioni, juxta Mattam, erit adſcribendum. At ſi invocati omnes fuerint vel Servi Dei, vel Beati, aut Sancti, incertum erit, cujus interceſſioni adſcribendum ſit, ut idem proſequitur, nec juxta Matthæuccium Beatificationi, aut Canonizationi proderit. Revelatione opus eſſet, ut tuto ſciri poſſet, cui ex invocatis eſſet tribuendum, ut cuidam ſurdo, & muto contigit; huic enim S. Hilarium invocanti idem Sanctus apparuit, monuitque, ut ad S. Martinum confugeret, quo facto, ſanitatem illico obtinuit, apud Pollandian. (*c*), & Natalem Alexandrum (*d*). Si ex circumſtantiis deſumeretur, invocantem ad unum magis reſpexiſſe, hujus, non aliorum interceſſioni eſſet deferendum, ut proſequuntur Card. de Lauræa, & Matthæuccius. Profecto cum ageretur de miraculis pro Beatificatione tunc Servi Dei Joannis Franciſci Regis, Benedictus XIV. tunc Fidei Promotor oppoſuit, ſanationem cujuſdam Monialis Molienſis ab inveterata paralyſi, & hydrope tympanitè non eſſe interceſſione Servi Dei tribuendam: licet enim infirma Servum Dei invocaſſet, veriſimile admodum erat, opem ſanctiſſimi Eucharistiæ Sacramenti fuiſſe ab ea imploratam, cum ſanitatem receperit momento, quo illud ſuſcepit. Poſtulatores inter alia demonſtrarunt, Monialem repoſuiſſe totam fiduciam in Servi Dei interceſſione, & ad hunc ſolum preces fudiſſe, Euchariſtiam vero ſumpſiſſe tamquam diſpoſitionem, quæ ipſam Deo gratiorem, & aptiorem ad impetrandum redderet. Placuit ſacræ Congregationi reſponſum, ac miraculi habita fuit ratio pro Servi Dei Beatificatione. Similia contigerunt in Beatificationibus SS. Andreæ Avellini, & Petri de Alcantara, juxta relationea Auditorum Rotæ.

b ad ann. 384. n.19.

c ad diem 13. Januar. n. 11. pag. 797.

d In hiſtor. Eccl. ſæc.9. & 10. c.3. art.13.

9. 10 Cum in Congregatione rituum ageretur de miraculis S. Pii V. pro ſolemni ejuſdem Canonizatione, Promotor Fidei oppoſuit, nonnulla miracula non eſſe attendenda, utpote patrata per applicationem cerearum Formarum, (*vulgo Agnus Dei*) quæ a S. Pio fuerant benedictæ, ſubdens, prodigioſos effectus, non hujus interceſſioni, ſed illarum virtuti eſſe adſcribendos. Idem oppoſitum fuit occaſione introductionis cauſæ Ven. Inno-

nocentii XI., non eſſe ſcilicet comprobatam famam miraculorum, utpote modo expoſito patratorum. Hujus tamen cauſæ Poſtulatores facili negotio animadverſionem propulſarunt, allegantes, probatam eſſe miraculorum famam, eamque cum fama virtutum ſufficere ad cauſam introducendam; cui vero miracula tribuenda eſſent, hoc fore diſcutiendum, cum de iis approbandis quæſtio inſtitueretur. Sed cum hæc reſponſio non obtineret locum in cauſa S. Pii, in qua de approbandis miraculis agebatur, Benedictus XIV. tunc munere Advocati fungens ad alia confugit argumenta.

11.12 Ac primo quidem hic adnotare juvat, in conſecrandis Cereis Agnis adhiberi aquam benedictam, miſceri balſamum, Chriſma ſuperinfundi, ac preces a ſummo Pontifice recitari, eos vero, qui Agnos devote deferunt, a variis periculis, & morbis liberari, veluti late expoſuit Sixtus V. *in litteris Apoſtolicis in forma Brevis ſcriptis Paſchali Ciconiæ Venetiarum Duci*, ad quem ſacras cereas Formas a ſe benedictas de more mittebat. Hiſque litteris luculentiſſimum de hujus Agni præſtantia, & virtutibus teſtimonium Urbani Papæ V. verſibus expreſſum inſeruit, qui magni muneris loco tres Agnos Dei ad Græcorum Imperatorem miſit. Eoſdem Agnos laudant, ac miros eorum effectus deſcribunt Onuphrius Panvinius, Joſeph Maria Suareſius Epiſcopus Vaſionenſis, Auguſtinus Valerius Cardinalis, & Epiſcopus Veronenſis, Theophilus Raynaudus, & Andreas Fuſius in carmine, quod Urbani V. nomine circumfertur, cujus meminit Sixtus V., ut ſupra, quodque cultius reddidit Guillelmus Eſtius.

13.14 Porro in Sacrificio Miſſæ diſtinguitur opus operantis ab opere operato; quocirca, juxta doctrinam D. Thomæ (*a*), fructuoſior eſt Miſſa boni, quam mali Sacerdotis. Hoc ipſum locum habet in cereis Agnis, cum plus virtutis illis ineſſe dicatur, ſi ab optimo, quam ſi a bono Pontifice benedicantur, uti de benedictis a S. Pio V. ex Gabutio explicat Theophilus Raynaudus. Quamobrem admiranda illa, quæ virtute Agnorum cereorum, quos S. Pius benedixerat, contigiſſe narrantur (cujuſmodi eſt, quod refert Card. Valerius ſupra laudatus, qui Atheſim totam Veronam inundantem, immiſſo uno ex iis Agnis coercuit) non modo virtuti Agni, ſed interceſſioni ejuſdem S. Pontificis communi calculo Fideles adſcripſerunt, uti animadvertit Auguſtinus Oldoinus, & ante ipſum Gabutius.

a 3. part. q.82. art.6.

15 His fundamentis innixus idem Benedictus tunc Advocatus oſtendit, miraculum controverſum non cerei Agni virtuti, ſed interceſſioni S. Pii adſcribendum eſſe. Jam enim approbatæ fuerant heroicæ virtutes; alia miracula ante Beatificationem admiſſa; & in eo, de quo diſputabatur, invocatio non deerat. Addidit, mira quædam, utilia, & gratias, non vera miracula inter virtutes cereorum Agnorum recenſeri, cum tamen Chriſtus *Joan.* 14. Sanctis ſuis promiſerit patrationem miraculorum, etiam majorum illis, quæ ipſe patraverat, de qua re legi poteſt S. Auguſtinus (*b*). Omnia hæc, & miraculum ipſum pro Canonizatione admiſit ſacra Congregatio, approbante Clemente XI, licet ſanatio ſubitanea contigiſſet, applicato mulieri ægrotanti cereo Agno, quem S. Pius benedixerat: & eo magis, quod exemplum præceſſerat, cum in cauſa S. Cajetani admiſſum fuiſſet miraculum, quod contigit applicato cereo Agno, in quo Reliquiæ ejuſdem Sancti contineri dicebantur. Cæterum cereos Agnos a S. Pio benedictos pluribus extollit Julius Poggianus in ſuis epiſtolis, quæ in bibliotheca Vaticana aſſervantur.

b tract. 72. in Joann. col. 687. to. 3. part. 2.

16 Occaſione petitæ Canonizationis ſeptem Beatorum Fundatorum Ordinis Servorum B. M. Virginis magna exarſit controverſia, an miracula ad eorum omnium invocationem edita,

ita omnium interceſſioni eſſent tribuenda, ut in eorum gratiam omnes canonizarentur. Albertus Cavalchinus tunc Fidei Promotor, & nunc S. R. E. Cardinalis oppoſuit, hanc in cauſis Confeſſorum eſſe inauditam, periculoſam, adeoque cavendam methodum. Confeſſorum, inquam, nam in cauſis Martyrum exemplum præceſſerat, ideſt in cauſa Martyrum Gorcomienſium iiſdem circumſtantiis defunctorum, & hi quidem omnes, poſitis miracolis omnium ſimul invocationem conſecutis, Beatificati fuerunt, ſed addidit, a cauſis Martyrum non valere illationem ad cauſas Confeſſorum. In primis enim ſola mors, ejuſque cauſa ſpectatur, quæ ſicuti eadem fuit in omnibus, ita miracula omnium ſimul invocationem conſecuta, omnibus adſcribi, omniumque Beatificationi, & Canonizationi prodeſſe poſſunt. Quod non poteſt admitti in cauſis Confeſſorum, in quibus tota vita perpenditur, & quorum diſpar fuit vitæ exitus. Dixit eſſe periculoſam, cum contingere poſſit, ut inter plures, qui ſimul invocantur; aliquis Deo acceptus non ſit, & tamen miraculum Deus operetur ad oſtendendam ſanctitatem aliorum, qui ei accepti eſſent, adeoque ex conceſſione miraculi non infertur, omnes fuiſſe Deo acceptos.

17 His ingenioſiſſime reſpondit Joannes Aſcevolinus Conſiſtorialis Advocatus, probans, caſum novum non eſſe; novus enim eſſet (ait ipſe) ſi propoſita in Congregatione ſimili cauſa, ſimilia miracula rejecta fuiſſent; ſecus, quando hæc ſeptem Confeſſorum cauſa prima eſt, quæ proponitur. Subdit, nullum in hoc eſſe diſcrimen inter cauſas Martyrum, & cauſas Confeſſorum: ſicuti enim miracula ad communem plurium Martyrum invocationem patrata oſtendunt, horum omnium mortem fuiſſe Deo acceptam; ita patrata ad communem plurium Confeſſorum invocationem patefaciunt, eos coram Deo ſanctos eſſe; cum miracula certum præbeant ſanctitatis indicium, & quæſtio ſit de pluribus æqualiter beatificatis. Alia multa legi poſſunt in ejus *ſcriptura typis impreſſa*; ſed nullum adhuc prodiit a ſacra Congregatione reſponſum.

18 Benedicto XIV. ad ſummum Pontificatum aſſumpto, eadem cauſa quoad ejuſmodi miracula coram ipſo propoſita fuit in Congregatione ordinaria rituum. Cardinales Congregationis in varias abiere ſententias. At Pontifex advertens, eorumdem Beatorum virtutes non fuiſſe ſufficienter diſcuſſas, nec poſſe agi de miraculis, niſi præceſſerit approbatio virtutum, etiamſi ſermo ſit de æquipollenter beatificatis, decretum fuit, aſſentientibus omnibus, ut ſingulorum virtutes in gradu heroico referrentur: *& quatenus favorabilis edatur reſolutio ...., proponatur dubium ſuper miraculis*.

19 Poſt hæc laudatus Pontifex nonnulla hic inſerere voluit, tum ad explicanda ea, quæ *n.7.* dicta ſunt, tum ut eorum poſſit haberi ratio, ſi dubium rurſus proponatur. Primum eſt, in more poſitum eſſe, ut plurimorum ſimul nedum Martyrum, ſed etiam Confeſſorum feſta, Officium, & Miſſa celebrentur, ut conſtat ex Martyrologio, & Breviario Rom., adeoque laudabilem eſſe plurium, immo omnium ſimul Sanctorum invocationem, ut eruitur ex inſtitutione feſti omnium Sanctorum, quam *propter faciliorem orationum noſtrarum impetrationem* factam fuiſſe, ait Durandus.

20 Secundum, ſi ſermo ſit de Sanctis jam canonizatis, quorum plures ſimul invocentur, miraculum inde ſecutum omnibus invocatis, juxta Cardinalem de Lauræa, tribuendum eſt, niſi circumſtantiæ aliud exigant. Narrat Gocelinus Monachus apud Bollandianos (a), quemdam claudum acceſſiſſe ad feſtum tranſlationis Reliquiarum S. Auguſtini primi Archiepiſcopi Cantuarienſis, fuſiſque precibus prope ſepulcrum, & altare S. Hadriani Abbatis ſanum ſurrexiſſe: idcirco controverſia invaluit, utri miraculum eſſet adſcri-

(a) c. 6. n. 40. pag. 423. ap. Bolland. ad diem 26. Maii co. 6.

adſcribendum; at ipſe utrique adjudicat. Idipſum ſtatuit de alio miraculo viſus a quodam Equite recuperati invocató eodem S. Auguſtino, tactoque ferctro, quo oſſa S. Melliti vehebantur.

21 Tertium eſt, prædictam regulam ſuos habere fines. Si enim ex circumſtantiis miraculum uni ex pluribus Sanctis invocatis tribuendum videatur, uni profecto, non aliis erit adſcribendum, ut ait Card. de Lauræa ſupra laudatus. Et ipſe quidem nonnulla affert harum circumſtantiarum exempla, quibus alia addi poſſunt, ut ſiquis plures Sanctos ſucceſſive invocet, ultimo ex invocatis adjudicandum eſt, quod, primis invocatis, non obtinuit. Idcirco in hiſtoria S. Petri Epiſcopi Taran-
a to.2.Maii n.14. pag. 342. taſiæ apud Bollandianos (*a*) miraculum repentinæ ſanationis eidem Sancto tribuitur, non S. Thomæ Cantuarienſi, ad quem æger antea fruſtra confugerat. Similia legere eſt in vita S. Roberti Abbatis Caſædei in Gallia, & in Actis S. Erconvvaldi Epiſcopi Londi-
b ad diem 30. April. to.3. n.22. pag.785. nenſis apud eoſdem Bolland. (*b*).

22 Quartum eſt, invocatis duobus, puta uno Sancto canonizato, altero Servo Dei nec beatificato, nec canonizato, miraculum non videtur utrique tribuendum, ſicuti tribueretur, ſi ambo eſſent canonizati, niſi circumſtantiæ innuerent Servo Dei eſſe deferendum, juxta ea, quæ num. præcedenti diximus.

23. 24 Quintum tandem eſt, materiam ex prædictis dici poſſe aliquo modo explicatam, non tamen dubium de miraculis ſeptem Fundatorum ſatis diſcuſſum, ac multo minus reſolutum. Agitur de *æquipollenter* beatificatis, ſimul invocatis, nec ulla eſt circumſtantia, quæ inſinuet, ad unum potius, quam ad alios miraculum referendum eſſe: omnes ſunt apud Deum interceſſores; durum eſt nulli deferre; idcirco omnibus eſt adſcribendum. Idque probat exemplum ſuperius adductum plurium Martyrum ſimul invocatorum. Nec quidquam probare videntur, qui dicunt, miracula in Martyrum cauſis ob majorem dumtaxat ſecuritatem, in cauſis vero Confeſſorum ex neceſſitate requiri; cum ratio, ob quam miraculum omnibus Martyribus adſcribitur, ſtet in conjuncta omnium invocatione: & hæc etiam in Confeſſoribus adeſſe dicitur. Nec quidquam obeſt aſſerere, pluribus Beatis invocatis, tuto ſciri non poſſe, quis eorum ſit, cujus meritis Deus ad patrandum miraculum movetur: hoc enim neque certo ſciri poteſt, quando plures ſimul Sancti, vel unus dumtaxat Sanctus, aut Beatus invocatur, licet pie credendum ſit, in utroque caſu Deum ad invocatorum interceſſionem patraſſe miraculum. Incomprehenſibilia ſunt judicia ejus. Aliquando a nullo rogatus miracula facit. Interdum ob peccata eorum, pro quibus oratur, ne Sanctos quidem ipſos vult exaudire, ut dicitur *Jerem.* 15., & *Ezechiel.* 14. Nonnumquam unius dumtaxat viri probi orationibus indulget; interdum duorum, vel trium Servorum ſimul orantium preces exaudit, ut ex ſacris Scripturis pariter deſumitur.

25 Omnia hæc attendenda ſunt, antequam conſilium præſtetur ſuper dubio propoſito in cauſa Beatorum ſeptem Fundatorum Ordinis B. M. Virginis. Et quatenus miracula omnibus attribuantur, inquirendum ſupereſt, an, habita ratione prædictorum quoad Canonizationem, opus ſit, ut pro eadem impetranda numerus augeatur. In hac quippe cauſa virtutes approbandæ erunt probationibus ſubſidiariis. Cumque in ſimilibus juxta præſentem praxim quatuor miracula pro Canonizatione peragenda requirantur; & aliunde nullum in cauſis Confeſſorum adſit exemplum miraculi, quod eorum pluribus ſimul invocatis adſcriptum fuerit, quoad Beatificationem, & Canonizationem obtinendam; &, quod præcipuum eſt, piæ fraudes imposterum ex hac nova praxi timeri poſſint; idcirco examinandum erit, an hæc nova facilitas admittendi pro plurium Con-

Confeſſorum Canonizatione quatuor miracula ad conjunctam omnium invocationem patrata minui poſſit, aucto numero miraculorum.

26. 27 Quæres, an citra Servi Dei, vel Beati invocationem probari poſſit, aliqua miracula a Deo patrata eſſe ad oſtendendam eorumdem ſanctitatem, eademque attendenda ſint in judicio Beatificationis, & Canonizationis? affirmando reſpondetur. Hujuſmodi ſunt incorruptio, & odor cadaverum Servorum Dei, ſi adſint requiſita, alibi memoranda, quæ incorruptionem, & odorem miracula eſſe comprobent. His accenſendum eſt illud, quod de S. Martino narrat Sulpitius Severus (a), nempe ſuper illius caput ſacra facientis globum igneum apparuiſſe: & illud, quod refert S. Hieronymus (b), duos ſcilicet leones S. Paulo Eremitæ defuncto adſtitiſſe, ac, S. Antonio Abbate ſpectante, humum ad defuncti cadaver ſepeliendum effodiſſe; poſt hæc manus, & pedes S. Antonii humiliter lingentes, eodem annuente, abiiſſe. Huc quoque ſpectant pœnæ illatæ iis, qui beatos viros contempſerunt, vel injuria affecerunt; uti cum Dominus Mariam contra Moyſen locutam lepra percuſſit (c), & ſimilia, quæ in ſacris hiſtoriis leguntur. Porro omnia hæc, utique miracula, nemine invocante contigerunt; circumſtantiæ tamen ſatis, ſuperque innuunt, ea a Deo patrata fuiſſe ad oſtendendam Servorum ſuorum ſanctitatem. Idem dicendum eſt de miraculis, quæ Servi Dei, vel Beati, aut Sancti operantur ex poteſtate, quin ulla præceſſerit oratio, ut late exponitur in vita S. Benedicti; & ut oſtendit Philippus a S. Paulo: miracula enim ab ipſis aliquando patrantur ex poteſtate, interdum ex oratione.

28 Joannes le Clerc heterodoxus ad rationem miraculi exigit, ut non ſolum ſit ultra curſum ordinarium naturæ, hujuſque vires excedat, ſed etiam, ut fuerit præcognitum ab eo, pro cujus commodo a Deo fit, vel ſaltem ut contingat eo temporis momento, quo indiget miraculo. Quare quod Alexander Magnus cum ſuo exercitu feliciter prope montem tranſierit eo momento, quo mutatis ventis æſtus marinus ceſſaverat, ac tutum iter reliquerat: quod ejus cadaver aliquot diebus incorruptum permanſerit; neutrum tamen, quatenus vires naturæ excedat, miraculo adſcribi poſſe, ait, cum neutrum Alexander prævideiit, & alterum ei non profuerit. Subdit, vera prorſus fuiſſe Chriſti miracula, utpote non ſolum vires naturæ excedentia, ſed etiam ab eodem prædicta, nec poſſe ejus Reſurrectionem naturæ viribus adſcribi, cum pluries ab eo prænunciata fuiſſet.

29 Hic diſcurſus continet bona mixta malis, & mala bonis. Bonum eſt, quod dicitur, miraculum eſſe debere ultra curſum, & ſupra vires naturæ: necnon Reſurrectionem Chriſti admirandam fuiſſe, cum fuerit prædicta. Item libenter admittimus, nec tranſitum Alexandri, nec incorruptionem cadaveris ejuſdem miraculo adſcribi poſſe, cum in primo nil ſupra vires naturæ contigerit, & ſimplex incorruptio ex alibi dicendis non ſit miraculoſa. Sed malum eſt, quod heterodoxus addit, hæc a miraculis idcirco excludenda eſſe, quia non fuerunt ab Alexandro prædicta, & alterum ei non profuit. Item malum, quod innuit de Chriſti Reſurrectione, quam idcirco videtur miraculo adſcribere, quod fuerit ab eodem prædicta. Ejuſmodi quippe fuiſſet, licet nulla præceſſiſſet prædictio; cum hæc miraculum dumtaxat reddat illuſtrius. Concludendum itaque eſt, pro miraculis habenda eſſe ea omnia, quæ ſuperant vires naturæ, etiamſi non fuerint prædicta, & in judicio Beatificationis, & Canonizationis alicujus Servi Dei, vel Beati admittenda eſſe miracula ſine ejus invocatione edita, dummodo ex circumſtantiis deprehendatur, a Deo facta fuiſſe pro illius ſanctitate manifeſtanda.

CA-

a in ejus vita dialog. 2. n. 2. pag. 100. oper. to. 1.

b in vita S. Pauli Eremitæ n. 16. col. 12. to. 2.

c Numer. c. 12.

Digitized by Google

CAPUT VI.

De Miraculorum numero, & qualitate in cauſis Beatificationis, & Canonizationis requiſita.

1 DE hoc miraculorum numero ſatis egimus in libris præcedentibus, & conſtat ex decreto edito a Benedicto XIV. in cauſa Ven. Servæ Dei Joannæ Franciſcæ Fremiot de Chantal, in quo *ad ejus Beatificationem non ante deveniendum eſſe cenſuit, quam miracula omnino quatuor probentur ex teſtibus de viſu, atque approbentur: Cum virtutes ex teſtibus de auditu fuerint probatæ*. Ideoque ſuperfluum eſt quidquam de numero prædicto addere, niſi quod nonnulla hic advertenda ſunt, quæ aliqua explicatione indigent.

2. 3 Narrat Ceparius, multa in præteritis Canonizationibus diſcuſſa, & approbata a Rotæ Auditoribus fuiſſe miracula, ut colligere eſt ex Canonizationibus SS. Didaci, Raymundi, Caroli Borromæi, Ignatii, & aliorum; necnon ex hiſtoriis SS. Franciſci, & Dominici. Addit legendos eſſe de hac re SS. Baſilium (*a*), Gregorium Nazianzenum (*b*), Chryſoſtomum (*c*), alioſque Patres, & Hiſtoricos de Sanctis diſſerentes. Philippus Maria vero a S. Paulo olim Congregationis rituum Conſultor in ea eſt ſententia, ut pro Canonizatione privati hominis, qui propriæ perfectioni intentus fuerit, plura, & evidentiora miracula neceſſaria ſint; pauciora autem, ac minus excellentia pro Canonizatione eorum, qui a Deo ordinati fuiſſent ad publicum Chriſtianitatis bonum, ac opera arduiſſima, magnifica, & in ſummum Dei honorem, ac proximorum utilitatem executi fuiſſent; idcirco ait, nullam in bulla Canoniz. S. Bernardi fieri miraculorum mentionem, utpote quem operum magnitudo populis Chriſtianis ſatis commendabilem, & admirabilem redderet.

a orat. in Manetem, & Julittam Martyr.

b orat. in S. Cyprianum.

c in libr. contra Gentiles de reliq. S. Babylæ Martyr.

4 At quidquid ſit, an omnia miracula, quæ a Rotæ Auditoribus approbata refert Ceparius, fuerint etiam admiſſa a Congregatione rituum, & a ſummo Pontifice: hic quæritur, quot miracula neceſſario requirantur ad obtinendam Beatificationem, & Canonizationem: cumque ex alibi dictis hic numerus jam ſtatutus ſit, & innitatur praxi ſacræ Congregationis, Pontificiiſque decretis, his omnino adhærendum eſt, quin aliquid contra alibi dicta inferri poſſit ex Ceparii dictis. Nec admittenda videtur aſſertio Philippi Mariæ a S. Paulo. In omnibus enim cauſis æquale proponitur dubium, *An conſtet de virtutibus heroicis, ſeu de Martyrio, & cauſa Martyrii; & an conſtet de miraculis*; hiſque omnibus approbandis clariſſimæ requiruntur probationes, & opus eſt, ut virtutes ad gradum heroicum pervenerint. Non igitur ſubſiſtit, in una cauſa plura, & evidentiora miracula exigi, in alia pauciora, ac minus evidentia. Quod additur, in bulla Canoniz. S. Bernardi non referri miracula, nil ſuffragatur, cum aliud ſit, miracula juxta illorum temporum morem ibi non fuiſſe expoſita; aliud, non fuiſſe patrata, nec in judicio Canonizationis perſpecta. Enim vero vita S. Bernardi a Gaufrido ſcripta ingentibus miraculis referta eſt. Nonnulla deſcribuntur in aliis monumentis. Porro inveriſimile admodum eſt, eorum nullam habitam fuiſſe rationem in eo judicio, in quo etiam tunc virtutes, & miracula exquiri conſueverant.

5 Quod vero ad qualitatem attinet miraculorum, jam alibi contra Caſtellinum, quem ſequitur Pignatellus, dictum eſt, ſufficere pro Beatificatione, & Canonizatione miracula tertii generis, quod etiam oſtendit Philippus Maria a S. Paulo.

6 Major difficultas eſt, an in judicio Beatificationis, & Canonizationis admitti poſſint miracula, quæ excedunt tantum naturæ viſibilis, & corporeæ virtutem, non vero virtutem natu-

Digitized by Google

naturalem naturæ inviſibilis, & incorporeæ, puta Angeli, præſertim boni. Nam ex una parte in judicio tam gravi non videntur admittenda niſi miracula excedentia vires totius naturæ creatæ; aliunde vero difficulter dignoſci poteſt, an miraculum, quod eidem judicio ſubjicitur, excedat vires naturales Angeli boni. *Boni*, inquam; nam quod attinet ad Angelum malum, utcumque hic juxta D. Thomam (*a*), Cardinalem de Lauræa, & Pignatellum plura virtute ſua naturali facere poſſit; attamen ea, quæ alibi diximus de ſignis, quibus vera miracula a falſis diſcernuntur, & de poteſtate Dæmonis a Deo coercita, ac de immunitate ab errore in cauſis Beatificationis, & Canonizationis, ſatis a re præſenti quamcumque illius virtutem naturalem, & inſidias excludunt. Præterquamquod ſi Divinæ providentiæ eſt non permittere, ut ille virtute ſua naturali abutatur ad pervertendum naturalem univerſi ordinem, vel politicam humani generis gubernationem; multo magis illius eſt non permittere hunc abuſum ad religionem, vel ſanctitatem falſam per miracula confirmandam. Nec deſunt regulæ, quibus dignoſcatur, an opus Dæmonis in mirabilia, quæ examinantur, irrepſerit. Legi poteſt Putignanus, qui animadvertens, ebullitionem ſanguinis S. Januarii non excedere vires naturales Angelorum malorum, *nullatenus tamen*, ait, *Deus pateretur, ut quod ad cultus ſui propagationem, ad Eccleſiæ ornamentum, ad augendam Chriſtifidelium pietatem &c. conferre maxime poteſt, referri par ſit ad Dæmonum impoſturas*.

a qu. 6. de Mirac. ſeu de potentia art. 3. in corp.

7 Difficultas itaque reducitur ad Angelos bonos: utque res explicetur exemplis, ponamus, ad Servi Dei invocationem contigiſſe ſubitaneam ſanationem a magna febri, vel paralyſi, aut ignem de cælo deſcendiſſe, quæ dicuntur miracula tertii generis: item, unam ſubſtantiam in aliam converſam fuiſſe, vel multiplicatam, quæ ſunt miracula altioris generis. Hæc contingere poſſunt vel per exceſſum virtutis totius naturæ creatæ tum inviſibilis, & incorporeæ, tum viſibilis, & corporeæ; vel per exceſſum ſolius naturæ viſibilis, & corporeæ. Primo modo contingunt, ſi ſanatio fiat, fruſtra obnitentibus pravis naturæ humoribus, ſi aer abſque diſpoſitionibus naturalibus in ignem convertatur, ut explicat Suarez: item ſi nova materia producatur, aut quæ præerat, convertatur, ac rei multiplicandæ addatur; ſi una ſubſtantia in aliam mutetur; hic enim modus excedit vires cujuſcumque naturæ creatæ; idcirco Diabolus, ut certior fieret, an Chriſtus eſſet Filius Dei, ſimilem mutationem illi ſuaſit *Matth. 4. Dic ut lapides iſti panes fiant*, veluti advertunt Porrecta, & Card. Toletus. Secundo modo eveniunt, ſi e corporibus infirmorum occulte, ac uno veluti inſtanti peccans materia per motum localem ſubtrahatur; ſi particulæ ignis celerrime collectæ magna vi in terras dejiciantur; ſi ſubtracta una ſubſtantia, alia inviſibiliter aliunde deportata ſubſtituatur: hæc quippe vires naturales Angeli excedere non videntur. Quocirca ſi in ſupradicto judicio admittenda ſint dumtaxat miracula excedentia vires cujuſcumque naturæ creatæ, excludenda erunt, quæ recenſuimus, & ſimilia, cum ſcire non poſſimus, quomodo contigerint, ac ſolum locus erit miraculis ſuſcitationis mortuorum, & ſimilibus, ſed nullis fere ſanationibus. Utcumque enim ſit, utrum Angeli vi ab intellectu, & voluntate diſtincta, an per intellectum, & voluntatem corpora loco moveant; hoc certum eſt, eos poſſe mira celeritate illa movere, quod ſatis eſt pro morali *inſtantaneitate*, quæ ſufficit in prodigioſis ſanationibus, in judicio Canonizationis admittendis.

8 Hæc difficultas non urget in miraculis Chriſti de converſione aquæ in vinum, ac de multiplicatione panis, & piſcium. Ipſe enim miracula operabatur, ut ſuaderet Judæis, ſe Filium Dei eſſe; cumque juxta D. Thomam (*b*) ejus

b 3 part. q. 43. ar. 4.

ejus Divinitas ſufficienter ex miraculis demonſtrata ſit; aliaque miracula juxta Suarez, & Horantium evidentia, & indubitata edidiſſet virtute Divina, adeoque excedente vires cujuſcumque naturæ creatæ, inferri licet, omnia eadem virtute ab eo facta fuiſſe; quod rei noſtræ applicari nequit, in qua utplurimum agitur de miraculis, quæ vel uno, vel altero ex prædictis modis fieri potuerunt.

9 Arauxo, poſtquam admiſit triplicem ſuperius expoſitum miraculorum gradum (quæ ſcilicet ſuperant facultatem totius naturæ vel ex parte rei factæ, vel ex parte actionis, vel ex parte modi) ſubdit, alia inveniri prodigioſa opera, quæ vulgus miracula vocat, quod humanam induſtriam, & facultatem excedant. Talia ſunt expulſio Dæmonum ab obſeſſis, odor ſuaviſſimus e corporibus in ſepulcro jacentibus emiſſus, ſerenitas tempeſtatum, ſanatio infirmorum cum apparitione perſonæ invocatæ, longum jejunium abſque cibo, & potu, converſio peccatorum ad contactum reliquiarum. Et quia in his poteſt obtrudi deceptio, neque excedunt vires naturales Angeli boni, vel mali, contendit, nullam horum habendam eſſe rationem in judicio Beatificationis, & Canonizationis, & ſolum attendenda eſſe claſſica, ut vocat, miracula triplicis memorati generis.

10 Multa in hac Arauxi doctrina continentur. De nonnullis agetur infra, & ſedulo examinabitur, in quibus circumſtantiis expulſio Dæmonum, & alia recenſita aut rejicienda ſint, aut admittenda inter vera miracula. Neque enim, ut optime argumentatur Horantius, quod aliquando ex malitia, vel ignorantia aliquis error, aut deceptio in ea facta irrepſerit, ſtatim rejicienda ſunt omnia. Irrepſerunt profecto deceptiones etiam in eas miraculorum claſſes, quas Arauxo admittit, nec tamen omnia miracula ad eaſdem pertinentia rejicienda quidem ſunt; ſed qualitates, & circumſtantiæ perpendendæ, ut quid admittendum, quid rejiciendum ſit, innoteſcat. At hoc ipſum dicendum eſt de expulſione Dæmonis, & reliquis, quæ Arauxo reſpuit. Addendum, quod poſitis debitis circumſtantiis, hæc ad aliquam ex memoratis tribus claſſibus referenda ſunt; ſed de his alibi. Nunc expendendum eſt, an a judicio Beatificationis, & Canonizationis arcenda ſint, ut contendit Arauxo, quæ ab Angelo bono naturali ſua facultate fieri poſſunt.

11. 12. Et ſane tam a *priori*, quam a *poſteriori* hæc Arauxi ſententia non eſt admittenda. A *poſteriori* quidem, nam ſimilia opera inveniuntur in ſacra Scriptura, & inter miracula recenſentur; tum quia paſſim admiſſa ſunt in Canonizationibus a Romano Pontifice in Concilio, & extra Concilium peractis. A *priori* autem; nam ſi teſtimonium Angeli boni de ſanctitate alicujus eſt firmiſſimum, & certiſſimum (ipſe enim, utpote confirmatus in gratia, & beatus peccare nequit, peccaret vero, ſi teſtaretur alicujus ſanctitatem, quam evidenter non noviſſet) & ſi idem inſolitum operando approbet virtutes, vel famam ſanctitatis alicujus Servi Dei; rurſus ſi non inſerviant hominibus Angeli, niſi ex imperio Dei: nec beneficia iis præſtent, niſi juxta ordinem a Deo conſtitutum, qui variari nequit per operationes extraordinarias, niſi Deus leges a ſe conſtitutas relaxet; profecto hujuſmodi operationes utique arduæ, & inſolitæ, & a Deo, tamquam a cauſa principali, ab Angelis, tamquam ab adminiſtris procedentes, admittendæ ſunt in prædicto judicio, utcumque vires naturales Angeli non excederent, ut late proſequitur Philippus Maria a S. Paulo, & explicant Auditores Rotæ in relat. cauſæ S. Franciſci Xaverii, cum quibus conſentit Suarez.

CAPUT VII.

In quo dicta in capitibus præcedentibus confirmantur doctorum virorum ſcriptis e Galliis ad nos delatis.

1 EXorta in Galliis quadam controverſia, de qua infra pauca innuentur, nonnulla prodiere ſcripta theologica eruditione referta, quibus confirmantur, quæ in antecedentibus capitibus dicta ſunt.

2 &c. Diximus, miraculum eſſe debere quid arduum, inſolitum, admirandum, excedens vires naturæ, nec Dei immutabilitati repugnare. Hæc fuſius tradit Theologus Gallus in quodam *diſcurſu ſuper miraculis* edito, docens, omnia, quæ ſtupenda hæc rerum univerſitas exhibet, tot diei poſſe omnipotentis Dei ſapientiæ portenta; ſed cum a naturali ordine, quem Creator in natura inſtituit, procedant, miracula proprie non eſſe. *Igitur*, ait, *miraculum proprie dictum eventus eſt, & effectus contra leges naturæ productus, & a virtute vires creaturarum ſuperante. Eſt opus peculiare omnipotentiæ Dei, leges a ſe libere ſtatutas, cum ei libuerit, invertentis*: ut cum præcipiente Joſue ſol ſtetit, & ad vocem Chriſti Lazarus e ſinu mortis exivit. Tum addit, de veritate miraculi non eſſe dubitandum, ſi ratio ipſa, ſi viri ſapientia, & intelligentia conſpicui, ac circumſtantiæ in veritatem concurrant: & tunc quidem ſtultum, & impium eſſe illos effectus ad cauſas naturales referre. Poſt hæc acriter refellit eos, qui miraculum immutabilitati Divinæ repugnare contendunt, oſtendens, Deum, dum leges naturales condidit, in bonitate ſua titulos ſe reperturum prævidiſſe, *ob quos Servorum ſuorum intuitu curſum earum interdum aut ſuſpenderet, aut immutaret*.

5 &c. Diximus miraculorum donum non fuiſſe reſtrictum ad tempora Apoſtolorum, ſed permanſiſſe, & adhuc permanere in Eccleſia: Hæreticos ſæpe in comprobationem ſui erroris tentaſſe miracula edere, ſed fruſtra. Hoc ſapientiſſime inſinuavit Archiepiſcopus Pariſienſis in ſuis *edictis*, quibus vitam, & aſſerta miracula cujuſdam Diaconi Pariſii, de quo infra, condemnavit, necnon Epiſcopus Maſſilienſis in ſuis *Admonitionibus* ad Clerum, & populum: & latius proſecutus eſt laudatus Theologus, oſtendens, Eccleſiam Catholicam miraculis jugiter coruſcaſſe. Id ſolide repetit ex teſtimonio SS. Irenæi, Cypriani, Hilarii, Hieronymi, Ambroſii, & Auguſtini, quorum ſinguli miracula ſuis ſæculis ad memorias Martyrum edita fuiſſe diſerte tradiderunt. *Pro ſequentibus ſæculis*, inquit, *omnium Hiſtoricorum teſtimonium habemus*; tum animadvertit, tam nota fuiſſe miracula, quæ ad monumenta Martini, Hilarii, aliorumque Eccleſiæ Gallicanæ Sanctorum fieri conſueverant, ut S. Nicetius Trevirenſis illa, tamquam firmiſſimum Catholicæ Fidei probationem, Alboino Longobardorum Regi propoſuerit: addit ex Gregorio Turonenſi (*a*), Theudemirum Suevorum, & Reccaredum Gothorum Reges ſimili miraculorum probatione convictos, ejurata Arianorum impietate, ad Fidem Catholicam remeaſſe (*b*). Pro ſæculis poſterioribus profert exempla miraculorum SS. Bernardi, Vincentii Ferrerii, & Franciſci Xaverii, atque ut ab aliis recenſendis abſtineat, ad demonſtrandam doni miraculorum in Eccleſia perpetuitatem animadvertit, nullum præteriiſſe ſæculum, in quo aliquem Sanctum Eccleſia non canonizet: neminem vero tali honore afficit, niſi prius de quibuſdam miraculis ejus interceſſione editis palam, & ſumma fide conſtiterit. Quod attinet ad Hæreticos, obſervat, eos omnibus temporibus Eccleſiæ Catholicæ invidentes, quamplurimis miraculis divulgandis operam, ſtudiumque navaſſe: Dæmones idcirco in auxilium advocaſſe, & omnes,

a lib. 2. de Mirac. ſancti Martini c. 11.

b l. 9. c. 15.

Digitized by Google

omnes, quos potuerunt, dolos, & fallacias, ut minus cautia illuderent, adhibuiſſe. Id de primia Hæreticis Simonis Magi, Carpocratiſque Sectariis teſtatur S.Irenæus; de Donatiſtis S.Auguſtinus (*a*), addena, eos vel falli, vel fallere. Et ſane Epiſcopus quidam Arianus apud Gregorium Turonenſem (*b*), ut Leovigildo Regi miracula ab Ariania poſcenti ſatisfaceret, mendicum Arianum pecunia allexit, ut cæcum ſe ſimularet; quo facto, cum coram Rege, ipſum ſecundum fidem ſuam, ementito miraculo, illuminare oſtentaret, revera excæcavit, adeout infelix homo, antea fictus, inde verus cæcus acerbiſſimis doloribus cruciatus, ad detegendam fallaciam compulſus fuerit. Concludit laudatus Auctor, Sectam, & hæreſim, quam Deus infallibili Eccleſiæ judicio damnaviſſet, non poſſe ab eodem Deo, qui ſolua miraculorum eſt auctor, & fidelis, miraculo comprobari: idcirco omnia, quæ ab Hæreticis perpetrata miracula in hæreſeos favorem narrantur, præſtigias, aut deceptiones fuiſſe.

a tract. 13. in Joann.

b lib. de gloria Confeſſor. c. 13.

8 &c. Diximus, majua miraculum eſſe, quod ſuperat virea totius naturæ creatæ; minus vero, quod excedit vires ſolum naturæ viſibilis, & corporeæ; hoc tamen eſſe verum miraculum, & in judicio Beatificationis, & Canonizationis admittendum, utpote a Deo procedens, qui Angelis bonis mandat, ut in ſui gloriam, hominumque utilitatem aliqua faciant, quæ naturalem ipſorum virtutem non excedunt, licet ſuperent vires naturæ corporeæ. Utriuſque generis miraculorum mentio ſit in *Paſtorali Inſtructione* Archiepiſcopi Senonenſis *Pariſiis edita ann. 1734.*, & Auctor Theologicarum epiſtolarum *errorem maximum* appellat, *in ſanctis Angelis poteſtatem ampliſſimam inficiari*, quam adeo clare ſacræ litteræ exprimunt, ut *Pſal. 102. Omnes Angeli ejus potentes virtute*. Tum ab ipſa naturæ nobilitate, a magnificis titulis Dominationum, Virtutum, & Poteſtatum, ab intelligentiæ perſpicacia, & ab ipſa ſpiritus corpore deſtituti natura eamdem repetit, hiſque perſpicuum eſſe, ait, *virtutem naturalem Angelorum multis edendis prodigiis haud imparem eſſe*. Profecto admirandas illas Angelorum apparitionea, quæ in ſacris Scripturis Agar, Joſue, Gedeoni, parentibus Samſonis, aliiſque pluribus factæ narrantur: item ſodomitas cæcitate percuſſos, ſeptuaginta quinque mille viros peſte conſumptos fuiſſe, & ſimilia, quæ pariter in ſacria Scripturis leguntur, omnia hæc prodigia ab Angelis naturali virtute præſtita fuiſſe, auctoritate SS. Ambroſii, & Thomæ, necnon ſacrorum Interpretum Pererii, Cornelii a Lapide, aliorumque demonſtrat. Tandem concludit, Angelos quæcumque, jubente Deo, faciunt, ſemper in ipſius gloriam, & honorem operari: adeoque dum conſtat, aliquod miraculum Dei juſſu, licet Angelorum miniſterio, patratum fuiſſe, ſemper in religionis gloriam redundare, ſive ſupernaturali poteſtate, ſive naturali virtute illud Angeli ediderint.

11 &c. Diximus, ex hac miraculorum diſtinctione nullum Chriſti miraculia inferri præjudicium, cum abſque dubio plura patraverit totius naturæ creatæ vires excedentia. Et hanc quoque doctrinam idem Auctor ampliſſime exornat, oſtendens, quod, etſi Chriſtus nonnulla miracula ediderit, quæ a Spiritibus creatis edi potuiſſent, alia tamen patravit, quæ ejus Divinitatem reddebant perſpicuam. Quod enim cæcorum oculos, ſurdorum aures momento aperuerit, mortuos ad vitam revocaverit, & res futuras certe, & elare prædixerit; quod in ejus ortu nova ſtella ad ipſum Salvatorem annuntiandum eluxerit, tenebræ Paſſionia ejus tempore terram operuerint, & tribus jam diebus ſepultus redivivus inter vivos regnaverit, hæc ejus Divinitatem ſatis prodiderunt. Cumque, ut quis Divina virtute operari dicatur, ſatis ſit, nt in quibuſdam ejus operibus virtus illa eluxerit; abſurdum eſſe

concludit, inficiari, Chriſtum virtute Divina non eſſe cuncta operatum, quem conſtat tam multa eadem virtute edidiſſe.

14 &c. Diximus miracula falſa, & mali Angeli diſcerni a veris, & boni Angeli, efficacia, utilitate, modo, fine, perſona, & occaſione. Nonnulla ex his ſignis late explicat Auctor laudatus, oſtendens, juxta doctrinam S. Bonaventuræ, Gerſonis, & Medinæ, Deum miracula non operari vilia, ridicula, & inutilia: neque ab eo procedere poſſe prodigia indecentia, & obſcœna vel in ſe, vel in ſuis effectibus: tandem a Divina ſapientia alienum eſſe, *Deum ad ſignificandam voluntatem, aut ad patranda miracula, delirantes homines adhibere*, aut in his inſanos efficere. Et ſane nullo exemplo, ait, probari poteſt, *Deum aliquando* ad hæc *hominibus ſui non compotibus uſum fuiſſe*. Nemo enim in antiqua, aut in nova Lege ex Dei miniſtris inventus eſt, qui, dum eventura prædiceret, aut ſtupenda operaretur, corporis, aut mentis perturbationem paſſus ſit.

17 &c. Diximus, ſanctitatis argumentum deſumi ex miraculis poſt obitum, potiſſimum a Deo patratis, interceſſione Servi Dei, qui invocatur. Porro idem Auctor, auctoritate Tertulliani (*a*), aliiſque exemplis, conatur oſtendere, miracula ad impiorum ſepulcra ſæpe edita fuiſſe. At, quidquid ſit, num ea fuerint vera miracula, an potius falſa, certe Auctoris aſſertiones noſtris non obſtant. Numquam enim dictum eſt, ex his ſolis miraculis inferri ſanctitatem, ſed ſolum, ſi poſt diſcuſſas, approbataſque virtutes heroicas, ejuſmodi quoque miracula diſcuſſa, & approbata fuerint, ut advertit alius Theologus *in diſcurſu ſuper miraculis*. *Pura Fides*, inquit, *& ſanctitas eorum, quibus adſcribuntur nova miracula, ſunt ad ea credenda rationes, & incitamenta*. Scimus (ait cæcus natus, quem Chriſtus illuminavit *Joann. 9.*) quoniam Deus peccatores non audit .... *Quamobrem dum novi Sancti canonizantur, tum demum ad inquirenda miracula devenit Eccleſia, tum per diligentiſſimam inquiſitionem eorum & Fidei puritas, & morum probitas indubitate conſtet*. Auctor hic, ut ſuadeat peccatoribus non dari gratiam miraculorum, utitur prædictis verbis cæci nati; ſed S. Thomas docet (*b*), in iis, utpote a cæco nondum totaliter ſapientia illuminato prolatis, contineri *falſam ſententiam: nam interdum Deus peccatores audit ex ſua liberalitate*. Niſi forte dicere velimus, cæcum aſſeruiſſe, Chriſtum non eſſe peccatorem.

a In Apolog. c. 22. pag. 54.

b quæſt. 6. de Miracul. ar. 9.

20 Reliquum eſt, ut pauca innuantur circa occaſionem, qua laudata ſcripta prodierunt. Annis præteritis obiit quidam Diaconus nomine Pariſius, & ſepultus fuit Pariſiis in cœmeterio S. Medardi. Prodiit ejus vita, cujus Auctor non diſſimulat, eum fuiſſe infenſum Conſtitutioni *Unigenitus*, & appellationes ad generale Concilium plures interpoſuiſſe: demum populi frequentiam ad ejus funus, & ſepulcrum deſcribit. Præterea edita fuit volumina miraculorum, & prodigiorum ejus interceſſione patratorum. Conſectarii ſupplices libellos Archiepiſcopo Pariſienſi exhibuerunt, ut in ea juridice inquireret, & in Acta referri juberet, allegantes, non poſſe impediri privatum cultum, & talem eſſe Pariſio exhibitum: item aſſerta miracula, ut vera, demonſtrare inſtiterunt. His conatibus in primis reſtiterunt Archiepiſcopi Pariſienſis, & Senonenſis, aliique præclariſſimi Præſules Galli. Falſitatem miraculorum demonſtrarunt Medici, ac Theologi ſupra laudati. Potentiſſimum ſuppeditavit auxilium Rex Chriſtianiſſimus, ac cœmeterium S. Medardi claudi juſſit. Clemens XII. prævio conſilio Congregationis Inquiſitionis pluribus cenſuris notavit, atque proſcripſit vitam Diaconi, & edictum Epiſcopi Antiſiodorenſis, quo illius quoddam miraculum approbabatur.

21 Totius rerum geſtarum contextus

eo

eo collineabat, ut homo Apoſtolicæ Sedi refragans, ſchiſmaticus, hæreticus, impugnator Conſtitutionis *Unigenitus*, Janſeniſtarum aſſecla, falſis aſſertis miraculis ſolidam virtutem, & ſanctitatem præſeferret. Prudentiſſime ergo inſignes Epiſcopi inſano cultui obſtiterunt. Juridicæ enim inquiſitioni tunc ſolum locus eſt, cum quis pie in Domino obierit, ac vivens ſolida virtutum fama præfulſerit; non vero, ſi ejus Fides, ac religio ſuſpecta ſit.

22 Quidam Montgeronus a Deiſtarum inſania ad Janſeniſtarum ſectam converſus hæc ementita miracula vindicare, vulgato opere, conatur. Alius de Voeux ex Proteſtantium cœtu ſolide oſtendit, ea vel fuiſſe mendacia, vel naturaliter potuiſſe contingere. Hujus tamen liber pluribus hæreticis dogmatibus ſcatet, meritoque a ſacra Congregatione Iudicis proſcriptus eſt. Intolerabile vero eſt, quod Auctor obtrudit, mendacium; Regulas omnes, *quæ ad examinanda miracula a Pontificibus præſcribuntur ...., falſis etiam miraculis accommodari poſſe*.

CAPUT VIII.

De Divina mirabili ſanatione a morbis; & infirmitatibus.

1. 2 TEſtatur Rocca, in cauſis Beatificationis, & Canonizationis ſæpiſſime afferri miracula, quæ verſantur circa ſanationes a morbis, & infirmitatibus; idque confirmat Garzia de Caralaps. De hujuſmodi miraculis loquitur Chriſtus *Matth.* 10. *Infirmos curate .... leproſos mundate &c.*, & *Marc.* 16. *Signa autem eos, qui crediderint, hæc ſequentur: in nomine meo Dæmonia ejicient &c.* Porro ut ſanatio inter miracula recenſeatur, opus eſt, ut morbus ſit gravis, & curatu vel impoſſibilis, vel difficilis: non ſit in ultima parte ſtatus, itaut paulo poſt declinare debeat: non fuerint adhibita medicamenta, vel adhibita non profuerint: ut ſanatio ſit ſubita, & perfecta: quin ulla notabilis evacuatio, aut criſis præcedat: nec morbus ſublatus redeat. Rejes addit, ſanationem eſſe debere non ſolum in corpore, ſed etiam in anima. Sed juxta S. Thomam (*a*) hoc videtur fuiſſe proprium miraculorum Chriſti. *a* 3. par. qu. 44. art. 3. ad 3.

3 &c. Jam vero hæc requiſita ſingillatim explicanda ſunt. Dictum itaque eſt, morbum eſſe debere gravem, cum enim miraculum ſit aliquid arduum, inſolitum, & admirandum, ut ſanatio talis ſit, morbus quoque debet eſſe gravis, & curatu impoſſibilis, vel difficilis. Hoc ſapienter notavit etiam Joannes Maria Lanciſius, vir phyſica, & medica facultate inſignis, uti ejus opera, & Litteratorum tam Italorum, quam Tranſalpinorum elogia in ejus vita a Joanne Maria Creſcimbenio collecta teſtantur; qui etiam inſignem bibliothecam medicam Archihoſpitali S. Spiritus Urbis, & patrimonium ægris in hoſpitali curandis teſtamento reliquit. Ipſe, inquam, cum ageretur de miraculis S. Joannis Franciſci Regis, ſecundum, quod proponebatur, rejiciendum eſſe cenſuit ob morbi levitatem, prout rejectum fuit. Ut vero de morbi gravitate, & curationis difficultate conſtet, exquirendum eſt Medicorum judicium, qui ex pluribus capitibus gravitatem ipſam deſumere conſueverunt. Cumque nonnulli eorum ad ægrotantis curam advocentur, quorum examen in proceſſum infertur; nonnulli a Poſtulatoribus eligantur, ut miraculis patrocinentur; alii a ſacra Congregatione deputentur, qui, interpoſito juramento, quid pro veritate ſentiunt, ſcriptis exponant; ad hos præcipue ſpectat rationes, & morbi cauſas ab aliis deductas ad trutinam revocare, ſine quarum notitia tutum de morbi gravitate, curationiſque difficultate judicium ferri nequit, ut idem Lanciſius ſuper ſeptimo ejuſdem Sancti miraculo teſtatus eſt, quod proinde ob illarum defectum cenſuit eſſe rejiciendum, uti rejectum fuit. Enimvero ſa-

ro ſacra Congregatio judicium Medicorum, quos elegit, pluris æſtimat, quam aliorum, cum hi, teſte Vallerio- la, nonnumquam hallucinentur.

6.7 Quod ad ſecundum requiſitum attinet, ut ſcilicet morbus non ſit in ultima parte ſtatus, Zacchias notat, ſymptomata tunc eſſe fortiora, ob quorum ſævitiem æger creditur proxime moriturus; ſed ſuccedente criſi repentinam ſæpe fieri mutationem ad ſalutem, quæ profecto a natura procedit, licet ab imperitis miraculo adſcribatur. Neceſſarium itaque eſt Medicorum judicium in hoc ſecundo requiſito, ſicuti & in tertio, nempe ut nulla medicamenta adhibita fuerint, aut profuerint. Nulla fuiſſe adhibita, comprobari poterit ex teſtibus, ex Medico, & ex Pharmacopæo, qui ægrum curarunt. Si contendatur fuiſſe inutilia, opus erit, ut ea dignoſcantur, ſi enim de his non conſtet, inutilis erit Medicorum labor de miraculo ſcribentium. Profecto in cauſa S. Joannis Franciſci Regis, miraculum quoddam, deficiente medicamentorum adhibitorum notitia, juxta Promotoris Fidei oppoſitiones, & Lanciſii Judicium, non fuit admiſſum.

8 Poſita medicamentorum applicatione pro regula ſtatui poteſt, ſanationem eorum viribus, dummodo apta fuerint, & juvare potuerint, non miraculo eſſe adſcribendam, ut monet Card. de Lauræa. Idem dicendum erit, ſi ſanatio dubia fuerit, uti confirmat Zacchias. Miraculo contra, non viribus medicamentorum tribuenda eſt, ſi conſtet, medicamenta fuiſſe nocua, aut inutilia, quemadmodum proſequuntur Contelorius, Frances, Bordonus, Pignatellus, & Auditores Rotæ in relat. cauſ. S. Andreæ Corſini. Et in bulla Canoniz. S. Philippi Nerii legitur, nonnullos ægrotos remediis omnino contrariis ab eo fuiſſe ſanatos. Cardinali quippe Baronio ſtomachi, & capitis debilitate laboranti imperavit, ut panem integrum cum malo citreo coram ſe comederet, quo facto, omnis moleſtia evanuit. Similia leguntur in vita SS. Martyrum Cyri, & Joannis apud Bolland. (*a*), ac de S. Barbatiano teſtatur B. Petrus Damiani.

9 Neque obſtat miraculo cujuſcumque generis, ſi actio aliqua naturalis, vel motus interveniat, ex ſe eventui efficiendo impar, veluti proſequuntur Card. de Lauræa, Pavinus, & Caſtellinus. Profecto Hiericuntis mænia, obſtrepentibus buccinis, populoque juxta Domini imperium vociferante, ruerunt. Elias defunctum viduæ Sareptanæ filium ad vitam revocavit, expandens ſe ſuper eum. Et Chriſtus cæci nati oculos luto ſputi linivit, juſſitque ablui in natatoria Siloe. Porro in his omnibus actiones naturales intervenerunt, nec tamen a miraculis abjudicari poſſunt, quidquid de illuminatione cæci nati ſenſerit Vert, quem redarguit Epiſcopus Auguſtæ Sueſſionum. Idem ſtatuendum videtur, ſi actio naturalis, aut medicamenta ad producendum effectum apta eſſent, ſed divinitus revelarentur, ut contigit in illuminatione Tobiæ; utcumque enim felle piſcis juxta Galenum, & alios cæcitas curari poſſit; illuminatio tamen Tobiæ fuit miraculoſa, cum remedii cognitio divinitus accepta fuerit. Similia miracula interceſſione S. Stephani Protomartyris patrata refert S. Auguſtinus (*b*): alia extant in vita S. Dominici a Theodorico de Apoldia ſcripta.

10. 11 Duo hic addenda videntur. Primum, medicamenta non ſtatim cenſenda eſſe inutilia, quod inter eorum applicationem, & ſanationem tempus aliquod intercesſerit; prudentis enim Medici eſt, juxta Hippocratem, Valleſium, & Ætium a medicamentis aliquando ceſſare. Alterum, non eſſe rejiciendum miraculum, ſtatim ac conſtet, Medicos, & medicamenta curationi interfuiſſe: nam etiam mulier Hæmorrhoiſſa *Marc* 5., & *Luc*.8. *omnem ſubſtantiam ſuam in Medicos erogaverat, nec potuit curari*. Tetigit autem fimbriam veſtimenti Chriſti, &

ſtatim

a ad diem 31. Jan. to. 2. pag. 1092.

b lib. 22. de Civit. Dei c. 8. n. 14. col. 669. to. 7.

ſtatim ſanata fuit, utique per miraculum, quia Medici, & medicamenta, nihil profecerant. Porro mulier hæc in urbe Paneade ſtatuas æneas duas, Chriſto unam, ſibi alteram, teſte Euſebio(a) erexit, quæ rem poſteris indicarent. Prudentia itaque addenda eſt medicæ experientiæ, ut tutum de hoc tertio requiſito feratur judicium.

a lib.7. hiſtor.Eccleſ. c.18.

12 &c. Succedit quartum requiſitum, videlicet, ut ſanatio ſit ſubita, & inſtantanea. Abulenſis docet, quædam miracula fieri in inſtanti, ut ſuſcitatio mortuorum, & illuminatio cæcorum; alia *ſucceſſive*, ut victoria bellica miraculo obtenta. Hoc ſecundum ad rem non pertinet, cum modo quæratur, an ſanatio debeat in inſtanti contingere, ut miraculo adſcribi poſſit. Archidiaconus, Martinus Laudenſis, aliique antiquiores Canoniſtæ in ea videntur eſſe ſententia, ut in miraculo ſubita ſanatio non requiratur, uti colligitur etiam ex relatione Jacobi Simonetæ Rotæ Auditoris, & poſtea Cardinalis in cauſa S. Franciſci de Paula. Et hanc ſententiam ſequitur Molpheſius, eique adhæſerunt Angelus Victorius, & Sebaſtianus Badus Medici. Oppoſitum ſentiunt Rocca, Matta, Zacchias, Roſa, Pignatellus, & Rotæ Auditores in relat.cauſ. SS.Caroli Borromæi, Franciſcæ Rom., & Raymundi. Verum hæ ſententiæ conciliari poſſunt, aſſerendo cum Contelorio, Caſtellino, aliiſque, *inſtantaneitatem* non requiri neceſſario in miraculis primi, & ſecundi generis, ſed in miraculis tertii generis, ad quod utplurimum referuntur ſanationes ab infirmitatibus. *Utplurimum*, inquam, nam aliquæ ſanationes ad ſecundum genus pertinent, de quibus infra; idcirco pro miraculo conſtituendo non opus eſt, ut fiant in inſtanti. Et hujuſmodi fuit ſanatio filii Reguli relata *Joan.4.*, quæ utique miraculoſa fuit, licet in inſtanti non contigerit, ut explicat Cardinalis de Lauræa. Prædictam diſtinctionem late propugnant idem Cardinalis, & Matthæuccius olim Congregationis rituum Conſultores, eamque amplexa eſt, & amplectitur eadem ſacra Congregatio; & quidem tanta religione, ut aliquando inter miracula non recenſuerit ſanationes, in quibus Medici, vel teſtes aſſerebant, ægrum, invocato Dei Servo, vel Beato, cæpiſſe melius ſe habere, inde perfectam ſanitatem conſecutum fuiſſe: hic enim loquendi modus ſubitam excludit ſanationem, adeoque gratiam potius ſignificat. Similia verba reperiuntur quidem in quibuſdam bullis Canoniz., ut in illis SS. Thomæ de Aquino, & Ignatii, dum nonnulla miracula recenſentur; ſed quidquid ſit, utrum ſanationes, quæ ibi referuntur, fuerint miracula tertii, an ſecundi generis, & an decretum Canonizationis illis fuerit innixum; vis conſiſtit in hoc, quod ſanationes ſub ejuſmodi verbis expoſitæ ad Beatificationem, & Canonizationem obtinendam nequeunt ex defectu *inſtantaneitatis* adſcribi miraculis, niſi probetur, miraculum eſſe ſecundi generis, aut *meliorationis* verbum uſurpatum fuiſſet pro perfecta, & ſubita ſanitate, ut oſtenſum fuit in cauſa S. Franciſci Solani.

17 Multa alia, quæ ſuper hoc requiſito dici poſſent, expendentur cum de alio requiſito perfectæ ſanationis ſermo erit. Interim adnotare fas ſit, ſæpe in ſacra Scriptura cum iis, quæ miraculo fiunt, conjungi verba *illico*, *ſtatim*, & ſimilia, quæ æquivalent verbis *in continenti*, & *in inſtanti*, de quorum ſenſu quæſtio eſt inter Doctores. Troilus Malvetius, & Card. de Lauræa docent, interdum *inſtantaneitatem* ſignificare factum poſt triduum, aliquando poſt decem dies: duplex eſſe inſtans, alterum mathematicum, alterum morale; & in re præſenti explicationem *inſtantaneitatis* arbitrio Judicis eſſe relinquendam. Porro admittendum eſſe videtur, ſufficere in ſanationibus, quæ miraculo tribuuntur, *inſtantaneitatem* moralem; & Judicis arbitrio rem eſſe relinquendam, dummodo

modo ratione regatur. Judex ergo tunc ſolum pro ſubita ſanatione pronuntiare poterit, cum, adhibito Peritorum conſilio, cognoverit, eam tanto temporis ſpatio contigiſſe, quanto juxta naturæ vires contingere numquam potuiſſet, ut ſtatuunt citati Auctores, cum quibus conſentiunt Auditores Rotæ in relationibus cauſ. B. Hieronymi Æmiliani, ac SS. Hyacinthi, & Andreæ Corſini, eiſque ſuffragatur doctrina S. Thomæ, & Gabrielis Vaſquez. Cauti tamen ſint in hoc Judices.

18 Illud quoque hic addendum eſt, quod, ſi æger poſt repetitam Servi Dei, vel Beati invocationem, non immediate, ſed poſt aliquod tempus momento ſanetur, hæc ſanatio non poterit a miraculis excludi ob defectum *inſtantaneitatis*. At ſi poſt primas non exauditas preces ab invocatione deſiſtat, & ad naturalia remedia confugiat, inde incipiat ſanari, ac demum perfectam conſequatur ſanationem, hæc utique inter miracula non erit recenſenda, ut obſervat Card. de Lauræa, & innuit Garzia de Caralaps. Notandum tamen eſt, quod ſi repetitis precibus, nulliſque adhibitis remediis naturalibus, ægri incipiant melius ſe habere, ac tandem perfecte convaleſcant, hæ ſanationes (ſi ex iis ſint, quæ viribus naturæ obtineri potuiſſent, licet non momento) non ſunt miraculo adſcribendæ, non quod ex natura ſua tales eſſe non poſſint, ſed quod, deficiente *inſtantaneitate*, tales nobis non apparent. Benedictus XIV, dum Fidei Promotoris munere fungebatur, ſæpe exiſtimavit, ſimiles ſanationes, quæ per novendiales preces paulatim acciderunt, inter gratias potius, quam inter miracula eſſe numerandas.

19. 20 Jam quintum requiſitum diſcutiendum eſt, videlicet, ſanationem, ut miraculo adſcribatur, debere eſſe perfectam: in quo conveniunt omnes; ſed difficultas in eo vertitur, ut cognoſcatur, quandonam perfecta, & non conciſa dicenda ſit ſanatio. Contelorius, Bordonus, Caſtellinus, Zacchias, aliique paſſim perfectam vocant, cum vis morbi illico depulſa fuerit, utcumque conſectaria quædam aliquandiu remanſerint, etſi hæc poſtea vel naturæ, vel medicamentorum ope, tollantur. Et hanc doctrinam paſſim uſurpant Poſtulatores, & Medici reſpondentes animadverſionibus Promotoris Fidei. Uſurparunt quoque Rotæ Auditores in relationibus cauſ. SS. Raymundi de Pennafort, Caroli Borromæi, Franciſcæ Romanæ, & aliorum.

21. 22 Sed ut diſtinctius procedatur, vel agitur de ægro variis morbis laborante, vel de ægro, qui unico morbo afficitur. In primo caſu, ſi æger ab una infirmitate in inſtanti, nulliſque adhibitis medicamentis, liberetur, hæc ſanatio erit perfecta, & miraculo adſcribenda, utcumque aliæ infirmitates remaneant, vel etiam naturaliter curentur. Idque eruitur ex S. Auguſtino (*a*), qui narrat, adoleſcentem quemdam a Dæmone obſeſſum, & magna oculi læſione affectum, prius ad memoriam SS. Gervaſii, & Protaſii fuiſſe a Dæmonis obſidione liberatum, & poſt aliquot dies ab oculi læſione, iiſdem interceſſionibus, fuiſſe ſanatum. Similia inter miracula S. Martini narrat S. Gregorius Turonenſis (*b*). Si alter morbus ſimili modo poſtea depellatur, duplex erit miraculum. In ſecundo caſu, nempe ſi æger unico morbo laboret, & hoc ſublato, conſequentia remaneant, quædam ex his non obſtant miraculis ſanationum a quibuſdam morbis, ut cicatrix, ſanato vulnere: alia obſtant miraculis tertii, non ſecundi generis, ut laſſitudo virium, ſi poſt alios expulſos morbos permaneat. Et hoc modo conciliantur opiniones, quæ in hoc inter ſe pugnare videntur.

23 Has diſtinctiones tradiderunt Card. de Lauræa, & Matthæuccius. Cumque in cauſa B. Joannis de Prado Benedictus XIV. tunc Fidei Promotor contenderet, ſanationem quamdam excluden-

a de Civit. Dei lib. 22. c. 8.

b lib. 2. c. 3.

cludendam eſſe a miraculis ob defectum momentaneæ virium recuperationis, Emmanuel Lopez, & Lanciſius Medici ſuper eadem re ſcribentes, vi oppoſitionis bene perſpecta, demonſtrarunt virium imbecillitatem illico cum morbo fuiſſe depulſam: quapropter ſacra Congregatio miraculum approbavit, confirmavitque Benedictus XIII. Plura hujuſmodi exempla cumulari poſſent, ſed ſatis eſt legere ea, quæ ſuper hac re ſtatuit B. Raymundus de Capua in vita S. Catharinæ Senenſis a Bernardo Pecci italice conſcripta.

24 Quærit præterea Troilus Malvetius, an manca, & imperfecta, ideoque a miraculis arcenda ſit ſanatio, quæ cum dolore contingit. Affirmat ipſe, eumque ſequuntur Matta, & Sebaſt. Medic. Negant Contelorius, Caſtellanus, & cæteri omnes, allegantes exempla Dæmoniaci a Salvatore curati *Marc.9.*, & impreſſionis ſtigmatum in corporibus SS. Franciſci, & Catharinæ Senenſis, quæ non ſine dolore contigerunt; quemadmodum & alia, quæ inter miracula S. Martini narrat Gregorius Turonenſis (*a*). Et hanc ſententiam ſecuti ſunt Auditores Rotæ in relationibus cauſ. SS. Caroli Borromæi, Tereſiæ, & Andreæ Corſini. Primum ſæpe oppoſuerunt Promotores Fidei, ſed ſacra Congregatio poſteriori adhæſit ſententiæ.

a de Mirac. S. Martini l.2. c.8. & l.3. c.16.

25 Illud quoque quærit Zacchias, an manca, & idcirco minime miraculoſa ſit ſanatio ab uno morbo, cui alter ſuccedit: & ipſe quidem affirmat, quem ſequitur Pignatellus; niſi forte metaſtaſis contingat infirmo illam per invocationem alicujus Servi Dei, vel Beati petenti, adeo ut primus morbus modo naturali recedat: uti Servæ Dei Arſiliæ Altiſſimæ contigiſſe narrat idem Zacchias, quæ cum graviſſimo hæmorroidum dolore vexaretur, & a Chirurgis inviſenda eſſet, Ven. Dei Servum Card. Bellarminum invocavit, ut dolorem in aliam ſui corporis partem tranſmitteret, ne illi pudori ſubeſſet: inde articularibus doloribus correpta ab omni hæmorroidum moleſtia liberata eſt. Et tam Zacchias, quam Badus hanc metaſtaſim miraculo non obeſſe putant ob limitatam piæ fœminæ petitionem, quæ legitur in vita ejuſdem Servi Dei a PP. Fuligatto, & Bartolo ſcripta.

26. 27 Sextum requiſitum eſſe diximus, ut nulla notabilis evacuatio, ſeu criſis præcedat cum cauſa. Quod igitur ad hoc attinet, Zacchias affirmat, ſanationes, licet ſubitas, cenſendas eſſe naturales, ſi per inſignem aliquam evacuationem, aut criſim contingant: quæ tamen juxta alios Medicos utplurimum locum habent in morbis acutis, non in chronicis; & ſemper in bonis, non in malis criſibus. Juxta Galenum quippe natura poteſt inducere ſanitatem per decubitum, criſim, ac ſimplicem morbi ſolutionem, ſive coctionem. Decubitus vero apud ipſum eſt depoſitio humoris peccantis a parte nobili ad ignobilem; criſis autem *repentina in morbo mutatio*. Solutio tandem eſt, quæ longiori tempore, & paulatim fit: & chronici morbi ii ſunt, qui utplurimum ceſſant per coctionem, & non per criſim.

28 Docent Medici, nonnullas criſes eſſe bonas, alias malas, plures imperfectas, quaſdam perfectas. Perfectam dicunt, ſi ſit cum omni morborum allevatione. Pro bona criſi vero notant quoſdam dies, quos vocant decretorios; alios appellant indices, utpote, qui dies criticos indicant, de quibus Sennertus, quamvis aliis etiam diebus morbi per veras criſes deſinere poſſint, ut notavit Hippocrates. Et quando criſis futura eſt, contingit aliquod, ut Medici vocant, criticum accidens.

29. 30 Expendendum ſupereſt ultimum requiſitum, ne ſcilicet morbus ſublatus redeat, & ut loquuntur, *recidiva* contingat. Porro Pavinus in relat. cauſ. S. Bonaventuræ, Simoneta in relat. cauſ. S. Franciſci de Paula, Caſtellinus, & alii putant, recidivum morbum non obſtare miraculo, etiamſi

X x re-

redeat paulo poſt ſanationem. Oppoſitum abſolute docet Gaſpar a Rejes, cum quo conſentire videtur Zacchias. Matta vero, & Roſa ſentiunt, præcedentem ſanationem miraculo adſcribendam eſſe, ſi conſtet de nova cauſa morbi. Sed Card. de Lauræa docet, ſanationem illam non eſſe ab Eeeleſia miraculis accenſendam, niſi conſtet de limitata petitione, aut aliæ circumſtantiæ ſuadeant, ſic rem divinitus ſe habuiſſe. Et ſane a claſſe miraculorum non eſt excludenda ſanatio filii Valentis Imperatoris, præſente S. Baſilio: quamquam puer, eodem recedente, vocatiſque Hæreticis, iterum ægrotaverit, & paulo poſt obierit; cum ex circumſtantiis clariſſime dignoſcatur, omnia in veritatis Fidei Catholicæ teſtimonium divinitus contigiſſe. Huie aſſumptioni prodeſſet etiam illud, quod in Actis SS. Nerei, & Achillei narrat Marcellns Marci Præfecti Urbis filius, ſcilicet S. Petrum Apoſtolum interroganti Tito, cur permitteret S. Petronillam jacere paralyticam, reſpondiſſe, ſic ei expedire; tum, ne impoſſibilis videretnr ejus ſanatio, juſſiſſe, ut ipſa ſurgeret, & accumbentibus miniſtraret, quo miniſterio expleto, Petronilla, eodem jubente, ad grabatum rediit. Verum notabilia fundamenta apud Baronium narrationem Marcelli valde dubiam reddunt. Alia tamen non deſunt exempla in hiſtoriis Eccleſiaſticis, ex quibus colligatur, morbum, qui paulo poſt ſanationem rediit, ob circumſtantias non obſtare miraculo, & ex infra dicendis revocatio mortui ad vitam miraculum eſt, licet paulo poſt mors iterum ſequatur.

31. 32 Sed ut propoſita quæſtio reſolvatur, oportet, ut prius expliceturr *recidiva*, & qnid de illa ſcribant Medici, & Juriſconſnlti. *Recidiva* itaque, juxta Hippocratem, & Galenum, dicitur morbus factus ex præcedentis morbi reliquiis: & apud Avicennam morbus regrediens magis, quam ab initio urget. Jam vero *recidivæ* cognitionem Medici potiſſimum hauriunt ex modo ſolutionis prioris morbi; ex ægrotantis ſtatu medio inter primum, & ſequentem morbum; ex tempore pariter intermedio; & ex ægritudinum ſpecie, ſi nempe poſterior morbus ſit ejuſdem ſpeciei cum primo, vel ab eadem cauſa proceſſerit; ſecus vero, ſi nova acceſſerit cauſa, de quibus omnibus legi poteſt Zacchias, qui etiam addit, *maximam eſſe differentiam inter recidivam, & exacerbationes, ſeu acceſſiones quorumdam morborum*. Juriſperiti vero judicium *recidivæ* deferunt ad Judicis arbitrium, circumſtantiis tamen adſtrictum, ut, ſi æger a primo morbo perfecte non convaluerit, ſi modicum tempus inter unum, & alium morbum interceſſerit, vel etiam ſi nova morbi cauſa ſuccedat, niſi forte hæc primæ morbi cauſæ prævaleat, quemadmodum docent Abbas, Baldus, & alii, cum quibus concordat Codronchus.

33 His præmiſſis, & ſermone coacto ad recidivas ſtricte ſumptas, & ad cauſas Beatificationis, & Canonizationis, necnon ad approbationem miraeulorum in illis, in qua quidem approbatione quæſtio de recidiva non habet locum, niſi prima ſanatio ſine criſi contigerit, ac momentaria, perfecta, & abſoluta apparuerit: in re præſenti retinenda videtur opinio eorum, qui docuerunt, ſtricte admodum procedendum eſſe in ſimilibus ſanationibus inter miracula recenſendis; licet enim in ſe, & coram Deo tales eſſe poſſint: tales tamen non apparent coram Eccleſia. Caute quoque procedendum eſt, ſi pro aſtruendo miraculo nova morbi cauſa afferatur, cum Medico multiplices hujuſmodi cauſas in promptu habeant. Quapropter, ſi ad excludendam *recidivam* nova morbi cauſa proponatnr, hæc ſedulo erit diſcutienda. Ceſſabit vero omnis difficultas, ſi conſtiterit ad majorem Dei gloriam morbum revertiſſe, aut ſi æger oraſſet, ut ad tempus ſanaretur, iterumque infirmaretur. Hiſque

Digitized by Google

quc cautionibus adhibitis approbatnm fuit primum miraculum propoſitum in cauſa S. Joannis a Crυce.

34 Quæ in hoc capite adducta ſunt, concordant cum iis, quæ deſcribuntur in inſtructionibus, quas Procuratores cauſarum Beatificationis, & Canonizationis mittunt ad carumdem Procuratores, aut Poſtulatores extra Urbem degentes: necnon cum ſupra memoratis ſcriptis, quæ in Galliis prodierunt in controverſia ſuper falſis miraculis Diaconi alias memorati.

35 Ante eadem ſcripta, anno ſcilicet 1725. mira ſanatio Pariſiis contigit in feſto Corporis Chriſti, qua Deus teſtatam voluit veritatem Catholicam de reali ejuſdem Corporis præſentia ſub ſpeciebus panis. Quædam enim mulier, quæ, amiſſo magna ex parte ſanguine ob fluxum, quo ad ſeptennium laboraverat, nec ambulare, nec lumen ſuſtinere poterat aliorum auxilio in viam deſcendit, cumque de more ſanctiſſimum Sacramentum circumferretur, cjus opem alta voce imploravit. Ac primo quidem pedibus ſtetit, inde uſque in templum non ſine magna ſanguinis effuſione ambulavit: at ibi fuſis ante Euchariſtiam precibus ſanguis ceſſavit, ipſa lumen ſuſtinuit, lætaque, & ſana domum rediit. Archiepiſcopus Pariſienſis, confecto auctoritate ordinaria proceſſu, ſententiam tulit ſuper veritate miraculi, pro quo magna vis recte conſtituitur in gravitate, & longitudine morbi, & in ſubitanea virium recuperatione. In alia ejuſdem miraculi relatione edita Pariſiis ann. 1726. diluitur calumnia recidivæ a male feriatis hominibus vulgata. Quæ omnia confirmant doctrinam jam expoſitam de requiſitis pro ſanitate miraculo adſcribenda.

36 Jacobus Serces, & Werenfels hæreticarum partium homines, poſtquam nonnulla ſuper miraculis ſcripſerunt, in Eccleſiam Romanam debacchantur, eam nimiæ in miraculis approbandis facilitatis inſimulantes: ſed ſi hæc, quæ in hoc capite dicta ſunt, cum iis conferantur, quæ ipſi adtexunt, fatendum eric, Sedis Apoſtolicæ, & Epiſcoporum Catholicorum indaginem ſeveriorem eſſe ea, quam ipſi in examine miraculorum faciendam proponunt.

CAPUT IX.

De Cæcorum illuminatione, quæ miraculo fit.

1. 2 EXpenſis generatim miraculoſis ſanationibus, rectus ordo poſtulat, ut de iis ſingillatim diſſeratur. Non vacat hic agere de omnibus infirmitatibus, quæ in Congregatione rituum perpenduntur, dum proponitur dubium de miraculis; res tantum erit de frequentioribus, ac de animadverſionibus Promotoris Fidei, necnon de iis, quæ Medici a ſacra Congregatione conſulti, vel a Poſtulatoribus acciti ſcripſerunt: per quæ conſtabit, quam temere Petrus du Moulin effuticrit, hodierna Eccleſiæ Romanæ miracula reduci ad expulſionem Dæmonum, nec ullam proponi mortuorum reſuſcitationem, aut viſus reſtitutionem cæco nato. Plane de ſanatione cæcitatis primo loco quærimus, an, & quando accenſenda ſit miraculo.

3 Teſtantur Evangeliſtæ, nonnullos cæcos fuiſſe a Chriſto illuminatos, ut legitur *Matth.9.*, *&* 20., *Marc.*8., *&* 10., *Luc.*18., *& Joan.*9. Quamquam Interpretes non conſentiunt, an eadem ſit hiſtoria, quæ a tribus Evangeliſtis Matthæo, Marco *cap.*10., & Luca narratur. Notat vero Mercurialis, & ex ipſo Jordanus, nefas eſſe dubitare, an hæ operationes miraculo ſint tribuendæ. Et Zacchias ſcribit, omnes a Chriſto ſanatos, fuiſſe naturaliter inſanabiles. Conſentiunt Paulus Vecchi, & Guillhelmus Ader.

4 Multa illuminationis cæcorum miracula referuntur in bullis Canoniz. SS. Oſmundi, Franciſci de Paula, Franciſcæ Romanæ, & aliorum. Et adm:ſerunt Rotæ Auditores in relationibus

cauſ. SS. Ignatii, Joannis de Deo, Thomæ de Villanova, aliorumque.

5 Scribentes de Canoniz. SS. docent, verum cæcum natum, vel factum, ſi abſque remediis, vel his inutilibus, præſertim in inſtanti, illuminetur, per miraculum illuminari, dummodo illuminatio per actus viſionis illuminati probetur, cujuſmodi ſunt legere, ſcribere, & ſimilia apud Bordonum. Matthæuccius vero miraculum potiſſimum agnoſcit in illuminatione cæci nati; quod ſi ex alia cauſa facultas videndi amiſſa ſit, illuminationem ſubito ſecutam ad invocationem Sancti refert inter miracula tertii generis. Notat Matta, naturaliter recuperari poſſe viſum, ſi impeditum quidem organum, at non deſtructa videndi facultas fuerit. Et Pignatellus a miraculis excludit recuperationem viſus paulatim ſuccedentem ad Servi Dei invocationem: ſubitam vero ſanationem morbi ex inſpiſſatis, & confuſis humoribus intra, & ante pupillam, Deo adſcribendam eſſe. Zacchias fatetur, Medicos parum proficere in curandis inveteratis oculorum affectibus, & nonnullos diu obcæcatos ex aliquo accidenti repente convaluiſſe; cæcum natum vero illuminari eſſe præter, & ſupra vires naturæ.

6. 7 Benedictus XIV., dum Fidei Promotorem ageret, admiſit, illuminationem cæci nati, dummodo cæcitas ab læſo prorſus videndi organo provenerit, non ex palpebrarum adhæſione, vel ex cataracta, aut ex aliis impedimentis, quæ, teſtibus Zacchia, & Hieronymo Marino, per medicamenta amoveri poſſunt, adſcribendam eſſe miraculo. Quod comprobavit ex hiſtoria cæci nati a Chriſto ſanati *Joan. 9.* ubi cæcus illuminatus teſtatus eſt: *A ſæculo non eſt auditum, quia quis aperuit oculos cæci nati*. Et S. Ambroſius

a in cap. 9. Joannis v. 1. apud Cornelium a Lapide (a): *Quod vero*, inquit, *cæcus a nativitate curaretur, non artis eſt, ſed poteſtatis*. Similia docent Zacchias, & Bartholinus.

8 Quando vero de cæcis factis agebatur, idem Promotor examinandum propoſuit, an cæcitas ab effuſione aquei humoris provenerit; hic enim juxta Sennertum, Zacchiam, Verzaſche, & Guillhelmum Deerham naturaliter regigni poteſt. Cæcitas quoque a ſimplici nervorum opticorum compreſſione, aut a retina nimis laxata, vel intenſa proveniens aliquando repentina alvi profuſione curatur apud Hildanum, & Alexandrum de Benedictis. Et Sennertus ſcribit, lacrymarum fluxum in ophthalmia valde prodeſſe.

9. 10 Inter cæteros oculorum morbos Amauroſis, ſeu Gutta Serena reperitur, cujus ſigna apud Plempium ſunt, *viſus abolitus, nulla apparente in oculis noxa*. Si cæcitas abſoluta ſit, fere inſanabilem eſſe Medici affirmant. Quare Ader contendit, cæcos a Chriſto curatos in Galilæa, & Jericho Gutta Serena laboraſſe. Nihilominus cum illa ſit interceptio ſpirituum animalium per nervos opticos ad oculum deſcendentium, laudatus Promotor, cum de liberatione ab ipſa ageretur, ponderandum eſſe ait, utrum interceptio ſit a ſpiritibus nervos intus non irradiantibus, an a lympha in ventriculis cerebri nimium collecta, & nervos extra premente; cum prima, non ſecunda ſit inſanabilis. Hanc doctrinam hauſit ex ſuffragio Jacobi Sinibaldi ſuper miraculis S. Jacobi de Marchia edito, cui adhæſerunt Lanciſius in cauſa S. Joannis Franciſci Regis, & Paſcolus in cauſa ſeptem BB. Fundatorum Ordinis Servorum B. M. V. Et ad ſecundam ſpeciem referri poſſunt ſanationes ab Amauroſi deſcriptæ a Stalpartio Vandervviel.

11 Cumque Poſtulatores vim magnam in longa cæcitate conſtituerent, conſuevit opponere factum Tobiæ, qui cum nota cæcitate ad quadriennium laboraſſet, felle piſcis a filio juxta Angeli monitum allato, liberatus fuit. Quam quidem Tobiæ ſanationem nonnulli inter miracula retulerunt ob Angelicam remedii revelationem. Alii vero illam a miraculis excludunt, quod ocu-

oculi Tobiæ non eſſent intrinſecus corrupti, nec retina, nec nervi optici, nec humores detrimentum ſuſtinuiſſent, ſed morbus conſiſteret in quodam humore extraneo, & abſceſſu inter albuginis lamellas concreto, quæ omnia felle piſcis Callionymi naturaliter tolli potuerunt. Adeoque concludit Calmet, unumquemque poſſe in ſenſu ſuo abundare.

12 Sæpe demum ex Schenkio oppoſuit, non raro accidiſſe, ut nonnulli longa cæcitate repente liberarentur. Quidam euim diu obcæcatus, accepto in fronte vulnere, convaluit. Similia referunt Marcellus Donatus, & Matta. Et in quodam fragmento tabulæ marmoreæ apud Janum Gruterum legitur, quemdam cæcum ad altare Æſculapii fuiſſe ſanatum, cujus tabulæ meminerunt etiam Daniel Clericus, & Cudvvortus heterodoxi.

13. 14 Expoſitis animadverſionibus ſatisfacere conati ſunt Phyſici & Medici, ac Juriſperiti a Poſtulatoribus acciti. Paſcolus ſupra cit. probavit, nervos opticos in Gutta Serena affici, aut ſaltem tunicam retiſormem, eoſque firmius compreſſos vix ad ſuum ſtatum redigi poſſe; compreſſionem vero ex præcedentibus ægritudinibus colligi poſſe: Amanroſim autem ſenſim obortam, licet ſit levior, quam quæ repente fit, difficulter juxta Sennertum in ſenibus curari: at provenientem ex opticis leviter compreſſis, aut contractis, ſicut citiſſime inducitur, ita facillime, ac breviter tolli, & hujuſmodi fuiſſe cæcitates a natura, vel ab arte depulſas. Illud vero quod Æſculapio tribuitur, aut remedii naturalis ope contigit, aut confictum fuit. Jamuarina quoque Jannellius Medicus Urbis in causa S. Vincentii de Paulo Amauroſis gravitatem extulit tum propter adhæſum palpebrarum ad corneam, tum, juxta Hippocratem, propter venarum exſiccationem. Notandum tamen eſt ex Proſpero Martiano, Hippocratem per venas intelligere nervos opticos, per exſiccationem vero tranſitum humorum obſtructum.

15 Aliquando actum fuit de Ophtalmia, quæ eſt inflammatio oculi, vel potius tunicæ in oculo adnatæ, cum tumore, & dolore. Hic vero *diu perſeverans peſſimum eſt indicium*, inquit Carolus Muſitanus. Aliquando pannua in tunica efficitur, quem Zuingherus putat tunicam ipſam *incraſſatam*. Jam vero Joannes Thomaſius Medicus in cauſa S. Agnetis de Monte Politiano pro miraculo ſanationis ab Ophtalmia vim ſtatuit in ſubita viſus recuperatione, & in conſolidatione tenuium membranarum, ac pupillæ exulceratæ. Franciſcus Soldatua vero in cauſa B. Petri Forerii Ophtalmiam cum panno vix ſanabilem cenſuit. Sed cum Promotor Fidei demonſtraſſet, recuperationem viſus non fuiſſe ſubitam, nec perfectam, Lanciſius miraculum reprobavit: in cauſa vero S. Jacobi de Marchia affirmavit, quemdam ſanatum ab Ophtalmia, addito panno, non potuiſſe momento, niſi per miraculum ſanari, præſertim nulla interveniente critica naturæ motione, nulloque a præcedentibus medicamentia habito ſubſidio.

16 In cauſa S. Andreæ Avellini Paulus Manfredus Medicus ſuper ſeptimo, quod proponebatur miraculo ſanationis inſtantaneæ oculi a variolia corroſi, & conſumpti ait, aqueum, cryſtallinum, & vitreum humores effluxiſſe: & quamvis aqueus regenerari poſſit, id tamen in reliquis non poſſe, niſi per abſolutam Dei potentiam, contingere, ut innuunt Bartholinus, & Stalpartius, de qua re legi etiam poteſt epiſtola Joſephi Pozzi Profeſſoris Bononienſis ad Paulum Mulinelli. Porro in cauſa S. Aloyſii Gonzagæ Angelus Victorius, aliique Medici ſimilem ſanationem, uti maximum miraculum, approbarunt.

17 Ex huc uſque adductis colligi poteſt, quando agitur de liberatione a cæcitate, primo cæcitatem ipſam eſſe probandam, & oſtendendum, utrum

Digitized by Google

utrum a nativitate, an poſt provenerit: ſecundo ejus durationem: tertio viſus recuperationem cum ſuis qualitatibus: quarto a Phyſicis, & Peritis ſtatuendam eſſe cauſam cæcitatis, quæcumque hæc fuerit: quinto demonſtrandum eſſe, an viſus recuperatio alicui cauſæ naturali citra miraculum tribui poſſit: demum an ea in inſtanti contigerit: hoc tamen non habet locum, ſi agatur de cæco nato habente impedimentum in organo viſus, aut de cæcis factis ex defectu in partibus oculorum viſioni omnino neceſſariis ſuperveniente; ſed in caſu, in quo agatur de cæcis natis, vel factis, qui naturaliter curari potuiſſent: prima quippe ſanatio ad miraculum ſecundi generis, reliquæ ad miraculum tertii generis pertinent, & ex alibi dictis *inſtantaneitas* requiritur in miraculis tertii, non ſecundi generis. Quare ſacra Congregatio in cauſis SS. Jacobi de Marchia, & Vincentii de Paulo quaſdam ſanationes a cæcitate juxta Medicorum ſuffragia recenſuit inter miracula tertii generis; rejecit vero in cauſis S. Agnetis, B. Petri Forerii, & aliorum, præcipue ex defectu probationum *inſtantaneitatis*, & perfectæ viſus recuperationis, de quibus Medici non poterant ferre ſuffragium: ſi enim ex teſtibus, & præſertim ex Peritis, qui infirmum curarunt, cauſa cæcitatis deprehendi nequeat, non poſſunt Medici ſuper ſanatione ferre judicium, ut monuit Lanciſius in cauſa S. Joannis Franciſci Regis.

18 Prædictis de ſubita viſus recuperatione opponi poſſet, quod, cum Chriſtus *Marc.* 8. expuiſſet in oculos cæci, hic non perfecte vidit, niſi poſtquam ſuper ejus oculos Chriſtus manum iterum impoſuit. At hæc actio fuit plena myſterio, cum cæcus prius imperfecte, inde perfecte crediderit, adeoque *Augmentum Fidei augmentum promeruit ſanitatis*, ut explicat Euthymius. Legi quoque poſſunt Cornelius a Lapide (*a*), Natalis Alexander (*b*), & Calmet (*c*).

a in cap. 8. Marci.

b ibid.

c ibid.

CAPUT X.

De conceſſis, aut reſtitutis loquela Mutis, & auditu Surdis per miraculum.

1 NArrat S. Matthæus *cap.* 9. Chriſto oblatum fuiſſe mutum habentem Dæmonium, & hoc expulſo, mutum locutum fuiſſe: & *cap.* 12. refert, cæcum, & mutum, qui pariter Dæmonium habebat, fuiſſe a Chriſto ſanatum. S. Marcus quoque *cap.* 7. ſcribit, ſurdum, & mutum adductum fuiſſe ad Chriſtum, qui cum miſiſſet digitos in auriculas ejus, & exſpuendo tetigiſſet linguam ejuſdem: *Statim apertæ ſunt aures ejus, & ſolutum eſt vinculum linguæ ejus*. Et Zacharias incredulus apud S. Lucam *cap.* 1. loquelam perdidit, natoque filio recuperavit, & *cap.* 11. alter mutus, a quo Chriſtus Dæmonium ejecit, locutus eſſe dicitur.

2 Porro receptior opinio eſt, & ſacro textui magis conſona, mutum, de quo loquitur S. Matthæus *cap.* 9., fuiſſe etiam ſurdum, non quidem a nativitate, ſed a Dæmone, ut obſervant Cornelius a Lapide (*d*), & Natalis Alexander; neque, teſte Calmet, fuiſſe illum, de quo loquitur S. Lucas. Alterum vero, de quo S. Matthæus *cap.* 12., non a nativitate, aut morbo, ſed a Dæmone cæcum, & mutum fuiſſe affirmant Abulenſis, & Barradius. De alio, qui ſanatus dicitur *Marc.* 7., adnotarunt Interpretes, eum non a nativitate, neque a Dæmone, ſed ex infirmitate naturæ ſurdum, & mutum fuiſſe, non jam dumtaxat balbutientem, ut bene notarunt Calmet, & Schevchzerus. Quod vero attinet ad Zachariam, Theophylactus ſcribit, eum non repreſſiſſe naſcentem incredulitatis, & diffidentiæ motum, ut repreſſerat Abraham *Geneſ.* 17., ideoque vocis, & auditus uſum amiſiſſe.

d In cap. 9. v. 33.

3. 4 Similia miracula referuntur in bullis Canoniz. SS. Chunegundis, Vulſtani

Digitized by Google

ſtani Epiſcopi, & aliorum plurium, necnon in relationibus cauſ. B. Hieronymi Æmiliani, B. Gregorii X., aliorumque. Et apud Bolland. (*a*) legitur, S. Potitum Martyrem, erutis juſſu Imperatoris oculis, ac lingua amputata, pſalmos cecinisse. Euſebius Cæſarienſis vero narrat (*b*), S. Romanum antea balbutientem, incisa juſſu Judicis lingua, qua Deum confeſſus fuerat, rectius locutum fuiſſe; & hoc miraculum fuse deſcribitur etiam a S. Joanne Chryſoſtomo (*c*). Similia de aliis Martyribus teſtantur Victor Uticenſis, & Juſtinianus Imperator. Alia legi poſſunt apud Rejes, apud Petrum a Caſtro, & Rolandum de Belebad. Anaſtaſius quoque narrat, S. Leoni III. oculos ab impiis erutos fuiſſe, & linguam præciſam; omnia tamen, intercesſione SS. Petri, & Pauli, fuiſſe reſtituta. Hujus miraculi mentio fit etiam in Martyrologio Romano, quamquam nonnulli recentiores de illius veritate dubitent; ſed Pagius junior rem, prout ab Anaſtaſio narratur, ſtrenue defendit. Et ſane hoc ipſum apertiſſime innuit Alcuinus *in carmine de profectione Leonis ad Carolum apud Duchesne*.

a ad diem 13. Jan.

b l. 2. de reſurrect. edit. Sirmondi opuſc. 22 pag. 96.

c orat. 43. & 48.

5 Nunc aliqua ex Phyſicis, & Medicis addenda ſunt. Scholiaſtes Petri a Caſtro notat, ſurdos a nativitate plerumque eſſe mutos, vel ob conjunctionem nervi ſeptimæ conjugationis, vel quia cum alios loquentes non audiant, nec ipſi voces exprimere poſſunt. Subſcribunt Conimbricenſes, & Rejes. Enimvero Adamus ſine exercitio, aut magiſtro perfecte locutus eſt, quia perfectus eſt creatus, cæteri imperfecti naſcuntur, ætate perficiendi. Putarunt nonnulli, innatum eſſe hominibus ſermonem Hebraicum; ſed hos redarguunt Valleſius, & Rolandus. Herodotus vero narrat, Pſammeticum, vel (ut alii volunt) Boccorim Ægypti Regem duos infantes paſtori commiſiſſe educandos, ſed ab invicem, & ab aliis omnino ſegregatos, horumque primam vocem fuiſſe *Beccos*, quæ apud Phrygas panem ſignificat: hinc Regem intuliſſe, naturalem hominum linguam eſſe Phrygiam. Experimentum plerique irrident, advertentes, pueros vocem illam didiciſſe ex caprarum mutitione, cum nil aliud audiviſſent: idque de aliis referunt Rejes, & Calmet.

6 Non omnes tamen ab ortu muti etiam ſurdi ſunt, uti de quodam puero duodenni ex Dominico Panarola obſervat Scholiaſtes Petri a Caſtro. Alii ſine lingua naturaliter loqui dicuntur. Quidam enim apud eumdem Scholiaſten, & Deerham totam linguam ex variolis corruptam exſpuit, quin loquendi facultatem amiſerit; & Rolandus addit eum exteras functiones ad linguam pertinentes obiiſſe. Huc ſpectant ventriloqui, ideſt qui e ventre loqui videntur, quod a quodam Petro Brabantio fieri ſolitum fuiſſe narratur. At miſſo, Dæmonem aliquando apud Nieremberg per loca impura in hominibus locutum eſſe, illud vel per attractionem ſpiritus, vel per diviſionem membranæ, quam mediaſtinum vocant, fieri poſſe explicant citatus Scholiaſtes, & Rolandus.

7 Antonius Maria Valſalva obſervat, in infante recens nato meatus auditorii parietes a ſubſtantia craſſa, & ſubalbida tectos conſpici, quæ ad tympani membranam extenſa aliam ibi membranam componere videtur; & ſi hæc non decidat, ſed firmior evadat, ſpeciem ſurditatis a nativitate indui, quæ, licet difficulter, a perito tamen Chirurgo, & Anatomico ſanari poterit: quod etiam de mutis a nativitate teſtatur Petrus a Caſtro. Zacchias vero contendit, hoc fieri non poſſe in Mutis, & Surdis ex naturali nervorum vitio.

8 Aliquando demum Muti, & Surdi loquelam, & auditum naturaliter receperunt. Hoc Maximilianus Friderici III. Imperatoris filius, ac puer Raguſæus, conſumpta nimia humiditate, quæ defectum induxerat, experti ſunt apud Schenkium, qui etiam

Digitized by Google

ex Herodoto refert, filium Crœſi, cum vidiſſet Perſam irruentem in patrem, loquelam, qua ante caruerat, adeptum fuiſſe. Alios caſus narrat Stalpartius. Et inter *miſcellanea curioſa Medico-Phyſic. Germanic.* Michael Bernardus Valentinus refert, mulierem Giennenſem per aliquot annos mutam, occaſione Exomologeſis locutam fuiſſe, quod devoto, & ferventi deſiderio Auctor tribuit, & de alio Muto affirmat, quod hora tantum prima pomeridiana loqui poterat. In iiſdem *miſcellaneis* Textor quidam ab antiqua auris ſiniſtræ ſurditate liberatus dicitur, ſubſecuta lateris dextri paralyſi, & Guillhelmus Ader notat, poſſe aliquem fieri mutum ex male curato *frenuli* ulcere ſub lingua, & hanc infirmitatem curari in pueris poſſe; non autem in viris. Item in opere, cui titulus, *Saggio delle tranſazioni filoſofiche dall'anno* 1700. *al* 1720. quædam mulier muta, & ſurda a nativitate poſt febrem ſanata dicitur.

9 Mutorum, & Surdorum ſanationem Zacchias æquiparat ſanationi Cæcorum. Quocirca, cum res eſt de recuperantibus loquelæ, & auditus uſum, obſervanda ſunt, proportione ſervata, omnia, quæ ſupra de liberatione a cæcitate dicta ſunt. Adeoque probanda erit præcedens infirmitas, & perfecta, ac diuturna ſanitatis recuperatio: & ponderandum, an ſanatus fuerit ſurdus, & non mutus, vel contra; an hi defectus ſint a nativitate, an poſtea ſupervenerint: & an ſanitas alicui cauſæ naturali tribui poſſit. Quod ſi infirmitas a mala organorum conformatione provenerit, miraculum erit ſecundi generis, pro quo non eſt opus, ut ſanatio ſubita fuerit; ſecus, ſi ex aliis impedimentis originem duxerit, cum tunc miraculum ſit tertii generis. Addit Zacchias, morbum debere eſſe gravem, ut ſanatio adſcribatur miraculo, a quo proinde excludit liberationem a quadam hæſitantia in loquendo. Subdit Ader, pro ſtatuendo miraculo obſervandum eſſe, an poſt ſanationem alii morbi ſupervenerint. Jam vero in cauſa S. Staniſlai Societ. Jeſu non fuit approbatum miraculum ſubitæ ſanationis cujuſdam fœminæ a ſurditate contracta ex ingeſto in auriculam lapillo in puerili ætate, quem lapillum poſt annos 27., invocato B. Staniſlao, ejecit. Oppoſuit enim Promotor Fidei, ejectionem hanc naturaliter contingere potuiſſe. At in cauſa S. Vincentii a Paulo inter miracula tertii generis admiſſa fuit ſubita loquelæ, & virium largitio cuidam puellæ octenni a nativitate mutæ, & ad artuum inferiorum motum impotenti; cum ſanatio nulli cauſæ naturali tribui potuerit.

CAPUT XI.

De Divina admirabili ſanatione Claudorum, & aliquorum impotentium ad ambulandum, itemque Gibborum.

1. 2 IN Actis Apoſtolorum *cap.*3. fuſe deſcribitur miraculum, quo SS. Petrus, & Joannes claudum ad portam Speciosam Templi in nomine Chriſti ſanarunt, de quo multa Baronius (*a*). Alia plura miracula ab Apoſtolis patrata fuiſſe, exploratum eſt *Act.*5., ſed exacte deſcripta eſt claudi curatio, tum quia cæteris fuit illuſtrior, tum quia juxta Templum contigit, ubi erat turba populi, & quia, occaſione accepta, Petrus concionem habuit, qua quinque millia hominum ad Chriſtum convertit. Hic erat claudus ab utero matris annos natus ſupra quadraginta, adeoque naturaliter quodammodo inſanabilis. Simile miraculum Lyſtræ patratum interceſſione S. Pauli refertur *Act.*14. Quamobrem turbæ Barnabam Jovem, & Paulum Mercurium crediderunt, quas tamen ipſi increparunt clamantes, ſe eſſe mortales, & annunciare converſionem ad Deum vivum.

a ad ann. 34. n. 256. & ſeqq.

3. 4 In bullis Canoniz. SS. Eliſabethæ Sanctimonialis Tertii Ordinis Mi-

Minorum, Willhelmi Briocenſis Epiſcopi, Stanislai Cracovienſis Epiſcopi, Franciſci Saleſii, & Franciſci Xaverii inter alia miracula legitur, greſſum claudis collatum fuiſſe. Et de hac, quæ miraculo fit, Claudorum ſanatione egerunt etiam Auditores Rotæ in pluribus cauſarum relationibus, in relatione vero cauſæ S. Tereſiæ inter miracula ſecundi generis retulerunt ſanationem cujuſdam pueri ita a nativitate contracti, & contorti, ut figura corporis litteram S repræſentare videretur: attenta ſcilicet gravitate morbi, præcedenti oratione, ac ſubita, perfectaque ſanatione.

5. 6 Docent Phyſici, & Medici, corpus non poſſe ad vitæ commodum moveri, niſi ſolidis oſſibus per articulos junctis firmetur. Præcipuus ex his motibus eſt progreſſivus, qui ut perfecte fiat, præter oſſium ſoliditatem, continuitatem, & articulationem, requirit etiam apud Verheyen ligamenta, & faſcias, quibus os jungatur, & firmetur; & cruris, ac pedis muſculos. Præterea apud Mang. expoſcit debitam proportionem in articulorum cavitatibus, in oſſium conſiſtentia, & longitudine, in *elaſticitate* fibrarum, robore tendinum, tenſione nervorum, *humectatione ex fluido mucilaginoſo*. Modum autem, quo fit iſte progreſſionis motus, late explicant Borell., & Verheyen.

7 &c. Ex his deſumi poſſunt cauſæ claudicationis, quarum prima eſt impedimentum influxus ſpirituum, vel ſanguinis, vel utrorumque ad dextrum, vel ſiniſtrum articulum coxendicis, genu, tibiæ, pedis, ut explicat Ettmuller. Secunda apud Aquapenden. eſt abbreviatio, vel extenſio articuli. Abbreviatur articulus, diſruptis tendinibus, ſolutis ligamentis, muſculis convulſis. Extenditur, laxatis tendinibus, muſculis reſolutis, & præſertim creſcente inter os, & os materia gypſea, aut ſimili. Tertia juxta Munik erit, cum os circa articulum apparet fractum, vel aliter ipſum, aut cartilagines lædantur. Quarta demum, quæ ab ipſo ortu os, aut articulum, aut tendinem, aut muſculos depravat.

11 Porro ardua res eſt, non tamen impoſſibilis, ut aliqua ex his claudicationibus ſubito naturaliter ſanetur, & talis eſſe poteſt ea, quæ a prima cauſa pendet, dummodo in obſtructione vaſorum conſiſtat, nec partes ſolidæ vitium antiquum contraxerint: & ab hujuſmodi claudicatione *plures ira, timore, vel incendii metu percitos* repente convaluiſſe refert Zacut, quem ſequitur Rejes. Et Joannes Franciſcus Loy ab Erisfeld, & Marcus Aurelius Severinus has ſanationes in pueris interdum contingere affirmant. Schenkius vero narrat, quoſdam viros grandævos claudos repentino caſu ſanatos fuiſſe. Ex quibus colligitur, naturaliter ſanari poſſe etiam articulorum vitia, quæ a ſimplici luxatura pendent.

12 At neque a natura, neque ab ortu ſanabiles, ſaltem momento, ſunt claudicationes ex tendinibus, vel nervis ruptis, aut ab oſſis, vel tophi excreſcentia, aut ex ſolido læſo, aut ex vitio ante nativitatem contracto provenientes. Quare ſi in Congregatione rituum proponatur miraculum ſanationis claudi, evidenter demonſtrentur oportet præcedens claudicatio, ejuſque duratio, perfectus, & continuatus ſubſecutus inceſſus, necnon ſanati ætas. Phyſicis ad conſilium accitis inveſtigandæ erunt cauſæ, & qualitates claudicationis, & ſanationis ſi claudicatio fuiſſet inſanabilis, ſubita ſanatio celeberrimum erit miraculum, non ſubita miraculis ſecundi generis erit accenſenda.

13 In cauſis SS. Peregrini Latioſi; & Vincentii a Paulo inter alia miracula propoſitæ fuerunt quorumdam puerorum ad ambulandum impotentium ſanationes. Sed cum Promotores Fidei contra id, quod Medici contendebant, oppoſuiſſent, eas ſanationes a natura potuiſſe contingere, ſacra Congrega-

tio ab his miraculis approbandis abſtinuit. Ejuſdem ſiquidem Conſultores crediderunt, eas claudicationes manaſſe ab impedito ſpirituum, & ſanguinis influxu, non a nervis, & tendinibus ruptis, aut ſolidis læſis. In cauſa quoque S. Catharinæ Bononienſis, exhibito miraculo repentinæ ad ejuſdem invocationem ſanationis pedis luxati, turgidi, & lividi cujuſdam Monialis, Medicus pro veritate ſcribens putavit, ea omnia potuiſſe naturaliter evaneſcere, & huic ſententiæ adhæſit ſacra Congregatio. In cauſa vero S. Aloyſii Gonzagæ Medici ab Auditoribus Rotæ conſulti miraculo adſcribendam eſſe ſanationem hominis a nativitate per annos octodecim curvi, & ranarum more reptantis, cum hoc vitium, nervis tamdiu contractis, & induratis, naturaliter tolli non potuiſſet, multo magis cum ſanatio, nullis præcedentibus medicamentis, ad ſolam Beati invocationem momento contigiſſet. Et in relatione cauſæ S. Franciſci Xaverii iidem Auditores admiſerunt miraculum ſanationis pueri a claudicatione, quæ medicamentis tolli non potuerat.

14 *In Evangelio* S. Lucæ narratur, Chriſtum, impoſita mann, ſanaſſe mulierem ab annis decem, & octo inclinatam. Ader putat, eam vel convulſam, vel ſimpliciter gibboſam ex luxatione vertebrarum dorſi fuiſſe; cumque ſive convulſio, ſive gibba, diuturna eſſet, in magnitudinem miraculi conſentit.

15 Tres ſunt apud Sennertum præcipuæ ſpecies gibbæ: prima, cum vertebræ ad exteriora Inxantur cum tumore in dorſo, & dicitur proprie *Gibba*. Secunda, cum luxantur verſus anteriora, & in dorſo cavitas, in pectore tumor apparet, & dicitur *recurvitas*: tertia, cum in alterutrum latus vertebræ luxantur, & dicitur *obliquatio*, ut proſequitur Zacchias.

16 In cauſa Canoniz. S. Joannis a S. Facnndo approbatum fuit miraculum, quod etiam deſcribitur in bull. Canoniz. Emmanuel nempe de Caſtello per triennium gibboſus ex ſpinæ dorſi ruptura, curvus, & impotens ad motum, ductus a matre ad ſepulcrum Beati, liber ab incurvatione, & ad motum expeditus abiit, & illuc reductus etiam a gibboſitate convaluit, permanente tamen oſſe elevato. Petrus Franciſcus de Rubeis tnnc Fidei Promotor oppoſuit, gibbam ex vertebrarum luxatione ortam, adeoque ſanabilem fuiſſe, eamque ceſſante impotentia, perſeveraſſe; & demum remanſiſſe oſſis elevationem, & omnia hæc miraculo obſtare aſſeruit. At Joannes Baptiſta Bottinius celebtis Advocatus Conſiſtorialis pro miraculo ſcribens demonſtravit, gibbam ex ſpina, & vertebra fractis ortam fuiſſe, eamdemque antiquam, & ob id, licet a ſola luxatione proveniret, inſanabilem quodammodo fuiſſe juxta Valaſium de Taranta, Sennertum, & alios. Addidit, miraculi magnitudinem ex hoc etiam deſumendam eſſe, qnod impotentia ceſſaverit, perſeverante gibba, a qua illa pendebat, & ſic effectus, remanente cauſa, abierit: oſſis vero elevationem ad miracnlum manifeſtandum remanſiſſe. Simile miraculum ſanationis pueri in artubus inferioribus aridi, & a nativitate gibbi approbatum fuit in cauſa S. Philippi Benitii. Ex quibus Conſultores ſacræ Congregationis plura, ubi opus fuerit, ſuper hujuſmodi ſanationibus haurire poterunt.

CAPUT XII.

De ſanatione Paralyticorum, quæ miraculo ſit.

1. 2 JEſus ingreſſus Capharnaum, & rogatus a Centurione, ejuſdem puerum paralyticum curavlt. Factum deſcribit S. Matthæus *cap.8.*, & fuſius S. Lucas *cap.7.* Sed, an hic puer fuerit filius, an ſervus, an miles Centurionis, quæſtio eſt, quam pertractat Bartholinus. Hnnc Centurionem Gentilem fuiſſe, communior

nior eſt Interpretum opinio, quamvis non deſunt, qui putant fuiſſe Proſelytum. Legi poteſt Calmet (*a*). Major quæſtio eſt apud Interpretes de ejus morbi qualitate. Ader in ea videtur eſſe ſententia, ut æger non paralypſi, ſed convulſione laboraret. Cornelius autem a Lapide ait (*b*), fuiſſe paralyſim acutam cum cruciatu, & periculo vitæ. Et Bartholinus putat, convulſionem fuiſſe cum paralyſi conjunctam. Conſentit Schevchzerus concludens, morbum fuiſſe graviſſimum, adeoque de miraculi magnitudine non eſſe dubitandum.

a ad c. 8. Matthæi.

b in c. 8. Matth. cit.

3 Alter Paralyticus a Chriſto ſanatus dicitur *Matth.9.*, quem S. Marcus (*c*) narrat fuiſſe ad Chriſtum per tectum a ſuis in grabato demiſſum. Hanc demiſſionem deſcribunt Schevchzerus, & Bartolinus, qui etiam ſtrenue redarguit quemdam aſſerentem, illum fuiſſe apoplecticum. Ader affirmat, paralyſim fuiſſe gravem, & univerſalem cum periculo vicinæ apoplexiæ. Icones grabatorum, quibus Paralytici geſtari conſueverant, videri poſſunt apud Boſium.

c cap. 2.

4 Tertius Paralyticus apud S. Joannem (*d*) a Chriſto curatus eſt Hieroſolymis ad Probaticam Piſcinam poſt trigeſimum octavum infirmitatis annum. Qui de hac Piſcina plura velit, adeat Calmet (*e*). Quod vero ad hanc infirmitatem attinet, ea a Scriptura non explicatur. Sed Interpretes apud Cornelium a Lapide (*f*) communi calculo aſſerunt, fuiſſe paralyſim; & Ader advertit, eam fuiſſe toti corpori univerſalem, & inſanabilem, eidemque junctam fuiſſe atrophiam. Subſcribit Bartholinus, qui etiam miraculi magnitudinem pluribus extollit. Matthæi *cap.12.* legitur: *Et ecce homo manum habens aridam*, & hæc ad vocem Chriſti *reſtituta eſt ſanitati*. Idem miraculum narrat S. Marcus *cap.3.*, & S. Lucas in Evang. *cap.6.* Schevchzerus putat, morbum fuiſſe paralyſim manus, & vel nullatenus curabilem, vel nonniſi per longum tempus. Quapropter ſi ad Chriſti imperium manus illico ſanata eſt, concludit magnitudinem miraculi ſatis apparere.

d cap. 5.

e in c. 5. Joann.

f in c. 5. Joann. v. 5.

5. 6 Demum *in Act. Apoſt. c.9.* Petrus paralyticum nomine Æneam, Lyddæ ſanavit, quod videntes habitatores Lyddæ, & Saronæ ad Dominum converſi ſunt. Et tum in pluribus Canonizationum bullis, tum in Rotæ Auditorum relationibus ſanationes a paralyſi inter miracula referuntur.

7 Paralyſis, juxta Galenum, eſt motus abolitio ex nervorum, & ſpirituum animalium vitio: poteſt vero eſſe vehemens *intenſive*, & *extenſive*: *intenſive* quidem, ſi cum motu amittatur & ſenſus: utroque enim amiſſo, graviorem vocant paralyſim Bellinus, Scheneider, aliique; leviorem vero, ſi alteruter dumtaxat amittatur: quæ, quomodo fieri poſſint, explicat Marcellus Donatus. *Extenſive* vehemens eſt, ſi magnam corporis partem afficiat; vehementior autem apud Rejes eſt, quæ crura, quam quæ brachia occupat.

8 Paralyſis vehementiam auget convulſio, juxta Hippocratem, Martianum, Duret, alioſque; vel partium affectarum extenuatio, quam Græci vocant *Atrophiam*, ex qua inſanabilem fere eſſe paralyſim, cenſent Hippocr., Riverius, Jungken, Manget, aliique. Item ætas infirmi, & morbi diuturnitas: facilius enim apud Sennertum, & Victorium curatur in pueris, quam in ſenibus; &, teſte Silvio, quo diuturnior eſt, eo difficilius curatur.

9 Hæc ſunt præcipua, quæ Benedictus XIV, dum munere Promotoris Fidei fungebatur, conſideranda propoſuit, cum in Congregatione rituum miraculum ſanationis a paralyſi proponeretur. Et ex Sennerto, Etmullero, Hippocrate, & Zacchia cenſuit, tremorem, febrim, & ſudorem eſſe naturalis ſanationis ſigna.

10 Addidit, inveſtigandam eſſe paralyſis cauſam; nam ſi a flatibus proveniat, durat, iis manentibus, ceſ-

ſantibus ceſſat, teſte Hippocrate. Sæpe a *ſcorbutica* affectione contingit, & hæc paralyſis a cæteris differt, cum in hac, juxta Eugalenum, effectus non ſit continuus, ut in aliis. Item non ſemper a frigido, & viſcido humore, ſed aliquando a vaporoſa materia ad principium nervorum tranſmiſſa oritur, & hæc naturaliter ſanabilis eſt, teſte Petro Salio.

11 Exempla demum protulit eorum, qui ex improviſo timore, vel ira a paralyſi prorſus convaluerunt, eaque legi poſſunt apud Schenkium, Gregorium Horſtium, Marcellum Donatum, alioſque.

12 Porro ab hactenus adductis non receſſerunt Medici, vel a Poſtulatoribus acciti, vel a ſacra Congregatione conſulti, ut colligere eſt ex diſſertationibus Lanciſii exaratis in cauſis SS. Jacobi de Marchia, Stanislai Koſtkæ, & Joannis Franciſci Regis, & ex aliis in aliorum cauſis. Solum Paſcolus in cauſa S. Peregrini Latioſi dubitavit, an paralyſis vehementior ſit in cruribus, quam in brachiis. Et quoad febrim aſſeruerunt, eam dumtaxat prodeſſe paralyticis, quæ materiam, a qua paralyſis orta eſt, denuo exagitat, & eliminat, vel abſumit, quod vix fieri poteſt, ſi materia in ſpinali medulla lateat: inutilem vero eſſe lentam, & diuturnam, ut fuſe oſtendit Joannes Antonius Vulpius in cauſa S. Joannis a Cruce, & Marcus Angelus de Marcangelis in cauſa S. Vincentii a Paulo.

13 De ſudore autem notavit Matthæuccius, eum, ſi invocationem Servi Dei, vel Beati ſubſequatur, eſſe initium miraculi: at quia, quando aliquid naturæ tribui poteſt, non eſt ad ſupernaturalia confugiendum; Lanciſius in cauſa S. Jacobi de Marchia obſervavit, ſudorem paulatim ſubortum, & per integras hebdomadas continuatum naturaliter proficere, ſecus, ſi unica vice profluat.

14. 15 Demum quæ diximus de paralyſis cauſis, flatibus nempe, affectione *ſcorbutica*, & vaporoſa materia, in cauſa S. Pii V. a Sinibaldo, & Lanciſio confirmata fuerunt. Paucia: Medici in his cauſis vel ad favorem, vel pro veritate ſcribentes ſanationem a paralyſi miraculo adſcripſerunt, ſi paralyſis gravis, ac diuturna fuerit, neque ex cauſis provenerit aliquando ſponte recedentibus: rurſus remedia adhibita non fuerint, aut adhibita nullum præſtiterint levamen; ſed, Divino auxilio implorato, ſanatio perfecta, conſtans, & ſubita ſupervenerit. Et cohærenter ad hæc approbata fuere miracula ſanationum a paralyſi in cauſis SS. Pii V, Stanislai Koſtkæ, Joannis de Cruce, Peregrini Latioſi, Turribii, Jacobi de Marchia, Joannis Nepomuceni, Vincentii a Paulo, & Julianæ de Falconeriis.

16 Quapropter ſi in Congregatione rituum de hujuſmodi miraculis agendum ſit, advertendus eſt ſtatus præcedens morbi, ac ſtatus ſubſequens perfectæ, & momentariæ ſanationis; & quando aſſeritur, non tantum motum, ſed etiam ſenſum fuiſſe deperditum, obſervandum eſt, quomodo, quibus experimentis, quo tempore, utrum longe, an prope ſanationem, amiſſio ſenſus probata ſit. Cauſa quoque morbi Phyſicorum auxilio, ſymptomata, & medicamenta, ſi adhibita fuerint, exploranda ſunt: ac demum ponderandum, an paralyſis ex illia eſſet, quæ a natura, vel ab arte momento expelli poſſunt, & utrum ſanatio inter gratias, an inter miracula ſit recenſenda. Valeriola ſanationem cujuſdam Sacerdotis a paralyſi, quæ paulatim, adhibitia ab ipſo medicamentis, evanuit, miraculo pie adſcribit, quod certe non fuiſſet a Congregatione admiſſum, tum propter apta medicamenta adhibita, tum propter ſanationem non momento obtentam. Alia paralyſis explicatio legi poteſt apud Williſium.

17 Atrophiam ſuperius memoravimus, & ideo nonnulla de membrorum ariditate expendenda ſuperſunt. Narrant S. Matthæus, & S. Lucas (a), dexteram cujuſdam manum aridam a Chri-

(a) cap. 6.

Chriſto fuiſſe momento ſanatam, quem S. Hieronymus (*a*) teſtatur fuiſſe cæmentarium. Ader contendit totum brachium cum manu fuiſſe aridum. Jeroboami quoque manus, dum ſuper altare thus adoleret, arida facta eſt, &, orante Propheta, reſtituta (*b*): & ſimilem ſanationem refert S. Bernardus in vita S. Malachiæ (*c*): aliæ memorantur in bullis Canoniz. SS. Claræ de Aſſiſio, Ludovici Regis Franciæ, & paſſim in aliis. Iam vero Zacchias notat, atrophiam eſſe partis alicujus conſumptionem, & ariditatem, nullo amplius nutrimento fruentis, itaut dici poſſit vita carere: & juxta Ludovicum Mercat. ariditas eſt ultimus morbi gradus; ac licet ex Joanne Fort. pars arida, donec cruciatur, curari poſſit; curatio tamen valde difficilis eſt apud Donat. Anton. ab Altomari, ſi ariditas diu perſeveret. Quare ſi, invocato Dei Servo, perfecta ſanitas ab inveterata ariditate, nullis, aut fruſtra adhibitis medicamentis, ſuccedat, de miraculo non erit dubitandum, veluti notavit Matthæuccius.

a in Matth. c. 12.

b Reg. l. 3. c. 13.

c c. 31. n. 75 oper. vol. 1.

CAPUT XIII.

De admirabili Divina ſanatione Epilepticorum, & paſſione hyſterica laborantium.

1. 2 NArrat S. Matthæus (*d*), lunaticum quemdam fuiſſe a patre adductum ad Chriſtum, qui illum, ejecto Dæmonio, ſtatim ſanavit. Idipſum narratur apud S. Marcum (*e*), & apud S. Lucam (*f*). Origenes, S. Joannes Chryſ., & S. Hieronymus nullam in hoc ægroto naturalem morbi cauſam agnoſcunt, ſed a Dæmonis fraudibus infirmitatem repetunt. Alii vero putant, illum fuiſſe epilepticum, qui, creſcente luna, fortioribus paroxyſmis afficeretur, ut videre eſt apud Calmet (*g*), Ader, Valleſium, & Zacchiam. De miranda liberatione ab hujuſmodi morbo comitiali, ſive epileptico fit etiam ſermo in bullis Canoniz. SS. Stanislai Epiſcopi, Ludovici Toloſatis, & in relationibus cauſ. SS. Franciſcæ Romanæ, Andreæ Corſini, & paſſim in aliis.

d cap. 17.

e cap. 9.

f cap. 9.

g in comment. ad c. 17. Matth.

3 Græci epilepſiam vocabant morbum ſacrum, vel quia putabant illum hominibus proxime a Deo immiſſum, ut voluit Hippocrates, vel quia partem, quæ totum corpus gubernat, & rationis Sedes eſt, occupat, ut voluerunt Plato, & Ariſtoteles, de quibus Stalpartius. Ea autem, teſte Galeno, eſt univerſalis convulſio, cujus cauſa, præter humoris copiam, eſt qualitas venenata, & graviter infenſa ſubſtantiæ cerebri, ut late explicant Schenckius, Bonett., Williſius, aliique anatomici.

4 At his, quæ ad Medicos proprie ſpectant, omiſſis, ſigna epilepſiæ evidentia ſunt, ſi æger in quibuſdam temporum mutationibus paroxyſmo correptus ex improviſo cadat, extra mentem rapiatur, membris diſtorqueatur, ſpumam ex ore emittat, ut notarunt Auditores Rotæ in relat. cauſæ S. Franciſcæ Romanæ, & ex aliis Medicis late docet Zacchias, qui etiam illius gravitatem, & levitatem explicat ex ſymptomatum gravitate, & multitudine, & ex acceſſionum frequentia, & duratione, & ex iis, quæ ab acceſſione relinquuntur. Affectiones autem Epilepticorum ululantium, & ſimilia edentium, aut obmuteſcentium, earumque cauſas deſcribit Lævinus Lemnius. Legi etiam poſſunt Baccanellus, & Ludovicus Mercatus. Et apud Donat. Ant. ab Altomari epilepſia a convulſione diſtinguitur ex mentis læſione, & oris ſpuma.

5 Alia quoque ſunt, quæ epilepſiam gravem conſtituunt: ſi enim poſt vigeſimumquintum ætatis annum ſuperveniat, vel ſit hæreditaria, fere inſanabilis eſt, juxta Hippocratem, & Tozzium. Non jam quod epileptici poſt eam ætatem aliquando vel per criſim naturalem, vel per vehemens pharmacum, vel per febrim, aut ſcabiem ſupervenientem non convaluerint, ut

notat

notat Sennertus, (aut etiam per metaſtaſim, ſeu commutationem in alium morbum, de qua re Horſtiua, & Strauſſius); ſed quod poſt illam ætatem ſanatio raro contingit, ut poſt Hippocratem advertit Valleſius.

6 *Genitura*, inquit idem Hippocratea, *eſt ab omnibus corporis partibus, a ſanis quidem ſana, a morboſis morboſa decidit*. Quapropter diatheſis epileptica, teſte Sennerto, a parentibus in filios propagatur, quæ adeo difficulter curatur, ut Gordonius, Riverius, & alii inſanabilem eſſe ſeripſerint, cujus rei exemplum memorandum refert Zacut.

7 Item cohærenter ad ea, quæ ſuperiua dicta ſunt, levia erit epilepſia, ſi æger non cadat, aut in paroxyſmo ſit ſui compos; quæ quidem non repugnant epilepſiæ levi, & quæ ſit per conſenſum, uti de quodam hiſtrione a ſe feliciter curato teſtatur Marcellus Donatus, putans eum epilepſia per conſenſum laboraſſe; & hanc oriri, ait, non a cerebro per ſe male affecto, ſed ex malo vapore elevato vel ab una corporis parte, vel a toto: quod etiam notavit Lanciſius in cauſa B.Hyacinthæ de Mareſcottis. De hac epilepſia plura legi poſſunt apud Schenkium.

8 Hia præmiſſis, tuto ſtatui poſſe videtur, liberationem ab epilepſia inter miracula recenſendam eſſe, ſi epilepſia ſit gravis, ſanatio autem nulli cauſæ naturali tribui poſſit, ſed ſtatim poſt invocationem perfecta ſuccedat; ut innuit Sinibaldus in cauſa S. Jacobi de Marchia.

9 Porro paſſionem epilepticam Medici diſtinguunt in paroxyſmum, per certas periodos erumpentem, & ceſſantem; necnon in cauſam in corpore deliteſcentem. Solutio paroxyſmi eſt naturalis, adeoque tota quæſtio quoad miracula reducitur ad perfectam liberationem ab epileptica diatheſi, ut innuit Bordonus. Jam vero de hoc actum fuit in prædicta cauſa B. Hyacinthæ, cujus interceſſione quædam Monialis ab epilepſia hæreditaria, & poſt vigeſimumquintum annum incepta, ſubito, & perfecte convaluiſſe dicebatur, quin ulla præceſſiſſet criſis, aut medicamenta profuiſſe; immo ſanata alimentis uſa eſſet, quæ recuperatæ ſanitati officere poterant. Oppoſuit Benedictus XIV. tunc Fidei Promotor, proceſſum ſuper ſanatione confectum decem, & octo menſibua poſt ultimum paroxyſmum fuiſſe: & ignorari, an interim morbus recurriſſet; ſanatam vero, cum adhuc viveret, poſſe iterum morbo tentari, adeoque a miraculi approbatione abſtinendum eſſe.

10 Poſtulatorea contra conati ſunt probare, Monialem toto illo tempore perfecte liberam fuiſſe; idque ſufficere, cum Jus Canonicum unius anni tempus expoſcat, ut Sacerdos, qui ob epilepſiam ab altari remotus fuerit, ad illud iterum admittatur: & Recidiva Monialia, quatenus contigiſſet, non reliquiis præcedentis morbi, ſed nocuis alimentis, tamquam novua morbus, eſſet tribuenda. Repoſuit Promotor, Sacerdotem, recurrente morbo, poſſe iterum ab altari amoveri; at, approbato miraculo, retractationi locum non eſſe. Quapropter ſolum poſt tredecim fere annos miraculum fuit approbatum, allatis identidem perfectæ ſanitatia probationibus. Similia oppoſuit alteri hujus generis miraculo in cauſa S. Jacobi de Marchia, quod approbatione caruit, non approbata evidenter continuatione ſanitatis.

11 Succedit paſſio hyſterica, ſeu *uteri ſuffocatio*, qua feminæ interdum laborant. In hac paroxyſmi recurrunt, ſicut in epilepſia: differunt tamen, quod femina in ſuffocatione ſentit, ſuique paroxyſmi affectionum poſtea recordatur, veluti obſervant Foreſtus, & Rodericus a Caſtro: quod tamen Zacchias intelligit, ut ſuffocatæ non ita a ratione abalienentur, ut Epileptici; quamvis apud Schenckium aliquando ſenſu, motu, & ratione careant.

12 Me-

12. &c Medici olim putarunt, hanc affectionem ab uteri vitio produci. Sed recentiores tribuunt vitio ſuccorum digeſtionibus inſervientium, qui ventriculi, & inteſtinorum membranas, plexuſque nervoſos afficiunt. Legi poteſt Williſius. Hic morbus juxta Sennertum, Etmullerum, & Rodericum a Caſtro periculoſus eſt, ſi paroxyſmi ſæpius recurrant, aut ſymptomata gravia ſint. At ſi de miraculoſa ejuſdem ſanatione agendum ſit, non ſolum repetenda ſunt, quæ de epilepſia diximus, non eſſe ſcilicet attendendam excitationem a paroxyſmo, ſed morboſæ qualitatis expulſionem; verumetiam advertendum eſt, nonnullas naturales, & incognitas criſes in mulieribus contingere, quæ perfectam liberationem a morbo producere poſſunt. Quapropter difficillime hujuſmodi ſanationes miraculo adſcribi poterunt.

CAPUT XIV.

De mirabili Divina ſanatione a Mania, & Hydrophobia.

1. 2 SCribunt SS. Matthæus, & Lucas (*a*), duos homines
a utrobique c.8. a Chriſto curatos fuiſſe, qui habentes Dæmonia ſæviebant. De his alibi ſermo recurret: interim notandum eſt, hos juxta Ader fuiſſe lycanthropidos, vel maniacos. Mirabilium ab hoc morbo ſanationum exempla extant in bullis Canoniz. SS. Petri Cæleſtini, &
b in Annal. ad an. 1231 Claræ. Et Waddingus refert (*b*), maniacum quemdam, conciones S. Antonii Patavini aliquando interrumpentem, ab eodem ſanatum fuiſſe. Simile miraculum approbatum fuit in cauſa S. Turribii, ut deſumitur ex decreto 21. Januar. 1726. edito.

3 &c. Juriſperiti hunc morbum vocant inſanabilem. Sed hac in re Phyſicis, & Medicis plus deferendum eſt. Fernelius itaque illum deſcribens, ait, maniacos magno corporis impetu, mentis perturbatione, & iracundia laborare, & jurgiis, clamoribus, horrendoque aſpectu in obvios quoſque belluarum inſtar dentibus, & unguibus petulanter irruere. Similia tradunt Sennertus, & Tozzius. Et Nicolaus Piſo, Foreſtus, & Silvaticus affirmant, affectionem ab excandeſcentia, timore, mæſtitia, nimiaque ſtudiorum intenſione facile provenire. Gravis profecto eſt hic morbus; *Nulla* enim *deliratio*, inquit Galenus, *tuta eſt*; & Martinellus addit: *Ægre, ac difficile curatur*; præcipue *ſi mania inveterata, aut hæreditaria fuerit, aut morſu canis rabidi inferatur*, ut loquitur Thomas Willis. Rationem reddit Dolæus, quia *in cerebro veſtigia olim impreſſa, ſed poſtea ſublata ... minime reſtitui poſſunt &c.*

6 &c. Alia traduntur a medicis de maniæ qualitate, de judicio ferendo ſuper ejus ſanatione, ac de ejuſdem ceſſatione. Et quoad qualitatem, Hippocrates, & Riverius docent, facilioris curationis, & minoris periculi eſſe maniam, quam riſus comitatur: monet tamen Bellinus, cavendum eſſe, ne motus convulſionis pro riſu ſumatur, qualem fuiſſe riſum Tyconis apud Hippocratem memorati putat Valleſius. Quod vero attinet ad judicium de ſanatione ferendum, Cornelius Celſus monet, maniacos aliquando videri ſanatos, quod prudenter loquantur, doloſe tamen loqui, ut a vinculis liberentur. Aliquando morbus revera ceſſat, ſed recurrit, ut obſervat Etmullerus. Demum quod ſpectat ad ceſſationem, nonnulla exempla apud Schenckium ſuadent, maniam vel per medicamenta, vel per naturæ vires ſanabilem eſſe. Helleborus antiquis in uſu erat, & quidem magno cum Maniacorum profectu. Et Sennertus, aliique paſſim docent, eoſdem venæ ſectione, atque evacuationibus per alvum, aut per ſudorem curari: quod etiam per febrem, aut alium morbum ſupervenientem, vel per metaſtaſim fieri poſſe tradunt Hippocrates, Riverius, & Bellinus.

10 His adnotatis, ſi in Congregatio-

gatione rituum proponatur miraculum liberationis a mania interceſſione alicujus Servi Dei, vel Beati, primo probanda eſt ipſa mania ſuis comitata requiſitis furoris, & ſimilium. Secundo demonſtrandum eſt, fuiſſe inveteratam; recens enim ad magnos morbos pro miraculo conſtituendo neceſſarios non pertinet. Tertio inveſtigandum eſt, sn ſanatio monıento contigerit. Quarto, an perfecta fuerit, & ſignanter, an hebetudo quædam remanſerit, aut ingenii ſtupiditas, cum hæc ſigna ſint liberationis non perfectæ. Quinto, quo tempore contigerit; diebus enim canicularibus, ſolſtitiis, vel æquinoctiis naturalis eſſe poteſt. Sexto, quamdiu duraverit, cum enim de morbo recurrente agatur, non niſi poſt longnm tempus de ſanatione judicium ferendum eſt, uti de epilepſia diximus, & ſane in cauſa S. Turribii Lanciſius ex longa hnjuſmodi ſanationis duratione argumentum pro miraculo deſumpſit. Et quia hoc judicium ſine Medicorum conſilio non abſolvitur, ipſis inveſtiganda erunt cuncta ad morbum, & ſanationem pertinentia. Quod ſi de mania præſertim inveterata, de ſymptomatum gravitate, de ſubita poſt invocationem Servi Dei, vel Beati, ac perfecta ſanatione, nullis, aut fruſtra adhibitis medicamentis conſtiterit, nullaque criſis, recidiva, aut metaſtaſis intervenerit, miraculum fidenter affirmandum erit.

12 &c. Apud Medicos mentio fit hydrophobiæ, hoc eſt averſionis ab aqua, quam cauſat rabies, & utplurimum comitatur horrenda mania, non tamen ſemper, ut obſervant Codronchus, aliique apud Stalpartium. Hic morbus a morſu canis, aut alterius animalis rabidi contrahitur: etſi enim Galenus ſcribat, quod *rabies cani ſoli accidit*; Ariſtoteles tamen, Avicenna, & alii conſentiunt, illam etiam lupis, camelis, ac nonnullis aliis animalibus, ſponte, ac ſine canis morſu ſupervenire. Et Amatus Luſitanus teſtatur, nonnullos ex rabidæ felis morſu interiiſſe. Quare Gaſpar a Rejes exiſtimat, Galenum *de frequenti eventu locutum fuiſſe, dum canem tantum rabie corripi dixit*. Neque ad hunc morbum inducendum abſolute neceſſaria eſt cauſa extrinſeca, puta morſus: cum juxta Salium Diverſum, alioſque a principio intrinſeco, etiam in hominibus, gigni poſſit, ut patet in illo cane, qui primus rabidus fuit.

15 Ira vehemens, & calor æſtivus ſolent eſſe cauſæ hydrophobiæ; nam & viperæ, aliaque animalia ex ira maxime venenoſa fiunt, ut experimentis oſtendit Redi. Et aliquando ira ſalivam, & reliqua fluida ita inficere poteſt, ut ex iſtorum communicatione contingat, quod in contagio evenit.

16. 17 Bruta in rabiem acta fiunt hydrophoba, teſte Michaele de Heredia, quod etiam in hominibus ex animalis rabidi morſu evenit, ut in noſocomio S. Mariæ de Morte Bononiæ non multis abhinc annis viſum eſt. Et Arabum ſchola addit, in rabidorum urinis catulos, aut ſimile apparere, idque etiam B. Petrus Damiani affirmavit. Donatus hanc ab aqua averſionem repetit ex corrupto a veneno mentis judicio, *ex longa circa canes cogitatione imprimentur in ægrorum imaginatione formæ, & idola canum, itaut præ oculis canes habere ſibi videantur, & ſe canes effectos putent, tuncque potiſſimum ... cum aquam intuentur, imaginantur in ea canes ineſſe*. At Salius Diverſus aliam hujuſce rei cauſam ſtatuit, quod ſcilicet aquæ, & liquorum uſu rabidum virus ita excitetur, ut vehementius partes interiores commoveat. Idem Donatus ait, catulos in rabidorum urina videri dumtaxat ab eo, qui rabidus eſt, ob imaginationem depravatam. Et Rejes notat, B. Petrum Damiani retuliſſe, quæ audiverat, non quæ viderat.

18 Quidquid de his ſit, triplex eſt hydrophobiæ gradus, incipiens, progrediens, & extremus. Primi vix ulla ſunt ſigna, niſi noctes inſomnes, vagæ æſtuationes, & ſitis ſine cauſa.

Alter

Alter circa quadrageſimum diem ſolet manifeſtari, licet aliquando vulnus per plures annos lateat, teſte Braſaulo, & ejus ſigna ſunt inquietudo, impetus ad iram, oculorum ſcintillatio: palpebrarum convulſio, & levis averſio a fluidis, multa permanente ſiti. Si hæc augeantur, & accedant ejulatus, furor in ſe, & in alios, ſpumæ ad os, oculorum torvitas, & omnimoda fluidorum formidatio, morbus eſt in ultimo gradu. Primus, & ſecundus curari poſſunt, ſecus tertius, teſtibus Rudio, Lomnio, aliiſque.

19 Quod autem ad præſens inſtitutum attinet, videlicet, ut tutum ſuper miraculoſa ab hoc morbo ſanatione judicium feratur, notandum eſt, hunc morbum, aliquando apparenter curari, ſed iterum redire. Abel Roſcius Medicus narrat, matronam quamdam ex rabido canis morſu doctiſſimis Medicis advocatis, exquitiſque remediis adhibitis, ſalvam, & incolumem paucis diebus, nullaque remanente noxa, ut videbatur, evaſiſſe: at poſt ſeptimum annum ſymptomata multo graviora recruduiſſe, iterumque adhibitis medicamentis ægram convaluiſſe. Idem contigit poſt totidem, ac deinde poſt ſex annos, ideſt anno vigeſimo a vulnere accepto, & ſubſequentibus annis paroxyſmis identidem tentata fuit.

20 His præmiſſis, ſi aliqua tamquam miraculum proponatur ſanatio a rabie, & ab hydrophobia ex morſu animalis rabidi contracta, primo probandum eſt, animal revera rabidum, & hydrophobum fuiſſe. Secundo, morſus ipſe probandus eſt. Tertio, in homine vulnerato demonſtranda ſunt ſigna morbi contracti, quæ ſupra recenſuimus. Hæc tribus enumeratis gradibus communia ſunt. Quod ſi quæſtio ſit de liberatione a morbo primi gradus, vis miraculi in eo conſtitui poterit, quod morbus, ad alios gradus naturaliter progreſſurus, invocato Dei Servo, vel Beato, ſubito, ſine medicamentis, criſi, aut metaſtaſi perfecte ceſſaverit: & tantum temporis elapſum ſit, ut Medicorum judicio perfecta ſanatio, ſecluſa recidiva, affirmari poſſit. Eadem ferme probanda erunt pro conſtituendo miraculo liberationis ab hoc morbo conſiſtente in ſecundo gradu. At ſi ad tertium gradum devenerit, hoc unum pro aſtruendo miraculo liberationis ab eodem ſatis erit, ut morbus ad ejuſmodi invocationem utcumque deſierit. Quamvis etiam in hoc videtur tempus aliquod expectandum eſſe, ut tutum de miraculo feratur judicium; nam ſi morbus recrudeſceret, id argumento eſſet, illum ad tertium gradum non deveniſſe. Si a principio intrinſeco morbus proveniſſet, non de animalis rabie, & morſu, ſed de reliquis ſupra indicatis erit inquirendum.

21 In Rhodiginis paludibus templum eſt D. Bellini miraculorum frequentia celeberrimum. Cœlius Rhodiginus narrat, morſos a canibus rabidis, tactis hujus templi clavibus, perfecte ſanari. Et Matthiolus teſtatur, ſuo tempore morſos a canibus rabidis, non ad Medicos, ſed ad templa D. Domnini, & D. Bellini confugiſſe: ſimilia de S. Huberti Leodienſi fano referunt Molanus, Thyrſus Gonzalez, Joſephus Prola, & Theophilus Raynaudus, qui hoc ipſum de S. Walpurga teſtatur, additque ex Joanne a Chapravilla, Joannem Calvinum, cum filium haberet a rabido cane demorſum, ablegaſſe eum ad S. Hubertum, ut ejus ope curaretur.

CAPUT XV.

De Divina admirabili ſanatione ab Hydrope, ab Empyemate, & Hernia.

1 JEſus apud S. Lucam (*a*) ingreſſus cujuſdam Principis Phariſæorum domum Sabbato manducare panem, Hydropicum ſanavit. Hunc putat Scheuchzerus la- *a cap. 14.*

Digitized by Google

boraſſe hydrope, qui *Aſcites* dicitur, & de ejus circumſtantiis plura cumulat Ader; ſed quidquid de his ſit, hydrops profecto erat viribus naturæ inſanabilis, ut animadvertit Zacchias. Multæ quoque Hydropicorum ſanationes inter miracula recenſentur in bull. Canoniz. SS. Wlſtani, Eadmundi, & aliorum, item in relationib. cauſ. SS. Caroli Borromæi, & Ignatii.

2 Tres hydropis ſpecies a Medicis referuntur. Prima, & præcipua ſpecies dicitur *Aſcites*, cum ſcilicet aqua eſt vel in cavitatibus, vel inter peritonæum, & muſculos. Secunda appellatur *Tympanites*, in quo aer eſt cauſa membranas diſtendens, uti eam deſcribit Thomas Willis. Et Riverius addit tympanitem, & aſcitem aliquando eſſe conjunctas. Tertia dicitur *Anaſarca*, in qua ad ambitum corporis inter muſculorum interſtitia, cutem, & glandulas aqua effunditur. Præterea hydrops alius eſt incipiens, alius confirmatus, & apud aliquos alius eſt primarius, & per conſenſum, ortus ab aliqua levi abalienatione functionis hepaticæ, de quo Ader cit. Demum apud Paſeolum ſi hydrops totum corpus occupet, dicitur *univerſalis*, aut *perfectus*, ſi partem, *particularis*, ſive *imperfectus*.

3. 4 Ex alibi dictis, cum morbus gravis eſſe debeat, ut ejus ſanatio inter miracula recenſeatur, non eſt hic opus agere de hydrope incipiente, aut de hydrope per conſenſum, uterque enim apud Medicos facile ſanari poteſt: ſed ad hydropas graviores ſermo convertendus eſt. Quod ergo ad hos attinet, aſcites confirmatus, vel eſt incurabilis, vel curatu difficilis, ejuſque ſigna ſunt tumor in ventre, pedibus, & cruribus, ſitis intolerabilis, tuſſis ſicca, & alia plura, ex quibus Medici apud Tozzium mortem eſſe proximam arguunt. Tympanites incipiens, vel in juvenibus, & corpore raris, nec viſceribus læſis, aut obſtructis, facile curatur: difficulter vero, ſi conjunctus ſit cum aſcite, vel ſi accedat mictus per ſtillicidium; vel juxta Riverium ſi multa bilis redundet in corpore; vel demum ſi ſit cum doloribus hepatis, & ſtomachi, ut notavit Lanciſius in cauſa S. Joannis Franciſci Regis. Anaſarca demum curatu facilis eſt beneficio naturæ criticæ. difficilis autem in ſene, in obſtructo, & ſi conjuncta ſit febris, & virium ſumma dejectio. Videatur Sennertus. Et Hippocrates lethalem dixit hydropem, ſi morbo acuto ſuperveniat; & ſi recidiva ſanationi ſuccedat.

5 Donatus, & Schenckius plura congerunt exempla hydropicorum; qui naturæ, vel Medicorum ope convaluerunt. Quapropter, cum Hydropicorum ſanationes inter miracula recenſendæ proponuntur, primo Medicorum judicio ſtatuendum videtur, an morbus fuerit vere hydrops (*nam ſunt aliæ ſpecies tumorum abdominis*, inquit Sydenham, *hydropem mentientes*) inde hydropis, & ſanitatis ſpecies, & qualitates expendendæ ſunt; atque ſi hydrops fuerit aſcites, vel tympanites, inveteratus, & gravis, ſanitas vero, invocato Dei Servo, vel Beato, ſine ulla criſi, nulliſque, aut fruſtra medicamentis adhibitis, repentina, & perfecta, ſublata corporis intumeſcentia, viribuſque reſtitutis contigerit, de miraculo non erit dubitandum, ut etiam concludit Mattheuccius.

6 &c. Superius innuimus, dari hydropem *particularem*, qui nempe aliquam corporis partem occupat. Porro ſi ſolum caput detineat, a Medicis *hydrocephalus*, vel *hydrops capitis* appellatur, pueris ſane familiaris apud Severinum, & Mercurialem. Iſque duplex eſt: alter aquoſus ab aquoſo humore ortus, & lethalis: alter ventoſus ex ventoſitate genitus, & periculo carens. Verumtamen ſi aqua generans aquoſum collecta ſit inter capitis cutem, & pericranium, vel inter pericranium, & cranium, morbus aliquando facile curatur: at ſi collecta ſit inter cranium, & meninges, inſanabi-

Digitized by Google

nabilem eſſe affirmant Paulua, Paræua, Ferrarius, & alii. Quod ſi materia inter meningea, & cerebrum exiſtat, citiſſime jugulat, nec curationem admittit. Hiſque conditionibua ponderatis, Conſultores Congregationis rituum, ſtatuta a Medicis hydrocephali qualitate, tutum ſuper miraculoſia ab hoc morbo ſanationibua judicium ferre poterunt.

10. 11 De ſanatione ab hydrocephalo cum epilepſia conjuncto actum fuit in cauſa S. Laurentii Juſtiniani. Et Zacchiaa ad judicium ſuper ſanationea ferendum vocatus, autumans hydrocephalum proceſſiſſe ex materie inter cranium, & meningea collecta, pro miraculo ſtetit. Sed cum in ſanatione tumor extrinſecus apparuiſſet, excitata fuit difficultaa, an ſanitas per criſim eveniſſet, ideſt per motum naturæ materiam ad exteriora propellentis, quod ſemper bonum eſſe ſcribit Hippocrates. Repoſuit Zacchias, ejuſmodi expulſionem fieri poſſe vel viribus naturæ noxia expellentis, vel malitia morbi naturam cogentia ad motum: & in primo caſu ſanationem criſi naturali tribuendam eſſe, ſecua in ſecundo, in quo, pluribus animadverſia, verſari ait controverſam ſanationem. Promotor Fidei nonnulla adverſus facti probationes adnotavit, & ad alium Medicum juſſu Congregationia pro veritate ſcribentem difficultatis, & reſponſionis examen remiſit. Hic alia miracula propoſita admiſit, controverſum vero ſilentio prætereiit, quod proinde nec ſacra Congregatio approbavit, vel ob defectum probationum, vel quod criſi naturali tribui poſſet. Aliud exemplum mirandæ ab hydrocephalo liberationis interceſſione S. Vincentii apud Ingraſſiam legi poteſt.

12. 13 Alius eſt *hydrops pectoris*, aut *pulmonum*, uti eum Medici appellant, ortua ex humoribus ſeroſis in pulmones confluentibus, ibique ſtagnantibus, aut in thoracis cavitate cumulatis. Febrim lentam, tuſſim acrem, reſpirandi laborem, ſitim inexplebilem, manuum, pedumque tumorem, urinæ diminutionem, juxta Hippocratem, æger patitur, quæ quidem ſymptomata ob *hydatides* fieri Paſcolus obſervat. Plura de boc morbo ejuſque curatione tradunt Saliua, & Schenckiua. E apud Sennertum: *Malum eſt curatu difficile, & raro ſanatur*. Porro, ſi ſanatio ab hoc morbo tamquam miraculo adſcribenda proponatur, attendenda ſunt, quæ ſuperiua diximus de hydrocephalo, aut cæteris hydropis ſpeciebus. Matta exiſtimat, pectoris hydropem ab empyemate non differre. Sed apud Medicos empyema eſt ſpirandi labor a pure in cavitare thoracia effuſo, ibique ſtagnante manana: qui morbus utique affinis eſt hydropi pectoris; ſicuti enim in hoc aqua, ita in illo pus in cavo thoracia colligitur.

14 Medicorum itaque veſtigiis inſiſtendo nonnulla de empyemate ſubjicienda ſuut. Empyema juxta Hippocratem vel totam thoracis cavitatem, vel partem dumtaxat occupat. Et Sennertua docet, periculoſius eſſe, ſi pus in tota cavitate, quam ſi in parte, itemque ſi in ſiniſtro, quam ſi in dextro latere contineatur. At ut morbi qualitas, & gradus dignoſcatur, quod proderit, ubi quæſtio occurrat, utrum liberatio ab empyemate ſit naturæ, an miraculo adſcribenda, advertere oportet Hippocratis doctrinam ſic loquentis: *Suppuratorum hi potiſſimum ſuperſunt, quos febris eadem die dimiſerit poſt ruptionem, ac cibum citius appetunt, & ſiti liberati ſunt, & venter exigua, ac conſiſtentia dejicit, & pus album, leve, concolorque eſt, & vacans pituita abſque labore a valida tuſſi expurgatum. Itaque optime ſic, ac celerrime indicantur, ſin minus, quibus ad hæc proxime accedunt. Moriuntur vero hi, quos febris non deſeruerit, aut cum videretur deſerere, denuo recaleſcens innoteſcit, & ſitiunt, nec cibum appetunt, alvus tumida eſt, pus viride, lividumque ſpuunt, vel pitui-*

roſum, *ſpumoſumque eſt*. Medici, ut mortem avertant, & pus educant, paracenteſi utuntur. Bonetus monet, hanc curationem futuram multis utiliſſimam, ſi tempeſtive adminiſtretur. Et Paſcolus teſtatur, ſe duos vidiſſe hoc modo feliciſſime curatos. Ballonius quoque refert, plures empyematicos curatos convaluiſſe.

15 De hoc actum fuit in cauſa B. Hyacinthæ de Mareſcottis. Quædam enim virgo triginta trium annorum ſponte ſua ad tabem inclinans pleuritide in dextero latere correpta fuerat, quæ diebus quatuordecim non repurgata, tandem in empyema degeneravit. Ægra non niſi in dextro latere decumbere poterat; & quoties in ſiniſtrum ſe componere volebat, purulenta materies ſuffocationem minabatur. Sputa erant graveolentia, cinerea, ac viridia; & febris numquam intermittebat. Medici medicamenta exhibuerunt, ſed inutiliter. Quare infirma jam morti proxima Dei Servam invocavit, ejuſque imagine dolenti lateri admota in alterum latus ſtatim ſe convertere, & dormire potuit, bene comedit, læta Medicum excepit, a quo & ſine febri inventa eſt. Quapropter Poſtulatores hanc ſanationem tamquam miraculo adſcribendam ſacræ Congregationi propoſuerunt.

16 Benedictus XIV. tunc Fidei Promotor nonnulla oppoſuit adverſus facti probationes; quæ Scribentium reſponſionibus plene probata fuerunt. Sed cum Medici, qui Virginem curaverant, miraculum præſertim aſſeruiſſent, quod materiæ evacuatio quadrageſimam diem prætergreſſa fuerat, & juxta Hippocratem: *Quicumque ex morbo laterali ſuppurantur, ſi quadraginta diebus purgantur a die, qua ſit ruptio, liberantur, ſi vero non, ad tabem tranſeunt*: oppoſuit ex Sennerto, & Tozzio, tempus illud non ita præfinitum eſſe, ut ſi intra ipſum magna puris copia emiſſa fuerit, reliqua pars poſtea evacuari non poſſit, & æger ſanari. Addidit, licet Medicus ordinarius dixiſſet, Virginem ſine febri inventam fuiſſe, Medicum tamen extraordinarium ſolum dixiſſe, ſine magna febri.

17 At Lanciſius, ut pro veritate judicium ferret, electus, penſatis morbi ſignis, reſumptiſque ſymptomatibus ab Hippocrate ſuperius cit. deſcriptis, morbum gravem fuiſſe aſſeruit: attentaque medicamentorum exhibitorum inutilitate, ac ſubita, & perfecta poſt invocationem ſanatione, miraculum affirmavit. Quod ad Medicos attinet, ait, ordinarium præferendum eſſe extraordinario, advertens etiam, hunc pro non omnimoda a febri liberatione intellexiſſe quamdam motus in pulſibus celeritatem, quæ poſt febrim aliquandiu perſeverat. Quibus, aliiſque animadverſis, Congregatio rituum miraculum admiſit.

18 Reliquum eſt, ut aliqua de hernia addantur. Hæc apud Medicos alia eſt *aquoſa* orta ex lympha, vel ſero in tunicis teſtes veſtientibus cumulato, eaſque præter modum extendente. Alia *ventoſa* ex flatu tunicas eaſdem tumefaciente proveniens. Utraque levis, & curatu facilis, adeoque ſanatio ab his difficulter inter miracula recenſeri poteſt. Sed cum in Canonizationum bullis, & Rotæ Auditorum relationibus paſſim ſanationes ab herniis inter miracula recenſeantur, advertendum eſt cum Medicis, alias dari herniæ ſpecies. Si enim teſtes tumeant, & quandoque in nodos fungoſos extuberent, generatur hernia, quæ a Chirurgis *carnoſa* appellatur. Si vero ſcrotum, omento, aut inteſtinis prolapſis, præter modum extendatur, aliæ diræ fiunt herniæ ſpecies, nempe *omentalis*, aut *inteſtinalis*. *Carnoſa* difficulter curatur, & aliquando degenerat in cancrum. Difficulter quoque curantur & reliquæ, cum utplurimum a ruptione peritonæi pendeant, quæ, præſertim in adultis, coaleſcere nequit, nec niſi rariſſime per medicamenta conglutinari poteſt; ut proinde patientes ſubligaculo ferreo ſemper uti cogantur.

19. 20 Sæpe in Congregatione rituum actum fuit de ſanatione ab herniis. Et in eauſis quidem S. Ludovici Bertrandi, S. Franciſei Solani, & BB. Martyrum Gorcomienſium, probata hernia Inteſtinali ob peritonæi ruptionem, ſubitæ, ac perfectæ ſanationes inter miracula recenſitæ fuerunt. In cauſa vero S. Andreæ Avellini nulla ſuper propoſita herniæ ſanatione reſolutio edi potuit, eum Phyſicus ad judicium pro veritate ferendum vocatus, heruiæ ſpeciem ex Actis colligere non potuerit.

21 Benedicto XIV. Fidei Promotorem agente ter de hujuſmodi ſanatione diſputatum fuit. Primo in cauſa S. Joannis Franeiſei Regis, in qua Promotor oppoſuit, non conſtare, utrum hernia, de qua agebatur, eſſet cum ſeiſſura, an cum ruptione, an cum ſimplici relaxatione Peritonæi: quæ enim cum ſimplici relaxatione eſt, naturaliter ſanatur, teſte Tulpio. Secuudo in cauſa B. Gregorii X, & in hac animadvertit, ſanatum idonea medicamenta expertum fuiſſe, ae poſt invoeationem dolore caruiſſe, ſed ex hoc perfectam ſanationem non inferri; ſubligaculum ante, & poſt ſanationem adhibuiſſe, & poſt decem, & octo menſes eodem morbo laboraſſe. Tertia fuit cauſa B. Petri Forerii, in qua oppoſuit rem eſſe de duobus fratribus pueris, in quibus bernia, juxta Fabricium ab Aquapend. faeile curatur, & præter alia dixit, ſanationi inſtantaneitatem defuiſſe, ad miracula tertii generis neceſſariam, quibus ſanatio ab hernia quacumque eſt adnumeranda.

22 Jam vero Lanciſius in prima cauſa deputatus, ut ſuum pro veritate judicium ferret, cenſuit, ſanationem miraculo etiam ſecundi generis tribui potuiſſe. Hernia quippe ingens, ex *omentali*, *inteſtinali*, & *flatuoſa* complieata, diuturna, & excrucians fuerat, perſeveravitque eadem uſque ad ſanationis momentum. Sanatus quadrageſimum tertium annum agebat, & ſanitas medicamentis fruſtra quæſita, invocato Dei Servo, ſtatim, & perfecta advenit. At Clemens XI. prævio ſacræ Congregationis conſilio ſanationem hanc ſolum inter miracula tertii generis recenſuit. Hoc, quod in prima cauſa Laneiſius ſenſerat, affirmavit in ſecunda eum Sinibaldo pro miraculo ſcribente. Verum, oppoſitionibus Promotoris non ſatis dilutis, ſacra Congregatio a reſolntione abſtinuit. In tertia vero, iiſdem fere, ac in prima attentis, miraculum in tertio genere approbatum fuit.

23 In cauſa S. Vincentii a Paulo propoſita inter alia approbanda miracula ſimili ſanatione, Ludovicus de Valentibus Fidei Promotor animadvertit, plurimum poſſe naturam in herniarum, etiam inveteratarum, & in hominibus provectæ ætatis ſanatione, ſubligaculo præſertim adhibito, cujus uſu adultæ ætatis hominem a gravi hernia convaluiſſe teſtatur Schenckius. Addidit Promotor laudatus, probatum non fuiſſe, ſanationem ſtatui deſperato proximam contigiſſe. Huic difficultati Poſtulatores ſatisfecernnt. Et Phyſicus de Marcangelis pro veritate indaganda electus, herniam *enormem*, *completam*, & *complicatam* fuiſſe demonſtravit, attentaque ſubita, ac perfecta ſanatione, de miraculo non eſſe dubitandum, uti plane a ſacra Congregatione fuit in tertio genere approbatum.

24 Ex hactenus expoſitis colligi poteſt, Conſultoribus Congregationis rituum in bac re primo advertendam eſſe herniæ qualitatem. Sanatio enim ab *aquoſa*, ant *ventoſa*, utpote levi, non videtur apta ad miraculum conſtituendum: ſecus ab *inteſtinali*, & præſertim *omentali* conjuncta; & omentum quidem cum inteſtinis in ſcrotum deſcendiſſe, tumor ingens indicabit.

25 Examinandum quoque eſt, utrum peritonæum ſciſſum fuerit, an tantum dilatatum, quod quidem in bernia aliquaudo ſcindi conſentiunt omnes contra Hildanum, & Munnickium. Porro Muſitanus tradit, magnum in ſcroto

tumo-

tumorem ſciſſionis ſignum eſſe, & Paræus dolorem inter hujuſmodl ſigna enumerat. Gordonius vero ait, ruptionem manifeſtam eſſe, ſi ad anhelitus impulſum inteſtina deſcendant.

26 Habenda eſt ratio durationis morbi, & ætatis infirmi; hernia enim confirmata, & in adultis difficilioris curationis eſt, quam incipiens, & in pueris. Legi poſſunt Langius, Etmullerus, & Bonetus.

27 &c. Paucis: ſtatuta a Phyſicis morbi gravitate, & qualitate, & medicamentorum, ſi adhibita ſint, qualitate, & gravitate, a Conſultoribus perpendendum eſt, an gravitas morbi uſque ad ſanationem perſtiterit: & an inteſtina ſtatim ad Invocationem ad locum ſuum redierint, hiatu glutinato, & recidiva excluſa. Hiatu, inquam, glutinato; neque enim novum eſt, ut ægris reſupinatis inteſtina ſponte, vel manu chirurgica ad locum ſuum revertantur, teſtibus Tulpio, Munnieks, Foreſti, & aliis. Non tamen opus eſt, ut totus annuli hiatus in inguine glutinatus ſit; aliquis enim, ſed levis naturaliter requiritur ad vaſa ſpermatica ad teſtes deducenda. Porro recidivæ excluſio, & ſanitatis continuatio conſtabit, ſi æger in pedes aſſurgat, ceteraſque hominis ſani functiones ad longum tempus, ſubligaculo quocumque amoto, peragat.

CAPUT XVI.

De liberatione a fluxu ſanguinis, & generatim ab hæmorrhagiis, & de vulnerum ſanatione, quæ miraculo fiunt.

1 &c. MUlier, *quæ fluxum ſanguinis duodecim annis patiebatur*, apud S. Matthæum (*a*), *acceſſit retro, & tetigit fimbriam veſtimenti* Jeſu ......, *& ſalva facta eſt ex illa hora*. Hoc ipſum miraculum referunt SS. Marcus (*b*), & Lucas (*c*), addentes, mulierem bona, Medicos vero operam in curatione perdidiſſe. Nonnulli putant, mulierem hanc fluxu hæmorrhoidali laboraſſe: at probabilior ſententia Ader, Schevchzeri, & Calmet (*d*) affirmat, fluxum fuiſſe muliebrem, continuum, & præter regulam, modumque purgationum. Legi poteſt S. Petrus Chryſologus (*e*). Mirabiles ab hæmorrhagiis ſanationes referuntur etiam in bullis Canoniz. SS. Nicolai Tolent., Raymundi Pennaf., Franciſci Xaver., & Joannis de Deo. Et Rotæ Auditores in relationibus cauſar. SS. Franciſci Xaver., Joannis de Deo, Franciſcæ Rom., aliorumque, morbi gravitate, diuturnitate, praviſque ſymptomatibus ponderatis, momentarias, & perfectas ejuſmodi ſanationes inter miracula recenſuerunt.

a cap. 9. ver. 20.

b cap. 5.

c cap. 8.

d ad cap. 9. Matth.

e to. 7. Biblioth. PP. ſerm. 33.

4. 5 Sed ut aliqua pro re præſenti ex Medicorum penu deprompta adtexantur, ſanguinis profuſio per nares, *hæmorrhagia narium* ab ipſis appellatur: per tuſſim ex pulmone *hæmophthiſis*: ex ventriculo, *hæmorrhagia ventriculi*. Dantur quoque hæmorrhagiæ *hæmorrhoidales*, *uteri*, *urinales*, & *cerebri*, ideſt apoplexia ſanguinea ex cruoris in cerebro effuſione orta. Et hæ ſunt hæmorrhagiæ frequentiores. Sed præter has aliæ contingunt hæmorrhagiæ extraordinariæ ex oculis, auribus, uberibus, manibus, aliiſque corporis partibus, quas referunt Schenckius, Amatus, Fallopius, Rejes, Bartholinus, & Stalpartius.

6 Sed ut ad ordinarias redeamus; hæmorrhagia narium critica eſt, & ſalutaris in febri ſynocha, critico, vel ſemicritico die orta: ſymptomatica vero in febribus exanthematicis, malignis, & in chroſticis morbis.

7 &c. *Hæmophthiſis*, juxta Hippocratem, ſemper mala eſt, niſi ex abundantia, aut ebullitione ſanguinis oriatur. Clinici autem obſervarunt, aliquando criticam eſſe. Cæteris periculoſior eſt hæmorrhagia ex vomitu cruento, præcipue ſi alvi dejectio picea, & graveolens conjuncta ſit.

10. 11 Hæmorrhoidalis moderata,

juxta

juxta Hippocratem, a nonnullis morbis liberat. Immodica ægrum in hydropem, alioſque morbos præcipitat apud Galenum, Ætium, Henric. Regium, & alios.

12. 13 Fluxus uteri eſt affectus retentioni, & ſuppreſſioni menſium contrarius, de quo plura Galenus. Immodicus inter graves morbos a Sennerto recenſetur.

14. 15 Fluxus ex viis urinalibus contingit, vel cum ſanguis ſincerus confeſtim, repente, & ſine dolore mingitur, & hunc Hippocrates judicat ex renum ſubſtantia *ſanguineo-vaſculoſa* prodiiſſe: vel cum parcior ſanguinis quantitas coloris nigricantis eum pure, aut ſine pure, & potiſſimum cum dolore ejicitur, & hic, juxta eumdem, ex veſica læſa, aut exulcerata ſtillavit. Jam vero ceſſantibus menſtruis purgationibus, aut hæmorrhoidibus frequentiſſime, & copioſa fit ſanguinis mictio per renes: rarius, & minore quantitate, citra dolorem, & magnum incommodum per veſicæ ſphincterem. Hæc cruenta mictio critica eſt, & ſalutaris. Sed apud Hoffmannum periculoſiſſima eſt, *quæ ex rene, vel veſica profundius læſa, & ulcerata venit, & pus cum acerbo dolore junctum habet*.

16. 17 Quod ad hæmorrhagiam cerebri attinet, idem Hoffmannus docet, eam contingere, cum vaſa ſanguinea cruore nimium farta dehiſcunt, illumque in cerebrum effundunt, ex quo fit, ut totus circularis ſanguinis motus turbetur, & intercipiatur, animaleſque, & vitales functiones langueſcant, ac tandem extinguantur. Addit Hoffmannus, ſanguineam hanc apoplexiam diſtinguendam eſſe ab alio morbo, qui fit a ſeri ſeceſſu, & quem conſequitur hemiplexia, & paralyſis totius lateris, ſed vita ſervatur; ſi enim vaſa non rumpantur, ſed ob diuturnam ſanguinis ſtagnationem ſerum ſecedat, ac vel ad cerebri baſim, vel ad alterutrum ſpinalia medullæ latus deſcendens eidem incumbat, tam ſecretio liquidi ſubtilioris activi, quam influxus in nervos intercipitur, & partes in latere alterutro ſenſu privantur, ac motu. De ſanguinea apoplexia multa diſſerunt Sennertus, & Lanciſius. Hoffmannus vero ſubdit, *vehementiorem*, quæ a ſanguine effuſo derivatur, nullatenus ſolvi: *debiliorem*, quæ a ſeri ſeceſſu procedit, difficile ſolvi; neque in hac ſpem ſalutis eſſe, niſi poſt venæ ſectionem, & poſt congrua auxilia adhibita, intra viginti quatuor horas levamen ſequatur, tertium autem diem longiſſimum eſſe moriendi terminum.

18. 19 Nunc aliqua de hæmorrhagiarum recidiva in eumdem, vel metaſtaſi in alium morbum ſubjicienda ſunt. In judicio enim ferendo de miraculo ſanationis non ſolum qualitas, & gravitas morbi, ſed etiam recidiva & metaſtaſis attendendæ ſunt. Porro narium, & pulmonum hæmorrhagiæ ſanatæ ſæpe recrudeſcunt, vel in alios morbos convertuntur. Et Practici obſervant vomitum cruentum, ſeu ventriculi hæmorrhagiam etiam poſt annorum decurſum reverti. Et juxta Hippocratem hæmorrhoidali ſuppreſſa, aqua intercus, vel tabes advenit. Harum, aliarumque hæmorrhagiarum reverſionem, & metaſtaſim latiſſime proſequitur Hoffmannus. Scribentes vero de Canoniz. SS. ab hac materia cito ſe expediunt; Bordonius enim ait, ſanationem a fluxu ſanguinis implorato Dei auxilio, miraculo tribuendam eſſe, ſimilia de narium hæmorrhagia docet Pignatellus, & de uterina Matthæuccius. Verum ſi aliqua ab hæmorrhagiis ſanatio tamquam miraculum proponatur, morbi ſpecies, gravitas, diuturnitas, & ſymptomata, adhibito Medicorum conſilio, ponderanda erunt. Et quærendum, an medicamenta exhibita, & an utilia fuerint, an ſanatio momento, & cum virium recuperatione contigerit, niſi agatur de hæmorrhagia cerebri, cujus mirifica ſanatio, utpote miraculum ſecundi generis, poteſt eſſe non repentina. Item advertendum erit, an mor-

an morbus redierit, vel in alium migraverit. Hujuſmodi quippe morborum reverſionis, vel in alios converſionis plures ſunt caſus apud Donatum. Et Zacchias de hæmorrhoiſſa a Chriſto ſanata ait: *Quod mirum duco, eſt, quod in alium morbum non inciderit*.

20 In cauſa Beatificationis S. Alphonſi Turribii inter alia miracula approbanda propoſita fuit in Congregatione rituum ſanatio cujuſdam mulieris a fluxu ſanguinis poſt diriſſimum puerperium per tres menſes continuato, & applicata Servi Dei cruce pectorali impedito. Fidei Promotor nonnulla oppoſuit adverſus facti probationem, addiditque, ſanatam gravi timore perculſam fuiſſe, crucem vero pectoralem veroſimiliter compoſitam fuiſſe gemmis jaſpidis, & ſmaragdi ad ſiſtendum ſanguinem juxta Rattray aptis, nec ſanitatem momento, immo recidivam contigiſſe. Quapropter ſacra Congregatio, utcumque Poſtulatores plura repoſuiſſent, miraculum non admiſit. In ejuſdem cauſa Canonizationis propoſita fuit ſanatio cujuſdam adoleſcentis ab hæmorrhagia narium. Et Promotor animadvertit, ſanguinis emiſſionem fuiſſe exiguam, neque ex ea ægrum debilitatem contraxiſſe: ac medicamentis, venæ ſectione, animique deliquio ad cobibendum ſanguinem apto adjutum fuiſſe: neque conſtare de repentina ſanatione, neque de morbi gravitate. Joannes Baptiſta Foſſombronus Medicus pro veritate ſtatuenda electus ſenſit, ſanationem naturaliter adveniſſe, quam proinde ſacra Congregatio inter miracula non recenſuit. Alia in cauſa B. Joannis de Prado propoſita fuit ſanatio ab hæmorrhagia. Quidam nempe Sacerdos provectæ ætatis magnam ſanguinis copiam per octo dies evomuerat, adeout a Medicis deploratus, ac Sacramentis munitus mortem expectaret: ſed Servi Dei Reliquia ejus corpori admota, a vomitu cruento liberatus fuit, viribuſque reſumptis ſe erexit, cibum petiit; & plene convaluit. Benedictus XIV. tunc Fidei Promotor inter alia oppoſuit, incertum eſſe, utrum virium recuperatio ad cibum ab ægro ſumptum, an ad miraculum referenda eſſet: ignorari quoque cruenti vomitus cauſam, & nonnullas ſanguinis per os evacuationes apud Sennertum ſalutares eſſe. Verum Emmanuel Lopez ex magna ſanguinis per octo dies effuſi copia putavit profluvium hoc ex rupto vaſe in pulmone manaſſe, & ſic periculum adfuiſſe phthiſis, hydropis, & mortis: evacuationem vero ob ſymptomata, quibus æger afficiebatur, neque criticam, neque ſalutarem fuiſſe. Similia adnotavit Lanciſius ad judicium pro veritate ferendum electus, affirmans, morbum revera gravem fuiſſe, & ex hoc alios morbos profluere debuiſſe, concluſitque cum Lopez, ſanitatem poſt invocationem momento, viribuſque recuperatis, obtentam; & abſque morbi reverſione, aut in alium converſione continuatam miraculo tribuendam eſſe, & ſane ſacra Congregatio inter miracula tertii generis illam recenſuit. Hæc palam faciunt, quid de mirandis ſanationibus ab hæmorrhagiis perpendendum ſit.

21 Hactenus de hæmorrhagiis naturalibus; nunc aliqua dicenda ſunt de hæmorrhagia, ſeu ingenti ſanguinis profuſione, quæ in vulneribus contingit. Medici, & Chirurgi nonnulla præſcribunt remedia, ut, ſauciis jugularibus vaſis, ſanguinis profluvium cobibeatur, inter quæ ſuturam, & ligamen enumerant, ut ſcilicet vas vulneratum ſuatur, vel ligetur. Vide Muſitanum, Barbettam, Municks, & Scultetum. Pulvis quoque ſympatheticus in ſiſtendo ſanguine mirabilis eſſe videtur, cujus virtutem agendi in diſtans explicat Tozzius. Nonnulli hunc pulverem laudant, alii improbant, videndi in volumine *Theatrum Sympatheticum* inſcripto: illumque ab omni ſuperſtitionis nota vindicant Cabeus, & Hieronymus Vitalis.

22 Quid-

22 Quidquid de his ſit, in cauſa S. Stanislai magna de hac re quæſtio excitata fuit. Æthiops ſervus jugulum ſibi ferro ſecuerat, adeout per vulnus reſpiraret, ac ingenti ſanguinis copia emiſſa, fandi impotens in terra animo deficiens procumberet. Teſtes aſſeruerunt, internas venas jugulares, & arterias carotides diſſectas fuiſſe, & æſophagum tranſverſe inciſum, cum digiti per os immiſſi ex ipſo vulnere conſpicerentur: accurriſſe domeſticos, arceſſitos Medicos, & Chirurgos, vulnuſque seu conſutum fuiſſe. Æthiopem baptizatum, implorato ab aſtantibus B. Stanislai patrocinio, ejuſque imagine vulneri impoſita, ſtatim a mortifera ſanguinis effuſione liberatum loquelam recuperaſſe, comediſſe, ac prorſus convaluiſſe.

23 &c. Gravitatem vulneris ex Medicorum doctrina admiſit Bened. XIV. tunc Fidei Promotor, ſed oppoſuit, alios apud Panarolam, Valeriolam, Donatum, & Munnicks a vulneribus etiam lethalibus naturaliter ſanatos fuiſſe. Et advertens, Poſtulatores reponere poſſe, caſum expoſitum ab his diſtare, alias difficultates tum adverſus ſanationis *inſtantaneitatem*, tum adverſus teſtium dicta excitavit, ſubdens, hos exaggeraſſe, & imperitos fuiſſe. *Exaggeraſſe* quidem; nam ea omnia, quæ teſtes aſſeruerant, nonniſi per integram horam peragi potuiſſent, intra quam veris exiſtentibus narratis, vulneratum ejuſmodi vulneribus mori debuiſſe, exploratum eſt apud Bohn, Schrokium, alioſque de his agentes. At enim miraculo ſervatus eſt. Sed ex hoc palam fit teſtium *imperitia*, dum miraculum ante Beati invocationem, ejus interceſſioni tribui non poſſit, ut ipſi contendebant, invocationi autem hora illa mortifera præceſſerat.

26 Lanciſius pro veritate electus in exaggerationem conſenſit, negans, digitos per os immiſſos potuiſſe ad labia vulneris in trachea pertingere. Nihilominus ob vulneris gravitatem, & ſanationis modum, hanc miraculis adſcribendam eſſe cenſuit. Multa quoque ad miraculum adſtruendum adduxerant Poſtulatores, & Manfredus pro miraculo ſcribens; verum ſacra Congregatio, penes quam inſuperabilis eſt adverſus teſtium fidem animadverſio, a miraculi approbatione abſtinuit.

27 In cauſa vero S. Alphonſi Turribii inter miracula tertii generis recenſita fuit ſubita, ac perfecta ſanatio a lethali ſtomachi vulnere, cum magno ſanguinis vomitu ex ventriculo, vena cava, & arteria magna vulneratis. Et in cauſa S. Andreæ Avellini in eodem genere approbata fuit ſanatio inſtantanea *a profundo vulnere capitis, abſque ullo cicatricis ſigno*.

28 Nonnulla huc ex Medicorum, & Chirurgorum libris addenda videntur, Conſultoribus ſacræ Congregationis profutura, cum vulnerum ſanationes, tamquam miracula proponuntur. Vulnera itaque nonnulla ſunt lethalia, & hæc quidem vel abſolute, quæ ſcilicet curam reſpuunt, quæve ſtatim, aut licet curentur, mortem irreparabiliter inferunt: vel ſimpliciter, quæ nempe aut non ſtatim, aut quandoque nullatenus mortem inducunt. Nonnulla lethalia non ſunt, eaque dicuntur, quæ quantum in ipſis eſt, ſemper ad ſalutem vergunt, licet ex accidenti, vel incuria medentis, aut vulnerati aliquando lethalia fiant, ut late explicat Munnicks, cujuſmodi præcipue ſunt apud Hippocratem, Horſt., Bellon., & Zacch. levia capitis vulnera. Quod vero attinet ad vulnera abſolute lethalia, juxta Hippocratem hujuſmodi ſunt vulnera in *veſica*, *cerebro*, *corde*, *præcordiis*, *aliquo ex tenuioribus inteſtinis*, *ventriculo*, *jecore*, *ſpinali medulla*, *hepate*, *ſepto transverſo*, & *vena ſanguiſiua*. Et ſane, quidquid alii ſcripſerint, Reineſius contendit, lethale vulnerum periculum a parte vulnerata unice deſumendum eſſe. Et Tozzius advertit, vulnera dici lethalia, ſi in

in partibus vitæ tuendæ neceſſariis conformationem, texturam, & nexum vaſorum, aut ſtructuram earumdem diſcindant, ac turbent: ſi circuitum ſanguinis interrumpant: ſi excrementorum expurgationes impediant: ſi inflammationem, gangrænam, dolorem vehementem, aut alia ſymptomata graviora inferant.

29 Paræus lethalibus accenſet vulnera lienis, & Braſaulus, & Cornelius Celſus partibus ab Hippocrate enumeratis adjiciunt veſicam felleam, pericardium, pulmonem, renes, venas, & arterias, potiſſimum circa fauces, guttur, & cerebri meninges. Tozzius addit œſophagum, & animadvertit, non omnia vulnera inſanabilia etiam lethalia eſſe: cartilagines quippe, & oſſa fracta plerumque inſanabilia ſunt, nec tamen mortem neceſſario afferunt. Quod vero ſpectat ad inteſtina tenuiora ab Hippocrate memorata, inſanabilia erunt Duodenum, Jejunum, & Ileon, facilioris vero curationis Cæcum, Colon, & Rectum, quamvis neque iſta periculo careant.

30 Omnia hæc late proſequuntur Munnicks, Reineſius, Paræus, Vidius, Pigreus. Berengarius vero Carpenſis, Donatus, Schenckius, & alii referunt, quoſdam vel a vulneribus cerebri, & viſcerum principalium liberos evaſiſſe. Sed Tozzius obſervat, eos non de partibus illorum organicis, ſed de ſuperficiariis, & extimis locutos eſſe. Primi quippe generis vulnera, abſolute; ſecundi, ſimpliciter lethalia ſunt.

31 Ex his colligi poteſt, quandonam curationes a vulneribus miraculo adſcribendæ ſint. Porro nulla habenda erit ratio vulnerum non lethalium, niſi forte lethalia facta fuiſſent. Sanationes vero a vulneribus abſolute lethalibus ad miracula ſecundi generis erunt referendæ: & inter miracula ſecundi generis recenſendæ erunt ſanationes a vulneribus ſimpliciter, aut ex accidenti lethalibus, concurrentibus ſemper requiſitis alibi deſcriptis. Medicorum, & Chirurgorum dicta, qui vulneratum curarunt, & aliorum pro veritate ſcribentium conſilia erunt diſcutienda, ut partes vulneratæ, & vulneris qualitas dignoſcantur. Signa ventriculi læſi apud Celſum ſunt pulſus languidus, ſudores graves. Alia ventriculi, & tenuium inteſtinorum læſionis indicia Paræus enumerat. Et apud Tagaultium venæ, & arteriæ læſio ex ſanguine diverſimode fluente diſtinguitur.

32 In Evangelio S. Joannis legitur (a), S. Petrum, cum turba Jeſum comprehenderet, gladio auriculam Malcho amputaſſe. *Et cum tetigiſſet* (Jeſus) *auriculam ejus*, ait S. Lucas (b), *ſanavit eum*. Nonnulli auriculam penitus fuiſſe abſciſſam, alii apud Calmet (c) capiti aliquatenus hærentem manſiſſe exiſtimant. Si primum, ejuſmodi ſanatio inter miracula ſecundi generis recenſenda erit, quia pars animalis viventis a ſuo principio diviſa illico moritur, nec, niſi miraculo, ad vitam reſtitui poteſt. Si ſecundum, ad miraculum tertii generis erit referenda, quia licet auricula medicamentis decurſu temporis naturaliter ſanari potuiſſet, id tamen momento, & per ſolum tactum manus fieri non poterat, uti obſervant Zacchias, & Schevchzerus. Et hæc regula obſervanda erit in Congregatione rituum, ſi hujuſmodi caſus proponantur. In Martyrologio quoque Romano legitur (d), S. Joanni Damaſceno manum dexteram fuiſſe amputatam, & a B. Virgine reſtitutam.

a cap. 18.
b cap. 22. v. 51.
c ad c. 14. S. Marci.
d ad diem 6. Maii.

CAPUT XVII.

De mirabili Divina ſanatione a Lea pr, Cancro, Gangrana, aliiſque quibuſdam morbis.

1.2 IN Evangelio S. Matthæi legitur (e), Chriſto Domino de monte deſcendenti occurriſſe leproſum dicentem: *Domine, ſi vis, potes*

e c. 8. v. 2.

voles me mundare. Et extendens Jeſus manum, tetigit eum dicens: volo, mundare. Et confeſtim mundata eſt lepra ejus. Hoc ipſum referunt S. Marcus (*a*), & S. Lucas (*b*). Repentinam hanc a morbo incurabili ſanationem, uti magnum miraculum, extollit S. Ambroſius (*c*), advertens, Chriſtum in hoc potentiam Patri æqualem oſtendiſſe, adverſus Photini hæreſim: divinitatem adverſus Arium: ſuæ carnis veritatem adverſus Manichæos. Alios decem Leproſos Chriſtus mundavit apud S. Lucam (*d*); cujus miraculi magnitudinem ponderans Tertullianus (*e*), ait, id factum fuiſſe *tacita poteſtate, & ſola voluntate*. Et Ader quidem, & Cornelius a Lapide (*f*) hunc morbum fuiſſe naturaliter inſanabilem oſtendunt.

a cap. 1.
b cap. 5.
c oper. to. 1. lib. 5. in Lucam col. 1356. n. 4.
d cap. 17. n. 12.
e lib. 4. contra Marcion. c. 35. pag. 451. edit. Pariſ.
f in cit. c. 17. S. Lucæ.

3 Ex Lege (*g*) diſcimus, homines, ædes, & veſtes lepra corripi: cujus indicia ſunt tumores, puſtulæ, maculæ albicantes, lucentes, & purpureæ, præcipue ſi in maculis adſint pili ſubrubri, & cutis ſit inæqualis. Corruptus interius ſanguis extrinſecus prodiens hunc morbum parit: alii quibuſdam vermibus ipſum tribuunt. Contagione quoque contrahitur; quapropter in Lege cautum erat, ut Leproſi, etiamſi Reges eſſent, in loca infrequentia ab aliorum conſortio penitus ſegregarentur, eorumque cadavera ab aliis ſegregata tumularentur. Morbi gravitatem S. Cyrillus Alexandrinus (*h*), & Toſtatus (*i*) inſinuant: Calmet vero ex communi Medicorum ſententia affirmat, lepram exorientem curari poſſe, ſecus inveteratam. Medici advertunt, etiam in ſcorbuto maculas cum inflatione, & eroſione gingivarum, & vacillatione dentium apparere, quocirca Aretæus, Galenus, Valeriola, Hildan., & Horſt., ſigna lepræ propria eſſe ſtatuunt cutem nunc liveſcentem, nunc flaveſcentem, & rubronigricantem, unctuoſam, rugoſam, furfuraceam, nodis, tuberculis, & impetigine conſpurcatam, aures tenſas, narium pinnas tumidas, & gravem pruritum. Porro in bullis Canoniz. SS. Willhelmi Abb., Eadmundi Epiſc., & Franciſci Xaverii, necnon in relat. Auditorum Rotæ in cauſa ejuſdem S. Franciſci, ac in relat. Cardinalis a Monte ſuper Actis Canoniz. B. Eliſabethæ Reginæ Portugalliæ, ſanationes a lepra inter miracula recenſentur.

g Levit. 13.
h de adorat. in ſpiritu & ver. lib. 15. pag. 537. oper. to. 1.
i in Levitic. cap. 13. quæſt. 9.

5 Putat Ranchinus, lepram Hebræorum fuiſſe diverſam a lepra Græcorum, Arabum, & Europæorum, cum illa non a Medicis, ſed a Sacerdotibus curanda eſſet. Apud Donatum, & Rejes nonnulli leproſi non infecerunt familiares, quibus utebantur. At Sennertus docet, lepram Arabum non ſolum per contactum, ſed etiam ex intervallo inficere poſſe. Quidquid de his ſit, Medici noſtri docent, Scabiem, Pſoram, & Lepram gradibus tantum diſtare. *Scabiem* appellant minimas puſtulas cutem fœdantes, *Pſoram*, ſi pruritus adjiciatur, *Lepram*, ſi hæc ſymptomata cutem interius lædant. Lepram quoque diſtinguunt in ſiccam, vel ſquamoſam, vel furfuraceam, quam dicunt *Græcorum*, & in ſanioſam, & magis malignam, quam appellant *Arabum*, ſive *elephantiaſim*. Ut prætereatur lues venerea, quam Calmet idem cum lepra eſſe putat; affectio ſcorbutica eſt congeries ſymptomatum, quæ corporis organa intus, & foris varie torquent, cujus ſigna apud Lindanum ſunt: *Ardor, & titillatio in gingivis cum ſubſequente cruentatione: calor purpureus ſub concavo oculorum: macula præſertim in fæmoribus, & infirmioribus tibiarum partibus: genuum vacillatio: intenſus oris fœtor: phlogoſis in cerebro, & exæſtuatio per totum corpus*. Etmullerus addit arenulas rubras matulæ urinali adhærentes. Jam vero ſi aliqua ab his morbis ſanatio, tamquam miraculum, proponatur, ea omnia ſingillatim advertenda eſſe diximus, ut ſanationes inter miracula poſſent recenſeri. Interea a lepra, quæ cancer univerſalis ab Avicenna dicitur, ad cancros particulares tranſeamus.

Digitized by Google

6 De hoc actum fuit in cauſa S. Aloyſii Gonzagæ. Quædam Monialis integro quadriennio in ſiniſtra corporis parte doloribus moleſtiſſimis divexata fuerat, cum quadam nocte vehementi diſtillationis, & tuſſis impetu excitata ſub mamilla ſiniſtra quiddam ovi magnitudine, & marmoris duritie invenit, quod cancrum eſſe ipſa, aliique, præcipue Medici, exiſtimarunt, tum propter conditionem perſonæ Virginis, tum propter ſolitam cancrorum occultorum magnitudinem, & duritiem, & demum propter effectus inde ſecutos, intenſum videlicet dolorem, internam eroſionem, nocturnas vigilias, & aliarum operationum vitalium, & partium adjacentium læſionem. Ægra per tres menſes in hoc ſtatu permanſit, donec S. Aloyſii Reliquia parti infirmæ admota, ſtatim ab hoc, & ab antecedenti morbo ſana omnino, & incolumis evaſit. Re ad Auditores Rotæ delata, ſeptem inſignes Urbis Medici juſſi ſunt ſenſum ſuum ſuper hoc aperire, iique, attenta morbi qualitate, & duratione, ſubitam abſque medicamine ſanationem miraculo contigiſſe affirmarunt, quæ proinde tum ab Auditoribus Rotæ, tum a rituum Congregatione inter miracula recenſita fuit.

7. 8 Similis ſanatio propoſita fuit in cauſa S. Laurentii Juſtiniani. Matrona quædam ſeptuagenaria febri laborans, tumore nigro, duro, ovique magnitudine cum doloribus acerbiſſimis in pectore correpta fuerat. Tumor Medicorum juſſu oleo liliaceo, & amygdalino oblinitus paululum ſuppuravit; ſed ægra ad extremum deducta eſt: quare implorata S. Laurentii ope, morbus ſtatim evanuit. Zacchias juſſus ſenſum ſuum pro veritate exponere, morbum fuiſſe dixit tumorem cancroſum cum ulcere in pectore, cujus qualitate, necnon ægrotæ ætate, medicamenti adhibiti ineptitudine, ac modicæ evacuationis inutilitate expenſis, ſubitam, ac perfectam ſanationem, nullo infirmitatis remanente veſtigio, miraculoſam eſſe concluſit. Zacchiæ ſententiam laudavit Romulus Spetiolus, & ſacra Congregatio ſub Alexandro VIII. inter alia miracula hoc quoque approbavit. Similem cujuſdam mulieris a duobus cancris inveteratis, & Medicorum judicio inſanabilibus ſanationem, interceſſione S. Joannis a S. Facundo obtentam, Congregatio eadem inter alia miracula admiſit in ejuſdem Sancti cauſa. In cauſa quoque S. Franciſci Solani approbatum legitur miraculum *repentinæ ſanationis Joannæ de Blancas a tumore canceroſo*. Sed in hoc nonnulla notatu digna expendenda ſunt.

9 &c. Mulier hæc, cancro in mamilla ſiniſtra in dies magis intumeſcente, acutiſſimis doloribus omnem quietem prohibentibus per ſeptennium laboraverat, nec humanis remediis quidquam proficientibus, ad interceſſionem B. Solani confugit, & placidiſſime quievit. Poſt ſomnum dolorem amplius non ſenſit. Ad eccleſiam perrexit, ante effigiem Beati oravit, ac domum reverſa, tumor repente crepuit, copioſa aqua effuſa. Ægra mortuæ ſimilis decubuit, vocatiſque Medico, & Chirurgo, hic ingentem cancrum, cum radicibus varicoſis, ac teterrimi coloris, abſque ullo patientis dolore, aut ſanguinis eruptione extraxit, injectiſque in cavitatem, quæ remanſit, medicamentis, nona die ægra perfecte convaluit. Nonnulli ex Medicis Urbis morbum cancrum fuiſſe exiſtimarunt, alii tumorem canceroſum: omnes in miraculum conſenſerunt. Clariſſimus Malpighius tunc in Urbe degens ſuper hoc interrogatus, pluribus de cancro, & tumore adnotatis, mirandum in hoc caſu fuiſſe, ait, quod tumor non redierit, nec ſanguis in extractione fluxerit.

12 Benedictus XIV. tunc Fidei Promotor in ſuis animadverſionibus ſuper hoc miraculo diſputandum propoſuit, an prædictus aquei humoris a tumore ſponte rupto effluxus naturæ cancri opponeretur, hancque humor ipſe ita emol-

emollire, aut excavare potuerit, ut tam facile extraheretur: concluſitque, ex Peritorum judicio incertum eſſe, morbum fuiſſe verum cancrum, idcirco ejus ſanationem ſolum inter miracula tertii generis eſſe recenſendam; immo neque ad hæc, utpote non ſubitam, reduci poſſe.

13. 14 His animadverſionibus reſpondit Dominicus Lopez, oſtendens cum Boneto contra Claudinum, verum in mammis cancrum contingere: cancrum vero ab aquoſo illo humore neque vi emolliente, neque corrodente evelli potuiſſe. Emollientia ſiquidem cancro adverſanturi corroſio apud Medicos ad interitum ducit. Acceſſerunt reſponſiones aliorum tum de facto, tum de jure ſcribentium. Quare ſacra Congregatio poſt maturum examen, attentis tot Medicorum ſuffragiis, totque circumſtantiis miraculoſæ ſanationi faventibus, morbum quidem tumorem canceroſum dumtaxat appellavit, ſed ſanationem inter miracula tertii generis retulit, cum defectus inſtantaneitatis cicatricem potius, quam ſanationem reſpiceret.

15. 16 Si itaque aliqua a cancro ſanatio proponatur, ante omnia examinandum eſt, an morbus fuerit cancer, an ſcirrhus, an tumor medius, de quo Ludovicus Mercatus. Noſtrum non eſt cancri cauſas ſcrutari. Sennertus ab atra bili: Munnicks ab acido acriori repetit. Illud vero hic advertendum eſt, omnes corporis partes, juxta Galenum, cancro affici poſſe, ſed præcipue laxiores, & fungoſas. Cujus ſigna apud Sennertum ſunt tumor initio exiguus, & ſenſim creſcens, coloris plumbi, & lividi, ardorem intus, & quaſi venas habens nigro ſanguine diſtentas: dolorem modo majorem, modo minorem infert, ejuſque cauſa materialis in venis præcipue reſidet, quæ pedes, & brachia cancri referunt. Similia docet Æſtius. Et quod attinet ad ſcirrhum, hic dolore caret, & humor, qui ipſum efficit, non in venis præcipue, ſed in ſpatiis, & poris reſidet, & tardius, quam cancer creſcit, veluti proſequuntur Sennertus, Munnicks, & Celſus.

17. 18 Quod ſpectat ad cancri curationem, Galenus teſtatur, ſe cancrum incipientem curaſſe; auctum vero relati Auctores incurabilem exiſtimant. Et celebris eſt Hippocratis aphoriſmus 38. *Cancros occultos habentes melius eſt non curare; curati enim cito pereunt: non curati vero longius tempus perdurant.* Quo etiam uſus eſt S. Auguſtinus (*a*), referens inſigne miraculum ſanationis cujuſdam mulieris a cancro in mamilla. Quid vero per cancros occultos Hippocrates intellexerit, Medici diſputant: ac probabilior eſt ſententia illum explicans de cancris nondum apertis, aut ulceratis.

a lib. 22. de Civit. Dei cap. 8. col. 665. n. 3. oper. to. 7.

19 Hæc palam faciunt, cancrum, non incipientem, ſed confirmatum, ſive ulceratum, ſive non ulceratum, judicio Medicorum inſanabilem eſſe. Exulceratus vero cognoſcitur ex ulceris fœditate, labiis craſſis, & ſimilibus, quæ late explicat Munnicks. Teſtatur Sculterus, ſe cancrum curaſſe, mamilla abſciſſa, & igne in partem diſſectam injecto, ſed præterquamquod cancer, eodem teſte, profundas radices nondum egerat, & ſanata aliis morbis laboravit, hæc curatio ambigua eſt, cum vera curatio in eo ſita ſit, ut mamilla remaneat, & cancer ſanetur. Similem ſanationem refert Platerus, ſed & ipſe fatetur, morbum recruduiſſe. Et hoc quidem Avicenna, Mercatus, aliique paſſim affirmant, cancros ſcilicet curatos, aut repullulare, aut alios tumores gignere. Quapropter ſi aliqua ſanatio a cancro tamquam miraculum proponatur, non ſolum advertendum eſt, an morbus confirmatus fuerit, ſed etiam an ſanatio, invocato Servo Dei, vel Beato, perfecta, excluſa metaſtaſi, & recidiva contigerit. Quæ ſi verificentur, de miraculo non erit dubitandum, etiamſi medicamenta adhibita fuiſſent, & ſanatio non ſubito contigiſſet, cum ex dictis cancer medicamentis non ſanetur.

tur, nec ſubita ſanatio ad miracula ſecundi generis requiratur. Legi poſſunt bullæ Canoniz. SS.Thomæ de Villanova, Caroli Borrom., Ignatii Loyol., Franciſci Xaver., necnon relationes Auditorum Rotæ in cauſis SS. Tereſiæ, Eliſabethæ, & B. Hieronymi Æmil. Sed quid dicendum erit de ſanatione a ſcirrbo? Ægineta, & Ætius conſentiunt, ſcirrhos inveteratos, nullatenus; recentes vero difficillime curari poſſe, præſertim in partibus internis, & præcipuis. Hoc ipſum de ſcirrho hepatis teſtatur Galenus. Ex quibus Conſultores ſacræ Congregationis diſcere poſſunt, quandonam ſcirrhus ſit curatu facilis, vel difficilis; ſanabilis, vel inſanabilis; & quando ejus ſanatio miraculis ſecundi, vel tertii generis adſcribenda ſit.

20 &c. Teſtes imperiti ulcus, gangrænam, ſphacelum, & fiſtulam pro cancro paſſim uſurpant; ideoque in cauſis Beatificationis, & Canoniaationis Periti advocandi ſunt., qui morbi, de quo agitur, qualitatem, ſigna, & ſymptomata expendant, ut morbus innoteſcat. Sed ut ſacræ Congregationis Conſultores aliquid quoad hos morbos præ oculis habeant, ulcus eſt *ſolutio contiaui cum imminuta magnitudine in parte molli, ortum habens a materia erodente*. Hæc definitio exacte diſtinguit ulcus ab vulnere: in hoc enim nihil ex neceſſitate de parte affecta amiſſum eſt: in ulcere autem, juxta Munnicks, aliquid ſemper amiſſum obſervatur. Gangræna, & ſphacelus ſunt partis mollioris affectæ mortificatio, minor tamen in prima, & major in ſecundo, qui etiam partes ſolidiores, puta oſſa, invadit, ut notat Sennertus. Et juxta Æginetam, & Avicennam pars ſphacelo affecta ſenſum amittit, ſecus in gangræna. Fiſtula vero eſt ſinus oblongus, & calloſus fundum habens latum, orificium autem anguſtum, ex quo aliquid aſſidue expurgatur, niſi magna calloſitas expurgationem impediat. Videantur Zacchias, Dolæus, Muſitanus, & Munnicks. Porro mirandæ ab his morbis ſanationes referuntur in Actis Canoniz. SS. Aloyſii Gonzagæ, Ludovici Bertrandi, Paſchalis Baylon, Vincentii a Paulo, & aliorum. Alia miracula ſanationis a fiſtulis legi poſſunt apud S. Auguſtinum (a).

24 Matta, Bordonus, & Matthæucc. vim totam pro miraculo in his morbis conſtituunt in ſanatione ſubita, & momentaria. Verum alia plura, antequam de miraculo ſanationis feratur judicium, advertenda videntur. Et quod ſpectat ad ulcus, ejus forma, ſubjectum, cauſa, gravitas, & diuturnitas obſervanda ſunt: item an fuerit cum humorum affluxu; utrum internum, & latens, an externum, & patens; num ſine oſſis, an cum oſſis corruptione, vel carie: ex his quippe Munnicks facilem, vel difficilem eſſe ulceris curationem colligit, & hanc quidem difficillimam eſſe ait, ubi oſſium caries, vel corruptio adſit. Hoc ipſum de ulcere rotundo docent Hippocrates, & Valleſius: & de ulcere in partibus nerveis, membranaccis, & cartilagineis affirmat Hoffmannus: de putido, & graveolenti narium ulcere late Sennertus.

26 Refert Schenckius, matronam quamdam a graviſſima gangræna arte, & medicamentis convaluiſſe. Sennertus vero docet, gangrænam periculoſam eſſe, & in ſphacelum, qui periculoſior eſt, degenerare, niſi citiſſime curetur, quæ quidem curatio in juvene facilis eſt. Et apud Uffembacch. fiſtula antiqua, & in ſene, difficilius curatur, quam recens, & in juvene.

27. 28 Hæc igitur, & alia ex Medicis deſumenda in ulceribus, gangrænis, & fiſtulis, præter ſubitam ſanationem, examinanda ſunt, antequam ſanationes ab his morbis miraculis adſcribantur. Medicamentorum quoque ratio habenda eſt, num forte ipſis ſanatio tribui poſſet; quin etiam antequam miraculum ſtatuatur, congruum tempus expectandum eſt, ut intelligatur, an ulceris, & fiſtulæ cicatrizationi alius morbus ſucceſſerit, cum meтаſta-

a lib. 22. de Civit. Dei cap. 8. col. 665. loc. cit.

taſtaſis miraculi approbationem impediat: & metaſtaſis quidem, aut etiam reverſio, his morbis ſanatis, facilis eſt, teſtibus Hippocrate, Amato Luſitano, Dolæo, Sennerto, & aliis. Et hoc ipſum Doctor de Marcangelis in cauſa S. Vincentii de Paulis ſuper miraculo ſanationis ab ulceribus advertit.

CAPUT XVIII.

De ſanatione a febri, quando ſit miraculo adſcribenda.

1 &c. SAnctus Joannes in Evangelio (*a*) fuſe exponit, quomodo Chriſtus filio Reguli febri laboranti ſalutem reſtituit. S. Matthæus (*b*) quoque, S. Lucas (*c*), & S. Marcus (*d*) referunt, ſocrum Simonis ſimili morbo ab eodem fuiſſe liberatam. Et hanc ſanationem Sedulius verſibus elegantiſſime expreſſit. Porro utriuſque ægroti febrim gravem fuiſſe, ex ipſo ſacro textu colligitur, & pluribus demonſtrant Ader, Zacchias, & Schevchzerus, qui etiam miraculi magnitudinem extollit, quod morbus ad Chriſti nutum, & juſſum evanuerit, priſtinis ægro viribus redditis. Aliud liberationis a febri miraculum narratur *Actor.* 28., ubi D. Paulus *patrem Publii febribus, & dyſenteria vexatum ... ſalvavit*. Porro dyſenteriæ gravitatem febres indicant; benigna quippe dyſenteria eſt, quæ nullam, vel admodum levem, maligna vero, quæ gravem febrem habet comitem. Hoc ipſum indicat vexatio, cum ab aliquibus dyſenteria *tormina* a torquendo dicta ſit. Videantur Celſus, & Sennertus.

a c.4. v.46.
b c.8. v.14.
c c.4. v.38.
d c.1. v.30.

4 Febris ex Hippocrate, & Galeno dicitur *converſio nativæ caliditatis in igneam naturam*. Aliter eam definiunt Avicenna, Williſius, aliique Medici, quorum plures apud Tozzium docent, eam non eſſe revera morbum, ſed motum commotæ fermentationis in ſanguine ad hunc depurgandum, quod quidem evenit, ſi febris nec nimis levis, nec valde vehemens ac diuturna ſit. Quapropter febris non a *ferveo*, ſed a *februo*, ideſt *emundo* dicitur, unde concludit Tozzius, eam *non ſemper nocuam eſſe, ſed ſæpe ſæpius ſalutarem.*

De Febre Hectica.

5 Non vacat hic integrum de febribus edere tractatum, ſed exempla afferemus ſanationum a febribus in ſacrorum rituum Congregatione examinatarum, ex quibus ejuſdem Conſultores, quid dicendum ſit, occaſione oblata, dignoſcere poterunt. Neque enim omnis, licet ſubita, febris ſanatio poſt invocationem Servi Dei, miraculo ab eadem ſacra Congregatione adſcribitur, ut colligere eſt ex *Actis Canoniz. S. Raymundi de Pennafort* a Penia editis.

6 &c. De ſanatione vero a febre hectica actum fuit in cauſa S. Caroli Borromæi. Candida ſcilicet de Agudis Monialis Capuccina tribus annis, & amplius febri hectica laborabat, quamobrem in extremo vitæ periculo conſtituta, cum vota Famulo Dei Carolo nuncupaſſet, ejuſque veſtem paulisper tetigiſſet, incolumis omnino ſurrexit. Porro morbi gravitatem certam reddebant tum ejus duratio, tum gravia ſymptomata, infirmitas ſcilicet virium, & convulſiones, tum demum, quod hectica tertiæ eſſet ſpeciei. Hæc enim febris tres habet gradus. Primus eſt, in quo calor febrilis adeo lenis eſt, ut vix percipiatur, unde & facile curatur. In ſecundo exacerbatur, præſertim paulo poſt cibum; hæc difficilioris eſt curationis. In tertio adeo augetur, ut corpus univerſum extenuet, atque in hoc gradu febris hectica dicitur maraſmodes, maraſmus, ſive tabes, evaditque incurabilis, ut videre eſt apud Galenum, Avicennam, & alios. Jamvero cum Rotæ Auditores, perpenſis morbi ſymptomatibus, ſanationem ad miraculum ſecundi generis retuliſſent, ſacra rituum Congregatio eam libenter inter miracula recenſuit, ut ſcribit Grattarola.

9. 10 Alia

9. 10 Alia a febri bectica ſanatio propoſita fuit in cauſa S. Aloyſii Gonzagæ. *Camilla* nempe *de Ferrariis febri bectica, & phthiſi cum ſanguinis excreatione per annos octo laboravit, & pluribus medicamentorum generibus fruſtra adhibitis, incurabilem omnino infirmitatem Medici cenſuerunt.* Quamobrem morti proxima, implorata S. Aloyſii ope, *illico priſtinæ ſanitati reſtituta eſt*. Verba ſunt relationis Rotæ Auditorum. Qui ſane Auditores hanc ſanationem miraculoſam fuiſſe aſſeruerunt, *tum ratione facti*, quia morbus fuit phthiſis in ſpecie confirmata; *tum ratione modi*, quia febris adeo diuturna non potuit naturaliter tam ſubito removeri; itaut ægra penitus convaluerit. Adhæſit rituum Congregatio, quæ tamen, ut & Rotæ Auditores, antequam ſanationem miraculo adſcriberent, tum Medici ordinarii atteſtationem, tum octo inſignium Medicorum Romæ Cenſorum approbationes conſiderarunt, qui quidem Medici præter ſuperius dicta adnotarunt, vetitum fuiſſe a peritis, *ne Domeſtici quicquam uterentur ex iis*, quibus infirma utebatur, ne eodem morbo inficerentur; ac demum omnes affirmarunt, ſanationem *non ſine magno miraculo, interceſſione B. Aloyſii accidiſſe*.

11. In prima ſanatione, quæ interceſſione S. Caroli obtenta fuit, nulla fit mentio expuitionis ſanguinis, quæ ex pulmonum, vel aliorum viſcerum ulcere derivatur; neque legitur a Medicis interdictum aliis fuiſſe uſum rerum, quibus infirma utebatur. Neque tamen ex his hecticæ febris defectus inferri poteſt. Siquidem apud Fernelium datur hectica ſine ulla pulmonum labe. Et apud peritiores Medicos non omnis, licet tertiæ ſpeciei hectica, ſed quæ cum phthiſi, & ulcere pulmonis conjungitur, contagioſa eſt, ut recte proſequitur a Rejes. Demum in ſanatione, quæ interceſſione S. Aloyſii contigit, dubitari poterat, quomodo febris hectica cum phthiſi conjuncta tamdiu durare potuerit, ait enim Hippocrates *hic morbus multis ad tres annos perſeverat, verum moriuntur*. Nihilominus Angelus Victorius, Philander Collutius, & Hippocrates ipſe teſtantur, hos morbos diutius etiam protrahi poſſe, juxta diverſas corporum, ætatis, morbi, temporis, & tolerantiæ qualitates, quæ tamen forte locum non habent, ubi morbus ad maraſmum, & extremam maciem devenerit. Simile miraculum approbatum fuit pro Canonizatione S. Roſæ Limanæ.

De Febri cum delirio, & lethargo.

12. 13 Mirabilis ab hac febri ſanatio occurrit in cauſa S. Catharinæ de Bononia. Soror Maria Gertrudes de Ghirardellis Monialis monaſterii SS. Corporis Chriſti ann. 1673. menſe Octobri in levem febrim incidit, & quamvis Medici præſto fuerint, 24. Novembris ſupervenit delirium, mox ſopor invaſit, qui in lethargum, & tremorem degeneravit. Die 8. Decembris morbus remiſit, itaut infirma Sacramentis muniri potuerit, mox vero recruduit, ac biduo ſine ullo alimento, ac validiori lethargo oppreſſa infirma permanſit, itaut neque igne, neque alia vi excitari potuerit. Viribus prorſus deſtituta, quinquaginta quatuor diebus a die decubitus jam elapſis, implorata S. Catharinæ ope, incolumis ſtatim ſurrexit, ac omnia ſanæ Monialis munia explevit, nullo adverſæ valetudinis indicio apparente.

14. 15 Undecim oculati teſtes omnia hæc comprobarunt, inter quos Medici tres, & unus Chirurgus, qui etiam pro miraculo ſteterunt, uti ſane ex Decreto 17. Maji 1707. edito approbatum fuit: & merito, ſtantibus graviſſimis enumeratis ſymptomatibus febri acutæ adjunctis; quæ juxta Hippocratem, Celſum, Mercatum, alioſque mortem vicinam indicant. Neque vero morbus quadrageſimum diem, qui acutorum morborum terminus eſt,

præ-

Digitized by Google

prætergreſſus, in declinatione fuiſſe dici potuit; in his enim morbis dies critici juxta Valleſium, & Andream Laurentium, non ſolum a die invaſionis morbi, ſed etiam a die ſuperinducti morbi, ſunt computandi.

De Febri Maligna.

16 Duplex eſt hujus febris cauſa: altera a nimia ſanguinis craſſitie; altera ab ejuſdem ſolutione pendet. Febris maligna a ſolutione pendens ſummam ſecum virium laſſitudinem, diarrhæas in principio, hæmorrhagias, ſudores, urinas copioſas affert. Craſſities contra nimiam fluidorum remoram, ſomnolentiam, & pondus in corpore inducit. Hæc tamen non ita difficulter, ut altera, curatur. Videantur Williſius, & Hippocrates, qui etiam febrium malignarum gradus diſtinguens docet, eas vel quarto die, aut prius occidere, vel ad ſeptimum, undecimum, decimum quartum, decimum ſeptimum, aut vigeſimum produci.

17. 18 Porro ſacra rituum Congregatio ſanationes ab hujuſmodi febribus juxta diverſas rerum circumſtantias aliquando inter miracula recenſuit, interdum a miraculis abjudicavit. Recenſuit ſcilicet in cauſis SS. Cajetani, Roſæ Limanæ, & Stanislai Koſtkæ. Rejecit vero in cauſa Beatificationis S. Catharinæ de Riceiis, aut quia Medicorum, qui curationi interfuerant, de febris malignæ ſymptomatibus atteſtationes deerant, aut quia de ſubita ſanatione, aut de momentaria virium recuperatione non conſtabat. Quamobrem quoties ſimilia in ſacra Congregatione proponantur, afferendæ ſunt Medicorum atteſtationes, qui curam præſtiterunt, & aliorum pro veritate conſultorum judicium expectandum eſt, & inquirendum de febris duratione, de remediis adhibitis, de excluſione bonæ criſis, de momentaria, & conſtanti ſanatione, ac de perfecta virium recuperatione absque recidiva, & abſque converſione in alium morbum: nam juxta Hippocratem febres, quæ *ſine ſignis coctionis ceſſant*, aut in malos dolores converti, *aut diuturnitatem, aut mortem, aut recidivam afferre ſolent*.

19 Contendit Matthæuccius in ſua Practica Theologo-Canonica, ſanationem a febri maligna in infirmo, qui poſt longas vigilias, invocato Dei Servo, ſomno correpto incolumis excitetur, inter miracula eſſe recenſendam. Atque eadem fuit ſententia, Joannis Mariæ Lanciſii Medici in cauſa B. Petri Forerii; itemque Joannis Mariæ Thomaſii Medici in cauſa B. Agnetis a Monte Politiano. Secus autem dicendum eſſe videtur in febribus acutis, ac multo magis in ſynochis, & ephemeris, cum in his per ſomnum aliqua criſis ſequi poſſit, uti cum Fidei Promotore in cauſa B. Hyacinthæ de Mareſcottis idem Lanciſius conſenſit.

De febribus ſymptomaticis, & primo de febri, cui conjuncti ſunt bubones.

20. 21 Hactenus de febribus primariis, quæ a propria cauſa pendent, nunc de aliis, quæ ab aliis morbis oriuntur. In cauſa S. Franciſci Solani Poſtulatores ſequentes ſanationes inter miracula recenſendas eſſe contenderunt. Franciſca nempe Victoria, ejuſque frater in civitate Montiliæ, ubi peſtis poſtea graſſata fuit, vehementiſſima febri cum vomitu, & bubonibus correpti fuerant, atque horum quoque matrem ex contactu filiæ graviſſima febris invaſit. Porro matri, & filiæ vena ſecta fuit, fratribus vero bubones oleo amygdalino inuncti fuerunt, ſed inutiliter. Verum B. Solani imagine iis applicata bubones evanuerunt, omneſque incolumes evaſerunt.

22. 23 Multa adverſus facti probationem Fidei Promotor adduxit, ac præterea animadvertit, infirmis fuiſſe

prædictis remediis ſubventum, buboneſque etiam peſtilentes, quibus ceteroquin mater caruit, naturaliter ſanari poſſe. His omnibus Poſtulatores ſatisfacere conati ſunt. Et Medici pro cauſa ſcribentes, febrim fuiſſe in iis omnibus peſtiferam cenſuerunt, venæ autem ſectionem in morbo peſtilenti damnum potius juxta plurium ſententiam apud Diverſum, quam utilitatem afferre: ac ponderata in omnibus iis ægris ſubita ſanatione, ſacræ Congregationi inſinuarunt, eam eſſe miraculo adſcribendam. Conſultus fuit ſuper his clariſſimus Malpighius, qui & ipſe conſenſit, febrim fratrum certo, matris vero probabiliter ex ſignis fuiſſe peſtilentem, ſed in matre minus gravem; & ex aliorum Medicorum ſententia bubones naturaliter curari, ac remedia adbibita juvare potuiſſe affirmavit: modum tamen ſanationis inſtantaneum mirabilem fuiſſe cenſuit.

24 &c. Poſt hæc, cauſa rurſus propoſita, Emmanuel Lopez diſſertationem exaravit, affirmans, febrim etiam in matre gravem, ac peſtilentem fuiſſe; bubonum retroceſſum in filiis naturaliter funeſtum eſſe debuiſſe; remedia vero adbibita non eſſe attendenda, cum neque olei amygdalini inunctio bubones tam ſubito excutere potuerit, ac poſt ſanguinis miſſionem omnia ruerint in deterius. Adhæſit Lanciſius a Pontifice juſſus ſenſum ſuum pro veritate aperire. At ſacra Congregatio, re mature diſcuſſa, nec matris, nec fratris ſanationem inter miracula recenſuit, tum ob defectum ſufficientis probationis, tum quia juxta Malpighium febris matris minus gravis fuit. Miraculis vero accenſuit ſanationem Victoriæ filiæ tum ob febris gravitatem, tum ob bubones, qui juxta Riverium maximum periculum minantur, tum demum ob repentinam, perfectamque ſanationem. Bubonum quoque retroceſſus ad imaginis applicationem in maximo habitus eſt pretio. Siquidem bujuſmodi retroceſſus, Valleſio, Paræo, Septala, aliiſque teſtibus, lethalis omnino eſt. Et univerſa Medicorum, & Chirurgorum ſchola bubones retrocedentes revocare ſtudet, immo etiam immaturos aperire. Et Hoffmannus obſervat, peſtilens hujus febris venenum, neque per ſudores, neque per alvi, aut alium fluxum expelli, ſed tantum per excretionem, quæ fit per tumores in externo corporis ambitu prodeuntes.

27. 28 Neque vero recenſita remedia miraculo obſtare potuerunt; vel quia poſt ipſa adhibita aucta febris eſt, vel quia oleum amygdalinum exterius adhibitum venenum in bubonibus tollere non poterat; vel quia admiſſa juxta Celſum, & Hoffman. cit. ſectionis venæ utilitate, repentina ſanatio abſque miraculo contingere non poterat. Quamobrem ſacra rituum Congregatio hanc Victoriæ ſanationem inter miracula tertii generis admiſit, cui ſententiæ Medici ordinarii, ceterique in Urbe pro veritate ſcribentes ſuffragati fuerant, inter quos Malpighius ipſe, qui modum ſanationis appellavit *mirabilem*, quam vocem Benedictus XIV., etſi ut Fidei Promotor miraculum non ſignificare contenderit, uti Conſultor tamen Congregationis pro vero miraculo aliquando ſumi affirmavit.

De Febri Eryſipelacea.

29 Hæc febris in pluribus ſymptomatibus febri peſtilenti affinis eſt: differt vero, quod ipſa, ſecus ac peſtilens, a cauſa interna oritur, neque contagioſa eſt, neque periculoſa, niſi intus retrogrediatur, ut videre eſt apud Hoffmannum, & Hippocratem. Et Tozzius addit, pernicioſiorem eſſe eryſipelatis retrogreſſum, qui ex defectu naturæ, quam qui ex cauſa externa, puta lotione aquæ frigidæ, eveniret.

30. 31 De liberatione ab boc morbo actum fuit in cauſa S. Tereſiæ. Quædam nempe Monialis, juxta Auditorum Rotæ relationem, gravi eryſipelate

late, & ingenti febre a pluribus annis laborabat, quam cum S. Tereſia manu tetigiſſet, morbus illico evanuit. Et ipſi quidem Auditores, ponderata ſanatione, ejuſque modo, miraculum aſſeruerunt; ſimileque judicium de re ſimili tulerunt in cauſa S. Petri de Alcantara. Quapropter ſi gravis morbus ad contactum manus Servi Dei, cujus virtutea approbatæ ſint, illico recedat; tuto poterit pro miraculo pronunciari. At ſi ſanatio aliter contingat, ſedulo inquirendum erit de qualitate morbi, de remediis adhibitis, de modo ſanationis, de excluſione criſis, & de perfecta ſanatione recidiva, cum eryſipelas, teſte Sennerto, ſit morbus revertens.

32 Eryſipelas, juxta Practicos diſtinguitur in *verum*, ſeu ſimplex, in *nothum*, ſeu ſcorbuticum, in ulceratum, & non ulceratum. *Nothum* modo phlegmonibus, quod periculoſius eſt, modo ſcirrhis, quod longius protrahitur, modo ædemati conjungitur, quod ſi exulceretur, facillime in gangrænam vertitur. Febrim vero eryſipelaceam modo idiopathicam, modo ſymptomaticam appellant. Porro facilius curatur *verum*, & non ulceratum, quam *nothum*, & ulceratum; ac gravius, & periculoſius eſt in ſenibus, in corporibus impuris, & in capite, quam in Juvenibus, & in aliis corporis partibus, veluti proſequuntur Ægineta, Munnicks, Franciſcus Romanus, aliique.

33 De ſanatione ab eryſipelate in capite actum fuit in cauſis SS. Turribii, & Joannis a Cruce; ac Benedictus XIV. tunc Fidei Promotor, præter ea, quæ adverſus facti probationem oppoſuit, animadvertit, remedia opportuna in his morbis præſtita fuiſſe, & ex aliis circumſtantiis ſanationes naturaliter contingere potuiſſe. Quamobrem ſacra Congregatio ab iis inter miracula approbandis abſtinuit, ut colligere eſt ex Decretis 5. Febr. 1725., & 11. Januar. 1726. editis.

De Febri ex Angina.

34 Angina ab angendo dicitur, & eſt moleſtus ſpirandi, & deglutiendi labor faucibus inflammatis, atque intumeſcentibus. Practici eam diſtinguunt in *veram*, quæ a ſanguinis ſtaſi, & in *notham*, quæ a ſeri magis, quam a ſanguinis congeſtione oritur. Utramque febris aliqua comitatur: atque ſi angina internis laryngis muſculis inſideat, neque extrinſecus rubor, ſed intrinſecus dolor urgeat, voxque ſupprimatur, ac ſpiritus difficilis reddatur, periculoſa eſt, juxta Hippocratem, qui hoc ipſum innuit de angina, quæ evaneſcere abſque reſolutione, aut expurgatione videtur; tunc enim in pulmonis inflammationem convertitur. Unicum remedium apud omnes Medicos adverſus hunc morbum eſt venæ ſectio. Qui plura velit, Hoffmannum conſulat. Jam vero, ut hujus morbi ſanatio miraculo adſcribatur, non ſatis eſt, ut momento contingat, ſed ulterius de anginæ qualitate, ac ſymptomatibus, de febre concomitante, de remediis adhibitis, præſertim de venæ ſectione, inquirendum eſt, item de criſis excluſione, ac de morbi reverſione, aut in alium converſione. Hiſque in cauſa S. Joannis a Cruce perpenſis, nulla ratio liberationis a ſtrangulante angina habita fuit.

De Febri ex Tetano.

35 Tetanus ſpaſmi, vel convulſionis ſpecies quædam eſt; *diſtenſionem* Medici appellant, cum Tetanus nervorum tenſio ſit in toto corpore æqualis. Senſit Hippocrates, hunc morbum poſt quartum diem periculo caruiſſe; ſed nunc etiam poſt ſeptimum diem periculo non caret. De liberatione ab hoc morbo actum fuit in cauſa S. Laurentii Juſtiniani, & Zacchias cenſuit, eam eſſe miraculo adſcribendam; ſed cum dubium excitaſſet, quod ſanatus affectus fuerat febri, quæ, experien-

tia teſte, convulſioni aliquando remedio eſt, utcumque idem dubio ſatisfacere conatus fuerit, miraculum non fuit admiſſum.

36 Pauca hic addenda ſunt de febri pleuritica, & peripneumonica hodie frequentiſſima, de qua proinde ſæpe in ſacra rituum Congregatione agitur. Porro, juxta Gordonium, *dolor vehemens ...... difficultas anhelitus ...... tuſſis laborioſa ...... ſputum lividum, nigrum, viſcoſum, & cum non poteſt expelli*, mortem in hoc morbo indicant, quemadmodum ſi, medicamentis recte adhibitis, infirmus aggravetur.

De Febri, quæ dicitur inflammatoria.

37. 38 In hac febri inflammatio diverſis inſidet thoracis partibus, variiſque appellatur nominibus, ac differt ſymptomatibus, eventu, & curandi ratione. Recentiores Medici, quidquid antiqui crediderint, pleuriticum morbum in pulmonibus omnino conſiſtere volunt, ut notavit Paſeolus, & ut in Academia Bononienſi anno 1705. compertum eſt. Hoffmannus autem docet, ſpuriam eſſe pleuritidem, ſi inflammatio externas thoracis partes occupet; veram autem eſſe, ſi pulmonis ſuperficiem teneat: graviorem, & pneumonicam, ſi inflammatio altius in pulmones deſcendat. Addit, dolorem in *ſpuria* eſſe valde acutum, tuſſim ſiccam cum febri, & pulſu ſubduro, depreſſo, & frequenti: in *vera* majorem eſſe ſpirandi anguſtiam, ſputum cruentum, & febrim magis acutam; in peripneumonia vero dolorem eſſe magis tenſivum, & obtuſum, majoremque ſpirandi difficultatem, & anxietatem, & ægros, præſertim ſenes, facile mori. Tandem teſtatur, in nulla alia febri præ hac criſes eſſe frequentiores; nullam tam eſſe recidivam, quam pneumonicam; & adverſus inflammationis incrementum nihil eſſe ſanguinis emiſſione utilius. Atque hæc ſacræ Congregationis Conſultores ſedulo animadvertere debebunt, antequam de ſanationis miraculo judicium ferant; quod optime præſtiterunt in cauſa Beatificationis S. Joannis a Cruce; quodque accuratiſſime præſtitit Thomaſius Medicus in cauſa S. Agnetis de Monte Politiano; qui tamen aliam ſubitam ſanationem a pleuritide cum febre graviſſima, & a tumore eryſipelaceo in crure dextro tribuendam miraculo eſſe cenſuit, poſtquam inter alia oſtendit, pleuritidem fuiſſe veram, nullamque præceſſiſſe ſecretionem per ſputum, per ſudorem, aut per aliam viam, in quo rerum ſtatu in graviorem morbum tranſire ſolet, uti etiam obſervavit Nicolaus Cheſnau. Et miraculum quidem ſacra Congregatio admiſit, ut apparet ex Decreto edito 2. Apr. 1726.

De miraculo pleuritidis ſanatæ in muliere gravida.

39 &c. Lateralem morbum, cui nomen *Pleuritis*, indicant acuta febris, acutuſque dolor ad jugula pertingens, pulſus durus, decubitus in latus affectum facilis, in oppoſitum acerbiſſimus, ſpirandi difficultas, & tuſſis aut humida, aut ſicca. Ingraveſcentibus his, morbus, & calor augentur, ſitis angit, appetitus, & ſomnus fugiunt, accedit vero delirium. Cum hæc ſigna concurrunt, *legitima* vocatur pleuritis, qua nempe membrana intus coſtas ſuccingens inflammatur, & inflammatio in pulmonem protenditur: contra *ſpuria* appellatur, in qua muſculi, qui ſunt inter coſtas, & thoracis exteriora, laborant, febriſque mitior eſt. Porro legitima pleuritis inter acutos morbos, qui numquam periculo carent, ab Hippocrate, ſuffragante Aretæo, recenſetur.

44 &c. Jamvero mulierem prægnantem acuta febris invaſerat, diris cumulata ſymptomatibus, quæ quidem pravam pleuritidem conſtituebant. Febrim, quæ comitabatur, acutiſſimam appellavit eximius Archiater de Marcan-

cangelis ad ſcribendum pro veritate accitus, cum hic caſus in cauſa Beatificationis S. Camilli de Lellis proponeretur; & ægrotam, quod gravida eſſet, in magno vitæ diſcrimine eſſe affirmavit. Septima, & decima dies agebatur, ex qua mulier decumbebat, jamque omnibus pene remediis fruſtra adhibitis, immo omnibus in pejus ruentibus, animam ægra agebat. At implorata S. Camilli ope, ſtatim ſurrexit, cibum libenter ſumpſit, placide quievit, viribuſque reſumptis, incolumis penitus evaſit. Quibus omnibus rite perpenſis, repentinam ſanationem ſacri Judicea pro miraculo habendam eſſe, Benedicto XIV. annuente, cenſuerunt.

CAPUT XIX.

De ſanationibus a variis infirmitatibus, quæ miraculo fiunt.

1 DE Chriſto Domino prædicant ſacri Evangeliſtæ, quod *omnes male habentes curavit* (a). Hinc occaſio facile ſumi poteſt agendi de ſanationibus ab univerſis morbis, quæ miraculo fiunt. Sed cum materia nimis ampla, & nimis gravis ſit, de iis tantum agemus, de quibus aliquando in ſacra rituum Congregatione actum eſt. Pro aliis ſufficient, quæ alibi diximus, cum de re hac generaliter ageremus.

(a) Matth. c. 8. v. 16.

De Apoplexia.

2. 3 Hujuſmodi plures ſunt ſpecies, quas fuſe Medici enumerant, qui proinde legi poſſunt. Sed ut aliqua apoplexiæ idea ſacræ Congregationis Conſultoribus exhibeatur, dicimus cum iiſdem Medicis, eam eſſe privationem ſenſus, & motus in toto corpore cum principum facultatum læſione. Quocirca ſiquis ſubito concidat, omnique ſenſu, motu, ac voce repente privetur, ſola reſpiratione, eaque difficili, itemque calore faciei, & pulſu remanentibus, membraque ſint, ut in cadavere, nec æger audiat, aut videat, neque ſi pungatur, ſentiat, aut loquatur, & ore hiante, ac ſtertendo reſpiret, oculoſque clauſos, vel palpebras ſuſpenſas, aut contractas habeat, hic, inquam, æger apoplexia laborare dicitur. Fuſius hæc proſequitur Sennertus, docens, his ſignis apoplexiam differre a lethargo, a caro, uteri ſuffocatione, ſyncope, affectione melancholica, epilepſia, & catharro ſuffocante. Hæ enim affectiones affinitatem quidem aliquam cum apoplexia, ſed diverſa habent ſigna.

4 Apoplexiæ magnitudo ex reſpirationis noxa æſtimatur. Quamobrem prima, & fortiſſima apoplexia, juxta Tozzium, eſt, cum reſpiratio omnino prohibetur, vel ſaltem ſenſibilia non eſt; fortis eſt, cum reſpiratio offenditur, non autem prorſus tollitur; minus gravis, cum reſpiratio minus læditur; levis vero eſt, cum reſpiratio vix a conſueto ordine declinat, neque infirmi ſenſu, motuque prorſus deſtituuntur. Et hi ſunt quatuor apoplexiæ gradus, quos etiam ex Galeno Hymannus, aliique Medici fere omnes recenſent.

5. 6 Porro Hippocrates *aphor.* 42. innuit, *impoſſibile* eſſe primam, & ſecundam apoplexiæ ſpeciem *ſolvere*; tertiam, & quartam *non facile* curari. Verumtamen femina quædam, apud Schenckium, ſecunda apoplexia correpta mortem evaſit, quamquam idem notat, difficillime tertiam, & quartam curari, quin aliqua labes remaneat, cum quo conſentire Foreſtus videtur. Jamvero Hippocrati morem gerit Ambroſius Nunnez: at Sanctorius eos redarguit, qui putant, aphoriſmos Hippocratis æternæ eſſe veritatis, & cum Galeno concludit, citatum aphoriſmum ita accipiendum eſſe, ut magna ex parte fortis apoplexia ſolvi non poſſit, non quod aliquando aliter non evenerit, aut evenire poſſit. Et vero etiam in aliis aphoriſmis Hippocrates aſſeruit, quædam numquam, alia in quibuſ-

quibuſdam tantum circumſtantiis contingere; quod tamen non ſemper verum eſſe compertum eſt apud Galenum, Senecam, & Athenæum. Et Gaſpar a Rejes docet, verbum *impoſſibile* extremam ſolum ſignificare difficultatem, verbum vero *ſolvere* non eſſe intelligendum de liberatione a morte, ſed de integra ſolutione ad ſalutem, & ſanitatem, cum naturaliter nullus ex forti apoplexia evadere poſſit, quin in paralyſim, aut, juxta Zacchiam, in perpetuam fatuitatem deveniat. Et Tozzius monet, non eſſe in hoc morbo a remediis abſtinendum.

7 Nonnulla in cauſis SS. Mariæ Magdalenæ de Pazzis, Ignatii, & Felicis a Cantalicio miracula occurrunt liberationis ab hoc morbo. In cauſa vero S. Turribii, cum ſimilis ſanatio proponeretur, nulla ejus ratio habita eſt, cum Medici ſuper ea ſcribentes tutum de morbi qualitate judicium formare nequiverint, aut morbus non apoplexia, ſed epilepſia viſus fuerit. Quapropter ubi diſputari contingat, an ſanatio ab apoplexia inter miracula ſit recenſenda, indagandum erit, an morbus fuerit vera apoplexis, & cujus ſpeciei; an, & quæ remedia adhibita fuerint; an ſanatio illico, ac ſine cauſa naturali ſucceſſerit; an recidiva, aut metaſtaſis contigerit.

De Arthritide, & Podagra.

8 Idem fere ſunt arthritis, & podagra, ſunt autem dolor articulis, partibuſque finitimis pertinaciter inhærens. Et in Academia Bononienſi declaratum eſt, modo ab acido, modo ab alkali arthritidem provenire, quæ ſi per articulos vagetur, *vaga* dicitur, & *univerſalis*; cum hos, aut illos invadit, *fixa*, ſive *particularis* nuncupatur; & hæc diſtinguitur in *chiragram*, quæ manus; in *gonagram*, quæ genua; in *iſchiadem*, quæ coxendicem, aut partem proximam; & in *podagram*, quæ pedes afficit. Morbus hic Hippocratis tempore rarus erat, nunc autem frequentiſſimus, idque, juxta Galenum, ob victus intemperantiam, otium, & immoderatum venereorum uſum. Aliis vero eſt hæreditarius.

9. 10 Non eſt lethalis, niſi gravia accedant ſymptomata, ut virium debilitatio, periculoſæ inflammationes, aut perniciosæ febres. Curatu tamen difficilis eſt, juxta Sennertum, niſi recens ſit, ideoque monet Tozzius, illi protinus occurrendum eſſe, exacta præſertim vitæ ratione, quo ſane remedio nonnulli apud Rhodiginum, & Majolum ab hoc morbo convaluerunt. Inſanabilis vero eſt, juxta Hippocratem, in ſenibus, aut ſi materia in tophos concreverit, aut, juxta Sennertum, ſi arthritis hæreditaria ſit.

11 Quare ſi ſanatio a podagra tamquam miraculum proponatur, ſedulo ponderanda eſt ſanati ætas, morbi diuturnitas; an, & quæ remedia adhibita fuerint, an arthritis fuerit hæreditaria, & an ſanatio momento contigerit. Cavendum tamen, ne pro perfecta ſanatione allevatio doloris ſumatur: dolor quippe, juxta Sydenham, in podagra inveterata naturaliter decreſcit. Quapropter ut ſanatio, prout ad miraculum requiritur, perfecta dicatur, opus eſt, ut dolor prorſus ceſſet, uſuſque membrorum illico reſtituatur, ac perſeveret, & ut podagra in alium morbum non convertatur, qualis profecto fuit ea, quam S. Auguſtinus refert (a), cujuſdam Medici a podagra liberatio in Baptiſmate conſecuta. Porro de remediis adhibitis, & de perfecta ſanatione quærendum eſt etiam, ſi res ſit de arthritide tophacea, cum huic quoque, Schenckio teſte, remedia aliquando profuerint. Et ſane de iis quæſitum fuit in cauſa S. Laurentii Juſtiniani, cum ſimilis ſanatio inter miracula adſcripta fuit.

(a) lib. 22. de Civit. Dei c. 8. n. 4. col. 666. to. 7.

De

De Iſchuria, Dyſuria, & Strangurla.

12. 13 Ulcus, & inflammatio renum, & veſicæ, & aliarum partium, vel etiam calculi hos morbos generant. Iſchuriam quidem, cum urina ſupprimitur: Dyſuriam vero, cum ea difficulter egeritur: Stranguriam, cum ea guttatim emittitur. Iſchuriam docet Sennertus periculoſam eſſe, & niſi ante ſeptimum diem urina emittatur, mortem afferre. Dyſuriam minus periculoſam eſſe: Stranguriam vero moleſtiam quidem, non autem periculum inducere affirmat. De Iſchuria idem tradunt Salius, & Fonſeca. At Schenckius, Valleſius, Donatus, & alii teſtantur, quoſdam ad undecim, ſexdecim dies, vel etiam ad quatuor menſes, urina retenta vixiſſe, iiſque elapſis, mingentes convaluiſſe. Quapropter Gaſpar a Rejes ſtatuit primo: nullum eſſe definitum temporis terminum, ultra quem homo, urina retenta, perire debeat. Secundo in judicio ferendo de hoc morbo, ejuſque eventu rationem habendam eſſe naturæ ægrotantium, caloris, & roboris partium internarum. Tertio: in iis, qui longe poſt ſeptimum diem urinam emittentes liberantur, ſemper ſeri evacuationem per ſeceſſum, ſudorem, aut vomitum contingere.

14 De liberatione ab hoc morbo actum fuit in cauſa S. Aloyſii Gonzagæ. P. Joannes Juſtinianus Societatis Jeſu calculi morbo detentus, remediis fruſtra adhibitis, nihil prorſus urinæ expellere undecim diebus potuit; quapropter univerſo corpore tumefacto, & fœtorem emittente, mortis nuntium accepit. Alter ex eadem Societate Sacerdos infirmum B. Aloyſii interceſſioni commendavit, ac Beatum ſibi dicentem audiviſſe viſus eſt, ut Infirmo nuntiaret, morbum die ſequenti ante meridiem, expulſum iri. Cumque nuntiaſſet, & Infirmus latus, & alias partes Reliquiis Beati ſignaſſet, tempore prænuntiato, magna lotii & arenæ vi egeſta, illico, reſumptis viribus, perfecte convaluit. Medici pro veritate conſulti miraculum aſſeruerunt, quod etiam a Rotæ Auditoribus, & a ſacra rituum Congregatione, attenta morbi, ac ſymptomatum gravitate, ſubita, & perfecta ſanatione, viriumque recuperatione, admiſſum fuit. Et hæc in ſimilibus, præter tempus retentionis urinæ, advertenda ſunt.

De Volvulo.

15 Ileos, vulgo *Volvulus*, morbus eſt, in quo quidquid per os aſſumitur, per eamdem viam regeritur, obſtructo, aut contorto, & inflammato inteſtino ileo, a quo morbus nomen accepit. Accedente vomitu ſtercorario, aut ſingultu, lethalis eſt juxta Hippocratem, Tozzium, alioſque. Et recentiores Medici obſervant, paſſionem iliacam fieri, cum inteſtinorum pars in proxime ſubſequentem ſe ſe immittit, difficilius tamen curari, ſi pars ſuperior in inferiorem, quam ſi inferior in ſuperiorem ingrediatur. Legi poſſunt Hildanus, & Nicolaus Fontana. Porro quamvis vomitus accedat, morbus curationem non reſpuit, & multos referunt Sennertus, Riverius, & Foreſtus ex eo convaluiſſe. In cauſa S. Margaritæ de Cortona cum ſanatio hujus morbi proponeretur, Benedictus XIV. tunc Fidei Promotor oppoſuit, morbum fuiſſe levem, utpote equitando contractum, adeoque probabile eſſe, inferiorem inteſtinorum partem in ſuperiorem ingreſſam fuiſſe. Addidit defeciſſe febrim, ac ſigna lethalia, de quibus Sennertus: apertiſſima quoque remedia præſtita fuiſſe: nullam eſſe rationem modicæ durationis morbi, cum hic ſit ex acutis, qui brevi vel ad ſalutem, vel ad mortem deſinunt: denique ſanationem celeriter quidem poſt invocationem Beatæ, non autem temporis momento contigiſſe. His animadverſionibus adhæſit Paſcolus Phyſicus

ſicus electus, ut ſuum pro veritate judicium ferret, ideoque ſacra Congregatio hanc ſanationem inter miracula recenſere noluit.

De Aneuryſmate, & de Varicibus.

16 &c. Aneuryſma eſt tumor pulſans, indoleſcens, ac digitis facile cedens, ab interna arteriæ tunica dehiſcente, ceteris dilatatis, ortus, veluti fuſe explicat Munnicks. Et a Lanciſio Aneuryſma definitur: *Imminuta, aut omnino ablata cohæſio villorum contractilium, arterias, & cor alicubi texentium*. Dividitur vero ab eodem in *legitimum*, quod a cauſis texturas arteriarum, & cordis proxime debilitantibus oritur; & in *ſpurium*, ab adaucta ſanguinis vi effectum, ac legitimum quidem apud eumdem aliud eſt cum integra tunicarum arteriarium, aut partium cordis ſciſſura; aliud cum ſola diametri cavi arteriæ, vel cordis dilatatione. Paſcolus vero docet aneuryſmata alia eſſe apparentia, alia occulta, quæ Medici per conjecturas aſſequuntur. *Tuſſis quippe urget, cor ſalit, & gravius pulſat, ſepultus, ac brevi fugitivus corripit dolor, qui poſtea pertinacius hæret, & propagatur*, ut fuſius aneuryſmatum occultorum ſigna recenſens laudatus Lanciſius proſequitur.

22 Varix eſt venarum dilatatio, & veluti intorſio, quæ ſubinde nodos quoſdam nigricantes efformant. Duplex eſt varix: internus alter, ideſt in partibus corporis internis, alter externus, cum venæ in partibus externis turgentes apparent. Porro aneuryſmata interna affirmat Paræus eſſe incurabilia: de externis vero docent Munnicks, & Sennertus, ea difficulter curari; niſi minora ſint, & recentia. Varices juxta Peritos periculo carent, niſi aperiantur, & inde hæmorrhagia funeſta ſequatur: nec ſunt curandi, niſi maximi ſint, aut ſanguinis profuſio timeatur, vel niſi valde doleant, aut ulcus magnum, & maligni

gnum adſit. Antiqui ſectione utebantur, uti de Mario Plutarchus (*a*), & Cicero (*b*) referunt.

23. 24 De varicibus, utpote levi morbo, numquam, quod ſciatur, actum eſt in ſacrorum rituum Congregatione; bene vero de aneuryſmate, in cauſa nempe Beatificationis S. Catharinæ de Ricciis. Monialis quædam febri correpta, quæ nullis remediis ceſſit, aſperis ſymptomatibus, pulſatione videlicet interna in ſiniſtra pectoris parte, reſpirationis moleſtia, ſanguineo ſapore in faucibus, coſtularum elevatione, ac pulſibus interciſis per annum, & ultra vexata fuerat, quamobrem ad extremum redacta, implorata Servæ Dei ope, incolumis ſurrexit. Ejus Medici morbum fuiſſe cordis palpitationem cum aneuryſmate dixerunt, ac ſanationem miraculo adſcripſerunt. Adhæſit Paſcolus a Poſtulatoribus accitus; ut pro miraculo ſcriberet, itemque Soldatus Medicus electus, ut ſuum pro veritate judicium ferret. Elapſis quatuor Menſibus, Monialis eadem ex immoderato cibo graviſſimo morbo correpta in idem incidit periculum, iterumque invocata Serva Dei Catharina, morbus evanuit. Poſtulatores id tamquam novum miraculum ob novam morbi cauſam propoſuerunt. Fidei autem Promotor oppoſuit, morbum fuiſſe prioris reverſionem. Soldatus vero hunc morbum & gravem, & a priore diverſum; adeoque novum fuiſſe miraculum aſſeruit. At ſacra Congregatio, re mature diſcuſſa, ex duabus ſanationibus unum conſtitui ſanationis ab aneuryſmate miraculum cenſuit, ut ex Decreto 14. Aug. 1732. edito conſtat.

25 &c. Alibi, ideſt tom. 3. diximus, in pectore S. Philippi Nerii ferv ide orantis, circa ſiniſtrum latus quid extuberans abſque ullo dolore, nullaque externa cauſa præcedente emicuiſſe, quod in contemplatione rerum Divinarum palpitabat. Item poſt ejus mortem duas coſtas inventas fuiſſe omnino fractas, cor ſolito majus, & alia,

a in vita Caii Marii to. 1. edit. Pariſ. pag. 408.

b libr. 2. Tuſc. qu. n. 91.

alia, quæ ab Angelo Victorio, & ab Andrea Ceſalpino Medico contemporaneo diſerte recenſentur. Et Baccius in ejus vita teſtatur, palpitationem illam non neceſſariam fuiſſe, ſed voluntariam. Plures Medici hæc miraculo adſcripſerunt, quorum ſenſum retulerunt Rotæ Auditores in relatione cauſæ S. Philippi. Difficultatem vero ingerebat doctrina Fernelii, aliorumque Medicorum aſſerentium, tantam palpitationis vim eſſe, ut thoracis coſtas frangere poſſit, & aliquando cor cum aneuryſmate auctum repertum fuiſſe; ex quibus proinde inferri poſſe videbatur, prædicta in S. Philippo naturaliter contigiſſe. Sed utcumque hæc ſint, ſi circumſtantiæ earum, quæ huic Sancto contigerunt attendantur, aliquid ſupra naturam fuiſſe, fatendum erit. Siqnidem palpitatio ab amore Dei manavit, ac voluntaria erat: ſymptomata illa trigeſimo ætatis anno contracta ad decrepitam ætatem pervenerunt, ac ſæpe qui tentationibus urgebantur, admota ejus cordi manu, liberati ſunt.

28 Ideoque ſi ſanatio ab aneuryſmate, tamquam miraculum, in ſacra rituum Congregatione proponatur, judicium Medicorum neceſſarium erit, ut qualitas morbi dignoſcatur, ipſiſque ponderanda erunt ſymptomata, ac morbi diuturnitas, an, & quæ remedia adhibita fuerint, & an profuerint, an ſanatio ſubita, & perfecta, & abſque recidiva advenerit. Cavendum tamen, ne ſanatio a pulſatione decreſcente, vel deficiente ſumatur.

De Strumis.

29 Plura de his tradunt Celſus, Galenus, Ægineta, & Ætius, poſt quos Sennertus, Pecetus, aliique ſtatuunt, ſtrumas eſſe tumores in propriis membranis concluſos, atque eodem modo, quo tunicati tumores, curandas eſſe.

30 &c. In cauſa cujuſdam Servi Dei, cum induratæ, & exulceratæ ſtrumæ ſanatio proponeretur, Victorius Maſinius Chirurgus, ad ſcribendum pro veritate delectus, eam miraculo adſcribendam eſſe decrevit, cum morbus per quinquennium inveteratus, & ulceratus fuiſſet, medicamenta vero adhibita, Digeſtivum nempe Galeni, & Ceratum Diachelon, inepta fuiſſent ad morbum illico extirpandum. Plures ex Judicibus in Maſinii ſententiam conceſſerunt. Pauci tamen diſſenſerunt, quod morbi ſtatus ſanationi proximus, de quo rudes homines teſtimonium tulerant, idonee purgatus non fuiſſet, & ſanatio tempore opportuno, ideſt æſtivo, ac per medicamenta apta obveniſſet. Quare utcumque his Maſinius ſatisfacere conatus eſſet, Benedictus XIV. in Congregatione coram ipſo 26. Septemb. 1747. habita ſanationem putavit non eſſe miraculis accenſendam.

De Polypo.

34 &c. *Polypus*, inquit Celſus, *eſt caruncula modo alba, modo ſubrubra, quæ narium oſſi inhæret, & modo ad labra pendens narem implet; modo retro .... ad fauces deſcendit .... ſtrangulatque hominem, maxime auſtro, aut euro ſtante .... itaque attingi non debet.* Ex quibus verbis colligitur, polypum alium benignum eſſe, ac facilis curationis, malignum alium, & curatu difficilem. Curatur vero vel medicamentis carneum concrementum paulatim abſumentibus, vel inſtrumentis, quibus illud extirpetur. Ab his tamen monet Heiſterius abſtinendum eſſe, ſi morbus in cancrum abierit.

37 &c. His præmiſſis, ut tutum de miraculoſa polypi ſanatione feratur judicium, morbi indoles, medicamentorum qualitas, & effectus ponderentur oportet. Tum indagandum erit, an aliqua criſis adfuerit, cum hæc, Galeno teſte, in morbis etiam diuturnis, inter quos polypus computatur, evenire poſſit: demum an ſanatio in inſtanti, & undequaque perfecta obvenerit.

Hiſque in cauſa Beatificationis S. Camilli de Lellis perpenſis, cum hujuſmodi ſanatio proponeretur, & conſtitiſſet, polypum fuiſſe malignum, remedia non profuiſſe, abfuiſſe criſim, ac ſanationem extemplo, & perfecte contigiſſe, eadem fuit inter miracula recenſita. Non modica tamen in hujus ſanationis examine difficultas excitata fuit, quod ante ſanationem fonticulus cervici inuſtus fuerat, quem in hoc morbo remedio eſſe refert Severinus, & aliquando profuiſſe Pechlinius teſtatur. Sed longe diverſus erat polypus, de quo Pechlinius, ab eo, de quo in dicta cauſa actum eſt, cui proinde fonticulum prodeſſe non potuiſſe Maſinius oſtendit. Quamobrem miraculum fuit approbatum, ut conſtat ex Decreto 13. Novemb. 1741. edito.

CAPUT XX.

De Partu, qui miraculo fit:

1 DOcet S. Thomas (*a*), annuntiationem ab Angelo factam partus Chriſti Domini convenienti ordine fuiſſe perfectam. Cum vero Angelus *Luc.* 1., ut Mariæ ſuaderet, eam poſſe in virginitate parere, exemplo Eliſabeth uſus ſit, quæ ſenex, & ſterilis conceperat, quod quidem minus eſt, quam quod virgo pareret, adeoque inefficax videbatur argumentum ad partum Virginis ſuadendum; ſubdit S. Doctor (*b*), illud quaſi quoddam dumtaxat figurale exemplum fuiſſe, efficax vero argumentum ex Divina omnipotentia fuiſſe deſumptum: *quia non erit impoſſibile apud Deum omne verbum.*

a 3. par. qu. 30. ar. 4.

b loc. cit. ad 3.

2 Illud quoque docet idem S. Doctor (*c*), conceptionem Chriſti fuiſſe ſimpliciter miraculoſam, ſecundum quid vero naturalem. Quam veritatem Theologi illuſtrant; tum quia Maria in ea conceptione Virgo ſimul, & mater extitit; tum quia eodem momento Chriſti corpus perfecte formatum, animatum, ac Verbo Divino unitum fuit.

c 3. par. qu. 33. ar. 4.

3 Ex Spiritus Sancti igitur teſtimonio Eliſabeth partum, quæ utpote ſenex, & ſterilis ad generandum inepta erat, miraculo tribuimus. Quod item dicimus de partu Saræ uxoris Abrahæ, *Geneſ.* 17., & de partu uxoris Manue, *Judic.* 13., necnon de partu Annæ, 1. *Reg.* 1. Verum, Divino deficiente teſtimonio, partus poſt longam parentum ætatem, vel ſterilitatem ſecutus difficulter ab Eccleſia approbari ut miraculoſus poterit: etiamſi forte in ſe talis eſſet. Omiſſis quippe antediluvianis hominibus, qui *Geneſ.* 5. longe poſt centeſimum ætatis annum filios genuerunt, exempla non deſunt hominum, qui poſt diluvium octogeſimo, nonageſimo, & centeſimo ætatis anno filios naturaliter genuerunt: item puellarum, quæ octavo, vel nono: necnon mulierum, quæ ſexageſimoſeptimo ætatis anno naturaliter pepererunt, ut videre eſt apud Lemnium, & Marcellum Donatum. Et Thomas Reineſius, poſtquam cum Ariſtotele ſtatuit, ſeptuageſimum annum in viris, & quinquageſimum in mulieribus ultimum eſſe terminum ad concipiendum idoneum, ſubdit, hominum naturam attendendam eſſe, & hinc eveniſſe, ut ultra hunc terminum homines genuerint, & mulieres conceperint, uti adnotavimus.

5 &c. Partum, quidquid Mathæuccius ſcripſerit, diſtinguit Sennertus in naturalem, difficilem naturalem, vitioſum, ſeu difficilem præter naturam, tardum, nullum, & cæſareum. Naturalis eſt, cum infans perfectus, tempore debito, conſueto naturæ ordine, & ſitu, urgentibus doloribus, non tamen nimis acerbis, ac brevi tempore, ſecundis, & puerperiis in ipſo pariendi actu recte procedentibus editur, ut videre eſt apud Zacchiam. Difficilis naturalis a naturali deflectit vel propter parientis & vis expultricis debilitatem; vel quia fœtus multiplex eſt, & uterque ſimul exitum quærit; vel quia nimis magnus eſt, aut nimis debilis, qui exitum ſibi

parare

parare nequeat; vel quod viæ ad exitum expeditæ non ſunt. Vitioſus dicitur, cum fœtus inſolita figura editur, cujus multi ſunt modi apud Sennertum cit. videndi. Tardus, qui ſolito tardius: Nullus, qui mortuo fœtu, vel mortua matre accidit. Cæſareus, cum fœtus per ſectionem extrahitur.

10 &c. Porro legitimum pariendi tempus nonus eſt, vel decimus menſis, uti habetur 2. *Machab.* 7., & *Sap.* 7. Quamobrem Zacchias Platonis, & Ariſtotelis ſententiam improbat, qui aſſeruerunt, homini non eſſe certum naſcendi terminum. Et quamquam Hippocrates aſſerat, *octimeſtres* non eſſe vitales, de qua re legi poſſunt Tozzius, & Thomas Reineſius: idem tamen Zacchias affirmat, partum octo menſium magis, quam ſeptem menſium vitalem eſſe. Alii fœtum trium, aut quatuor menſium vitalem eſſe poſſe opinantur ex illo 4.*Eſdr.*6. *prægnantes parient infantes trium, & quatuor menſium, & vivent.* Sed hunc librum Eccleſia inter apocryphos rejicit. Quidquid de his ſit, cum, Schenckio, Liceto, Lemnio, aliiſque teſtibus, ſæpiſſime fœtus quinto, ſexto, ſeptimo, & octavo menſe naturaliter editi, ſuperſtites, ac bene valentes diu vixerint, hujuſmodi partus, implorata alicujus Servi Dei, vel Beati ope ſecuti, inter miracula recenſeri non poterunt.

14 Proſunt partui naturali dolores, ſi tamen nimis acuti, & acerbi non ſint, quales Rachel experta fuit,
a geneſ. c. 35. v. 17. cum Beniaminum peperit (a); cujus quidem rei rationem Zacchias optime reddit. Sed quod ad miraculum attinet, partus poſt acerbiſſimos dolores, invocato Servo Dei, vel Beato, feliciter ſecutus, miraculum in ſe, non antem quoad nos eſſe poterit, gravitas enim morbi in hoc caſu ſolo parientis teſtimonio, adeoque non ſatis, probari poteſt. Aliter vero dicendum eſt, ſi ex dolorum acerbitate alius morbus proveniſſet, de cujus gravitate, & ſanatione Medici ferre judicium poſſent, cujus rei exemplum videre eſt in bulla Canoniz. S.Raymundi de Pennafort.

15 Brevi tempore, ideſt vigintiquatuor horarum ſpatio naturalis partus concluditur, & ſi ulterius protrahatur, periculo non caret, teſte Sennerto. Nihilominus etiamſi poſt aliquot dies, invocato Dei Servo, vel Beato, ſelix ſuccedat, miraculo non videtur adſcribendus, uti ex cauſa S. Turribii colligitur.

16 In eodem naturali partu aquæ primum modicæ, deinde copioſæ effluere debent. Præmatura tamen aquarum effuſio, juxta Zacchiam, Sennertum, & alios, partum reddit difficilem, & apud Bonetum, aliosque, fœtui mortem minatur. Verum ne in hoc quidem caſu partus poſt aliquot dies, & poſt Servi Dei, vel Beati invocationem, incolumi matre, incolumis editus, miraculi rationem obtineret. Hæc enim, & aliæ ſuperius recenſitæ circumſtantiæ partum naturalem difficilem quidem reddunt, & periculoſum, teſte Sennerto cit., at non omnis ab hoc felix evaſio ſatis eſt ad miraculum conſtituendum, uti reſponderunt Conſultorea Congregationis rituum in cauſa B. Gregorii X. apud Zacchiam.

17 Diximus ſuperius, partum difficilem naturalem eſſe, ſi parturientia vires nimis debiles ſint, aut fœtus non ſit unus, ſed multiplex. Et revera ſi parturientis vires quacumque ex cauſa dejectæ ſint, non poterit parturiens conatum illum exercere, qui juxta Deuſingium, & Malpighium ad fœtus editionem neceſſarius eſt, ideoque partum difficilem eſſe oportet. Sed hac admiſſa debilitate, felix partus non ſtatim erit miraculo adſcribendus, cum fœtus ipſe proprio conatu naturaliter egredi valeat, & virium matris defectum ſupplere. Ex triplici ſiquidem viventium ordine, vegetabilium nempe, oviparorum, & viviparorum, vegetabilia, & ovipara proprio niſu ab uteris erumpunt. Ad viviparorum vero partum matris utique, & fœtus vires concurrunt: Chriſtianus tamen Fridericus

Digitized by Google

Germann variis exemplis probat, vivaciores fœtus, præmortuis matribus, incolumes in lucem venire poſſe: in quo ſane Riolanus, Harveus, Bartholinus, aliique plures conſentiunt.

18 &c. Quod dictum eſt de partu difficili naturali ob virium debilitatem, locum habet in partu difficili ob fœtus multiplicitatem. Porro fœtus gemini, ſeu Gemelli ſunt, qui vel eodem tempore concipiuntur, vel eodem tempore eduntur, licet non eodem concepti. Fere Gemelli appellantur, qui eodem tempore concepti eodem quoque eduntur, ut Jacob, & Eſau. Ac geminus quidem partus, præcipue femellarum, apud Valleſium ſimplici eſt difficilior, & periculoſior. Et Sennertus obſervat, vivaciores eſſe gemellos unius, quam diverſi ſexus. Paſſim vero admittitur quinque, vel etiam plures fœtus naturaliter eodem tempore edi poſſe, cujus rei exempla apud Donatum, & Schenckium legi poſſunt. Zacchias tamen notavit, tres eodem partu editos non ita facile vitales eſſe: ſed quia maſculus, & femina, aut etiam tres liberi eodem partu editi ſuperſtites ad longam ætatem ſæpe fuerunt, veluti referunt Sennertus cit., & Mellus, merito ſuperius diximus, miraculum in partu naturali etiam ob multiplicem fœtum difficili vix poſſe conſtitui. Niſi forte peculiares circumſtantiæ hujuſmodi partus aliquid in ſe prodigioſi habuiſſe oſtenderent, ut contigit in partu Rebeccæ *Geneſ.* 25., & in illo Margaritæ Florentii Hollandiæ Comitis Filiæ, quæ anno 1726. tercentum ſexaginta quatuor infantes ſimul peperit, quo Deus cujuſdam Mendicæ pudicitiam teſtatam voluit, quam Comitiſſa, quod duos filios ſimul pepeiſſet, tamquam adulteram increpaverat, cujus rei monumenta refert Schenckius. Alia numeroſi partus exempla apud Schottum legi poſſunt. Illud quoque certum eſt apud Sennertum, ſæpe naturaliter *ſuperfœtationem* contigiſſe, fœtuſque hoc modo natos, vitales fuiſſe, cujus rei celebre exemplum narrat Rhodius. Quomodo autem ex novo concubitu ſuperfœtatio fiat, Tozzius, & Mellus explicant.

23. 24 Partus difficilis præter naturam eſt, cum fœtus jam perfectus, non capite, vel pedibus recta de more, ſed obliquus, aut alia inordinata figura ex utero erumpere conatur, cujuſmodi partus plura ſchemata apud Sennertum videri poſſunt, qui etiam poſt Hippocratem hunc pariendi modum non ſolum difficilem, ſed etiam periculoſum eſſe demonſtrat. Idem docet Campanella, qui tamen naturalia præſcribit remedia, & modos, quibus in his caſibus fœtus ad rectam figuram reducatur, & vivus, vel mortuus extrahatur. Cumque plures ad id obtinendum modi ſuppetant, difficulter hujuſmodi partus, licet poſt invocatum Dei Servum, vel Beatum incolumis prodeat, miraculo adſcribi poterit, prout ſacræ rituum Congregationis Conſultores Zacchiæ pro miraculo hujuſmodi partus in cauſa B. Gregorii X. ſcribenti reſponderunt. Et ſane Schroeckius apud Bonetum teſtatur, parturientem quamdam, fœtu mortuo in ſimili partu emiſſo, ſalvam, & incolumem remanſiſſe.

25 Reliquum eſt, ut aliqua de partu tardo, & de partu nullo ſubjiciantur. Et quoad primum, oſtendit Caranza, nonnullos fœtus ad duodecimum, ad tertium, & quartum ſupra decimum menſem progreſſos, in lucem feliciter editos fuiſſe. Et Mercurialis ſcribit, fœtum vivum a quadam muliere quatuor annis in utero geſtatum fuiſſe; quin etiam Lanzu Philoſophus Chinenſis apud Nicolaum Trigautium octoginta annis in utero matris manſiſſe dicitur, de quo tamen, aliiſque inſolitis caſibus Bartholinus ait: *Omnibus fidem adhibere vix poſſum*. Porro quomodo fieri poſſit, ut poſt undecimum, & duodecimum a conceptione menſem fœtus edatur, videatur Valliſnerius.

26 De partu nullo ſcribit Sennertus,

tus, periculoſiſſimum eſſe, *ſi fœtus ex utero edi non poſſit*. Si vero moriatur, *nec mortuus quamprimum excernatur, putreſcens in vitæ periculum matrem conjicit*. Albucaſis tamen, Marcellus Donatus, aliique hiſtorias plures referunt, ex quibus diſcimus, naturam quandoque fœtum corruptum, etiam per inſolitas vias, incolumi matre expellere. Quamobrem Sinibaldus celebris olim Urbis Medicus ſcribens in cauſa S. Pii V. ſuper repentina ab utero emiſſione fœtus a pluribus diebus jam mortui concludit, hos caſus adeo frequentes fuiſſe, *ut non amplius Medicis ſint mirabiles*.

27 Scribentes de Canoniz. SS. ad miraculum in his partubus ſtatuendum, requirunt Beati, aut Sancti invocationem, Medici atteſtationem de probabili imminentis mortis periculo, & dolorum per tres, aut quatuor dies perſeverantiam, præcipue ſi fœtus ante egreſſum moriatur, ut videri poteſt apud Bordonum. Et Matthæucius miraculo adſcribere videtur partum, ſi fœtus obliquus, qui ad naturalem exeundi modum reduci non poſſit, vivus, incolumi matre, naſcatur: item ſi fœtus per aliquod tempus in utero mortuus perſiſtat, ac tandem incolumi matre prodeat. In reliquis ſubſcribit Bordono, dummodo mulier poſt partum aliis morbis non corripiatur. Similia docet Pignatellus, qui præterea pro miraculo exigit, ut ejuſmodi partus nullo virium naturæ, aut artis adjutorio contingant. Et ſane in bull. Canoniz., & in relat. cauſ. S. Raymundi de Pennafort, & aliorum felices a partu evaſiones inter miracula recenſentur.

28. 29 Nihilominus caute admodum in hac materia procedendum eſſe, docet ſacræ Congregationis praxis, quæ non ita frequenter partus, etſi difficiles, inter miracula recenſuit. Ac primo quidem nulla pro miraculis ad Beatificationem, & Canonizationem obtinendam ratio habenda eſſe videtur vitalitatis fœtuum quarto, ſeptimo, aut octavo menſe, vel bino, aut majori numero, juxta ſuperius dicta, editorum, neque fœtuum maſculorum potius, quam fœminarum: neque fœcunditatis poſt longam ſterilitatem ad Servi Dei, vel Beati invocationem obtentæ, niſi conſtaret, ſterilitatem ab aliquo vitio organico manaſſe, quam Valliſnerius tolli a ſolo Deo poſſe affirmat. Relati vero ſuperius eventus ad Gratias facile reduci poſſunt.

30. 31 Secundo, poſitis debitis circumſtantiis, poſſet felix partus materia eſſe miraculi ſupra numerum ad Beatificationem, & Canonizationem requiſitum, ut colligitur ex Decreto in cauſa S. Joannis a Cruce edito. Vel etiam intra eumdem numerum, ſi fœtus ſtatim poſt invocationem emittatur, incolumi matre, & filio, nullis adhibitis remediis, nulloque mulierem morbo poſt mortem invadente, quodque caput eſt, ſi evidens mortis matris periculum ex pluribus cauſis ſimul junctis, doloribus ſcilicet nimis acutis, & diuturnis, præmatura aquarum effuſione, aliiſque ſuperius recenſitis præceſſiſſet.

32 Tertio, ſi tamquam miraculum partus proponatur, quem Poſtulatores contendant obliquum ex utero erupiſſe, vel duplicatum uteri oſtio inſtitiſſe, ac invocato Dei Servo, vel Beato, ſalvis matre, & filio, ſucceſſiſſe, aptis probationibus oſtendendum erit, fœtum in ea figura præter naturam prodiiſſe. In cauſa quippe B. Gregorii X., cum ſimilis caſus proponeretur, opponente Fidei Promotore probationum defectum, Clemens XI., utcumque Rotæ Auditores in relatione cauſæ, & Medici plures tam pro miraculo, quam pro veritate ſcribentes miraculum aſſeruiſſent, nullum edidit reſponſum.

33 Quarto, ſi miraculum in eo conſtituatur, quod partus figuram abnormem habens, interceſſione Servi Dei, vel Beati ad rectam converſus fuerit, quodcumque naturæ, vel artis remedium excludendum eſt, & expli-

canda

canda eſt parturientis poſitura, necnon ſubita fœtus poſt invocationem emiſſio, ſalvis matre, & filio, probanda eſt. Eam enim fœtus converſionem, & aptæ figuræ acquiſitionem operari natura non poteſt.

34 Tandem pro miraculo emiſſionis fœtus mortui, matre incolumi, oſtendendum erit, fœtum ex cauſa interna, non jam externa mortuum in utero per notabile tempus permanſiſſe: matrem vero ex antecedenti morbo in evidentiſſimo mortis periculo conſtitutam non ſatis virium ad pariendum habuiſſe; peperiſſe autem illico poſt invocationem, feliciter, & abſque dolore, & remediis, ac ſtatim bene ſe habuiſſe. Hiſque ſimul concurrentibus ſimilem partum in cauſa S. Pii V. ſacra rituum Congregatio inter miracula recenſuit.

35 &c. Ad hæc vero requiſita, quod attinet, fœtus mortem Varandæus, & alii ex pravo matris habitu colligunt. Sed tutius alii cum Burnett. ex uteri tactu deſumunt, quo deprehenditur, an fœtus motu, ac proinde vita careat. Cauſa vero ejus mortis interna demonſtrari per cauſæ externæ excluſionem, & per pravam humorum in matre collectionem poterit, ut in allata S. Pii cauſa Lanciſius in ſuo ſuffragio pro veritate edito animadvertit. Evidens parturientis periculum nedum ex mortuo in utero fœtu, ſed etiam ex præcedentibus morbis, ſigniſque concomitantibus, de quibus Hippocrates, erit comprobandum. Virium debilitas ex præcedenti extenuatione, quæ ab antecedenti languore inducta eſt, deſumetur, itemque ex pulſu erit probanda, qui juxta Medicos virium menſura eſt. Quod autem ſpectat ad dolorum defectum, etſi dolor in partu pœna ſit peccati primorum parentum *Geneſ.3.*, ac virilem commixtionem, juxta S. Thomam (*a*) conſequatur, partuſque idcirco B. Virginis ſine dolore fuerit; certum tamen eſt, dolores non quidem ſpaſmodicos, neque ſpurios, ſed genuinos emiſſioni fœtus ſummopere prodeſſe, veluti laudatus Lanciſius in ſuo ſuffragio adnotavit.

a 3. par. qu. 35. ar. 6. ad 1.

CAPUT XXI.

De revocatione Mortuorum ad vitam, ſeu de reſuſcitatione.

1 Reſuſcitatio a reſurrectione differt, prima enim eſt actio, qua Deus mortuum ad vitam revocat; ſecunda vero eſt affectio ad defunctum ipſum pertinens. Porro reſuſcitatio alia eſt ordinaria, & univerſalis, quæ futura eſt in ultimo judicio *Job.19.*, *Ezech.37.*, & 2. *Macab.12.*, quamque inter Judæos negarunt Sadducæi, & Samaritani *Matth.22.*, & *Act.23.*, itemque Simoniani, aliique primis Eccleſiæ temporibus hæretici: alia dicitur particularis, & extraordinaria, per quam Deus ex ſingulari privilegio alicui vitam reſtituit. Et univerſalis quidem a particulari differt, quod univerſalem mors amplius non conſequitur; bene vero particularem. Rurſus de univerſali reſurrectione diſputatur, utrum qui in fine ſæculi viventes inventi fuerint, morituri ſint, ut ſtatim reſurgant, ut docet Abulenſis; an potius ad immortalitatem, quin moriantur, tranſituri ſint, quod voluit S. Hieronymus (*b*). Particularis vero reſurrectio poteſt eſſe hominum, & beſtiarum.

b in ep. ad Marcellam

2 Agimus hic de reſurrectione particulari, & de hac quidem mirabilia exempla Scriptura ſacra ſuppeditat 4. *Reg.4.*, & 13., *Matth.9.*, *Luc.7.*, *Joan.11.*, *Act.9.*, & 20. Abſtinemus autem a particularibus eorum reſurrectionibus enumerandis, qui cum Chriſto *Matth.27.* revixerunt, cum adhuc inter Theologos quæſtio ſit, utrum ii ſurrexerint non amplius morituri, an ut denuo morerentur, de qua re ſermo alibi recurret. Porro Infidelium ſtupor, admiratio, & converſio ſatis aperte demonſtrant, memoratas reſurrectiones non naturæ viribus, ſed Dei omni-

omnipotentiæ fuiſſe adſcriptas. Et ſane verba illa Pſalmi 87. *Numquid mortuis facies mirabilia, aut Medici ſuſcitabunt?* & ſimilia *Job.* 14. patefaciunt ſolius Dei eſſe homines ad vitam revocare.

3 Hoc ipſum ſuadetur trito illo Philoſophorum dicto, a privatione ad habitum non dari naturalem regreſſum. Et juxta Theologum Gallum, ſicuti ſolus Deus infinite ſapiens, & potens poteſt hominem componere, ita ſolius Dei eſſe poteſt admirabile hoc compoſitum corruptum reformare. Et quamvis Plutarchus, & ante eum Plato apud S. Auguſtinum (*a*), itemque Celſus apud Origenem (*b*) plures naturaliter reſurrexiſſe contendant, hæc tamen vel falſa ſunt, vel plerique ex eis, qui reſurrexiſſe dicuntur, mortui falſo crediti ſunt, cum morbi tantum vehementia oppreſſi eſſent. Videantur præter alios Huetius, Martinus del Rio, & Pignatellus. S. Juſtinus vero putat (*c*), Platonem ex Judæorum libris reſurrectionis ideam hauſiſſe. Et Medina ſcribens de allatis ſuſcitationibus eruditiſſime oſtendit, eas vel fabuloſas eſſe, vel veras non eſſe ſuſcitationes, *quæ veram mortem, ideſt veram animæ, & corporis ſolutionem ſupponunt.* Tum ſolide oſtendit, ejuſmodi ſolutionem vere præceſſiſſe ſuſcitationibus, quæ Chriſti, vel Apoſtolorum imperio factæ ſunt.

a de Civit. Dei l. 22. c. 28.

b lib. 3.

c In ſerm. exhort. ſeu orat. parænetica ad gentes.

4 In commercio litterario Norimbergæ edito ad an. 1732. legitur, quoſdam mortuos humatos, aliquando illæſis ſurgentes ſepulcris, in vivos pluribus in locis irruiſſe, eoſque, exſucto ſanguine, necaſſe. Hos autem mortuos redivivos, *Vampiros* in iis oris appellatos, in ſuis ſarcophagis incorruptos fuiſſe repertos; ſed Magiſtratuum opera capite truncatos, & igne concrematos non amplius apparuiſſe. Horum tamen omnium fides ſit penes eos, qui de his teſtimonium reddiderunt: a viris quippe prudentibus tamquam deceptæ phantaſiæ figmentum habentur, ut in eodem commercio litterario legi poteſt.

5 Quapropter apud omnes inconcuſſum eſt, particulares mortuorum reſurrectiones, quæ Sanctorum precibus a Deo factæ ſunt, inter miracula, ſaltem ſecundæ claſſis, eſſe recenſendas. Exempla habentur apud Petramſanctam, & in relat. cauſ., & bull. Canonia. SS. Raymundi, Franciſci Xaverii, Philippi Nerii, & aliorum. Et Ribadeneira *in vita S. Ignatii* refert, hominem, qui deſperatione actus laqueo ſe ſuſpenderat, ejus precibus ad vitam rediiſſe, & confeſſione peracta iterum deceſſiſſe. Factum hoc Danhavverus hæreticus irridet, quod ab Inferis nulli reditus conceditur. At Melchior Corneus Societatis Jeſu Theologus animadvertit, potuiſſe Deum, prævisis Sancti ſui precibus, vel ſententiam ſuſpendere, vel ſub conditione inferre. Simili modo Theologi explicant Trajani ab Inferis liberationem precibus S. Gregorii M., quamquam hæc narratio apocrypha verius cenſeatur.

6 Ad beſtiarum reſurrectionem, quod attinet, plura hujus exempla legi poſſunt *in vita S. Franciſci de Paula* ab Epiſcopo Perimezio *edita, & notis illuſtrata*, nec non apud Bollandum, apud Severinum de Cracovia, & apud Bagattam. Sed cum reſurrectio *numericam* reſurgentis *identitatem* requirat tum quoad formam, tum quoad materiam; forma vero hominum, anima ſcilicet rationalis, poſt mortem remaneat; brutorum autem forma in morte deſtruatur, ut proinde in reſurrectione opus ſit, ut nova forma producatur, hinc colligitur, hominem reſurgentem nihil ab eo, qui prius fuerat, differre; brutum vero in reſurrectione non idem omnino eſſe cum eo, quod ante mortem fuerat. Quamobrem Martinus del Rio, Zacchias, & alii brutorum reſuſcitationem eſſe impropriam affirmant. Docet vero S. Thomas (*d*), ea, quorum unitas non habet

d quodlib. 4. ar. 5.

in ſua

in ſua ratione exiſtendi continuitatem, poſſe a Deo eadem numero reparari, etiamſi fuerint in nihilum redacta. Quare cohærenter ad hanc doctrinam vera dici poteſt tam de hominibus, quam de brutis reſurrectio, & utcumque Deus, cum bruta ad vitam revocat, novam formam producat, non idcirco miraculi ratio deficit.

7 Jam vero dum in ſacra rituum Congregatione miraculoſæ examinantur reſuſcitationes, gravis, eaque obvia eſt difficultas juxta Pignatellum, & alios, an vero mors præceſſerit. Et ſane in cauſa Beatificationis S. Turribii, cum in ſimili caſu mors præcedens non ſatis probata fuiſſet, miraculum approbari non potuit.

8 Porro ſenſit Democritus (a) apud Celſum, certas apud Medicos non dari finitæ vitæ notas. Et Schenckius, aliique referunt, nonnullos apoplecticos, alios laqueo, vel aquis ſuffocatos, & pro mortuis habitos vires reſumpſiſſe. Donatus vero, Arnald., & Rejes teſtantur, quoſdam jam ſepultos, inventos poſtea fuiſſe in ſepulcris viventes, alios, inter quos celeberrimum Joannem Duns Scotum, alio in loco ab illo, in quo poſiti fuerant, jacentes, vel facie unguibus dilaniata, capilliſque evulſis repertos fuiſſe. At factum Scoti ob rationes, & conjecturas a Waddingo allatas valde dubium eſt. Monet igitur Hoffmannus, ne ſyncope correpti ſtatim pro mortuis habeantur. Similia inculcat Lemnius. Et de Aſclepiade proditum eſt, hominem quemdam, qui tumulandus efferebatur, ab eo curatum fuiſſe.

a lib.2. de medic.c.6. pag.57. edit. Amſtelod.

9 Hæc autem, & alia, quæ facile cumulari poſſent, pleniſſime evincunt, caute admodum procedendum eſſe in judicio de mortui reſuſcitatione ferendo, quæ alicujus Servi Dei interceſſione contigiſſe dicatur. Atque in hoc ſtricte, ut diximus, quærendum eſt, an vera mors præceſſerit: quæ quidem quæſtio reſolvi poteſt, vel ex tempore, quo homo tamquam mortuus permanſit, vel ex ſignis, aut experimentis factis, ut conſtaret, an ille vere mortuus eſſet.

10 Et quod ſpectat ad tempus, Rituale Romanum præſcribit, ne repentine mortui ante debitum temporis intervallum ſepeliantur, tempus tamen non præfinit. Triduo Chriſti corpus in ſepulcro jacuit Matth.12. tertia autem die reſurrexit; idque *ad veritatem mortis Chriſti manifeſtandam ſufficiebat*, ait S. Thomas (b), *quia non contingit, quin infra hoc tempus in homine, qui mortuus videtur, cum vivat, appareant aliqua indicia vitæ*.

b 3. part. q.53. art.2.

11 Sed ut ad phyſica tranſeamus, ſeptuaginta duæ horæ, quidquid Medina ſentiat, neceſſariæ eſſe videntur, ut tutum de apoplecticorum morte feratur judicium; ad apoplexiam autem revocantur ſuffocatio ex aqua, ex laqueo, ex fumo carbonum, & mercurii, ex ebrietate, ex fulmine, ex cerebri percuſſione, & animi defectus ex peſte: idemque dicendum eſt de ſuffocatione ex utero, qua mulieres afficiuntur, ut bene proſequitur Zacchias. Si vero ſermo ſit de ſyncope, quæ a lipothymia, & ab animi deliquio diſtinguitur, viginti quatuor horæ ſufficiunt, ut forti ſyncope affectus pro mortuo haberi debeat.

12 Loquendo vero de ſignis, Hippocrates ſpumam in ore mortis ſignum exiſtimat. Alii reſpirationis ſimul inhibitionem, & alia ſymptomata exitialia expoſcunt. Facies quoque livida, nigricans, & viridis indicia mortis ſunt. Alii oculos conſiderandos eſſe docent, utpote qui quamdiu homo vivit, tantiſper fulgent, & intuentium imaginem reddunt. Omnes tandem apud Zacchiam, & Hoffmannum conſentiunt, partis alicujus livorem, & cadaveris fœtorem certiſſima eſſe mortis ſigna.

13 &c. Ad experimenta, quod attinet, floccus goſſipii, ſeu lanæ tenuiſſime carptæ, aut accenſa candela jacen-

jacentis ori admovetur, itemque ſuper ejus pectus cyathus aqua plenus imponitur, & ex horum quiete, vel motu mors, vel vita dignoſcitur. Tutiorem experientiam nonnulli exiſtimant terſiſſimum ſpeculum ori admotum, quod ſi obfuſcetur, ægrotantem adhuc vivere dicunt, ſin minus, jam deceſſiſſe. Experimentum vero omnium eutiſſimum eſt forte ſternutatorium ægroti naribus admotum, quo adhibito, ſi nulla deprehendatur ſenſatio, omnium conſenſu ille pro mortuo judicatur, ut laudati Zacchias, & Hoffmannus proſequuntur. Et Lanciſius quidem ſternutatorii experimentum valde laudat, non tamen alia rejicit. Subdit vero, experimenta quæcumque attendenda eſſe, quando vincibilis cauſa mortis præceſſit; quod ſi cauſa invincibilis exstiterit, *Medicus libere decernat ...., ait ipſe, ægrum jam e vivis exemptum fuiſſe*. Et huic ſententiæ ſubſcribendum eſt, cauſæ vero invincibiles apud ipſum videri poſſunt. Porro in cauſa S. Thomæ de Villanova cum inter cætera miracula duorum mortuorum reſuſcitatio propoſita eſſet, & ab experimentis conſtitiſſet, mortem præceſſiſſe, Rotæ Auditores miraculum approbarunt, eorumque Judicium a ſacra rituum Congregatione fuit comprobatum, ut ex Actis Canoniz. eruitur a P. Andrea Aznar anno 1658. editis. In cauſa quoque B. Petri Forerii, propoſita duorum puerorum reſuſcitatione, qui tribus circiter horis ſub curru onuſto oppreſſi permanſerunt, extracti vero mortui apparuerunt, nullaque remediorum vi juvari potuerunt; cum Soldatus Medicus cauſas mortis invincibiles præceſſiſſe, & Montecatinius Advocatus, eos vere mortuos fuiſſe demonſtraſſent; ſacra Congregatio generalis, quidquid ex adverſo Fidei Promotor oppoſuiſſet, duorum puerorum ad vitam revocationem inter miracula ſecundi generis recenſuit, ejuſque reſolutionem Benedictus XIII. approbavit.

18. 19 De iis, qui in aquas prolapſi, diu ſub iis permanſerunt, extracti vero pro mortuis habiti ſunt, & ad alicujus Servi Dei, vel Beati invocationem incolumes ſurrexerunt, peculiares urgent difficultates, an ſcilicet ex longa ſub aquis mora eorum mors ſatis fuerit comprobata. In bulla Canoniz. S. Hedvvigis a Clemente IV. edita inter alia miracula refertur, puerum in amnem delapſum, & ad molendini rotam alliſum, ejus interceſſione fuiſſe ad vitam revocatum. Similia leguntur in bull. Canoniz. SS. Thomæ Herfordienſis, & Franciſci de Sales, & in vita S. Hyacinthi a Fr. Severino Cracovienſi ſcripta, & apud Juſtum Lipſium. In cauſa vero S. Caroli Borromæi caſus pueri, qui in flumen delapſus per quadrantem non quidem demerſus, ſed ſupernatans permanſit, & S. Carolo invocato liber evaſit, approbatus fuit tamquam miraculum, non reſuſcitationis, ſed liberationis ab evidenti mortis periculo. Similes caſus diſcuſſi in cauſa S. Stanislai Koſtkæ fuerunt, ſed de his infra.

20. 21 Michael Angelus Lapius Fidei quondam Subpromotor in opuſculo ſuper hac materia Romæ edito an. 1670. putat, non eſſe miraculo adſcribendum, quod aliquis in aquas prolapſus, & tamquam mortuus eductus, invocato Servo Dei, vel Beato reſuſcitatus dicatur, ſi tempore, quo ſub aquis permanſit, naturaliter vivere potuiſſet. Et exemplo quidem a gemmarum piſcatoribus, & ab iis, qui ſyncope, vel apoplexia corripiuntur ducto, contendit, naturaliter hominem poſſe ſub aquis diu ſine reſpiratione vivere; nam etiam Innocentius VIII. ſyncope correptus viginti duabus horis ſine ullo pulſus, & reſpirationis ſigno perſtitit. Sed hanc Lapii ſententiam late refellit Pignatellus.

22 &c. Sed antequam quæſitum reſolvamus, præmittendum eſt, nec vitam ſine reſpiratione, nec reſpirationem ſine vita dari poſſe, quemadmodum oſtendit Zacchias, & antea Hippocrates innuerat. Enimvero, juxta

recentiores anatomicos, qui pulmonum uſum felicius, quam antiqui explicarunt, *præcipua pulmonum functio eſt ſanguinem, & aerem per totas partium compages, intimoſque receſſus .... traducere*, verba ſunt Williſii; vel juxta Truſton, principalior reſpirationis uſus conſiſtit in motu, & in efficientia tranſitus ſanguinis a ventriculo dextro ad ſiniſtrum cordis ventriculum; Vel, juxta Etmullerum, in tranſitu ſanguinis intra pulmones, qui ad eos a corde tranſmittitur. Quomodocumque ſumatur, intercluſa reſpiratione, animal moritur, non quidem ſtatim, ſed poſt pauca minuta, quæ inter vitam, & mortem intercedunt, ut Borellus explicat. Et Boyle, poſtquam nonnullis exemplis oſtendit fieri poſſe, ut quidam homines ex conſuetudine ſub aqua diutius permanere valeant, paucos tamen eſſe ſubdit, qui ultra duo minuta ſub aquis abſque reſpiratione vivere poſſint. Quamobrem inter fabuloſa rejiciuntur, quæ de Innocentio VIII. ſuperius relata ſunt, & quæ de Julio II, ac de alio apud Alexandrum de Benedictis referuntur, duobus nempe hos diebus ſine reſpiratione vixiſſe: hi enim potuerunt inſenſibiliter reſpirare, ut bene Stalpartius explicat.

27 Si ergo per duo, vel tria minuta naturaliter homo ſub aquis vivere poteſt, longior mora, quatuor nempe, aut quinque minutorum ſufficere videtur, ut ab aquis ſine ullo vitæ ſigno extractus, & invocato Dei Servo, vel Beato ſervatus, ad vitam dicatur revocari.

28 Sed obſtat adhuc difficultas ex foramine ovali petita. Obſervant enim Anatomici, dum fœtus in matris utero manet, nec reſpirare poteſt, duo eſſe foramina, per quæ, & non per pulmones ſanguis tranſmittatur: fœtu autem nato hæc foramina claudi; ſed ad quinquennium in pueris, & longius etiam in urinatoribus aſſuetis ab incunabulis aperta ſervari, ut videre eſt apud Bonetum, & alios: hinc patet, ex longiori ſub aquis mora non poſſe abſolutum mortis argumentum deſumi. Et ſane ob foramen ovale apertum caſtores, & cetera amphibia animalia diutiſſime ſub aquis ſine reſpiratione vivere creduntur. Quapropter Lanciſius in cauſa S. Stanislai Koſtkæ cenſuit, de duorum infantium ſub aquis merſorum reſuſcitatione non conſtare ob dehiſcentis adhuc foraminis ovalis probabilitatem: cenſuit vero conſtare de alterius reſuſcitatione in flumen pariter delapſi, & in juvenili ætate conſtituti. Quamquam rituum Congregatio nullum ex his miraculis approbavit, cum evidentes deficerent probationes. Addendum hic eſt, ovale foramen a recentioribus Anatomicis ſæpiſſime etiam in adultis apertum obſervari.

29 Quare, ut tutum de his reſuſcitationibus feratur judicium, nonnulla ſunt advertenda, quæ demerſionem præceſſerunt, hæc autem ſunt ætas ſanati, & innatandi uſus. Item nonnulla, quæ demerſionem ipſam reſpiciunt, utrum ſcilicet qui ex aquis extrahitur, fuerit ſub aquis, an ſuper aquas inventus: ſi enim ſuper aquas inveniatur, id argumento eſt, eum vivere, cum corpora recens demerſorum fundum petant, nec niſi poſt quatuor, aut octo dies illinc jam putrida emergant, quod fuſius explicat Lemnius: item per teſtes, qui rem totam ſpectaverint, indagandum eſt, quanto tempore demerſus ſub aquis permanſerit. Quædam tandem adnotanda ſunt, quæ demerſionem conſecuta fuerunt; ac primo quidem, an extractus ſuſpenſus pedibus fuerit, ut aquam evomeret: ſi cùm ita factum ſit, & aqua injecta convaluerit, neque ulla invincibilis mortis cauſa præceſſerit, omnia naturaliter ceſſiſſe dicendum eſt, ut innuit Alexander de Benedictis. Neque vero ſi aquam non evomat, ſtatim mortuus credendus eſt, cum forte in immerſione ſyncope, aut apoplexia corripi potuerie, & aquam non bibere: & in his circumſtantiis, niſi invincibilis cauſa mortis præceſſerit, ſigna advertenda ſunt,

ſunt, quæ de his morbis ſuperius recenſuimus, dummodo tempus a primo merſionis momento computetur. Quod ſi dicatur de his non conſtare in his, quos ſacra Scriptura, aut Acta Sanctorum reſuſcitatos memorant, reſpondetur, mortis evidentiam quoad primos ſtare teſtimonio Divino: quoad alios vero credendum eſt, recenſitas diligentias fuiſſe adhibitas. At vero laudanda eſt Sedis Apoſtolicæ diſciplina, ſi, ut obſtruatur os loquentium iniqua, novas adhibet diligentias. Videatur Horantius *de locis Catholicis ſacræ Scripturæ, & antiquorum Patrum.*

30 Quæres an, ut conſtet, aliquem fuiſſe miraculo ad vitam revocatum, debeat longo tempore poſtea vivere. Lazarus a Chriſto reſuſcitatus ſexaginta circiter annis ſupervixit, ut innuit Natalis Alexander (a). Et Penia ad reſurrectionis veritatem refert, quod puella a S.Raymundo reſuſcitata quatuordecim annis ſupervixerit. At ſi quis ad vitam revocetur, ut Baptiſmum ſuſcipiat, vel ut Confeſſionem expleat, ſuſceptiſque his ſacramentis moriatur, nullum reſurrectionis veritas detrimentum patitur, cujus rei exemplum videre eſt in rel. cauſ. S.Philippi Nerii. Cavendum tamen eſt a momentanea ſuſcitatione, cum hæc, ut monet Medina, phantaſtica eſſe poſſit.

a differt. 17. ſec. 3. prop. 1

31 Quæres iterum, quo in loco detineantur animæ a corpore ſeparatæ, antequam per particularem reſurrectionem ad corpus redeant? Reſpondet S. Thomas (b), Deum ex prævisis alicujus Sancti precibus pro eo, qui ad Infernum damnandus eſſet, effundendis, æternæ damnationis ſententiam ſuſpendere, ejuſque animam in Inferno detinere, moxque ad corpus remittere; cujus rei exemplum extat in vita S. Bernardi. Idem dicendum eſt de damnatis ad pœnas Purgatorii. Sotus vero oſtendit, nullum plene beatum, aut abſolute damnatum ad vitam remeaſſe: omneſque reſuſcitatos vitam æternam poſtea eſſe conſecutos.

b in 2. ſent. diſt. 43. qu. 2. ar. 2. ad 5

32 &c. De neceſſitate reſpirationis, aliiſque ſuperius expoſitis ſermo alibi recurret. Interim referre juvat miraculoſam a morte reſurrectionem, quæ anno 1734. in Xanti provincia Imperii Sinarum contigit. Vir quidam cognomine *Ly*, nomine autem *Fun hie*, dum ſanitatis plenitudine gauderet, ſæpe baptizari detrectaverat; in extremis vero conſtitutus, Baptiſmum ardenti ſtudio poſtulavit: obiit tamen quin recipere illum poſſet. Cumque in feretro jacens a ſuis lugeretur, Divina favente clementia, continuo revixit, & enixe Baptiſmum petiit. Interrogatus vero ſuper hoc tam feſtino ſuſcipiendi Baptiſmatis deſiderio, retulit, ſibi in Infernum deſcenſuro occurriſſe juvenem lanceam manu tenentem, aditumque ad Inferos intercludendo dixiſſe: *Scito, Deum permittere, ut reviviſcas, ac ſacroſancto Baptiſmatis lavacro ſuſcepto, firmiſſimam, indubiamque gentibus fidem facias, neminem poſſe ſalvari, niſi prius ſacrum Baptiſma recipiat.* Baptizatus itaque fuit, ac poſt menſem iterum deceſſit. Tota rei geſtæ ſeries fuſius deſcribitur in proceſſu ab Epiſcopo Effeſtienſi Vicario Apoſtolico in provincia Kenxi conſtructo, & ad ſacram Congregationem de propaganda Fide tranſmiſſo.

CAPUT XXII.

De Miraculis negativis.

1. 2 Miraculum negativum, juxta Mattam, eſt illud, *in quo nihil de novo ponitur, vel immutatur, ſed conſervatur tantum primus ſtatus, abſque tranſitu a termino a quo ad terminum ad quem.* Idemque aſſerit, hiſce miraculis in cauſis Beatificationis, & Canonizationis locum non eſſe, tum quia contra juris diſpoſitionem binæ in eodem ſubjecto præſumptiones admittendæ eſſent, aliquid ſcilicet phyſica neceſſitate fieri debuiſſe, quod non eſſet factum, & illud miraculo factum non fuiſſe: tum

quia miracula negativa ab Angelis naturali virtute fieri poſſunt. Juxta ipſum igitur remiſſio peſtis, invocato Dei Servo, vel Beato, præſervatio a ſubmerſione, combuſtione, & ſimilibus non ſunt in memoratis cauſis attendenda; immo neque admittendum fuiſſet illud in cauſa S. Eliſabeth Reginæ Luſitaniæ, quod faber lignarius e tecto cum lignis dilabens, invocata eadem Sancta, cum lignis in priſtinum locum reſtitutus fuit: hoc enim naturalem Angelorum virtutem non exceſſit.

3. 4 De admittendis miraculis, quæ totius naturæ creatæ vires non excedunt, ſatis ſuperius dictum eſt. Quod vero ad miracula negativa attinet, Mattæ ratio de præſumptione nullo modo ſubſiſtit, neque præſumptio eſt, ſed phyſica neceſſitas, ut ignis v. g. materiæ idoneæ applicatus comburat, quemadmodum D. Thomas innuit (*a*). Quare advertit a Lapide, Deum in rubo a Moyſe *Exod. 3.* viſo ignem per miraculum conſervaſſe, & combuſtionem impediviſſe. Porro præſumptio a naturalibus cauſis, & principiis orta certam facit probationem, & neceſſaria, ac violenta dicitur, neque probationem in contrarium admittit, uti docet Torres. Quapropter, debitis concurrentibus circumſtantiis, miracula negativa non ſunt rejicienda; aliter a miraculorum numero expungenda eſſet trium puerorum ab igne præſervatio in fornace Babylonis, & aliæ ſimiles præſervationes. Merito igitur opinionem Mattæ Matthæuccius rejicit, eamque rejecit etiam ſacra rituum Congregatio in cauſa S. Margaritæ de Cortona: quinimmo ſi ejuſdem Congregationis praxis, & diſciplina ſpectetur, huic opinioni prorſus adverſatur, cum miracula negativa approbata ſæpiſſime fuerint in judicio Beatificationis, & Canonizationis, ut ex relat. cauſ. SS. Jacobi de Marchia, Caroli Borromæi, aliorumque plurium ſatis exploratum eſt. Quod autem Danhaverrus hæreticus dixerat, miraculum eſſe *actum verum, & ſolidum, arduum, ſupernaturalem*, refellit Melchior Corneus Societatis Jeſu Theologus oſtendens, dari *vera miracula, quæ ſint negatio actus*.

a in catena aurea ad Evang. Lucæ c. 8.

5 His præmiſſis, primum quod ex miraculis negativis examinandum occurit, eſt peſtis extinctio, idque ut approbetur, nonnullæ requiruntur conditiones, nempe ut peſtis graſſetur, & ſummopere ingraveſcat; utque, præmiſſa Servi Dei, vel Beati invocatione, ſtatim extincta fuerit. Et hæc requiſita in quodam ſuffragio ſuper hac re edito Malpighius recenſuit, quem tunc neque Fidei Promotor, neque alius impugnavit. Eademque fuit Rotæ Auditorum ſententia in relatione cauſæ S. Franciſci Xaverii.

6 Medici vero diſtinguunt inter Peſtem, Contagium, & Epidemiam. At peſtem quidem ab aeris corruptione; Contagium a rerum peſte infectarum contactu oriri aſſerunt. Epidemiam vero morbum eſſe dicunt habentem cauſam univerſalem, & ſub ſe tam morbos peſtilentes, quam non peſtilentes comprehendere, ac proinde omnem peſtem eſſe epidemiam, non omnem autem epidemiam eſſe peſtem, ut videri poteſt apud Zacchiam, qui etiam late oſtendit, veram peſtem ſemper ab aeris corruptione, non a contagio, ut falſo vulgus opinatur, dependere. Donatus vero Antonius ab Altomari vult, peſtem aut a ventis flantibus a regione, in qua eſt peſtilentia, aut a Peregrinis peſte infectis afferri, de qua re plura legi poſſunt apud Horatium Angen., apud Cardinalem Gaſtaldum, & alios. Quidquid de his ſit, ſigna peculiaria peſtis ex Septalæ, Riverii, aliorumque teſtimonio, ſunt, ſi morbus ægros cito interimat, bubonibuſque, & carbunculis comitetur. Peſtis autem, vel contagii augmentum ex ægrotantium, & mortuorum numero deſumitur; miraculoſam vero ab his morbis liberationem mortis, & infirmitatis ceſſatio certam facit.

7. 8 Poſt hæc nonnulla ſuperſunt

perpen-

perpendenda, quæ in miraculorum examine dubium aliquod afferre poſſent. Enimvero novem, aut duodecim circiter menſibus, vel etiam pluribus annis, juxta Zacebiam alioſque, in civitate aliqua peſtis durare, & æſtivo tempore vehementius, quam hyberno graſſari conſuevit, & non raro per hyemem ſopita, æſtivo tempore reviviſcit. Ad ipſam vero extinguendam ſalubres venti, ac diligentiæ plurimum conducunt. Nihilominus miraculo ſubitæ liberationis a peſte obſtare non videtur, quod ipſa poſtquam diu graſſata fuerit, præmiſſa alicujus Servi Dei, vel Beati invocatione, ceſſaret, aut hyberno tempore, vel flantibus ventis ſalubribus, aut diligentiis adhibitis extingueretur. Obſtaret autem, ſi pauci poſt invocationem peſte corriperentur, non jam ſi ex correptis pauci morerentur, cum in miraculo liberationis civitatis a peſte, non de paucorum, ſed de Communitatis præſervatione agatur, uti ex cauſa S. Franciſci Solani colligitur.

9 &c. Sequitur, ut aliqua addantur de præſervatione a morte eorum, qui in aquas delabuntur. Ac de his quidem nonnulla ſuperius indicavimus, cum de reſpirationis neceſſitate, & uſu, ac de tempore, quo quis ſine reſpiratione vivere poteſt, ageremus. Et illa quidem, quæ ibi notavimus, hic quoque confirmamus; celebris quippe recentiorum anatomicorum ſententia, inteſtinum ſanguinis motum ad aerem refert per reſpirationem hauſtum; eodemque aere ſublato, muſculorum motum prorſus extingui affirmat, ut videre eſt apud Truſton, apud Pecklinium alioſque. Et ab experimentis a Boyle factis quoad tempus, quo anas, & alia quædam animalia, ſubducto per antliam pneumaticam aere, vivunt, ſatis colligitur, hominem paucis poſſe momentis ſine reſpiratione vivere. Idque multo magis locum in infantibus ſibi vindicat, qui vivere in utero matris incluſi non poſſunt, niſi aer eorum ſanguini jugiter miſceatur, quem quidem aerem ex ſanguine matris in placentam influentem per venam hauriunt umbilicarem, uti obſervant Verbeyen, aliique peritiores Anatomici. Quamobrem Petrus Aſſaltus Medicus ſcribens in cauſa S. Joannis Nepomuceni, miraculo tribuit, quod puella ſexennis per horam ſub aquis demerſa, & ad molendini rotam alliſa, indeque extracta nullum vitæ ſignum dederit; invocato autem S. Joanne convaluerit, poſtquam hauſtam aquam evomuit. Cumque Fidei Promotor, Lanciſii doctrinæ alibi memoratæ innixus, oppoſuiſſet, foramen ovale in ea puellæ ætate probabiliter apertum fuiſſe, cujus ope ſub aquis vivere ſine reſpiratione potuiſſet, excanduit Aſſaltus, repoſuitque, foramen illud apud peritiores anatomicos intra paucas poſt partum hebdomadas ita coaleſcere, ut aboleatur. Videbatur Aſſaltus innuere, puellam a morte fuiſſe ad vitam revocatam, ſed rituum Congregatio miraculum tanquam præſervationis a ſubmerſione, & ab imminente morte in tertio genere duntaxat approbavit.

15. 16 Longum nimis eſſet omnes miraculi negativi ſpecies recenſere; quare frequentiores tantum caſus innuemus. Ac primus quidem eſt eorum, qui ex alto decidunt, & ad invocationem alicujus Servi Dei, vel Beati illæſi ſervantur. Et quod ad hos attinet, Hippocrates, aliique referunt, nonnullos ex alto decidiſſe, & tamen incolumes naturaliter ſervatos fuiſſe. Bordonus vero in ſimilibus caſibus pro miraculo exigit, *ut magna ſit diſtantia inter utrumque extremum, & quod decidens non cadat ſuper quid molle, & leve*. Judicis vero eſſe *deſignare diſtantiam, attentis circumſtantiis perſonæ cadentis*.

17 Hæc vera ſunt, ſed inſuper cadendi modus, & ſitus advertendus eſt, cur poſſit quis ſine noxa delabi, ſi erecto corpore, aut dorſo ad murum incumbente, aut vento veſtes inflante cadat. Item ſi cadens ad modum

dum avium corpua ducat, crura, aut brachia extendat, & caput, pectus, ventrem inclinet, itaut ad æquilibrium ſe ſe reſtituat; vel ſi aerem ad latus oppoſitum ita percutiat, ut impetum projectitium infringat; aue ſi pedes, & reliquos articulos extendat, & ſtatim cedendo vim lapſua impediat, ut in ſaltatoribus, & funambulia cernitur: tandem ſi in uno, aut in paucia punctis alteri corpori illidatur, cujus punctum, aut puncta vim habeant æqualem punctis corporis impingentis. Quæ, & ſimilia ſacræ Congregationis Conſultorea advertant, ne quod naturale, vel fortuitum eſt, miraculo adſcribatur, neve gratia, aut mirandum cum miraculo confundatur.

19 Similes diligentiæ in aliia miraculis negativia ſunt adhibendæ. Si quis enim ſub domua ruina, aut ſub currus tranſeuntia rota, aut in aliis periculis, invocato Dei Servo, vel Beato, incolumis ſervatus dicatur, advertendum eſt, an in domus ruina ligna corruentia fornicem caſu compoſuerint, qualis fuerit currus gravitas, & curſua; &, an periculum aliud ſola Dei ope everti potuerit, quale fuit apud S. Paulinum (*a*) periculum cujuſdam ſenis catechumeni ab evidenti naufragio præſervati. Porro ſiquis in ruina ſub fornice caſu compoſito reperiatur, ſi currus velociter cucurriſſet, cum quis ſub ejus rota conſtitueretur; aut ſi aliud periculum citra Dei ſupra naturam agentis opem evadere potuiſſet; hæc inter gratias, vel admirabilia, non autem inter miracula erunt recenſenda, ut in cauſa S. Joannis a S. Facundo contigit.

a in ep. 49. al. 36. ad Macarium col. 281.

20. 21 Aliquando contigit, ut quia a morte, aut etiam a vulnere ex valido ſclopi ictu ſervetur: & hinc quæſtio, an id miraculo ſit adſcribendum. De præſervatione a morte actum fuit in cauſis SS. Catharinæ de Bononia, & Pii V., in quibus quidam globulis e ſclopia exploſia leviter dumtaxat vulnerati dicebantur, quin globuli ipſi, his invocatis Sanctis, vim habuerint ulteriorem. Sed quamvia Medici, & Advocati tum ob pulveris pyrii vehementiam, de qua Fortunus Licetus, tum ob modicam inter vulneratos, & vulnerantes diſtantiam, de qua Milliet de Chales, contenderint præſervationem ab ictibus mortalibus in utroque caſu miraculo fuiſſe tribuendam, nulla tamen iſtorum in his caſibus ratio habita eſt. De præſervatione a vulnere actum fuit in cauſa S. Caroli Borromæi. Quidam enim ſicariua balliſtam igneam in Sanctum orantem exploſit, ex qua nonnulli globuli ad ejuſdem Sancti tergum pervenientes nullum ei vulnua intulerunt. Porro Rotæ Auditores id mirandum qnidem, non tamen miraculum fuiſſe cenſuerunt, cum quorum ſententia bulla ejus Canonizationis concordat. Ex his autem conſtat, ſummo examine opus eſſe, ut ſimilia inter miracula recenſeantur, cum alicujus tormenti bellici ictu percuſſus, potuerit vel ab intermediis corporibus obſiſtentibua, vel ex diſtantia loci, vel ex pulveria pyrii qualitate, vel ex modo tormenti bellici armandi minus idoneo ſervari.

22 Nonnumquam Poſtulatores tamquam miraculum propoſuerunt, quod ignitus aliquis globus alicui civitati imminens, & ad eam comburendam aptiſſimus, ad oſtenſionem Reliquiæ alicujus Beati retroceſſerit, ac civitas a periculo liberata fuerit. Sacra tamen rituum Congregatio ab hujuſmodi miraculo approbando abſtinuit, cum a ventis per tranſverſum flantibus globus alio averti potuerit; neque conſtaret, utrum venti ordinario naturæ curſu, an extraordinaria Dei providentia ſpiraverint. In cauſa vero B. Fidelis a Sigmaringa inter miracula approbata fuit præſervatio arcis Mainfeldæ a gravi incendio, pluribus miraculum circumſtantiis ſuadentibus. Aliud miraculum præſervationis ab incendio videri poteſt in vita S. Leonis IV.

CA-

Digitized by Google

CAPUT XXIII.

De rerum multiplicatione, & rerum in alias res converſione.

1 &c. OLeum, & panem fuiſſe ab Eliſeo multiplicatum conſtat ex 4. *Reg.*4. Et ex Evangelio (*a*) indubitatum eſt, paucos panes, paucoſque piſces fuiſſe a Chriſto ita multiplicatos, ut quinque millibus hominum, præter mulieres, & parvulos, ſaturandi abunde ſuffecerint. Alia mirabilium multiplicationum exempla exhibent bullæ Canoniz.SS.Claræ, Richardi Ciſtercienſis Epiſcopi, Franciſcæ Romanæ, Tereſiæ, Mariæ Magdalenæ de Pazzis, & Pii V. Et S. Gregorius M. (*b*) teſtatur, dolium vacuum interceſſione S. Benedicti oleo fuiſſe repletum. In monaſterio pariter Monialium Carmelitarum Terræ Vetrallæ Diœceſis Viterbienſis mirabilis interceſſione S. Aloyſii facta eſt poſt ejus Canonizationem farinæ multiplicatio, ut ex authentico proceſſu ab Ordinario confecto colligitur.

a Matth. 14. v. 19.

b In vita S. Benedicti c. 29.

5 Poſt hæc obſervandum eſt, quomodo hæc miracula fiant. *Geneſ.*2. legitur: *Ædificavit Dominus Deus coſtam, quam tulerat de Adam, in mulierem.* Hanc vero productionem Origenes, & Cajetanus metaphorice, & parabolice acceperunt, quod quam abſurdum ſit, & ex ipſis Geneſis verbis, & ex S. Auguſtino (*c*) ſatis exploratum eſt. Calmet vero ſentit, mulierem ex coſta factam fuiſſe, aut multiplicata materia, ſicuti dum Chriſtus panes multiplicavit, aut addita carne, vel addita terra in carnem mutata. Et S. Thomas (*d*), poſtquam innuit, materiam aliquam multiplicari poſſe vel per rarefactionem, vel per novæ materiæ creationem, vel per converſionem materiæ jam exiſtentis, quæ materiæ addantur multiplicandæ, concludit, tam Hevæ formationem, quam panis multiplicationem per converſionem modo expoſitam contigiſſe. Subſcribunt, Eſtius, & Cornelius a Lapide (*e*). Quamobrem, quidquid Rotæ Auditores in relat. cauſ. S. Tereſiæ ſenſerint, probabilior ſententia eſt, multiplicationes iſtas fieri per materiam præexiſtentem ab alio corpore ſeparatam, & corpori multiplicato additam.

c lib. 12. de Civit. Dei c. 23. & lib. 9. de Geneſ. ad litt. 13.

d 1. part. q. 92. art. 3.

e In Matth. c. 14.

6 Multiplicatio igitur abſque dubio miraculo adſcribitur. Sed ut hæc miracula approbari poſſint, evidenter juxta Bordon., alioſque probanda eſt certa, ac determinata rei præexiſtentis quantitas; multiplicatio rei ad aliam certam quantitatem; & excluſio cujuſcumque modi, quo res ſuperaddita potuerit naturaliter aliunde haberi. Adverti etiam poſſet rei multiplicatæ qualitas, cum Deus hujuſmodi miracula in rebus homini ſuperfluis operari non conſueverit, uti obſervant Calmet, & S. Hieronymus (*f*), & ut ex vita S. Roſæ Limanæ a P. Hanſen ſcripta colligitur.

f In vita S. Pauli primi Eremit.

7. 8 Quod ſpectat ad converſionem unius rei in aliam; converſio hæc alia eſt accidentalis, qualis in Mara contigit *Exod.*15., cum aquæ amaræ, ligno a Moyſe in eas immiſſo, in dulces converſæ fuerunt: & cum aquæ Hiericuntis peſſimæ 4.*Reg.* 2., injecto ab Eliſeo ſale, *ſanatæ ſunt*. Alia eſt ſubſtantialis, qualis fuit illa uxoris Lot in ſtatuam ſalis, & virgæ Moyſi in colubrum, itemque aquæ in vinum converſio in nuptiis Canæ Galileæ *Joan.*2. Et utriuſque converſionis exempla, accidentalis nempe, & ſubſtantialis extant, præter alia, in bull. Canoniz. SS. Franciſci Xaverii, Chunegundis, & Bennonis.

9 Porro accidentalis converſio fit, cum remanente materia, & forma ſubſtantiali, nova forma accidentalis inducitur. Subſtantialis vero eſt, cum præcedens forma ſubſtantialis excluditur, & nova introducitur. Scripſit Durandus, in Euchariſtia converſionem fieri *per hoc, quod, corrupta forma panis, materia ejus fit ſub forma corporis Chriſti*. Quam quidem ſenten-

tiam

tiam omnes improbant, & merito, cum ei aperte Concilium Tridentinum (*a*) adverſetur.

a ſeſſ. 13. can. 2.

10. 11 Converſio hæc, ut inter miracula recenſeatur, opus eſt, ut non ſecundum conſuetum naturæ curſum fiat, neque ſit apparens, uti apparens eſt converſio aquæ in vinum, quæ ei admiſcetur, ut apud Contenſon legi poteſt. Item ut ſtatus præcedens evidenter probetur, & nihil naturale ad converſionem aptum intercedat; quale fuit lignum in aquas amaras a Moyſe immiſſum, per quod dulces naturaliter aquas effectas fuiſſe, probabilior tenet ſententia apud Valleſium, qui contra notat, non ſine miraculo Hiericuntis aquas per modicum ſalem ab Eliſeo injectum ſanatas fuiſſe, cum quo conſentit Cornelius a Lapide: quemadmodum etiam miraculum abſque dubio fuit, quod ſalſa maris aqua per ſignum crucis a S. Franciſco Xaverio ſactum, in dulcem, & potui aptam converſa fuerit, cum id ſæpe arte tentatum numquam ex voto ceſſerit. Tandem ut in ejuſmodi converſione de miraculo conſtet, novæ inductio formæ evidenter eſt oſtendenda. Quæ quidem requiſita deprehenduntur in converſione aquæ in vinum, quæ in nuptiis Canæ Galileæ imperio Chriſti facta eſt.

12 Multiplicationes, & converſiones, quæ per novæ materiæ additionem, & per novæ formæ inductionem fiunt, miraculis ſecundi generis probabiliter accenſentur. Sed dubium eſt, utrum in eodem, an in tertio miraculorum genere reponendæ ſint multiplicationes, & converſiones factæ per res Angelorum miniſterio inviſibiliter delatas, & rebus præexiſtentibus additas, aut loco alterius ſubſtitutas: quamquam hujuſmodi etiam multiplicationes, & converſiones miraculo tribuantur, ſicuti miraculo tribuuntur eſcæ juſſu Dei ad Sanctos modo extraordinario delatæ, ut quod corvi Eliam 3.*Reg*.17., & S. Paulum primum Eremitam, teſte S. Hieronymo apud Bolland. (*b*), paverint, quodque farina incognita, juxta S. Benedicti prædictionem, teſte S. Gregorio M. (*c*) in ejus vita, ad monaſterium delata fuerit.

b Iannar. to. 1. pag. 606.

c dialog. c. 21. tom. 2. oper. col. 248.

CAPUT XXIV.

De miraculis reſpicientibus dominium in elementa, & irrationales creaturas, & plantas.

1 PLura hujuſmodi miracula, præter ea, quæ *cap*.1. *n*.9. recenſuimus, cum in veteri, tum in novo Teſtamento referuntur. Aqua ſiquidem *Exod*.17. de petra a Moyſe percuſſa, & *Judic*.15. ſitiente Samſone de aſini maxilla fluxit. Elias quoque 4.*Reg*.2. Jordanis aquas diviſit, & *cap*.6. ſecuris ferrum ſuper aquas natare fecit. Tres pueri *Daniel*.3. in fornace Babylonis ab igne incolumes evaſerunt, & *cap*.8. ipſe Daniel de lacu leonum illæſus eductus eſt. Item præmonente Chriſto *Luc*.5. ingens piſcium multitudo capta eſt; eodemque ventis, & mari imperante *Matth*.8., & *Marc*.4. *facta eſt tranquillitas magna*.

2 Similia interceſſione Sanctorum, quos vel juxta antiquam, vel juxta recentem Eccleſiæ diſciplinam canonizatos veneramur, a Deo patrata ſunt miracula. Plures enim fontes a Gretſero recenſentur, qui ob Sanctorum merita exorti ſunt: de his nonnulla etiam refert Nierembergius, & præcipue de illo in Anglia, qui S. Wenefridæ dicitur, & de quo plura, eademque mirabilia, Baronio teſte (*d*), prædicantur, quorum veritatem idem Nierembergius a Poveli Calviniſtæ calumniis vindicat. Et S. Gregorius M. in vita S. Benedicti (*e*) teſtatur, copioſam aquam ejus orationibus e montis cacumine erupiſſe. Similia videre eſt in bull. Canoniz. SS. Bennonis, Petri de Alcantara, Iſidori Agricolæ, Paſchalis Baylon, & in cauſa Beatificationis S. Turribii.

d in not. ad Martyrol. ad diem 3. Novemb.

e cap. 5.

3 Succedunt exempla transfretationis maris, & fluminum abſque cymba,

cymba, neque natando, ſed pedibus eundo, ſolidum aquis iter præbentibus. In cit. vita S. Benedicti (a) S. Maurus dicitur ſuper aquas, opem Placido in laeum delapſo allaturus, ambulaſſe. Et in bull. Canoniz. S. Bennonis legitur: *Albim flumen ſiccis pedibus tranſivit*. De S. Raymundo de Pennafort proditum eſt, eum extenſo ſuper mare pallio e Majorica Barcinonem feliciter transfretaſſe, quod teſtatus eſt etiam Em. Card. Bellarminus in ſuo ſuffragio pro illius Canonizatione edito. Similia legi poſſunt in Actis SS. Petri de Alcantara, Hyacinthi, Francisci de Paula, aliorumque.

a cap. 7.

4. 5 S. Petrum Igneum alibi diximus illæſum per ignem ardentem tranſiiſſe. Et de S. Chunegunde *in Act. SS. Ord. Benedict.* legitur: *ut ſuam innocentiam* (de virginitate ſervata) *demonſtraret, ſuper ignitos vomeres nudis plantis inceſſit illæſa*. Pertinent hæc ad eas purgationes, quæ vulgares vocantur, cujuſmodi erant, deficientibus aliis probationibus, duellum, ferri candentis contrectatio, & id genus alia. Quæ quidem probationes, ſeu experimenta, etſi olim in quibuſdam circumſtantiis admiſſa fuerint, ſubſecutis tamen temporibus exploſa ſunt, & tamquam periculoſa omnino ſunt reprobanda, niſi adſit Dei promiſſio, uti aderat de aqua Zelotypiæ in veteri Teſtamento, quæ *Num.* 5. ad deprehendendum mulieris adulterium in uſu erat. Simili modo quamquam olim fortium uſus admitteretur, nunc prorſus prohibitus eſt, ut late oſtendunt Pirhing, Anacletus, aliique.

6 Sed ut ad ea deſcendamus, quæ magis ad rem noſtram faciunt, non ſemel Chriſtiani olim igni tradebantur; vivi enim crematio ſummum appellatur ſupplicium *in l.* 28. *ff. de pœnis*. Tiburtius tamen in Diocletiani perſecutione damnatus ad incedendum ſuper carbones ardentes, nullam ſuper hos læſionem ſenſit. Ab igne quoque illæſi SS. Franciſcus de Paula, & Petrus de Alcantara ſervati dicuntur in bullis Canoniz. eorumdem. Et Rotæ Auditores in relat. cauſ. S. Pii V. miraculo adſcripſerunt, quod duæ ipſius imagines in magno incendio intactæ remanſerint, cujus quidem miraculi ratio habita eſt, cum miracula, etiam nulla præcedente invocatione, ad alicujus ſanctitatem declarandam contingant. Iidem Rotæ Auditores miraculo adſcripſerunt ſublatam ad S. Ludovici Bertrandi preces incendii extinctionem; quemadmodum etiam quod S. Joannes de Deo in magno incendio in Regio Granatenſi valetudinario excitato per horæ dimidium excurrerit, & incolumis evaſerit. Alia exempla legi poſſunt apud Cedrenum, S. Gregorium (b), Bollandum, Surium, & Roſvveidum.

b lib. 1. dialog. c. 6.

7 Hic nonnulla de dominio in aquas addenda ſunt, quæ licet minoris ponderis ſint, quam ea, quæ ex Act. Canoniz. ſuperius hauſimus, vera tamen miracula fuerunt. In vita S. Bernardi narratur, imbre corruente, madefactam non fuiſſe epiſtolam, quam ipſe dictabat. Et Rotæ Auditores in ſuis relationibus miraculo adſcripſerunt, quod S. Franciſca Romana, & S. Andreas Avellinus inter denſiſſimas pluvias nullum experti fuerint madorem. Alia de Servorum Dei dominio addenda eſſent in creaturas irrationales animatas. At multa de hoc diximus, cum de Martyrio ageremus: plura vero apud Nierembergium legi poſſunt.

8. 9 Magnalia hæc ſunt omnipotentiæ Divinæ; ſiquidem *Dominus*, ait S. Joannes Chryſ. (c) de fornacis Babylonicæ flammis diſſerens, *quando vult, elementa omnia in contrariam mutat eſſentiam*. Subdit vero Calmet, ejuſmodi prodigia adeo explorata eſſe, *ut imperitiſſimi quique de populo tuto de illis judicare permittantur*. Verum de iis, qui ſuper aquas ambularunt, quæſtio excitari poteſt, quomodo id factum fuerit, utrum nempe corpus ambulans levitatem induerit, an aqua ſolida facta, aut fluiditas ſuſpenſa fuerit. Item cum agitur de fontium produ-

c hom. 12. ſup. geneſ. n. 3. oper. to. 4.

productione, dici poteſt ex Ariſtotele, eos gigni intra terræ ſinus, & cavitates, ex aere, & vaporibus in aquam ibidem reſolutis. Recentiores vero eorum originem ab aquis marinis repetunt. Carteſius putat, infra campos, & montes multas eſſe cavitates aquis plenas, & ex his fontes ſcaturire. Alia plura de fontium origine apud P. Regnault legi poſſunt. Denique cum de tranſitu per ignem abſque læſione res eſt, dixerunt nonnulli, eam eſſe humani corporis conſtitutionem, ut ab igne naturaliter non lædatur. Verum hoc fabuloſum eſt commentum, ut late oſtendit Majolus. Et quod ad alia de tranſitu ſuper aquas, & de fontium origine adnotata ſpectat, quidquid ex iis dicatur, ſemper miraculi ratio ſubſiſtit, ſaltem quoad modum, ut bene Rotæ Auditores adnotarunt in relat. cauſ. S. Iſidori Agricolæ, & B. Hieronymi Æmiliani.

10 Solida ergo difficultas in hujuſmodi factorum examine conſiſtit in probationibus. Videndum enim eſt, quam fidem teſtes mereantur, & quomodo facti ſubſtantiam comprobent. De incedentibus ſuper aquas, obſervandum eſt, an nulla corporis parte demerſa inceſſerint, quemadmodum Chriſtus, juxta Lactantium, ſuper aquas ambulavit: corpus enim ſolidum, licet levius, in aqua poſitum, aliqua ſui parte mergitur. Item advertendum, an teſtes factum die, vel nocte ſpectaverint, & quatenus nocte, indagandum eſt, an ſuper aquas ambulantem vere cognoverint.

11 Quod ad fontium productionem ſpectat, indagandum eſt, an ullum antea eſſet aquæ ſignum; an terra eſſet arida; an aliquod hominis miniſterium in aqua educenda interceſſerit; an aqua hominibus, aut animalibus, aut frugibus eſſet neceſſaria; & an ſtatim poſt Servi Dei preces, vel poſt ejus, ſi defunctus eſſet, invocationem manaverit. Quæ ſi poſtea ægrotis profuerit, id faciliorem reddet miraculi approbationem.

12 De tranſeunte per ignem quærendum eſt, an veſtitus, vel nudus ignem ingreſſus fuerit; an per medium tranſierit; quomodo lignorum ſtrues compoſita fuerit; an ventus flammam avertere potuerit; quamdiu in igne tranſiens permanſerit; quomodo probetur illæſus, & an duraverit.

13 Plura in ſingulis his factis advertenda inveniri poſſunt, ſed hæc innuiſſe ſufficiat. Addimus vero, non eſſe in his de præſtigiis ſuſpicandum, cum virtutum approbatio, quæ miraculorum examen præcedit, Dæmonis factum excludat.

14 Reliquum eſt, ut pauca de miraculis, quæ arbores reſpiciunt, addamus. *Matth.* 21. legitur, Chriſtum ad ficei arborem acceſſiſſe, quam cum ſine fructibus inveniſſet, maledixit, *& areſacta eſt continuo ficulnea*. Hoc facto Patres apud Calmet ſentiunt, Chriſtum patefacere Apoſtolis voluiſſe cauſam reprobationis Judæorum. Utcumque ſit, miraculo ſane tribuendum eſt, quod arbor tam vivida ſolo Domini verbo extemplo aruerit. Simile quid ad oſtendendam S. Franciſci ſanctitatem a Deo patratum fuiſſe referunt Waddingus (*a*), & Cornelius a Lapide (*b*). Cum enim Fr. Juniperus arborem plantaret, & idcirco non ſtatim Sancto Franciſco vocanti paruiſſet, Sanctus arbori maledixit, quæ numquam amplius crevit, ut etiam hodie cernitur.

a in annal. ad an. 1222 n. 11.

b in Matth. c. 21. v. 19.

CAPUT XXV.

De quibuſdam miraculis, quæ in cælis, & in terra contingunt.

1 NAto Jeſu in Bethlehem Judæ, ſtatim, quæ diu ante
Num. 24. præſignata fuerat, ſtella apparuit, quam Magi ſequentes *Matth.* 2.
ad eum adorandum ab Oriente advenerunt, eique munera obtulerunt.

2 &c. Variæ ſunt apud Calmet de hac ſtella ſententiæ, quarum ea magis rece-

Digitized by Google

recepta eſt, quæ affirmat, eam neque aliquam ex ſtellis communibus, neque *cometam*, ſed Divinam quamdam fuiſſe virtutem, quæ non oculos tantum, ſed mentem etiam intuentium illuſtraret, & ad Chriſtum natum quærendum excitaret, ut apud Baronium (*a*), & Theophilactum (*b*) legi poteſt. Neque aliter res ſe habere potuiſſe videtur. Hæc enim ſtella motum non habuit, ſicut aliæ, circularem, temporanea fuit, ac ſolis Magis perſpicua, hiſque Hieroſolymæ degentibus, ſe abdidit. Quamobrem vel aliquod fuit meteorum ab Angelo in modum ſtellæ formatum, vel ſtella tunc in aere terræ vicino creata, quæ ſecundum divinam voluntatem movebatur, ut docet S. Thomas (*c*), cui præter alios adhæret Spanhemius, quamvis heterodoxus.

a ad ann. primum Chriſti n. 35.

b in Matth. c. 2.

c 3. par. qu. 36. ar. 7.

5 Jeſu quoque moriente, *tenebræ factæ ſunt ſuper univerſam terram*, Matth. 27. Hiſque tenebris Origenes putat (*d*), ſolam Judæam fuiſſe comprehenſam. At ſacer textus univerſam terram deſignat. Hoc ipſum teſtantur S. Dionyſius Areopagita (*e*), & Phlegon Hadriani Imperatoris Libertus apud S. Hieronymum (*f*), ex quibus proinde comprobari poſſe videtur, tenebras illas non ſola Judæa fuiſſe concluſas. Porro S. Thomas (*g*) genuinum exiſtimans S. Dionyſii textum, docet, eaſdem tenebras factas fuiſſe per lunæ inter nos, & ſolem interpoſitionem. Quamobrem Card. Cozza ſentit, illam ſolis defectionem naturalem fuiſſe, quoad ſubſtantiam; ſupra naturam vero quoad modum, ratione plenilunii, in quo defectio contigit. Sed dubius admodum apud Eruditos eſt S. Dionyſii textus.

d tract. 35. in Matth. edit. Pariſ. to. 3. pag. 923.

e epiſt. 7. ad Polycarpum oper. to. 2. pag. 91

f in Euſebii Chronico oper. to. 8. pag. 649.

g 3. par. qu. 44. ar. 2.

9. 10 Ad teſtimonium Phlegontis, quod attinet, plura argumenta ſuadent, eum de eadem, de qua Evangeliſtæ, eclipſi locutum fuiſſe: utraque enim in eumdem incidit annum, eamdem reſpicit horam, & utramque inſignis terræmotus comitatus eſt. Quin etiam Phlegontis teſtimonium admiſiſſe videntur Tertullianus (*h*), & Lucianus Martyr (*i*). Hæc fuſius pertractata legi apud Natalem Alexandrum, & Huetium poſſunt. Neque vero admittenda videtur eorum ſententia, qui dicunt, ſolis obſcurationem in Paſſione Chriſti per nubes factam eſſe, aut quod ſol radios ſuos in ſe retraxerit; ſed ſiquis ratione plenilunii admittere renuat, illam ſolis defectionem fuiſſe veram eclipſim, dici poteſt, uno tantum miraculo ſuſpenſam fuiſſe Divinam efficaciam ad Solaris luminis diffuſionem.

h in Apologet. c. 21. pag. 29.

i apud Rufin. lib. 9. Hiſt. Eccl. c. 6.

11 Demum, Chriſto mortuo, *Marc.* 15. velum templi ſciſſum eſt, & *Matth.* 27. terra mota eſt, petræ ſciſſæ, & monumenta aperta ſunt.

12 Porro nefas eſſet ea, quæ de ſtella, ac de reliquis hucuſque recenſitis diximus, aut ſimilia, quæ in judicio Beatificationis, & Canonizationis tamquam miracula approbata eſſent, a claſſe miraculorum excludere. Nonnulla tamen innuenda ſunt, quibus Conſultores ſacræ rituum Congregationis tutum in ſimilibus judicium ferre poſſint.

13 Antiqui Hiſtorici apud Ricciolium ſcripſerunt, cometas eſſe alicujus memorabilis caſus indicia, quos tamen Gaſſendus refellit. Peripatetici, & major Stoicorum pars putarunt, eos vaporum terreſtrium exhalationibus componi. Democritus vero, aliique aſſeruerunt, cometas corpora eſſe cæleſtia, quæ certis regulis inſtar planetarum moveantur. Et huic ſententiæ moderni Aſtronomi communiter ſubſcribunt. Non eadem tamen ſemper fuit cometarum apparentium moles, figura, & duratio, neque idem color, & motus: ſed nihil in his ſupra naturam excogitari poteſt, cum paſſim cometæ his qualitatibus prædicti apud Ricciolium, alioſque obſervati ſint.

14 Novæ aliquando ſtellæ apparuerunt, aliæ ſeſe abdiderunt, aliæ poſtquam recens apparuerunt, inter fixas perſeverarunt, aliæ periodos ad-

modum varias habent. Sed neque in bis miraculum ex ſua natura reperitur.

15 Succedunt eclipſes, quæ ſi extra tempora in calculis aſtronomicis deſignata contingant, miraculis utique adnumerari poſſunt. Non autem ſi luna in eclipſi ſanguinea appareat, neque ſi ſolem obſcuratum lucidus annulus circumdet, aut ſi ſol ſereno cælo, quaſi obtenebratus appareat.

16 &c. Multa ex meteoris deſumi poſſunt, quæ penes rudiores pro miraculis habentur, ſed vix mirabilia dici poſſunt. Aliquando enim duplex ſol, ſeu parhelium, vel duplex luna, quæ *Paraſeleno* dicitur, apparet; quas quidem apparentias vix eſt, qui animadvertat, niſi arcus coloribus perſpicui eas comitentur. Interdum tales in nubibus refractiones, taleſque, ut vocant, luminum penumbræ apparent, ut hominum, animalium, & monſtrorum ſpeciem præſeferant, atque ſi tunc fulmen erumpat, idiotæ miraculum autumant. Nonnumquam etiam in Italia aurora borealis apparuit, cujus apparendi diverſitas, & phaſium varietas vix poteſt explicari. A turbinibus effectus adeo funeſti, ac violenti producuntur, ut ann.1729. turbo æſtivo tempore ortus in terra Trecentæ rura, domoſque ſubverterit, multoſque homines interemerit. Inter meteora ignea recenſentur *ſtellæ cadentes*, flammæ, & globi volantes; itemque ignes fatui, vel flammulæ, quæ ſe parum e terra extollunt, quaſque Beccarius exacte deſcribit. Accedunt meteora terræ, qualia ſunt Vulcanorum eructationes, ruinæ, & lapſus aliquarum partium montium, & præcipue terræmotus, ex quibus aliquando voragines, & lacus prodierunt, & civitates maritimæ ſubmerſæ ſunt.

23 &c. Omnia hæc, quæ huc uſque recenſuimus, utique naturalia ſunt; abſit tamen, ut quis dicat, ea numquam ratione circumſtantiarum, vel modi poſſe miraculi naturam induere. Quod ut exemplis clarius fiat, naturalis profecto eſt hominum mors, pluvia, & ſimilia; ſed quis inter miracula ratione circumſtantiarum, vel modi, non recenſeat mortem Dathan, & Abiron *Numer.16.*, mortem Ananiæ, & Saphiræ *Act.5.*, Diluvium univerſale *Geneſ.6.*, & 7., Incendium, quod Sodomam, & Gomorrham *Geneſ. 19.* conſumpſit; columnam, quæ *Exod.13.* turum iter Iſraelitis monſtravit: & equites, qui Hieroſolymæ *2.Machab.5.* per aerem decurrentes diebus quadraginta viſi ſunt?

27 &c. Re igitur ad externas redacta circumſtantias, ob quas res in ſe naturalis ſupra naturam extollitur, & cenſetur opus Dei præter, aut contra naturæ ordinem agentis, vel jubentis, ut effectus producatur, quem natura producere ſuis viribus potuiſſet; dicendum videtur, quod ſi quis (cujus virtutes in gradu heroico diſcuſſæ, & approbatæ fuerint, vel de cujus Martyrio conſtet) phœnomenon præviderit, aliiſque prænuntiaverit, ut malum aliquod vitaretur, & vitatio prædictionis, & manifeſtationis vi ſucceſſerit, aut ſi phœnomenon, eodem jubente, vel orante, apparuerit, ut aliquid ad gloriam Dei fieret, & exitus optatus obtentus ſit: vel etiam, ſi, nullo imperio, nullaque prece accedente, phœnomenon videatur, quo duce, aliqua ad Dei laudem, & gloriam operatio fiat, ſine quo talis operatio non fieret, aut nonniſi difficulter fieret; hæc, inquam, omnia validiſſima ſuppeditant indicia rem non naturaliter contigiſſe. Proderunt quoque ad hujuſmodi miraculum probandum, ſi alia indubitata miracula eodem tempore, & ad eumdem finem a Deo fiant. Quamobrem miraculo terræmotus adſcribitur, qui in Chriſti Paſſione contigit, utpote quem plura miracula comitata fuerint.

32 Difficilius profecto ad miraculum referri poterit ſtellæ alicujus apparitio ſtantis ſupra domum, in qua naſcitur Dei Servus, vel moritur.

Multæ

Digitized by Google

Multæ enim rationes ſunt, quæ ſuadere poſſunt, eam vel non fuiſſe ſtellam, vel ſupra domum non ſtetiſſe. Facilius vero phænomenon iſtud ad aliquam de genere ignium fatuorum flammulam referri poterit. Quamobrem caute in his admittendis miraculis procedendum erit, & ſuſpendendum videtur judicium, niſi forte phœnomenon diu permanſerit, & extraordinario ſplendore fulſerit, ac, præter virtutum, aut martyrii approbationem, manifeſtationis occaſio, & alia miracula acceſſerint. Quoties enim de morte in odium Chriſti injuſte illata, & ob ejus fidem patienter tolerata conſtat, fulmina, terræmotus, & ſimilia, quæ in Martyrum obitu interdum contigerunt, ut in Actis SS. Vincentii, Viti, & aliorum legitur, tuto recenſeri poterunt inter ſigna ſupra naturam a Deo aſſumpta ad Martyris innocentiam, & mortem ei injuſte illatam manifeſtandam. Deus enim aliquando naturale aliquid aſſumit, & in ſignum ſupra naturam elevat; iridem quippe *Geneſ. 9.* aſſumpſit in ſignum fœderis inter Deum, & hominem.

33 Turbinibus, & fulguribus affines ſunt pluviæ lapideæ, quare de his nonnulla hic inſerenda ſunt. Refert Plinius, *in monte Albano lapidibus pluiſſe*. Sed ob hoc, & ſimilia portenta ab eo relata nonnulli ipſum tamquam ſuperſtitioſum, & ad aniles ineptias propenſum traduxerunt: immerito tamen, cum juxta Philoſophos mediocri frigidioris venti impetu grandinis globuli ita ſimul conglutinari poſſint, ut grandes grandinis globos efficiant; & hujuſmodi forte fuit pluvia lapidea a Plinio deſcripta. Addendum, tantam dari poſſe turbinis vim, ut ſaxa e terra elevet, quæ in terram delapſa lapideam pluviam præſeferant. Quapropter non ſtatim ac lapides pluiſſe referatur, id miraculo eſt adſcribendum, ſed advertendum erit, an idipſum Divino conſilio, potentia, & virtute factum ſit; quod quidem ex circumſtantiis erit deſumendum, quemadmodum pluviam lapideam *Joſ. 10.* relatam ex circumſtantiis miraculo tribuendam eſſe diximus, quo etiam ſpectat grando, quæ *Exod. 9. percuſſit in omni terra Ægypti*.

CAPUT XXVI.

De ſudore ſanguineo, & ſanguineis lacrymis a corpore, & oculis Servorum Dei manantibus, & de lumine, & ſplendore, quibus eorum facies aliquando refulget.

2 &c. POſt ultimam cœnam Chriſtus Dominus cum ſuis Apoſtolis ad hortum Gethſemani ſe contulit, ibique cœpit *pavere, & tædere, & mœſtus eſſe*, & *Luc. 22. Factus eſt ſudor ejus, ſicut guttæ ſanguinis decurrentis in terram*. Hoc ſanguinei ſudoris factum olim in pluribus exemplaribus deſiderabatur. Sed cum antiquiſſimi Patres illam Evangelii Lucæ partem tamquam canonicam receperint, & Tridentinum Concilium definierit (*a*), integros Scripturæ libros, prout in vulgata Latina editione habentur, eſſe ſuſcipiendos, non poteſt, ſalva Fide, de eo dubitari. Porro Theophylactus, & Euthymius putarunt, S. Lucam hyperbolice locutum fuiſſe; ſed hæc interpretatio communiter rejicitur, ut apud Cornel. a Lapide (*b*) legi poteſt.

a ſeſſ. 4.

b In c. 22. Lucæ v. 44.

4 &c. Illud vero hic præcipue diſputandum occurrit, utrum ſudor ille naturalis fuerit, an ſupra naturam. S. Hilarius (*c*), & Ven. Beda (*d*) illum miraculo tribuunt. Et Gaſpar a Rejes contendit animi mœrorem, & triſtitiam ſanguinei hujus ſudoris cauſam eſſe non potuiſſe, cum morboſæ diſpoſitionis, ſine qua mœror, & triſtitia nequeunt ſanguineum ſudorem producere, Chriſti corpus capax non fuerit, quam ſententiam Clozius, aliique amplectuntur. Contra vero S. Bernardinus Senenſis, & Cajetanus ſudorem eumdem naturalem fuiſſe contendunt, idque fuſius rationibus, & exemplis con-

c de Trinit. lib. 10. n. 41. oper. to. 2.

d in Luc. c. 22. oper. tom. 5. col. 429.

congeſtis Calmet demonſtrat. Et ſane laudatus Rejea, & alii clare oſtendunt, ex mœſtitia, animique dolore lacrymas, ſudoremque ſanguineum manaſſe, quod Maldonatus, & Thuanus exemplis confirmant. In Chriſto autem fuiſſe triſtitiam, aliaſque animæ affectiones, & paſſiones, aliter tamen ac in nobis Theologi cum S. Thoma (*a*) demonſtrant. Potuit ergo citra miraculum ſanguineus Chriſti ſudor contingere; ideoque ſi in Servorum Dei, vel Beatorum Actis ſimilia inveniantur, a miraculorum claſſe excludenda ſunt, veluti notavit etiam Pignatellus.

a 3. part. q.15. art.4.

8 &c. Ad radios, & ſplendores, quod attinet, Chriſtus Dominus *Matth.* 17. Petro, Jacobo, & Joanne in montem excelſum ductis, *transfiguratus eſt ante eos*: quam quidem transfigurationem communior eſt apud S. Hieronymum (*b*) Patrum ſententia, in monte Thabor factam fuiſſe. Apud profanos Scriptores transfiguratio idem ſonat, ac metamorphoſis, ſed Chriſtus ita transfiguratus eſt; ut nullam ſubſtantiæ, vel corporis mutationem paſſus ſit, quemadmodum idem S. Hieronymus explicat (*c*).

b epiſt. 27. ad Euſtoch. de Epitaph. Paulæ.

c in c. 17. Matth. oper. to. 7.

11. 12 In hac transfiguratione veroſimile eſt juxta eumdem S. Hieronymum, totum Chriſti corpus reſplenduiſſe ſplendore quidem ab ejus anima, & a ſuppoſito Divino ipſi hypoſtatice unito manante, uti docet S. Thomas (*d*). Quamvia enim gloria animæ Chriſti a conceptionis momento beatæ in corpus non redundaverit, ita diſponente Deo, ut redemptionis perficeretur myſterium, nata tamen erat ad ſeſe in corpus effundendam, prout in transfiguratione brevi tempore, ac per modum affectionis tranſeuntia ſe effudit. Hæc vero doctrina controverſiæ viam aperit, utrum illa transfigurationis claritas naturalis fuerit, an ſupra naturam. Procul dubio miraculo tribuenda eſt; quinimmo verius eſt duplex contigiſſe in ipſa transfiguratione miraculum: & quod ſcilicet effuſio gloriæ in corpus Chriſti per modum dotis permanentis ſibi debitæ impedita fuerit: & quod Deus contra hunc ſtatutum ordinem permiſerit, ut ejuſdem gloriæ ſplendor in transfiguratione in Chriſti corpus effunderetur, uti præter alios Cajetanus fuſe docet.

d 3. part. q.45. art.1. & ſeqq.

13 Moyſis quoque facies de monte Sinai cum duabus Teſtamenti tabulis deſcendentis *Exod.*34. cornuta apparuit; ideſt ſplendida, ut multi poſt S. Thomam explicant. Hic quoque ſplendor, utpote ex Moyſis cum Deo conſortio derivatus, miraculo eſt tribuendus; & S. Ambroſius (*e*) putat, eumdem uſque ad Moyſis mortem perduraſſe. Differebat autem juxta Abulenſem a Chriſti claritate, cum hæc; non vero ille, veræ gloriæ claritas fuerit.

e in pſalm. 118.

14. 15 Longum nimis eſſet, lumina, & ſplendores recenſere, qui in Sanctorum, dum viverent, facie apparuerunt. Qui plura velit, adeat Bozium, Cornelium a Lapide, alioſque. Contelorus, aliique de Canonizatione ſcribentes teſtantur, iſtiuſmodi ſplendores ſanctitatis indicia eſſe, ideoque inter miracula recenſendos. De his præcipue actum eſt in cauſis S. Ludovici Bertrandi, & S. Ignatii Loyolæ. Quippe ex S. Ludovici morientis ore lucidiſſimus radius prodire viſus eſt: De S. Ignatio autem S. Philippus Nerius teſtatus eſt, ſe ejus faciem cæleſti ſplendore fulgentem vidiſſe.

16 Porro in cauſa S. Ludovici Rotæ Auditores quæſtionem excitarunt, utrum claritas illa glorioſa fuerit, an naturalis. Et glorioſa quidem juxta S. Thomam (*f*) a naturali differt *quantum ad cauſam, ſed non quantum ad ſpeciem*, & etiam illa *viſui eſt proportionata*. Quæſtio tamen neque ab Auditoribus, neque a ſacra Congregatione reſoluta fuit, ſed lux inter miracula locum obtinuit. In cauſa vero S. Ignatii iidem Auditores dixerunt, lucem illam, poſitis heroicis virtutibus ei fuiſſe ex conſortio ſermonis Domini communicatam in ſpecialis amoris ſignum,

f in lib. 4. contra gentes c.86.

Digitized by Google

ſignum, magnæque ejus inter homines excellentiæ.

17 De hac materia agit Theophilus Raynaudus, cum de fulgore diſſerit, qui in S. Franciſci Paulani viventis facie apparuit, ibique oſtendit, Chriſti lucem transfigurati, ob animæ beatitudinem, fuiſſe veram, in Sanctis autem viventibus eſſe apparentem. Pignatellus vero docet, hujuſmodi ſplendores diu, & a multis viſos phyſicam eſſe qualitatem a Deo, vel ab Angelis impreſſam, ut Sanctorum ſanctitas manifeſtetur: eos autem, qui brevi, & a paucis perſpiciuntur, eſſe dumtaxat apparentes. Rejeſ admittit, eos eſſe poſſe, & aliquando fuiſſe Dæmonis commentum, ut in Marco Rom. Duce, & in aliis apud Livium. Sed hoc in cauſis SS., ſtante heroicarum virtutum approbatione, locum non habet. Reliquum ergo eſt, ut expendamus, quando lux, & ſplendor in Servorum Dei adhuc viventium facie, aut in corpore apparens, naturæ, vel miraculo adſcribi debeat.

18 Lucem prima creationis die, quarta vero Solem, & Lunam *Geneſ.* 1. Deus creavit. Lucem illam SS. Baſilius, & Nazianzenus ſpiritalem exiſtimarunt; S. vero Bonaventura corporalem fuiſſe pronuntiat. S. Auguſtinus ſex illos primos creationis dies myſtice intelligendos eſſe putavit (*a*), cujus explicationem a qualibet cenſura Card. Noriſius vindicat.

a in lib. 4. de Geneſi ad litter. c. 28.

19. 20 Diſputant Philoſophi, utrum lux ſubſtantia ſit, an accidens. Quidquid de his ſit, ſi de luce, ſeu ſplendoribus in vultu Servorum Dei adhuc viventium diſputari contingat, utrum naturæ, an miraculo adſcribendi ſint, prima difficultas ex teſtibus, qui rem viderunt, deſumi poteſt: nonnulli enim ſunt, qui ſe ſplendores videre, & ab his objecta illuſtrari dicunt, ſed hallucinantur, idque Galenus explicat, ob ſanguinis abundantiam, & ob evaporationem, quæ ex ventre ad caput fertur, contingere: Donatus id a ſpiritibus animalibus viſioni inſervientibus, vel etiam a viſionis inſtrumentis male affectis repetit. Jam vero in cujuſdam Servi Dei cauſa, cum proponeretur ejus concionantis vultum, quodam teſte irradiatum viſum fuiſſe, Fidei Promotor oppoſuit, factum dici non poſſe unico teſte probatum, & hunc habuiſſe caput ad terram inclinatum, illudque de repente extuliſſe adverſus Solis lumen, cui concionator terga vertebat, adeoque falli potuiſſe.

21. 22 Succedit alia, eaque gravior difficultas: quædam enim flammæ circa hominum capita naturaliter apparent, vel etiam circa totum hominem ignis aliquando emicat, & interdum ſplendores, & flammæ veſtibus, aut baculo adhærent. Quo ſpectant ea, quæ de Aſcanio cecinit Virgilius, & quæ de Servio Tullo refert Plinius, nec non quæ de Alexandro M. cum Indis pugnante in ejus vita narrantur. Alia vero de flammis e corpore humano erumpentibus apud Nierembergium, Cohauſen, aliosque legi poſſunt.

23 &c. Porro ignes hujuſmodi dicuntur ignes lambentes, quorum ſplendores, & flammæ ob ſummam materiæ raritatem innoxiæ ſunt. Et Sennertus docet, ignem lambentem ex ſubtili, & pingui oriri exhalatione per aerem diſperſa, & animalium pilis, aut veſtibus adhæreſcente, vel ex ſudoribus animalium calidioris temperamenti, aut vehementi motu calefactorum. Similia docent Fraſſen, Franciſcus Reſta, & Rejes. Quibus omnibus ſuffragari videtur Sanctorii doctrina. In hoc quoque il omnes conſentiunt, ut ejuſmodi ignes aliquando a Deo excitentur, ad præſagium aliquod, & portentum deſignandum, ac proinde miraculis eos aliquando accenſendos eſſe ſcribunt. In tertia vero miraculorum claſſe miracula hæc reponenda ſunt, ut notavit Bartholinus, cum Deus novam lucem proxime non creet, ſed in ejus productione cauſis utatur naturalibus.

26 Difficultas igitur ad facti probatio-

bationem, & ad ejus, ut vocant, *relevantiam* redigitur. Et quod ſpectat ad probationem, præter ea, quæ omnibus teſtibus neceſſaria ſunt, ut fidem mereantur, in materia, de qua diſſeruimus, ſiqui lucem, & ſplendorem ſe vidiſſe teſtentur, de eorum ſanitate erit inquirendum, an ſcilicet aliquo ex iis morbis laboraverint, quibus qui affecti ſunt, ſplendores videre falſo dictitant. Tum de eorum phantaſia indagandum erit, cum juxta D. Thomam (*a*) ſenſus & ab exteriori, ideſt a re ſenſibili, & ab interiori, perturbatis ſcilicet ſpeciebus, & humoribus, perturbentur. Quamobrem Aurelius Baccius cum S. Philippi Nerii caput Miſſam celebrantis vidiſſet aureo ſplendore circumfuſum, plura tentavit experimenta, ut certior fieret, ao a propriis oculis deciperetur, vt in ejuſdem Sancti vita a Baccio ſcripta legitur. Probationi pondus accedet, ſi plures teſtes rem viderint, ut notavit Philippus Maria a S. Paulo, & eruitur ex vita S. Franciſci Saleſii; unos tamen teſtis ſanctitate inſignis, & prudentia clarus ſufficere poteſt.

a 1. part. q. 111. ar. 3. in corp.

27. 28 Inde de lucis natura quærendum eſt. Ac pro miraculo quidem facere poteſt, ſi lux ceteris ſplendidior, ac diuturna fuerit; ſi plures, ac præcipue interdiu, & in concione, aut in alia in honorem Dei actione viſa fuerit; ſi, qui luce coruſcavit, ſanctis moribus fuerit præditus; itemque ſi videntium converſio, aut aliud ſpirituale bonum ſubſecutum ſit; ac demum ſi alia miracula ejuſdem Servi Dei interceſſione patrata approbentur. Hæc enim omnia ſuadent, memoratos ſplendores a Deo proveniſſe ad Servi ſui ſanctitatem patefaciendam, ut ex S. Gregorio Turonenſi deſumitur (*b*). Horum vero exempla ſplendorum, qui e Sanctorum viventium corporibus prodierunt, apud Bollandum, hujuſque Continuatores legi poſſunt.

b de gloria Confeſſor. c. 21. & lib. 2. de gloria Martyrum cap. 32. & ſeqq.

29. 30 Alios ignes Scriptores memorant, qui homines, in quorum corporibus excitantur, conſumunt, cujus rei exempla Donatus, & Borelius referunt. Sed quid dicendum erit, ſi ignis Divinæ juſtitiæ vindex aliquem conſumpſerit, idque tamquam prodigium proponatur? Profecto Guillelmus Lindanus refert, quoſdam Iconoclaſtas, cum S. Antonii imaginem confringerent, ſacro igne correptos conflagraſſe. Quare in ſimilibus de miraculo conſtabit, ſi ignis a cauſa naturali externa non proceſſerit, ſi in ipſo crimine, & in Dei honorem, multoque magis tempore per Servum Dei prænuntiato contigerit. Et huc ſpectat Valentiniani Imperatoris caſus, qui apud Venantium Fortunatum, cum S. Martino aſſurgere dedignaretur, ignis e ſella egreſſus eum compulit ad ejus pedes ſe proſternere.

CAPUT XXVII.

De longa abſtinentia a cibo, & potu, an, & quomodo miraculo ſit adſcribenda.

1. 2 Diximus *lib. 2. cap. 24. §. 3.* B. Nicolaum Flue Eremitam viginti duobus annis vixiſſe ſine cibo, potuque corporeo. Quod etiam Michael Angelus Lapius Fidei olim Subpromotor fuſius deſcripſit in ſua ad Michaelem Abbatem Juſtinianum epiſtola, a Valentino Steber in Latinum verſa, & Romæ ann. 1661. edita. Hinc controverſia orta eſt, an ſimilia jejunia inter miracula ſint recenſenda, ſed hoc Sedes Apoſtolica nondum definivit.

3. 4 Moyſes, Elias, & Chriſtus quadraginta diebus jejunarunt, ab omni cibo, & potu juxta Hebræorum in jejunio conſuetudinem abſtinentes, quod etiam in primitiva Eccleſia Rufinus (*c*), & Prudentius (*d*) obſervatum teſtantur. De his vero jejuniis Theologi docent, Moyſen, & Eliam Divina externa virtute, Chriſtum vero virtute ſibi propria, & interna jejunaſſe. Diſputant ulterius, an Chriſtus ſingulis quadraginta diebus famem

c de vitis Patrum ap. Roſvveydű pag. 508.

d hymn. 6. verſ. 54.

Digitized by Google

mem ſenſerit, & communis apud Calmet ſententia eſt, eum poſt quadraginta dies dumtaxat eſuriiſſe. Alia plura de modo, quo Chriſti jejunium expletum fuit, iidem Theologi diſſerunt: nobis vero hic ſatis eſt cum iiſdem aſſerere, Chriſti, Eliæ, & Moyſis jejunia miraculo non caruiſſe.

5 &c. Alia in Eccleſiaſticis hiſtoriis mirabilia paſſim occurrunt jejunia. Apud Bollandianos quippe, Raynaldum, alioſque, nonnulli Sancti integras qnadregeſimas, & aliquando ſeptem, aut etiam duodecim annos, nullo præter Euchariſtiam ſumpto cibo transegerunt. Nemo vero jejunia hæc a miraculis abjndicet, quod Sacramentales ſpecies juxta D. Thomam (a) nutriant: adeo enim exiguæ ſunt illæ ſpecies, ut vitæ tamdiu conſervandæ non ſufficiant. Neque pariter obſtat, quæ olim, & fortaſſe etiam nunc apud Græcos viget opinio, jejunium per Euchariſtiæ frangi ſnmptionem. Siquidem Nicetas Pectoratus Monachus Studita Latinorum reprehendit morem, qui quotidie in Quadrageſima ſacrum faciunt, quaſi per hoc frangatur jejunium. Et in *Græcorum Triodio* legitur: *Non celebrari Præſanctificatorum Miſſam ..... eo quod omnis fraternitas ..... jejunet*. Notum vero eſt, Præſanctificatorum Miſſam eſſe, in qua Chriſti corpus non conficitur, ſed antea confectum abſumitur, eaque in Quadrageſima Eccleſia Græca utitur. At Nicetæ errorem Humbertus Cardinalis Sedis Apoſtolicæ in Oriente Legatus acriter reprehendit. Illa vero, quæ in *Triodio* habentur, niſi aliquam admittant interpretationem, fortaſſe ſacræ Congregationis juſſu delebuntur.

a 3. part. q. 77. art. 5.

9 &c. Poſt hæc ut cetera proſequamur, quæ ad longa quædam naturalia jejunia pertinere poſſunt, omiſſis Dæmoniacis, fictiſque jejuniis, cujuſmodi fuit cujuſdam puellæ Arabæ jejunium apud Baronium (b), & illud cnjuſdam Antonii Picei apud Jovianum Pontanum, de hnjuſmodi enim jejuniis in Beatificationis, & Canonizationis judicio approbatæ virtutes ſuſpicionem omnem eliminant; Hippocrates affirmat, eos, *qui ſeptem diebus abſque ullo cibo permanſerint, dehinc non poſſe cibis ſubveniri*. Et idcirco Valleſius ſcribit, ſexta die cibum a Deo ad Danielem in lacu leonum detentum miſſum fuiſſe, ne ſi ſeptimam attigiſſet diem, fame periret. Alii vero pro temperamenti, ætatis, regionis, temporis, & conſuetudinis ratione perfectum jejunium aſſerunt ad plures dies, menſes, & annos protrahi poſſe. Exempla apud Albertum M., Poggium Florentinum, alioſque legi poſſunt. At Joannes Vierus, & cum ipſo Richardus Holdſvvort hæreticarum partium homo, hujuſmodi naturalia jejunia rejicit, addens, jejunium ad ſeptem dies abſque virium amiſſione productum, ſi Dæmonis aſtus deſint, miraculo eſſe adſcribendum. Quamquam hos quoque acriter Gaſpar a Rejes reprehendit, cum fieri poſſit, ut per aquæ potum, vel per terræ, aut herbarum comeſtionem illa contingant.

b ad ann. 434. n. 15. & ſeqq.

12 Sed his omiſſis, perfectum illud naturale jejunium Fortunius Licetus contingere poſſe explicat per caloris, & humidi radicalis æqualitatem. Zacchias vero fieri vult per humorem crudum, & pituitoſum in corpore aggregatum; idque, ut contingat, nonnullas requirit circumſtantias, nempe ut calor nativus non acer, neque validus, ſed debilis ſit reſpectu copiæ, & qualitatis humorum; ut cutis pori conſtricti ſint; utque pituita, & crudi humores humidum quoddam aereum, & unguinoſum in ſe habeant. Et ipſe Rejes prodigioſam naturalem inediam ad ecſtaticum quemdam ſtatum caloris naturalis in corde refert. Aliæ minus plauſibiles ſententiæ apud eoſdem referuntur. Verum Liceti ſententiam improbat Zacchias; hujus ſententiam rejicit Cardinalis de Lauræa, Rejes vero de propria dubitat.

13 Ex dictis tamen colligitur, longa jejunia alia eſſe ſupra, alia intra naturam. Hoc autem Zacchias reſolvit

ex concurſu, vel defectu circumſtantiarum, quas ſupra recenſuit. Rejes vero plures miraculo inedias adſcribit, at ſigna non profert, ex quibus innoteſcat, quæ miraculo, quæve naturæ jejunia tribuenda ſint. Scribentes de Canonizatione SS. nonnullas dicunt attendendas eſſe circumſtantias; ſi enim Dei Servus longum ſine cibo, aut potu jejunium a Deo ad aliquem probandum Fidei articulum petierit, illudque integris viribus peregerit: ſi heroicis fulſerit virtutibus: ſi illud ſola ſumpta Euchariſtia ſuſtinuerit; hujuſmodi, inquiunt, jejunium miraculis erit accenſendum. Et Card. de Lauræa, aliique ſingulas ex his circumſtantiis probant ad miraculum ſufficere. Pignatellus tandem diſtinguit inter Profanos, & Sanctos: ac Profanorum quidem jejunium, naturæ, Sanctorum vero jejunium miraculo tribuendum eſſe ſcribit; addit tamen, in hoc de virtutibus heroicis judicium eſſe præmittendum.

14 Verum ſi in aliqua Beatificationis, & Canonizationis cauſa longum jejunium tamquam ſupra naturam a Dei Servo, vel Beato peractum proponatur, opus eſſe videtur, ut alia plura ſedulo advertantur. Ac primo quidem factum ipſum, abſtinentia ſcilicet ab omni cibo, & potu per totum illud tempus, ad quod dicitur jejunium fuiſſe productum, advertendum eſt. Inde obſervandum eſt, an jejunium a morbo cœptum fuerit, jejunium enim a morbo cœptum ad quatuor annos aliquando naturaliter protractum fuit, cujus rei inſigne exemplum videri poteſt in *tom. 4. ſupplem. ad hiſt. P. Le Brun de ſuperſt.*, & quatenus a morbo non provenerit, indagandum eſt, an Dei Servus, vel Beatus jejunans bene ſe habuerit, uti de Chriſto notavit Schevchzerus. Tum ſuſcepti jejunii cauſa erit inveſtiganda: Chriſtus enim, aliique cum in veteri, tum in novo teſtamento res magnas aggreſſuri a jejunio initium duxerunt. Videndum inſuper eſt, an jejunans a ceteris piis operibus tempore jejunii abſtinuerit, quæ exercere tenebatur, cum juxta Theologos laudandum non ſit jejunium, quod alia pia opera impediat, quod etiam S. Hieronymus(*a*) monuit. Tandem jejunantis virtutes, & mores ſpectandi ſunt, de qua re præclare S. Paulinus(*b*) ſcripſit.

15 Porro his concurrentibus circumſtantiis, jejunium ſupra naturam habendum erit. Non tamen de eo agi poteſt ad Canonizationem obtinendam, pro hac enim miracula requiruntur poſt indultam venerationem patrata. Et quod ſpectat ad Beatificationis judicium, notandum eſt, hujuſmodi abſtinentiam, ſiquidem miraculum ſit, Dei Servi viventis miraculum eſſe: at ex alibi dictis momentum in miraculis poſt ejus obitum patratis conſtituendum eſt. Item non ſtatim ac aliquid conſtat eſſe ſupra naturam, de eo tamquam de miraculo in eodem Judicio agendum eſt. Ex his vero difficultas oritur, utrum ejuſmodi jejunium tamquam miraculum poſt dubium virtutum proponendum ſit, an potius in eodem dubio pertractandum, tamquam aliquid, quod Servi Dei mortificationes illuſtraverit.

16. Celebre eſt Bononienſe Inſtitutum ann. 1712. erectum, ac poſtmodum cum phyſica Academia conjunctum. Celebres hujus Academiæ viros Benedictus XIV. de jejuniis ſuperius expoſitis, necnon de Liceti, Rejes, & Zacchiæ opinionibus conſuluit, iique elegantiſſimam ediderunt diſſertationem, quæ inter appendices hujus operis exhibetur.

a In epiſt. ad Demetriad. 130. al 8. col. 982. to. 1.

b Inter epiſt. S. Hieron. 148. al 14. col. 1099. to. 1.

CAPUT XXVIII.

De quibuſdam ſpiritalibus miraculis.

1 &c. Nonnulli aliquando etiam probi viri ab immundo, & blaſphemo ſpiritu graviſſime exagitati, tentatis fruſtra Confeſſariorum juſſu mortificationibus, aliiſque ſpiritualibus remediis, ad alicujus Servi Dei, vel Beati Reliquiæ contactum

tactum illico liberati ſunt, & liberi permanſerunt. Inſignes Theologi ſuper hoc conſulti rem miraculo, ratione modi, quo contigit, adſcripſerunt. Ven. Card. Bellarminus ſuper eadem re conſultus de miraculo dubitavit. At Cæſar Lagalla Medicus ad ſuffragium ferendum vocatus miraculum indubitanter aſſeruit, ſi vexatio a morbo, qui *Satyriaſis* dicitur, procedebat. Et horum omnium ſuffragia edita fuerunt *in informatione cauſæ S. Aloyſii Gonzagæ* a P. Budriolo ejuſdem cauſæ Poſtulatore exarata. Similia quoque inter miracula recenſita fuerunt in cauſis SS. Raymundi de Pennafort, & Philippi Nerii, atque in eorumdem bullis Canoniz. memorantur. Hujuſmodi vero miracula Card. Bona, B. Raymundus de Capua, aliique ſummopere extollunt.

5 &c. Similis huic alia eſt apud Theologos controverſia, an ſcilicet impii juſtificatio ſit ad miraculum referenda. Ac S. Thomas quidem, poſtquam plura ſuper hoc docuit, tandem concludit (*a*), juſtificationem miraculo tribuendam eſſe, ſi Deo animam vehementer movente, hæc quamdam juſtitiæ perfectionem aſſequatur. Et huic doctrinæ Salmanticenſes, Suarez, aliique Theologi communiter ſubſcribunt. Communis ergo, & recepta ſententia eſſe videtur, ut impii juſtificatio miraculum proprie ſit, ſi præter conſuetum ordinem fiat, & in primo momento perfecta exiſtat, ac diu perſeveret. Cujus juſtificationis, ſeu converſionis exempla inſignia videre eſt apud S. Auguſtinum (*b*), & in S. Bernardi vita.

a 1. 2. qu. 113. art. 10.

b lib. 22. de Civit. Dei c. 8. col. 668 to. 7. oper.

8 Verum ut horum ſpiritalium miraculorum pro Beatificatione, & Canonizatione obtinenda ratio habeatur, opus eſt, ut aliquo externo ſigno conſtent, de quo teſtes *conteſtes* fidem faciant. Neque in hoc ſufficit Confeſſarii atteſtatio, neque ejus, qui converſus eſt, licet hic atteſtationem ſuam juramento confirmaret, niſi forte vir eſſet inſignis probitatis. Quod ſane a S. Thoma (*c*), & poſt ipſum a Suarez, & Arauxo fuit indicatum. Quod ſi abſque externo ſigno in quibuſdam cauſis ejuſmodi converſiones tamquam miracula admiſſæ inveniantur, niſi id ex fide ei data, qui converſus fuit, proceſſerit, dicendum eſt Decretum Beatificationis, aut Canonizationis aliis indubitatis miraculis innixum fuiſſe.

c In 1. 2. cit. q. 113. ar. 10.

9. 10 Tres ſunt converſiones, quas Theologi inter miracula recenſent, converſio nempe S. Latronis, converſio S. Matthæi, & converſio S. Pauli. De S. Latronis converſione Theophilus Raynaudus plura diſſerit, concluditque, *nulla ratione negari poſſe, quin Latronis ad veram Fidem deductio .... plena miraculi, & omnino eximia videri debeat*. Similia de eodem habentur apud S. Eucherium (*d*). De S. Matthæo Luc. 5., & Marc. 2. dicitur, quod cum ad telonium ſederet, ut Chriſtum audivit vocantem, *relictis omnibus; ſurgens ſecutus eſt eum*. Ac de Publicano, ait S. Hieronymus (*e*), Apoſtolus factus eſt. Porphyrius, & Julianus eum accuſant, quod ſtulte Chriſtum ſecutus ſit, quem non noverat, ſed eorum impietatem optime idem S. Hieronymus refellit (*f*). Converſio S. Pauli in *Actis Apoſtolorum* plene deſcribitur. Porro in his converſionibus mirabile aliquod externum ſignum contigiſſe ex iis conſtat, quæ in converſionibus ipſis contigerunt.

d In homil. S. Latronis.

e In Matth. c. 9. oper. to. 7.

f loc. cit.

CAPUT XXIX.

De ejectione Dæmonum a corporibus obſeſſis.

1 &c. UT quis dici obſeſſus poſſit, requiritur, & ut in eo Dæmones ſint, & ut aliquam in ipſum poteſtatem acceperint; quam quidem poteſtatem in corpora potiſſimum habent, eamque limitatam, quantum ſcilicet Deus illis permittit. Sunt vero Dæmones in hominibus, quos obſident, ut motores in corporibus,

Fff 2 ita

ita videlicet, ut nullam corpori hominis qualitatem imprimant, uti fuſe Thyræus explicat. In primitiva Eccleſia *obſeſſi* dicebantur infantes, & etiam adulti nondum baptizati. De his hic non loquimur, ſed de aliis obſeſſis, etiamſi baptizati ſint. Porro nonnulli ex Medicis negare auſi ſunt, hujuſmodi inveniri obſeſſos; ſed eos ſtrenue Theophilus Raynaudus refellit, & manifeſte a ſacris Scripturis refelluntur: Paſſim enim in Evangelio legitur, Dæmones a Chriſto ejectos ex obſeſſorum corporibus fuiſſe. Et *Matth.*8. habetur, eumdem Chriſtum in Geraſenorum regione Dæmoniis, quæ a duobus hominibus expulerat, in porcos ingrediendi facultatem dediſſe. Hæc, & alia, quæ Origenes *contra Celſum* (*a*), & S. Hieronymus in *vita S.Hilarionis* (*b*) ſcribunt, aperte oſtendunt, ſolere Dæmones in homines, & etiam in beſtias ingredi. Et quamquam homines obſeſſi Dæmonum tyrannidem aliquando in ſuorum vindictam criminum, vel etiam, uti SS. Auguſtinus (*c*), & Hieronymus (*d*) notarunt, in vindictam peccatorum, quæ non patrarunt, patiantur; interdum tamen abſque ulla culpa, ſed inſcrutabilibus Divinæ providentiæ diſpoſitionibus, Dæmonis cruciatibus ſubjiciuntur, ut nempe probentur, & aliquid mereantur, uti præter alios Caſſianus explicat. Bekker heterodoxus potentiam negat Diabolo, utpote catenis in Inferis alligato, Dæmoniacos vero a Chriſto liberatos ait, naturali aliquo morbo laboraſſe. Sed hanc aſſertionem, alii etiam heterodoxi integris libris confutarunt.

a lib. 7. n. 67.

b col. 25. to. 2.

c lib. 21. de Civit. Dei c. 14. col. 634. to. 7.

d epiſt. 39. al 25. col. 176. to. 1.

5 Multi dicuntur obſeſſi, qui vere obſeſſi non ſunt, ſed vel ſe obſeſſos ſimulant, vel tales a Medicis perperam reputantur. Quamobrem Theologi, Medicique cautiores ſigna monent perpendenda eſſe, antequam de obſidione judicium feratur. Signa vero in Rituali, & Sacerdotali Roman. indicantur: videlicet, ſi quis ignotum ſermonem loquatur, aut intelligat: ſi diſtantia, & occulta manifeſtet; ſi viribus ſupra ætatem, & conditionem polleat; ſi illitteratus, & idiota docte loquatur, & ſimilia. De his plura diſſerit Eduardus Corſinus; & Thyræus monet, ex obſeſſorum ſignis, nonnulla eſſe certa, nonnulla incerta, nonnulla vero probabilia.

6 Poſt hæc, ut de Dæmonum ex obſeſſis expulſione diſſeramus, plura a Baronio (*e*) referuntur de obſeſſorum liberatione apud Hebræos. Et Joſephus teſtatur, Deum Salomoni præſtitiſſe, ut contra Dæmones artem ad hominum utilitatem, & eorum curas ediſceret. Sed hæc incerta ſunt, & apud Eſtium ſuperſtitioſi ſunt Salomonis exorciſmi, quos etiam nunc nonnulli adhibent. Magna erat in Eccleſiæ primordiis Energumenorum multitudo, & tunc quidem exorcizandi munus Chriſtianis omnibus, etiam non initiatis, apud Juſtinum Martyrem, & Tertullianum, commune erat, quod poſtea ad ſolos Exorciſtas reſtrictum fuit. Morinus vero oſtendit, duplicem olim fuiſſe modum obſeſſos adjuvandi: alterum ſolemnem, qui inter Miſſarum ſolemnia in uſu erat: alterum privatum ab Exorciſtis privatim extra Miſſam adhibitum. Porro fuiſſe olim in Occidentali Eccleſia Exorciſtas, conſtat ex epiſtola Cornelii ad Fabium Antiochenum relata ab Euſebio (*f*). Fuerunt quoque in Eccleſia Orientali, ut ex ſolidis monumentis colligitur. Sed a mille, & centum annis Acolythi, Exorciſtæ, & Oſtiarii apud Græcos amplius non inveniuntur, uti præter alios idem Morinus demonſtrat.

e in Annal. ad an. 56.

f hiſt. Eccleſ. lib. 6. c. 43.

7 Per Exorciſmos igitur Eccleſiæ ab Exorciſta prolatos ex obſeſſis Dæmones nunc expelluntur. Sed diſputant Theologi apud Clericatum, utrum non ſolum Exorciſtæ de ſuperiorum licentia, ſed etiam alii Fideles in aliquo peculiari caſu ex interiori Dei inſtinctu id præſtare poſſint. Ac probabilior videtur eorum opinio, qui ad ſolos Exorciſtas, Sacerdotio jam initiatos, exorcizandi poteſtatem deferunt, juxta Concilium Laodicenum

can. 26.

*can.*26., & juxta Gratianum *can.* 2. *diſt.*69. Celebrior controverſia eſt, an rerum naturalium virtute Dæmones a corporibus obſeſſis expelli poſſint. Enimvero, Davide citharam pulſante, 1.*Reg.*16. ſpiritus malus a Saule recedebat. Et *Tob.*6. legitur per cordis piſcis fumum Dæmones expulſos fuiſſe. Hanc ipſam virtutem nonnulli apud Scotum quibuſdam herbis, & lapidibus tribuunt; eademque Catholicos Hiſpaniarum Reges præditos eſſe Tapia, aliique referunt. Verum Theologi, & Medici communiter ſentiunt, corporea in Dæmones incorporeos agere non poſſe, niſi forte indirecte, purgato ſcilicet morboſo humore, quo Dæmones delectantur, uti præter alios Martinus del Rio explicat. Quæ vero de Davide diximus, ad orationem referenda ſunt. Quod ſpectat ad Tobiæ factum, non fumus, ſed Angelus Dæmonem profligavit. Quod vero de Hiſpaniarum Regibus narratur, ſi verum ſit, ad gratiam gratis datam pertinet.

8 Præter ordinarium modum Dæmones per Exorciſmos expellendi, duplici alio extraordinario modo hoc præſtari poteſt. Ac primo quidem Sanctis quibuſdam peculiari Dei dono conceſſum eſt, ut quoties vellent, obſeſſos ſanarent, ut fuſe S. Thomas explicat (*a*). Et præter alios plures, qui hoc dono commendantur, Sulpicius Severus mirabilia de quodam Sancto refert, cujus tamen nomen reticet. Alter modus eſt per ſacrarum Reliquiarum contactum, vel præſentiam, quo ſane modo ſæpe Energumeni ſanati ſunt, ut apud Thyræum legi poteſt. Et Sigebertus teſtatur, quemdam Othonis Imperatoris Comitem a Dæmone tam dire vexatum, ut ſe ipſum dentibus dilaniaret, ad catenarum, quibus S. Petrus vinctus fuerat, contactum, ab omni vexatione liberum remanſiſſe.

a qu.6. de Mirac. art. 10. in corp.

9 &c. Sæpe de his extraordinariis modis in ſacrorum rituum Congregatione actum eſt, an eſſent miraculo adſcribendi, ut ex pluribus Rotæ Auditorum relationibus, & Canonizationum bullis conſtat. Verum cum ſimilia tamquam miracula proponuntur, ſtricte inquirendum eſt, an qui liberatus dicitur, vere obſeſſus fuerit, itaut vera obſeſſionis ſigna *teſtibus conteſtibus* comprobentur; ad hoc vero ſola Exorciſtæ atteſtatio non ſufficit. Tum obſervandum eſt, an Dei Servus, cui miraculum tribuitur, Exorciſtatus Ordine inſignitus fuerit, & per Eccleſiæ exorciſmos Dæmonem expulerit; & in hoc caſu nulla miraculi ratio invenitur, cum hic ſit ordinarius Dæmones ejiciendi modus, Exorciſtis omnibus communis. Quod ſi Dæmonis ejectio per Servi Dei viventis imperium, aut per ejuſdem aliquem virtutis actum, aut per ejus veſtium applicationem facta fuerit; vel ad ipſius Servi Dei jam defuncti ſepulcrum, vel per Reliquiarum applicationem contigerit, tunc poſita facti veritate, nulloque naturali remedio adhibito, liberatio ipſa, ſi ſubita, & perfecta fuerit, miraculo erit adſcribenda, ut late Card. de Lauræa, aliique oſtendunt. Porro in Act. Apoſt. cap. 19. legitur, obſeſſos per veſtium S. Pauli applicationem fuiſſe liberatos. Et *Luc.*4. Dæmones, imperante Chriſto, ejecti dicuntur. Alia exempla legi poſſunt in vita S. Benedicti a S. Gregorio M. ſcripta (*b*), & in vita S. Bernardi (*c*) a Gaufrido Monacho exarata.

b c.30.

c lib.4.c.4

12. 13 Pauca hic addenda eſſent de ſignis, quibus Dæmonis egreſſus demonſtratur. Sed in hoc ſatis eſt, ut ceſſent motus illi, quos Diabolus in corpore obſeſſo exercebat, & ut hic ſtatus perſeveret. Neque vero de ulla magica arte in hujuſmodi liberatione ſuſpicari licet, cum de miraculis in cauſis SS. non agatur, niſi poſtquam de virtutibus conſtiterit, quæ magicam quamcumque artem excludunt. Quamobrem in re, de qua nunc agimus, ea, quæ ſupra recenſuimus, ſufficiunt, uti Proſper Bottinius olim Fidei

dei Promotor adnotavit. Omnia vero, quæ in hoc capite expoſuimus, fuſe proſequitur Calmet in diſſertatione, *De obſidentibus, & poſſidentibus corpora Dæmonibus*.

14 Quæri tandem poteſt, quantum temporis elapſum eſſe debeat, ex quo Dæmonum ceſſarunt infeſtationes, ut quis perfecte ab iis liberatus dici poſſit. Porro certum eſt, obſeſſos eſſe irregulares, ſed ex *can. Communiter diſt.33.* plures docent, eoſdem, elapſo a liberatione anno, poſſe ex diſpenſatione ſuſceptos ordines exercere. Sed in re noſtra longius tempus videtur neceſſarium, ut miraculum approbari poſſit. Enimvero ſi poſt annum obſeſſio urgeat, diſpenſatus poteſt iterum ſuſpendi, adeoque agitur de actu retractabili, quod tamen in miraculi approbatione locum non habet.

CAPUT XXX.

De Cadaverum incorruptione.

1 &c. SCacchus, aliique de Canonizatione ſcribentes hanc incorruptionem miraculo adſcribunt, ſi is, cujus cadaver ſervatur incorruptum, heroicis in vita virtutibus fulſerit. Huic ſententiæ favet S. Thomæ doctrina affirmantis (*a*), corpus
a 3. part. q.51. art.3. Chriſti in ſepulcro virtute Divina fuiſſe a *putrefactione* ſervatum. Et pro hac corporis Chriſti incorruptione facit illud *Pſal.15. Nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem*, quod vaticinium S.Petrus *Act.2.* in Chriſto com-
b Actor. c. 2. v.31. pletum fuiſſe teſtatur (*b*). De hoc non una eſt Durandi, Medinæ, aliorumque ſententia. Sed de Fide eſt, corpus Chriſti mortuum permanſiſſe incorruptum, & certum quoque inter Theologos eſt, illud ſibi naturaliter relictum, fuiſſe corrumpendum, niſi Divina virtus ipſum a corruptione præſervaſſet. Quapropter merito cadaverum hominum incorruptio, qui pie vixerunt, inter miracula, & ſanctitatis indicia recenſentur, veluti laudatus Scacchus ponderat. Suffragantur apud Theophilum Raynaud., alioſque exempla plurium SS., quorum corpora incorrupta permanſerunt; itidemque bullæ Canoniz., & Rotæ Auditorum relationes in cauſis SS. Iſidori, Franciſci Xaverii, Tereſiæ, & aliorum, in quibus poſt approbatas virtutes, cadaveris incorruptio inter miracula recenſetur. Quibus omnibus addenda eſt incorruptio corporis S. Catharinæ Bononien., quod ſedens publicæ exponitur venerationi, quam quidem incorruptionem, præter Scriptores Bononienſes, Bollandiani (*c*), aliique exte- c ad diem 9.Martii.
ri miraculo adſcribunt.

4 Verum ut in examinanda cadaverum incorruptione tutius innoteſcat, utrum ea miraculo, an naturæ tribuenda ſit, præmittendum eſſe videtur, incorrupta dici ea cadavera non poſſe, quæ poſt longum tempus in ſepulcris integra inveniuntur, ſed ſtatim ac aeri exponuntur, in cineres dilabuntur, cujus rei exempla videre eſt apud Boccaccium, & alios. Quod ſi aeri expoſita incorrupta perſeverent, duo juxta ſacræ rituum Congregationis praxim perpendenda eſſe videntur: primum, an aliqua incorruptionis cauſa naturalis præceſſerit: ſecundum, cujus generis ipſa cadaveris incorruptio ſit.

5 Notum quippe eſt, naturalem aeris qualitatem, & locum ipſum, in quo cadavera ſepulta ſunt, ad eorum corruptionem, vel incorruptionem valde conducere, uti ſolide Carolus Taglinus in Univerſitate Piſana Philoſophiæ Profeſſor ſuper hac re interrogatus reſpondit in quodam incerti Auctoris opuſculo edito occaſione, qua Laurentii Salviati corpus poſt centum viginti circiter ab obitu annos incorruptum Florentiæ inventum fuit. Huc ſpectant, quæ Philippus Camerarius refert, in quibuſdam Inſulis corpora inhumata ſub dio relinqui, & incorrupta permanere. Item quæ Felix Platerus narrat, cadavera ſcilicet alte defoſſa minime putreſcere.

6 Notum quoque eſt, eam eſſe poſſe cadaveris alicujus temperantiam, ut hæc

Digitized by Google

hæc diu illud conſervare valeat, ut laudatus Taglinus proſequitur. Et hanc temperantiam ſcribit Rejes alicujus morbi vi, vel etiam victus parſimoniæ, ac vitæ auſteritate acquiri poſſe. Idemque, Plutarcho, aliiſque teſtibus, dicendum eſſe videtur de iis, qui fulminis ictu moriuntur. Et Bacco Baro de Verulamio putredinem a corpore diutius prohiberi poſſe ait, ſi illa quatuor, quæ putredinem efficere ſolent, prohibeantur: primum eſt, ut excludatur aer, qui corpus tacite ſubruit: ſecundum, ne corpus, quod illi adjacet, ejuſdem ſit materiæ, ſed prorſus heterogeneum: tertium, ut corpus conſervandum ea non ſit mole, ut ſponte in corruptionem diffluat: ultimum, ut corpus continens vim attrahendi, & exſiccandi humidum corporis contenti habeat, ne putredo interius inchoata invaleſcat.

7 Mittimus hic ea, quæ apud nonnullos leguntur, eorum ſcilicet corpora, qui 3. aut 6. Kalend., & Id. Febr. naſcuntur, & eorum, qui in excommunicatione obeunt, itemque ex planetarum influxu a putredine conſervari: hæc enim a cordatis viris ad fabulas amandantur. Neque pariter huc obtrudi poteſt, corpora Dæmonis arte poſſe incorrupta ſervari, hoc enim, ut ſæpe diximus, nihil cum re, de qua agimus, commune habet. Addendum vero eſt, aliam eſſe prohibendæ putredinis cauſam artificialem, eam ſcilicet, quæ *balſamatio* dicitur, quæ aliis etiam nominibus appellatur; ejuſque definitionem Mangetus tradit, & explicat. Et hæc *balſamatio* pluribus perfici modis poteſt, de quibus fuſe Calmet, aliique plures. Huc vero ſpectat, quod Joſeph *Geneſ.* 50. patris ſui defuncti corpus aromatibus condiri juſſit: item quod mulier *Matth.* 26. unguentum ſuper caput Jeſu *ad ſepeliendum* effudit, quod etiam ipſi mortuo Nicodemus *Joan.* 19. præſtitit. Huc quoque referri poſſunt *Mumiæ* Ægyptiacæ; quæ juxta ſententiam hodie receptam nihil aliud ſunt, quam cadavera balſamis lita, & hoc artificioſo modo diutiſſime conſervata. In eadem claſſe, præter alia, quæ cumulari poſſunt, exempla, illud comprehenditur, quod Bonifacii VIII. cadaver poſt trecentos, & duos ab obitu annos in baſilica Vaticana inventum fuerit incorruptum, ex quo fabula illa corruit, eum dentibus ſe dilaniaſſe; & hoc modo obiiſſe. Et Cœlius Rhodiginus teſtatur, Tulliolæ Ciceronis filiæ corpus tempore Sixti IV. Pontificis in via Appia inventum fuiſſe *aromatibus ita conditum, ut temporis injuriam non ſentiret ..... Ceterum cadaver in Urbem delatum tridui mora computruit, medicamine amoto, aut vitiato*. Quocirca Scriptores conſentiunt, cadavera unguentis delibuta diutiſſime naturaliter conſervari. Ideoque Petraſancta a Jacobo Albergato per litteras ſciſcitatus eſt, an S. Catharinæ corpus fuerit unquam unguentis delibutum; cui Albergatus reſpondit: *Nullo unguento, niſi ſanctitatis ſuæ ..... incorruptum remanere*. In cauſa autem S. Margaritæ de Cortona corporis incorruptio a miraculis fuit excluſa, urgente Fidei Promotore, illud fuiſſe balſamo conditum.

8 Ex his omnibus indubitatum videtur, non ſtatim ac de heroicis conſtet virtutibus, cadaveris incorruptionem miraculo eſſe adſcribendam, quin prius ſedulo inveſtigetur, an aliqua præceſſerit naturalis cauſa, cui incorruptio tribui poſſit; eoque magis, quod multo plura ſunt Sanctorum corpora, quæ corruptioni obnoxia fuerunt, quam quæ incorrupta permanſerunt. Et ſane Rotæ Auditores in relat. cauſar. SS. Paſchalis, Franciſci Xaverii, aliorumque plurium, ſepulturæ locum, & alia, quibus incorruptio naturaliter adſcribi poterat, ſedulo ſcrutati fuerunt. Et Fidei Promotores eadem ſæpe oppoſuerunt. Et quod caput eſt, quoties ſacra rituum Congregatio hujuſmodi incorruptionis miraculum, tamquam Beatificationis, & Canonizationis fundamentum admiſit, ſemper in ſuis Decretis addidit,

dit, nullam adfuiſſe naturalem incorruptionis cauſam. S. Gregorius Turonenſis (a), cum in Urbe Arverna cujuſdam puellæ corpus integris membris repertum fuiſſet, credidit, *eam aromatibus fuiſſe conditam*. Et Theophilus Raynaudus interrogatus, quid de quodam corpore ſentiret, quod in templo urbis Carpentoractenſis integrum inventum fuerat, excluſis omnibus naturalibus, & artificialibus incorruptionis cauſis, concluſit, corpus eſſe ſeorſum condendum, donec Deus per opera ſupernaturalia manifeſtaret, quid de illius anima eſſet.

a libr. de gloria Confeſſorum c. 35.

9. Neque vero pro miraculo in hac re ſatis eſt, ut quæcumque naturalis, & artificialis deſit incorruptionis cauſa, ſed etiam ipſa incorruptionis cauſa ſerio expendatur oportet. Sciendum quippe eſt, duobus præcipue modis corruptionem fieri; per putredinem ſcilicet, ex qua corpora in tabem abeunt; & per exſiccationem, ex qua corpora eadem paulatim, & longo annorum curſu exſiccantur, quæ licet vulgo pro incorruptione habeatur, vera tamen corruptio eſt, ut recte Zacchias ſcribit. Quamobrem omnis putredo eſt corruptio, ſed non omnis corruptio putredo eſt. Ut incorruptio igitur inter miracula recenſeatur, tum putredine; tum exſiccatione cadaver carere debet, uti laudatus Zacchias, aliique notarunt. Et quamquam Sanctorellus putet, extremam narium partem, quæ, cæteris cadaveris partibus incorruptis, fere ſemper deſideratur, non eſſe corruptam, quod contracta cartilagine, cui hæc pars hæret, ipſa quoque contrahitur: Sinibaldus tamen Medicus in ſuo ſuffragio in cauſa S. Jacobi de Marchia edito affirmat, hoc eſſe evidens corruptionis ex marcore ſignum. Ad rem, de qua nunc agimus, faciunt, quæ Ven. Beda de SS. Cuberti, & Edildridæ Virginis corporibus narrat, quæ ita incorrupta fuerunt inventa, ac ſi tunc diem obiiſſent.

11 &c. Porro his, quæ hactenus expoſuimus, inhæſerunt Rotæ Auditores in relat. cauſ. S. Tereſiæ, cujus corporis incorruptionem inter miracula recenſuerunt, cum *incorruptum, integrum, flexibile, & odoriferum*, poſt novem menſes, quacumque naturali incorruptionis cauſa excluſa, inventum fuiſſet. Iiſdem veſtigiis in cauſa S. Catharinæ Bononien. Medici inſtiterunt, cum de incorruptione corporis illius ageretur, quam incorruptionem ſuperius diximus a pluribus Scriptoribus miraculo fuiſſe adſcriptam. De eadem vero incorruptione Medici ipſi dubitarunt, cum in cadavere exſiccationem deprehendiſſent. Ideoque utcumque pro miraculo plura ab aliis cumulata fuiſſent, miraculum nullatenus fuit admiſſum. Contra vero in cauſa S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis corporis incorruptio fuit tamquam miraculum approbata, cum corpus ipſum non ſolum a putredine, ſed etiam ab ariditate immune inventum fuiſſet, ut ex proceſſu Florentino in ejus cauſa compilato deſumitur. Ex his omnibus comprobatum eſt, ad hoc ut ejuſmodi incorruptio miraculis accenſeatur, opus eſſe, ut corpus integrum, ac tractabile ſit, excluſa incorruptionis naturali cauſa, itemque excluſa putredine, & exſiccatione, uti Petrus Aſſaltus in cauſa S. Nepomuceni notavit, cum de ejus linguæ incorruptione ageretur.

14. Neque vero his, quæ hucuſque expoſuimus, obſtat, quod in bullis Canoniz. mentio aliquando fiat mirabilis incorruptionis corporum, quæ recenſitis omnibus qualitatibus prædita non fuerunt. Ac primo quidem non ſemper, ac incorruptionis in bull. Canoniz. mentio fit, inferre licet, incorruptionem fuiſſe miraculo adſcriptam; ſed ſolum tamquam aliquid *admiratione*, & *veneratione* dignum exponitur, ut *in tract. de Canoniz. S. Didaci* Penia notavit. Aliquando incorruptio ipſa refertur, ſed non aſſeritur, ut in bull. Canoniz. S. Margaritæ de Cortona. Nonnumquam commemoratur quidem,

ſed

ſed juxta antiquum, non juxta præſentem corporis ſtatum, ut videre eſt in bull. Canoniz. S. Catharinæ de Bononia. Interdum denique narratur tamquam miraculum admiſſum, ſed una cum odore, aliiſque miraculis approbatis, ut proinde Canonizationis Decretum miraculo incorruptionis innixum non fuerit; hic vero de miraculo quæritur, quod formalis Beatificationis, aut Canonizationis fundamentum ſit.

15 Quæ de totius corporis incorruptione diximus, locum habent in aliqua ejuſdem parte ineorrupta. Porro ob largas, frequenteſque eleemoſynas, SS. Stephani Hungariæ Regis, & Nicolai Myrenſis dexteræ permanſiſſe incorruptæ dicuntur. Alia Theophilus Raynaudus exempla refert. Præterquam quod integræ adhuc, & rubentes conſervantur linguæ SS. Antonii Patavini, Cataldi Archiepiſcopi Tarentini, & Joannis Nepomuceni. Et quod ad S. Joannis Nepomuc. linguam ſpectat, ejus incorruptio tamquam miraculum in ejus cauſa propoſita fuit. Atque cum conſtitiſſet, incorruptionem qualitatibus ſuperius recenſitis præditam fuiſſe, ac perpenſo, quod lingua præ reliquis corporis partibus facile corrumpitur, necnon quod idem Sanctus vitam, ne ſacramentalis Confeſſionis proderet ſecretum, amiſiſſet, incorruptio ipſa inter miracula ſecundi generis locum obtinuit, ut conſtat ex Decreto 21. Januarii 1729. edito.

16 Alia hic quæſtio occurrit, utrum ſcilicet incorruptionis continuatio habenda ſit pro novo miraculo ab incorruptione ipſa diſtincto. Enimvero cum de Canonizatione agitur, pro hac obtinenda miracula requiruntur, quæ poſt Beatificationem ſive formalem, ſive æquipollentem ſupervenerint. Cum autem incorruptionis miraculum Beatificationem præceſſerit, niſi incorruptio, quæ poſt Beatificationem vel formalem, vel æquipollentem perſeveret, pro novo habeatur miraculo, non poterit illius pro Canonizatione obtinenda ratio haberi. Et hæc difficultas locum etiam habet in odore, & liquore, qui ex Servorum Dei, vel Beatorum cadavere, vel oſſibus manat.

17 &c. Porro in cauſa S. Catharinæ Bononienſis, cum corporis incorruptionis continuatio tamquam miraculum pro Canonizatione proponeretur, Fidei Promotor animadvertit, ejuſmodi continuationem vel eſſe naturalem, vel ad novum miraculum referri non poſſe. Scribentes in cauſa repoſuerunt, conſervationem eſſe continuatam productionem, eamque, uti novum miraculum, pro S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis Canonizatione fuiſſe approbatam. At cum, uti ſuperius dictum eſt, S. Catharinæ corpus detrimentum aliquod ſuſtinuiſſet, non poterat incorruptio dici continuata, adeoque nec miraculum approbari. Præſens autem quæſtio loeum habet, cum incorruptio, & odor in eodem ſtatu permanent. Verum enimvero cum ſaera rituum Congregatio nedum in S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis cauſa, ſed etiam in cauſis SS. Jacobi de Marehia, Joannis Nepomuceni, aliorumque, quidquid Fidei Promotores oppoſuerint, incorruptionis, vel etiam odoris continuationem tamquam novum miraculum pro Canonizatione admiſerit, tuto aſſerendum eſſe videtur, poſito incorruptionis miraculo, quod Beatificationem vel formalem, vel æquipollentem præceſſiſſet, ejuſdem incorruptionis poſt Beatificationem in eodem ſtatu perſeverantiam pro miraculo ab incorruptione diſtincto habendam eſſe ad Canonizationem obtinendam. Docent quippe Theologi, nonnulla virtutem ſupra naturam ad ſui dumtaxat productionem, nonnulla vero ad ſui conſervationem eamdem virtutem exigere; & hujuſmodi eſt incorruptionis continuatio. Quapropter unum miraculum in incorruptione, alterum in ejus continuatione conſtituendum eſt.

21 &c. Utque id explicetur, duo quærenda ſunt: primum quanto tempore corpus naturaliter poſſit incorruptum permanere, qualibet naturali,

Digitized by Google

aut artificiali cauſa ſecluſa: alterum, quomodo Deus aliquorum Servorum ſuorum corpora ſupernaturaliter incorrupta conſervet. Porro quoad primum, Zacchias tempus illud tribus diebus regulariter concludit; & ſane ex *Evangelio* Lazarus quatriduanus fœtebat. Ad alterum quod attinet, Scacchus putat, Sanctorum cadavera a Deo incorrupta conſervari per qualitatis naturalis infuſionem, qua extraneæ qualitates corruptionem inducentes prohibeantur. Hæc autem naturalis qualitas miraculum non excludit; nam etiam primi hominis, peccato remoto, immortalitas ſupernaturalis fuiſſet, utcumque etiam ab uſu ligni vitæ cauſam haberet, cujus ligni virtutem S. Thomas (*a*) probat fuiſſe naturalem. Alii probabilius hoc incorruptionis miraculum ex eo repetunt, quod Deus cum cauſis corruptionem inducentibus, ad corruptionem ipſam non concurrat, ut in ſimili Pererius, & Cornelius a Lapide (*b*) obſervarunt. Et hæc palam faciunt, incorruptionem ex iis eſſe, quæ ad ſui conſervationem novum exigunt miraculum. Manifeſtum quoque eſt, facilius eſſe, miraculorum diſtinctionem admittere inter incorruptionem, & ejus continuationem, quam infinitam fere miraculorum ſeriem, diſtinctione illa non admiſſa, effugere. Tranſacto enim naturali incorruptionis termino, miracula fere eſſent cum ſingulis perſeverantis incorruptionis momentis connumeranda. An autem continuationis miraculum, cum altero diverſi generis pro Canonizatione ſufficiat, id ſacræ Congregationis judicio relinquimus. In cauſis enim S. Jacobi de Marchia, & aliorum, præter continuationis miraculum, bina, aut plura alterius generis miracula pro Canonizatione approbata fuerunt.

a 1. par. qu. 97. art. 4. in corpore.

b In cap. 3. Exodi pag. 330.

24 In urbe Kiioviæ nonnullæ cryptæ ſunt, de quibus Joannes Herbinius Lutheranus tractatum edidit. Incolæ putant Kiioviam eſſe veterem Trojam a Græcis dirutam, in iis cryptis vero Hectoris, aliorumque tum Trojanorum, tum Græcorum corpora integra ſervari; ſed cum Herbinius per epiſtolam ab Innocentio Gizielo Archimandrita Kiiovienſi cryptarum ſtatum quæſiiſſet, Gizielus reſpondit, manere ibi incorrupta quorumdam Sanctorum corpora. Hoc Herbinius miraculo adſcribere contendit; ſed ſi ea, quæ ipſe congerit, cum iis, quæ in hoc capite expoſuimus, conferantur, luce clarius erit, tales a Sede Apoſtolica miraculorum approbationi præmitti diligentias, quales ejus adverſarii de his ſcribentes excogitare non potuerunt.

CAPUT XXXI.

De nonnullis Cadaverum qualitatibus, & de ſanguine, liquore, & odore, qui a cadaveribus manant, an miraculo ſint adſcribendi.

De cadaveribus ſtantibus, aut genuflexis.

1 SAncti Franciſci Aſſiſienſis corpus diu poſt obitum incorruptum, ſtans, oculiſque apertis inventum fuit. Plures Romani Pontifices illud inviſerunt; ſed Sixtus IV, S. Jacobo de Marchia ſuadente, aditum ad illud occludi juſſit. Corpus vero S. Catharinæ Bononienſis ſedet. Porro Zacchias, & Licetus miraculum eſſe dicunt, quod cadaver ſtet, aut ſine fulcro ſedeat, quod utique admittendum eſt, ſi neque cadaver exſiccatum, neque ejus muſculi ariditate contracti ſint; ſecus vero, ſi corpus exſiccationem contraxerit, uti de S. Catharinæ corpore alii Medici adnotarunt. Idem ſtatuendum videtur de cadavere in genua provoluto, & idcirco inter miracula recenſetur, quod S. Antonius S. Paulum primum Eremitam paulo ante mortuum flexis genibus invenerit. Niſi forte per aliquod tempus molle fuiſſe, ac tractabile, & ſtetiſſe, aut ſediſſe, vel flexis genibus manſiſſe cadaver probetur, licet poſtea exſiccatum fuerit; tunc enim ad primum tempus miraculum referri poſſet.

De

Digitized by Google

De cadaveribus flexibilibus.

2 &c. Paulo poſt obitum cadavera inflexibilia fiunt. Flexibilitas vero carnium in vivente ex laxa oritur partium continuarnm textura. Articulorum vero flexibilitas organica eſt, ex mechanica partium contiguarum ſtructura proveniens, & ad articulationem concurrunt duo oſſa contigua, cartilago, ligamentum, & humor viſcidus, qui a recentioribns *ſinovia*, & *mucilago* dicitur. Inflexibilitas vero articulorum in mortuis ex ſinoviæ coagulatione provenit, & hac ſinovia deficiente, aut non coagulata, flexibilitas in cadavere abſque miraculo eſſe poteſt, niſi poſt longum tempus deprehendatur, veluti notavit Sinibaldus in ſuo ſuffragio in cauſa S. Jacobi de Marchia edito. Sed hæc innuiſſe ſatis, cum flexibilitas ſit una ex circumſtantiis ad incorruptionis miraculum conſtituendum requiſitis, neque de ea ſeorſim ab incorruptione, neque, niſi poſt longum ab obitu Servi Dei tempus agatur, poſt quod quæſtio de ſinoviæ defectu locum non habet.

De cadaveribus ſeſe moventibus, vel quæ rubore perfunduntur, aut calida permanent, & in quibus ungues, & capilli creſcere dicuntur, & dentes augeri.

5 Omnia hæc aliquando in cadaveribus deprehenduntur, non tamen naturæ vim excedunt. Apud Marcellum Donatum Monialis quædam defuncta dicitur alterius Monialis viventis manum valide conſtrinxiſſe, ideoque ipſe putat, eam non prorſus mortuam fuiſſe, ſed in ea vitæ fomites, & igniculos quoſdam remanſiſſe. Villanus quoque teſtatur, cujuſdam cadaver, cui caput per carnificem amputatum fuerat, ingenti concuſſione, cum ad ſepulcrum deferretur, fuiſſe agitatum. Experientia quoque compertum eſt, homines, & alia quædam animalia recens occiſa aliquandiu diverſimode moveri, non quidem ex principio vitali, ſed ex ſpiritnum animalium reliquiis. Quamobrem vanum eſſet, eos motus inter miracula recenſere, uti Zacchias obſervat. Et Licetus advertit, pilos, ungues, & dentes in cadaveribus ſolum creſcere videri ob circumſtantis carnis depreſſionem, aut conſumptionem. Quamquam Ariſtoteles, aliique incrementum illud admittnnt, cum excrementum, quod unguium, & pilorum materia eſt, & ad illorum radices reſidet, poſſit a prædictis ſpirituum reliquiis in pilos, & ungues propelli, quod ſi contingat, naturæ vires non excedit.

De ſanguine e cadaveribus manante.

6 Sanguis a cadavere non diu poſt obitum manans non poteſt inter miracula recenſeri. Ut enim alibi videbimus, ex mortnorum corporibus ſanguis poſt aliquot horas, & aliquando etiam poſt tridnum ſæpe manat. Ex effoſſo latere Chriſti, utique mortui, ut contra nonnullos *in Clementina de ſum. Trin. & Fid. Cathol.* §. 1. definitum eſt, *exivit ſanguis, & aqua, Joan.* 19. Ac veram fuiſſe aquam, quæ ex aperto Chriſti latere fluxit, Innocentius III. *in Decretali, In quadam, de celebr. Miſſ.* definit. Medici nonnulli naturaliter eam fluxiſſe autumant, ex læſo a lancea pericardio, vel ex pleura pariter læſa, vel ex cavo thoracis. At S. Ambroſius (*a*), aliique Patres hunc ſanguinis, & aquæ fluxum miraculo adſcribunt, quibus libenter ſubſcribimus. Hoc vero miraculum alii in fluxu ſanguinis, utpote qui *non poterat*, ait Suarez, *de corpore mortuo naturaliter effluere*: alii in aquæ fluxu conſtituunt; alii vero in eo, quod gemini liquores non admixti, ſed diſtincti effluxerint, primum ſcilicet ſanguis, & deinde aqua. Et hoc modo rem ſe habuiſſe, evangelica ipſa narratio innuit.

(*a*) lib. 10. in Lucam, & in explicat. Symboli.

7. 8 Porro ſi intra paucas poſt obitum horas, vel intra paucos dies ſanguis

guis e cadavere, vel ex ejua parte naturaliter manare poteſt, non eſt, cur hujuſmodi fluxus, etiamſi virtutes in gradu heroico approbatæ ſint, miraculo tribuatur, niſi diu poſt Servi Dei, vel Beati obitum contingat: ſanguis enim in homine mortuo intra venas reſidens, elapſo aliquo tempore, aut riget, aut putreſcit, aut abſumitur. Neque pariter miraculo adſcribendum eſt, quod ſanguis Servi Dei, vel Beati extra corpus conſervetur, niſi diu poſt vivua, & liquidus appareat, aut ſtatis temporibus ſine cauſa naturali liquefiat. Quare Bilſingerus in diſſert. *de Vampiris*, de quibus nos quoque cap. 21. verba fecimus, ait, novum non eſſe, quod ex eorum cadaveribus ſanguis fluxerit, cum ex aliorum mortuorum oribus, naribua, & auribus ſæpe exiiſſe obſervatum ſit, mirabile autem tantum referri ad longum tempua, quod inter obitum, & ſanguinis fluxum interceſſerit, & ad circumſtantias, in quibua cadavera ſepulta fuerunt. Similia tradit Licetus, & admiſit Proſper Bottinius olim Fidei Promotor in cauſa Beatificat. S. Franciſci Solani. Et huc ſpectant, quæ de S. Triphyllio Leucoſiæ Epiſcopo apud Bollandianos leguntur (*a*), e cujus corpore, quod per trecentos ab obitu annos incorruptum permanſerat, ſanguis, capite exſecto, fluxit. Ac præter alia, quæ de S. Modoaldo Trevirenſi Epiſcopo apud eoſdem (*b*), & quæ de S. Eligio apud Surium leguntur. Huc ſpectant, quæ de SS. Franciſco Xaverio, & Petro Regalato Rotæ Auditorea in ſuis relationibus deſcripſerunt.

a To. 2. Junii ad diem 13 pag. 684.

b To. 3. Maii ad diem 12 pag. 60.

9 In cauſa Beatificationis S. Andreæ Avellini Contelorius apud eoſdem Auditores inſtitit, ut in ſuam relationem tamquam verum miraculum infererent, quod ejus ſanguia poſt annoa quatuordecim in ampulla incorruptus ſervaretur, & aliquando anniverſario obitus die ebulliverit. Auditores negotium Apoſtolico Neapolis Nuntio commiſerunt. Qui reſpondit, ſe veri ſanguinis odorem, & colorem deprehendiſſe, ſanguinem tamen durum perſiſtere, nullamque mutationem anniverſario die ſe vidiſſe. Quapropter in relatione ratio habita fuit eorum, quæ contigiſſe dicebantur, ſed alia pro Beatificatione miracula approbata fuerunt.

De ſanguine S. Januarii, qui liqueſit; & ebullit, cum ad caput ejus admovetur.

10. 11 S. Januarius Beneventanua Epiſcopus ſub Diocletiano Puteolia paſſus; Neapoli deinde tumulatua fuit, cujus ſanguis, qui in vitrea ampulla coneretus ſervatur, cum ad ejus admovetur caput, liqueſcit, & ebullit. Adverſua inſigne boc, & perenne miraculum, cujus totua Chriſtianus orbis teſtis eſt, multa Hæretici effutiunt, quos ſtrenue Putignanus, aliique redarguunt.

12 Petrus Molinæua in ſuo *Vate Calviniano* idem miraculum irridens, *quid facilius*, inquit, *quam injicere calcem in lagenam, quæ ſic excitet bullas, ut liquor fervere videatur?* Verum omiſſo, nullam in hoc poſſe fraudem excogitari, cum S. Januarii ſanguia ferveat, dum ſolemni proceſſione aſportatus, coram innumeria populis in medio itinere capiti occurrit; Fortunius Licetus experimentum illud ſæpe in concreto agni, hædi, & hominis ſanguine tentavit, ſed ſemper fruſtra; quapropter ipſe conclndit, ſanguinem concretum per calcis affuſionem numquam eliquari poſſe, ut impie Molinæus ſibi perſuaſit. Alii, ut idem miraculum obſcurent, ad antipathiam, & ſympathiam recurrunt, qua occiſi ſanguinem coram occiſore ebullire dicunt, magnetem ad polum converti, adamantem ab hircino ſanguine diſrumpi, & ſimilia. Jamvero de occiſi ſanguine coram occiſore inferius agemua. De magnetis virtute plura in Philoſophia Burgundica, & apud alios legi poſſunt; ſed quod ad rem noſtram attinet, laudatus Licetus obſer-

Digitized by Google

obſervat, omnem magnetem ad polum ſemper converti, quemcumque adamantem cujuſeumque ſanguine hirci diſrumpi; ſolius autem S.Januarii ſanguinem, non vero concretum aliorum ſanguinem eoram ſuis eapitibus, liqueſcere, & ebullire, idque proinde non poſſe ad cauſam naturalem referri. Idem Licetus miraeulo adſcribit, quod in quodam ejuſdem urbis templo ſanguis S.Joannis Baptiſtæ concretus liqueſiat, ſi ſuper altare exponatur, & in eo Miſſa in ejuſdem Sancti honorem celebretur, de qua re plura etiam legi poſſunt apud Petramſanctam.

13 De S.Jannarii ſanguine plura quoque Labatus diſſerit in ſuo *Itinerario* ann.1731. edito, in quo teſtatur, ſe quoſdam noviſſe audaces viros, qui ejus ſanguinis liquefactionem pernegant, alios vero, qui phyſicis illam rationibus explicant, quos omnes ipſe ſtrenue redarguit, addens, hæreticos aliquando, & irreligioſos homines miraculum ſpectantes, ad veram Fidem, & pietatem revocatos fuiſſe.

14. 15 Vix hæc a Labato edita fuerant, cum epiſtola quædam ſuper liqueſcentis ſancti Januarii ſanguinis miraculo Berolino data eſt, in qua Neumannus Chymicus dicitur, tres phialas cryſtallinas, pluribus teſtibus præſentibus protuliſſe, materiam quamdam nigram, & duram continentes, hiſque cujuſdam mortui capiti admotis, primæ phialæ materiam prorſus ebulliviſſe, ſecundæ parum, tertiæ nihil. Ac primam Sanctum eſſe propitium oſtendiſſe, ſecundam vix propitium, tertiam in heterodoxos indignatum eſſe.

16. 17 Sed qui fieri potuit, ut caput illud diverſos ederet effectus, ſi materia in phialis clauſa una, eademque fuiſſet? Ex hoc autem palam fit, triplicem materiam a Neumanno ad convellendum miraculum paratam fuiſſe, quarum una nullo modo, altera calore adhibito, tertia vero ad aerem leviter invaleſcentem liqueſceret. Quamquam forte phœnomenon iſtud aliis eauſis viro Chymico notis tribui poteſt, ad quod facit expetimentum, quod Hellotius *in Acad. Reg. Pariſ. Actis ann.*1739. inſtituto de æthereo liqnore Frobenii ſermone deſcribit, quod nempe quoddam oleum in phiala clauſum juxta diverſas circumſtantias modo ſub aqua deſidit, modo ſurſum enatat.

18 Verum cuſtodes ſanguinis S. Januarii non adeo Chemiæ periti videntur, ut compoſitiones illas patare poſſint. Adde, non facile percipi, illam Nenmanni materiam din effectus illos producere poſſe; & a Neumanno percontari poſſemus, an materies illa ſemper, & ex ſolo capitis aſpectu liqueſcat; item, an poſtea iterum concreverit; quæ ſane omnia in S.Januarii ſanguine verificantur. Ex his omnibus concludendum eſſe videtur, Neumannum triplicem diverſam materiam paraſſe, ut ſpectatores amicos ad tempus oblectaret. Jacobus Serces ut ſanguinis S.Januarii ebullitionem a miraculis exeludat, eam ad aſtutiam refert ſacerdotum. Sed quis credat, hanc per tot ſæcula latere potuiſſe? Danhawerus illud notat inutile, ſed hunc Melehior Corneus bene caſtigat.

De liquoribus aliquando manantibus e corporibus, Reliquiis, & ſepulcris Sanctorum.

19 S.Baſilins aqnam landibus extollit (*a*), quam ex S.Julittæ Martyris ſepulcro manare teſtatur. Et S.Gregorius Turonenſis narrat (*b*), ſuo tempore ſalutaris mannæ profluvium e S.Joannis Evangeliſtæ, & S. Andreæ ſepulcris dimanaſſe. In *Novella ſecunda* Emmanuelis Comneni Imperatoris mentio fit pretioſæ mannæ e S.Nicolai corpore ſcaturientis. Porro ex hiſtoria, quam de hac manna Antonius Beatillus Barienſis deſcripſit, colligitur, S.Nicolai corpus, ſtatim ac Myræ conditum fuit, cœpiſſe duos liquores emittere, alterum ex capite ſub olei

a homil. in S. Julittam Martyr. to. 2. operum pag.35.

b lib.1. de gloria Martyr. c.30.

olei ſpecie, alterum ex pedibus ſub aquæ forma, utrumque odoriferum, & contra morbos quoſcumque, experientia teſte, efficacem. *Quod miraculum*, ait Baronius in notis ad Martyrol. Roman. ad 6. Decembr., *haſtenus vigere dicitur*, ideſt etiam poſt quam corpus Barium translatum fuit, in quo alii plures conſentiunt. Porro de ſalubribus liquoribus ex ſanctorum oſſibus manantibus alia exempla legi poſſunt apud eumdem Baronium in not. *ad 6. Maii*, in Martyrol. Rom. *ad 30. Aug*, & apud Nicephorum (*a*).

a hiſtor. l. 18 c. 18. & 32.

20 De his aliquando actum eſt in cauſis Canonizationum. In bulla enim Canoniz. S. Willhelmi Archiepiſcopi Eboracenſis, itemque in bull. Canoniz., & relat. cauſ. SS. Tereſiæ, & Mariæ Magdalenæ de Pazzis inter alia miracula illud quoque recenſetur, quod ex eorum corporibus, vel ſepulcris mirificus liquor effluxerit.

21 Porro, ſi in hujuſmodi cauſis res ſimiles proponantur, & miraculum quidem in eo conſtituatur, quod æger aliquis, prævia Servi Dei, vel Beati invocatione, & aqua, vel oleo, aut unguento ex beato corpore manantibus adhibitis, ſanatus fuerit, examen ad ſanationes, & earum requiſita erit reducendum. At ſi miraculum in ſola aquæ, vel alterius liquoris ex ſiccis, & aridis Servi Dei, vel Beati oſſibus effuſione reponatur, monet Bordonus, caute locum, in quo oſſa ſepulta ſunt, eſſe inſpiciendum, *& videndum, ex quo liquor procedat, an ex cauſa naturali, quia ibi ſit fons; vel ex arte, an illuc ſit liquor immiſſus.* Aquæ enim in profundis cavernis ſubterraneis ſtagnantes ob calorem ſubterraneum continuum ſemper exhalant, & ex hoc fontes oriri poſſe, Stockius demonſtrat. Uno verbo, ut ejuſmodi miraculum approbetur, demonſtrandum eſt, liquorem ex oſſibus jam aridis, & extra locum humidum conſtitutis manare. Quod ſi ad ſubmovendam difficultatem oſſa e tumulo educerentur, hiſque alio translatis, liquor in illo loco ceſſaret, tunc profecto magis conſtaret, eum non ex loci natura, ſed ex oſſibus ſcaturire.

De odore e cadaveribus manante.

22. 23 Anatomici peritiores odoratus organum in membrana narium interiori conſtituunt, uti apud Crivellium videri poteſt. Quod vero ad odores attinet, nonnulli Philoſophi putant, eos neque ſubſtantias, nec quidquam corporeum eſſe. Sed Mercatus, aliique luculenter oſtendunt, eoſdem tenuem eſſe ſubſtantiam *ad modum fumi* exhalantem, *& deferentem odorum qualitatem*. Odoris vero cauſam nonnulli reponunt in calore, qui ſiccum humido permiſcet. Alii contra illam conſtituunt in profluvio quodam ſubſtantiali ſulphureo, & ſalino: ita ut diverſa ſalis, & ſulphuris exhalatio gratum, vel ingratum reddat odorem.

24. 25 Sed hæc retuliſſe ſatis, cum ad noſtrum non pertineant inſtitutum. Aſſerimus autem, quod licet aliqua mixta, dum corrumpuntur, gratum emittant odorem, corpus humanum poſt animæ diſceſſum, etſi poſſit naturaliter non male olere, nullo tamen modo poteſt naturaliter bene olere, ſive incorruptum, ſive corruptum ſit, veluti concludit Zacchias. Quod vero de Alexandri M. cadavere dicitur, poſt ſeptem nempe dies, quibus inſepultum permanſit, gratum ſpiraſſe odorem, id laudatus Zacchias, niſi potius odor ingratus fuerit, ad aromata refert, quibus, teſte Curtio, cadaver fuerat delibutum. Quapropter odor, qui ab humano corpore ſive incorrupto, ſive non incorrupto effluit, miraculo eſt adſcribendus, dummodo nulla adſit, vel adfuerit naturalis cauſa, cui odor tribui poſſit. Et idcirco Fidei Promotores de aromatibus, capſa, veſtibus, pulvinaribus, floribus, & herbis, ac de aliis rebus, quæ cadaver forte tangant, aut tetigerint, & odoriferum reddere potuerint, ſtrenue inquirunt. Conſentiunt Cardanus, atque Bol-

Boldettus, eademque fuit Medicorum ſententia, qui de odore, qui ex S. Catharinæ Bononien. corpore manare dicebatur, interrogati fuerunt. Odor præterea debet per aliquod tempus perſeverare, debet eſſe ſuavis, nullique noxam afferens; hoc vero non de noxa momentanea eſt intelligendum, uti cum B. Eligius Noviomenſis Epiſcopus apud Surium, repertis S. Quintini oſſibus, vix ex odore, quem illa efflabant, conſiſtere potuit, ſed de noxa continua, & quæ corporum incolumitati obſit. Sicuti enim mali odores juxta Lemnium aliquando proſunt; ita ſuaves quibuſdam obſunt, cujus rei exempla idem Lemnius, Rejes, aliique referunt.

26. 27 Plura mirabilis odoris e Sanctorum cadaveribus, vel Reliquiis manantis exempla apud Bagattam legi poſſunt. Et Rotæ Auditores in relat. cauſ. S. Ludovici Bertrandi hujuſmodi odorem, ſacra rituum Congregatione approbante, inter miracula recenſuerunt; quod etiam in relat. cauſ. SS. Tereſiæ, Paſchalis Baylon, aliorumque præſtiterunt. Suffragantur Caſtellinus, Scacchus, aliique de Canonizatione ſcribentes. Itidemque in lectionibus propriis S. Franciſci de Paula, & S. Eduardi Angliæ Regis, necnon in bull. Canonizat. SS. Thomæ Aquinatis, Raymundi, aliorumque ejuſdem odoris mentio fit tamquam miraculo tribuendi.

28 Quæres, utrum corporis incorruptio, & odor ab eodem manans pro uno, an pro duplici miraculo habenda ſint? Porro quidquid Scacchus innuere videatur, Sedis Apoſtolicæ, & rituum Congregationis praxis incorruptionem, & odorem tamquam duo diſtincta miracula agnoſcit, ut colligere eſt ex Actis cauſ. SS. Tereſiæ, & Jacobi de Marchia.

CAPUT XXXII.

De Beatorum, & Sanctorum apparitionibus, an inter miracula recenſeri poſſint.

1 Dum *lib.* 3. *de Gratiis gratis datis ageremus*, obſervavimus, an ex Chriſti, B. Virginis, aut alicujus Sancti apparitione inferri poſſit ſanctitas ejus, cui hæ apparitiones contigerunt: nunc autem præcipue videndum eſt, an ſi aliquis Dei Servus, vel Beatus, ſive invocatus, ſive non invocatus fuerit, alicui appareat, id pro miraculo habendum ſit, & an ejus ratio in judicio Beatificationis, & Canonizationis haberi poſſit.

2 In *lib.* 2. *Machab.* c. 15. Onias Machabæo apparuiſſe perhibetur. Et *Matth.* 15. Chriſtus *transfiguratus eſt*. Docet vero S. Thomas (*a*), Chriſtum transfigurari voluiſſe, ut gloriam ſuam oſtenderet, hominesque ad eam deſiderandam provocaret, & idcirco conveniens fuiſſe, ut huic transfigurationi Moyſes, & Elias, Petrus, Jacobus, & Joannes adeſſent: additque, Moyſen tunc non proprio, ſed alio aſſumpto corpore, Eliam vero proprio corpore apparuiſſe. Verum mortuorum apparitionibus obſtare videtur illud Job. 7. *Qui deſcenderit ad Inferos, non aſcendet*. Et illud *Pſal.* 77. *ſpiritus vadens, & non rediens*. Itemque illud *Luc.* 16. *Inter vos, & nos chaos magnum firmatum eſt; ut hi, qui volunt hinc tranſire ad vos, non poſſint*. At illud Job de eo, quod ſecundum naturæ curſum fit; alterum de homine depravato intelligitur; per tertium vero denotatur, noluiſſe Abraham, mortuos ad Epulonis fratres monendos redire, ut pœnitentiam agerent, cum hi alia haberent converſionis argumenta.

(*a*) 3. part. q. 45. art. 3.

3 &c. Porro apparent Beatorum, Damnatorum, & purgantium animæ. Beatorum quidem, vel ut ſuam manifeſtent felicitatem, vel ut Dei mandata ad nos perferant, vel ut ægris aſſiſtant

ſtant, vel ut alia nobis beneficia præſtent: Damnatorum vero ad hominum eruditionem, & terrorem: Purgantium tandem, ut ſuffragiis juventur. Nuſquam vero legitur, apparuiſſe animas puerorum, qui cum ſolo peccato originali deceſſerunt, uti poſt S. Thomam Thyræus late oſtendit. Quamquam Card. Urſinus, poſtea Bened. XIII. innuit, horum etiam animas poſſe, ſi Deus voluerit, apparere. Innumeræ autem ſunt apparitiones, quibus Sancti æternam ſe eſſe felicitatem conſecutos oſtenderunt. Sed probatiſſimæ ſunt, quas de S. Paulo primo Eremita refert S. Hieronymus (*a*), quaſque de SS. Benedicto, Scholaſtica, & Germano Epiſcopo Capuano S. Gregorius M. deſcribit (*b*): item quam de S. Bernardo Alanus, aliique teſtantur.

a to. 2. oper. col. 11.

b Dialog. lib. 2. c. 34. 35. & 37. oper. to. 2.

7 Familiare eſſe Beatis, & Sanctis apparere, ut ægris aſſiſtant, Rotæ Auditores aſſerunt in relat. cauſ. S. Caroli Borromæi. Et quod ſpectat ad apparitiones, ut alia beneficia hominibus conferantur, iidem Auditores referunt, S. Andream Corſini Florentinos, quorum oppida Mediolanenſes vaſtabant, quique S. Andream invocabant, per adoleſcentem præmonuiſſe, ne timerent cum hoſtibus congredi, futurum enim eſſe, ut inſignem victoriam adverſus eos, quamvis numero, & armis præpotentes, obtinerent, uti revera contigit.

8 Ad apparitiones Damnatorum, quod attinet, Baronius ad *an.* 1044. narrat (*c*), Benedictum IX. hortatu S. Bartholomæi Abbatis Cryptæ ferratæ, ſummum Pontificatum pœnitentiæ cauſa dimiſiſſe, iterumque per ſimoniam, nulloque jure invaſiſſe. Et ad *an.* 1054. addit eumdem Benedictum jam defunctum cuidam Vaclo ſub immanis monſtri ſpecie, apparuiſſe, ſeque manifeſtaſſe perpetuo ob beſtialem traductam vitam damnatum eſſe.

c Ibid.

9 Thomas Cantipratenſis *in vita S. Lutgardis* apud Bolland. (*d*) narrat, Innocentium III. poſt obitum eidem Sanctæ apparuiſſe, ac nunciaſſe *per interceſſionem Virginis Mariæ æternam mortem* evaſiſſe, atrociſſimis tamen pœnis diu cruciandum eſſe, & idcirco ſuffragia petiturum acceſſiſſe. Et hanc apparitionem, tamquam veroſimilem, præter alios admittit Spondanus, Pagius, & alii: & de eadem nonnulla Bellarminus adnotavit.

d ad diem 16. Junii to. 3. pag. 245.

10 Hæ apparitiones, ſi tamen veræ ſint, demonſtrant, Damnatorum, & Purgatorii animas, juxta ſuperius dicta, interdum apparuiſſe. Si veræ ſint, inquam; ſiquidem Benedict. IX. contendit Sciommarus verum pœnitentem in monaſterio ſub S. Bartholomæi Abbatis diſciplina obiiſſe. Et Raynaldus admittit quidem, Innocentium III. potuiſſe ad poſcenda ſuffragia apparere, cetera vero, quæ de eodem circumferuntur, ex aliorum teſtimonio rejicit. Aliæ tamen hujuſmodi apparitiones apud Martinum del Rio videri poſſunt.

11 &c. Poſt hæc, ut propoſitam in hoc capite controverſiam expendamus, ſi Dei Servus, vel Beatus appareat, ſive apparitio intellectualis fuerit, quæ raro contingit, ſive corporalis, quæ frequentior eſt, apparitio inter miracula eſt recenſenda, veluti docet S. Thomas (*e*), quem Matthæuccius, Bordonus, aliique communiter ſequuntur. Et his omnibus ſuffragatur S. Auguſtini auctoritas *de cura pro mortuis gerenda* (*f*), ubi docet, quod, cum homines mortui, ſive vivi hominibus dormientibus, vel vigilantibus apparent, non in ipſis rebus, ut ſunt, videntur, ſed in quibuſdam rerum ſimilitudinibus. Et has apparitiones explicat in corporibus Angelorum miniſterio formatis, & aſſumptis fieri; dubitat vero, utrum mortuorum apparitiones per eorumdem fiant præſentiam, an mortuorum perſonas Angeli in corporibus aſſumptis repræſentent. Martyres quoque fatetur vivorum neceſſitatibus intereſſe, idque Divinæ congruere potentiæ; ſed ſimul, quomodo id fiat, ſe neſcire affirmat. S. Thomas (*g*) quoque docet, apparitio-

e part. 1. q. 49. art. 8. ad 2.

f to. 6. oper. col. 526. n. 16.

g in ſupplem. 3. par. q. 69. art. 3. ad 3.

ritiones contingere bonorum, vel malorum Spirituum operatione, ad viventium inſtructionem, vel deceptionem: cum hoc tamen diſcrimine, quod Sancti, cum voluerint, apparent, ſecus vero Damnati; quamquam etiam Sancti, dum apparent, *conformantur Divinæ voluntati*, quam quidem doctrinam late Sotus exornat. Svveerts vero ex his infert, non ſolum curioſitate, ſed etiam implicita ſuperſtitione eos peccare, qui paciſcuntur, ut, qui prior morietur, ſi permittatur, ſuperſtiti appareat, ſuumque indicet ſtatum. Quapropter de miraculo in prædictis apparitionibus non eſt dubitandum, dummodo veræ, & cæleſtis apparitionis notis, alibi indicatis, eædem illuſtrentur. Et hujus miraculi ratio haberi in Beatificationis, & Canonizationis judicio poteſt, dummodo is, cui apparitio facta eſt, talibus ſit moribus præditus, ut ei, quamvis, unico teſti, juxta alibi dicta fides haberi poſſit, & dummodo aliquis effectus ex ea ortus ſit, qui aliorum teſtium dictis comprobetur.

15 Et quod ſpectat ad eos, qui de apparitionibus ſibi factis teſtantur, ſæpe contingit, ut eæ coram aliis fiant, ſed unus viderit, vel vocem audiverit, non autem alii; & hinc dubium, an aſſerenti ſe vidiſſe, aut audiviſſe fides demenda ſit, eo quod alii non viderint, nec audiverint. Porro Daniel ſolus virum vidit, qui ei *Daniel*. 10. apparuit, qui vero cum eo erant, *non viderunt*. Contra vero Angeli, qui *Geneſ*. 18. Abrahæ apparuerunt, ab aliis etiam viſi ſunt, ſicuti & Raphael
a 1. part. q. 51. ar. 2. Tobiæ comes. Et S. Thomas docet (*a*), imaginariam apparitionem ab eo ſolo percipi, cui ſit, corporalem vero ab aliis etiam percipi. Sed hoc non ſemper verum eſt, nam Chriſtum *Act*. 9. corporaliter apparentem ſolus Paulus vidit, ſocii autem neminem viderunt. Et juxta Card. Bonam Angelus bonus corpus aſſumptum poteſt uni oſtendere, aliis occultare. Ex his igitur infertur apparitionis veritatem a probatæ fidei viro relatæ non infici, quod alii præſentes eam non perceperint, ſicuti quod Servandus Diaconus animam Germani Capuani Epiſcopi in cælum aſcendentem, monſtrante S. Benedicto, non viderit, & quod globum igneum ſuper caput S. Martini apud Sulpicium Severum (*b*) pauci de multitudine viderint. b in Dial. 2. n. 3.

16 Quoad effectum ex apparitione ſecutum, videndum eſt, an idem apparitioni congruat, ſi autem non ſolum apparitioni congruat, ſed etiam naturæ vires excedat, qualis eſſet mirabilis ſanatio, ſacra rituum Congregatio conſuevit illum tamquam miraculum approbare, omiſſa apparitione.

17. 18 Poſt hæc ut aliqua de viventium apparitionibus innuamus, quas ſane apparitiones aliquando contigiſſe S. Auguſtinus (c), & S. Bonaventura *in legenda vitæ S. Franciſci* (*d*), necnon bullæ Canoniz. SS. Petri de Alcantara, & Philippi Nerii teſtantur, advertendum eſt aliud eſſe, unum idemque hominis viventis corpus eodem tempore in duobus eſſe locis, quam Philoſophi *replicationem* appellant; aliud, hominem vivum in uno loco exiſtentem, in alio loco diſtanti apparere, quales fuerunt apparitiones a S. Bonaventura, & ab aliis paulo ante laudatis relatæ, & de his impræſentiarum agimus. Si autem hæ apparitiones firmis probationibus, ceteriſque veræ apparitionis conditionibus, quas ſuperius de mortuorum apparitionibus explicuimus, fulciantur, inter miracula erunt recenſendæ, earumque in Beatificationis, & Canonizationis judicio ratio haberi poterit, cum ſine ſpeciali Dei providentia fieri nequeant.

c lib. de cura pro mortuis &c. c. 10. col. 523.

d c. 4. oper. to. 7.

CAPUT ULTIMUM.

De Imaginatione, & ejus viribus.

1 NEmini extraneum videatur, quod, poſtquam de miraculis egimus, nonnulla ultimo loco de imaginatione, ejuſque viribus adjiciantur: nonnulli enim effecta quædam, quæ naturam excedunt, naturalibus imaginationis viribus adſcribunt. Jamvero plura hîc quærenda ſunt, nempe, quid ſit imaginatio, ſeu phantaſia, & quomodo operetur, an vires exercere poſſit in corpus ab imaginante ſeparatum, an in corpus, quod imaginantis non ſit, ſed neque ab eo ſit ſeparatum; item an in corpus ipſius imaginantis proprium; an in eo morbos gignere, vel momento expellere poſſit; tandem, quid de ea dicendum ſit relative ad miracula, ſeu ad mirabiles ſanationes.

2 &c. Sentiunt Peripatetici, hominis animam totam in toto corpore, totamque in qualibet ejus parte eſſe. Imaginationem vero dicunt potentiam eſſe animæ cognoſcentem, ejuſque actionem immanentem eſſe. Cartheſius, minus quidem probabiliter, animam in glandula pineali conſtituit. Alii vero neglecta opinione, quæ animam in corde reponit, in cerebro eam reſidere opinantur. Cerebrum ſiquidem membranis interius, exteriuſque veſtitum; & capitis oſſe protectum tutiorem præſtat animæ ſedem. Ex eo quoque nervi omnes ad omnes corporis partes progrediuntur, receptamque per ſenſus objectorum impreſſionem ad animam in cerebro tranſmittunt, eamque ad eorum perceptionem excitant.

6 &c. Phantaſia quoque, ſeu imaginatio in cerebro, vel in aliqua ejus parte a nonnullis collocatur: in eaque imprimi dicunt tum notiones, tum ſpecies intellectuales, tum imagines objectorum ſenſibilium a ſenſibus collectas, & a ſpiritibus animalibus per ſubtiliſſimos nervorum canales ad cerebrum tranſmiſſas; ac proinde phantaſiam, ſive imaginationem non eſſe facultatem intelligentem, & animantem, ac per ſe moventem, ſed tam ipſam, quam ſpiritus animales, & ſenſus eſſe animæ inſtrumenta; quamquam & ipſa anima ab iis ſæpe afficitur, ac commovetur. Priora voluntaria, ac juris animæ dicuntur; poſteriora vero automatica, & corpori, ut vegetativum, & ſenſitivum eſt, propria, atque neceſſaria. Fames, & ſimiles corporis motus juri animæ non ſubduntur, contingunt etiam nobis invitis; pedum vero, & aliarum partium motus ſunt ex iis, quos anima potentiæ motrici imperat, & hæc exequitur. Tandem objectorum externorum imaginibus ad cerebrum delatis, & in eo depictis, quidam ſæpe in nobis, velit nolit anima, motus excitatur, & cum eo aliqua idea, opinio, aut veritas nobis exhibetur, per quam admonemur, rem per imaginem repræſentatam fugiendam, vel amplectendam eſſe: & quando id contingit, magnus, aut parvus, juxta ſpirituum animalium menſuram, amoris, odii, & ſimilium affectuum motus in anima excitatur.

11 &c. Hæc innuiſſe ſufficiat, cum noſtrum non ſit philoſophicas perſequi quæſtiones, ſed potius imaginationis effectus inveſtigare: ac primo quidem, ut initio propoſuimus, an imaginatio in corpus alienum, & ab imaginante remotum operari poſſit. Et, quod ad hoc attinet, Avicenna eam eſſe imaginationis vim opinatur, ut alienum corpus tranſmutari, pluviaſque, & ſimilia naturæ opera ab ea effici poſſe contendat. Huic ſententiæ adhæſit Pomponatius, quem tamen refert Jovius, ab Achillino Bononienſi Philoſopho fuiſſe convictum. Ad prædictæ opinionis præſidium ſubdunt, ex imaginatione procedere, quod ſanguis ex hominis interfecti cadavere coram occiſore profluat, quodque vetulæ pueros faſcinent.

14 Hanc ſententiam acriter, ſed merito

Digitized by Google

merito Theophilus Raynaudus refellit; & qui plura velit, adeat Mercatum, Martinum del Rio, alioſque. Et quod ſpectat ad ſanguinem ex occiſi cadavere coram occiſore redundantem, Donatus putat id eſſe fabuloſum; quamquam Rejes multorum refert teſtimonia aſſerentium id aliquando contigiſſe, ſed ad Divinæ juſtitiæ providentiam idipſum referunt, ut ſceleris auctor pœnas lueret. Addit Fienus, id poſſe aliquando Diabolo tribui, vel ad innocentes vexandos, vel ad reos perdendos. Ex hoc ergo non infertur, poſſe imaginationem in corpus a ſe remotum vires excedere. Additur, ſæpe ſanguinem etiam ex eorum cadaveribus, qui occiſi non fuerunt, per nares, vel per aliam viam poſt horas nonnullas, aut etiam poſt triduum manare. Fabuloſum quoque Valleſius cenſet, quod vetulæ pueros faſcinent. At S. Thomas docet, ex forti animæ imaginatione ſpiritus corpori conjunctos immutari, & maxime in oculis; hos autem aerem continuum ad certum ſpatium inficere; adeoque, anima aliqua ad malitiam vehementer commota, ut in vetulis contingit, aſpectum effici venenoſum, & noxium, ac præcipue pueris, quorum tenerum corpus impreſſioni non reſiſtit. Martinus del Rio brevius putat, pueros ex truci vetularum aſpectu territos facile infirmari. Et Tozzius oſtendit, nullum poſſe ex viſu, voce, laudatione, & ſimplici contactu faſcinum inferri; poſſe tamen Dæmonum opificio peragi. Ceteri faſcinationem, prout eſt infectio oculis illata, dividunt in *vulgarem*, quæ ex vulgi facilitate proficiſcitur: in *phyſicam*, quam juxta laudatam D. Thomæ doctrinam explicant; & in *Dæmoniacam*, quam Magi ex pacto cum Dæmone inito operantur. Sed utcumque hæc ſint, profecto ex iiſdem non infertur, imaginationem in corpus remotum vim habere.

14 &c. Sequitur, ut videamus, an imaginatio in corpus alienum, non tamen ab imaginantis corpore ſeparatum vim babeat. De hoc antem non videtur dubitandum; nam hominum, & beſtiarum fœtus ex matris imaginatione diverſimode ſignatos paſſim videmus. Habent enim etiam bruta phantaſiam, licet hæc non in omnibus uniformis ſit, nec tam perfecta, ut in hominibus. Et ſane admittit S. Auguſtinus (*a*), animam prægnantis poſſe aliquibus fœtum induere qualitatibus, exemplo allato ex *Geneſ.* 30., ubi Jacob dicitur, virgas variegatas in aquarium, quo pecudes potatum veniebant, immiſiſſe, & ex earum aſpectu pecudes fœtus verſicolores concepiſſe, ac peperiſſe. Et hunc quidem effectum plures apud Cornelium a Lapide naturalem fuiſſe exiſtimant, & ex vehementi pecudum concipientium imaginatione proceſſiſſe, Deum tamen ad eumdem effectum peculiariter concurriſſe. Quadros vero addit, quoad circumſtantias effectum eumdem miraculi rationem habuiſſe. Hoc tamen omiſſo, innumera pene tum in hominibus, tum in brutis exempla occurrunt fœtuum, qui deformitates, maculas, & ſimilia, vi imaginationis matris contraxerunt, ut videre eſt apud Medinam, Mallebranche, alioſque plures. Adverſus hanc communem opinionem inſurrexit Blondellus, & in ſua phyſica diſſertatione *de viribus imaginationis ſuper fœtibus* mordicus negat, ex vehementi matris cogitatione, ſtudioque erga aliquod objectum poſſe ſuper fœtûs corpus, objecti ipſius formam imprimi, niſi alterius cauſæ externæ vis ſuperaddatur. Verum admiſſa communis opinionis validitate, Verebyennius, Mallebranche, Verdries, aliique diverſa adornarunt ſyſtemata, ut eidem opinioni fidem conciliarent, quæ quidem ſyſtemata apud ipſos legi poſſunt; ſed placet præ cæteris Scheuckzeri ſententia, qui ingenue fatetur, nihil ſolidi de hujuſmodi effectibus ſtatui poſſe, & melius eſſe *nihil dicere, quam aliquid, quod æquale eſt nihilo*.

a lib. 12. de Civit. *Dei* c. 25.

19 Jam nunc expendendum eſt, an imaginatio vires in proprium imagi-

Digitized by Google

nantis corpus exercere poſſit, & in eo morbos efficere, ac momento ab iis liberare. Porro tantam nonnulli apud Bartbolinnm imaginationi efficaciam adjudicarunt, ut filium ex nobili muliere abſente marito natum, legitimum judicaverint, utpote ex vehementi uxoris cum marito concubitus imaginatione conceptum; ſed id, & ſimilia tamquam fabuloſa ab aliis rejiciuntur. Imaginationi quoque Franciſcus Petrarca, aliique Stigmatum impreſſionem in S. Franciſci corpore adſcribunt, quos tamen fuſe præter alios Bartholomæus de Piſis Ord. Min. redarguit.

20. Verum ut veros imaginationis, & phantaſiæ effectus referamus, notiſſima ſunt, quæ a noctambulis peraguntur. *Noctambuli* vero dicuntur, qui gravi oppreſſi ſomno, relicto lecto, ambulant, ac culmina, & domorum tabulata perreptant, huc, illucque diſcurrunt, & dormitantes perficiunt., quæ vigiles aggredi non auderent, & præſtare nequirent; & niſi interpellentur, ſenſim, ac ſine ſenſu ſe denuo in lectum referunt, nec quid egerint, expergefacti cognoſcunt, ſed illa omnia ſe ſomniaſſe putant: cujus rei innumera apud Edonem Neubuſium exempla legi poſſunt. Medici vero hos motns in ſanguinem turgidum, & ſpumantem, & in æſtuoſum, fervidumque ſpiritum referunt, qui ad imaginationem delatus eam ad ejuſmodi effectus concitat; ſola quippe phantaſia in ſomno operatur. Plura de his diſſerunt Crivellus, & Lemnius. Et Schenckius concludit, effectus eoſdem ad imaginationem una cum ſpirituum tenuitate,& ſubtilitate eſſe referendos.

21 Quoad alios effectus, docet Matta, morbos, & ſanitatem ex imaginatione ſæpe ortum habuiſſe. Id vero juxta S.Thomam (*a*), Fienum, alioſque intelligendum eſt, quod vehemens morbi, vel ſanitatis imaginatio ſpiritus, & humores moveat, & ſic effectus illos inducat.

a quæſt. 6. de miraculis ar. 6.

22. 23 Reliquum eſt, ut de imaginationis viribus agamus, prout ad miracula ſpectat, cum ſæpe in horum examine quæratur, utrum ſanationes divinitns, an ope phantaſiæ contigerint. Jamvero Arauxo in ſuis deciſionibus, poſtquam triplicem admiſit miraculorum gradum, qnæ claſſica appellat, alia quædam prodigioſa enunciat, quæ vulgus miracula vocat; & ad hanc claſſem revocat infirmorum ſanarionem ex apparitione perſonæ invocatæ, vel ex tactu, & apprehenſione imaginis, aut veſtimentorum ejuſdem. Hæc autem ab ipſo partim imaginationi, partim Dæmoni, & partim Deo tribuuntur. Et Lanciſius in cauſa Beatif. S. Joannis Franciſci Regis a miraculis excluſit, & imaginationi adſcribere viſus eſt, quod Moniali cuidam uſus pollicis dexteræ manus reſtitutus fuerit. Muratorius quoque monet, non ſtatimac aliqua ſanitas extemplo contingit, bane pro miraculo habendam eſſe, cum ſola phantaſia a deſiderio, & ſpe recuperandæ ſanitatis vehementer commota, concipiens uti præſens Dei auxilium, & alicujus Servi ipſius interceſſionem, effectum propitinm inducere poſſit: idque potiſſimum in morbis fœminarum contingere.

24 Nonnulli ab his ſcopulis evadere ſe poſſe putant, ſi dicant, non ex eo quod aliquis imaginationis vi ſanitatem conſecutus ſit, inferri poſſe, alios etiam eadem vi ſanatos fuiſſe; ſed potius ex eo, quod plurimi vi imaginationis non convalnerint, neque enm, de quo agitur, ex illa vi convaluiſſe. At cum in miraculorum negotio pro regula ſtatutum ſit, ut quidquid per naturæ vires obtineri potuit, non ſit miraculo adſcribendum, idcirco diligentius quæſtio hæc pertractanda videtur, ut conſtet, quid imaginationi, quidve cauſæ ſupernæ tribuendum ſit. Aliter diligentiſſima ceſſaret indago, quam S. Sedes in miraculorum examine ſemper adhibuit, & quam Hæreticus quidam, teſte P. Daubenton in vita S. Joannis Franciſci Regis, ſummopere laudavit.

25 &c. Pri-

25 &c. Primo itaque dicendum eſſe videtur, morbos quoſdam ab imaginatione ortos, ab eadem tolli poſſe, cujus rei exempla apud Donatum, alioſque legi poſſunt. Secundo, purgationes, & vomitus, & inde ſanitatem ſæpe ab ea, Bartholino, aliiſque teſtibus, oriri poſſe. Tertio, dolorum impetum ad tempus ab ea reprimi poſſe, quo ſpectant ea, quæ de Reſtituto Presbytero narrat S. Auguſtinus, & alia apud Pechlinum. Quarto, poſſe imaginationem ſanitati, non quidem momento, ſed paulatim obtinendæ prodeſſe; cum, juxta Sennertum, imaginatio quoſdam animi affectus inducat, quibus humores, & ſpiritus moventur, moti autem ad morbum vincendum plurimum conferunt. Et Antonius Panormita narrat, Alfonſum Aragoniæ Regem Capuæ ægrotantem ex Curtii lectione convaluiſſe. Et apud Auctores *Collect. Wratislavien.* quidam Miles Berolini ex accenſi pulveris pyrii fragore *intra paucos dies pristinæ ſanitati reſtitutus fuit*. Tandem dicendum eſſe videtur, forſitan poſſe aliquando morbos vi imaginationis momento expelli; ſed Zacchias, & Medina teſtantur, recidivam, aut methaſtaſim ſuccedere. Omnia hæc facile admitti poſſunt; nec tamen ſanationibus, quæ uti miracula approbantur, officiunt. Cum ex alibi dictis ſanatio inter miracula non recenſeatur, niſi morbus gravis, & curatu difficilis, vel impoſſibilis, atque in ſtatu, vel augmento fuerit, niſi medicamenta excluſæ fuerint, aut inutilia adhibita; & niſi ſanatio ſubita, ac perfecta contigerit, nulla præcedente criſi, nullaque recidiva, aut methaſtaſi ſubſecuta. Quapropter vera difficultas in eo verſatur, an tanta ſit vis imaginationis, ut ei tribui ſanatio poſſit, quæ his omnibus qualitatibus prædita ſit.

30. 31 Scribit S. Thomas (*a*), imaginationem vim habere in quaſdam corporis affectiones, non autem in alias corporales diſpoſitiones, quæ ad eam ordinem naturalem non habent. In cauſa B. Joannis de Prado cum ſanatio a gravi arthritide inter alia miracula proponeretur, Benedictus XIV. tunc Fidei Promotor oppoſuit, eam poſſe imaginationis viribus tribui. At Lanciſius juſſu Clementis XI. pro veritate ſcribens, conſtanter aſſeruit, quod *ubi morbus non oritur a ſimplici ſpirituum motu, ſed a corpore alicubi infixo, exſiccato, atque immobili, tunc quidem nuda imaginatio nihil operatur.* Quamobrem memoratam ſanationem miraculo adſcribendam eſſe cenſuit, uti revera ſacra rituum Congregatio eam approbavit, cujus decretum laudatus Pontifex 17. Mart. 1712. confirmavit. Similia de imaginatione ſcripſit Comes Laurentius de Magalottis in quadam ſua epiſtola ms., quæ apud eruditos circumfertur, & in qua inter alia de quodam miraculo interceſſione S. Petri de Alcantara obtento diſſeritur. Et Blondellus cit. concedit, phantaſiam in quibuſdam caſibus prodeſſe, in aliis nocere; morbos autem, qui ſolidas afficiunt partes, ab ea neque induci, neque expelli poſſe. Hoc autem ut explicemus, dici poſſe videtur, morbos alios a ſpiritibus, alios a fluidis, alios a ſolidis oriri. Primi, utpote leves, licet imaginatione illico tollantur, miraculi rationem habere nequeunt. Quoad ſecundos, ſi vitium ſit in fluidorum qualitate, non poteſt imaginatio eos momento pellere; ſi vero vitium ſit in eorum quantitate, & morbus ſit gravis, hic non aliter ab imaginatione pelli poteſt, quam criſi excitata, & ſi aliter tollatur, revertitur, & deficit miraculum. Tertii generis morbos nullo modo phantaſia removere poteſt, niſi vitium a fluidis derivetur, in quo caſu idem, ac de ſecundi generis morbis dicendum eſt.

32 Quod ſi quis dicat, alibi a nobis relatas fuiſſe inſtantaneas ab omnibus his morbis ſanationes, vi imaginationis ſecutas, reſpondemus, nos eas ex aliis retuliſſe, fidem vero penes ſuos Auctores reliquiſſe. Et quatenus credibiles ſint, advertendum eſt,

ea

a 3. part. q. 13. ar. 3. ad 3.

ea exempla locum habere in hypotheſi magnæ iræ, gravis timoris, & mortis certo imminentis, non autem in hypotheſi ſollus fiduciæ ſanitatis interceſſione alicujus obtinendæ: ira autem, & mortis timor majoris ſunt efficaciæ, quam gaudium, & ſpes boni obtinendi. Et ſane in iis, qui ira, vel timore agitantur, graves corporis motiones deprehenduntur, immo ab iis paſſionibus, itemque a repentino gaudio, & immodica de bono obtento lætitia nonnulli apud Plinium, alioſque ægrotarunt, vel etiam obierunt; ſed difficulter invenietur, qui eas motiones propter ſpem obtinendæ aliorum interceſſione ſanitatis patiatur. Quamobrem ab iratis, & terrore correptis non valet argumentum ad ægrotos, qui ſanitatem ab alicujus Servi Dei interceſſione vehementer ſperant, & optant.

33 Siqnis dicat, poſſe imaginationis, & deſiderii vim ad eum motionis gradum pervenire, ad quam iram, & timorem aliquando perveniſſe vidimus; primum dicimus, id non facile poſſe contingere; deinde hac etiam poſſibili æqualitate admiſſa, adhuc non conſtat, an morbi, a quibus nonnulli ob iram, vel timorem liberati dicuntur, ſecundi ne, an tertii generis fuerint, & an ſanatio momento, ſtricte tali, & abſque criſi vere contigerint; quæ ſane a memoratarum hiſtoriarum Scriptoribus non explicantur; ſedulo autem expenduntur, dum ſanationes ad miracula referendæ examinantur.

34 Poſſet aliquis diſtinguere imaginationem, ex qua conſequitur fiducia ſanitatis per naturale remedium obtinendæ, ab imaginatione, quæ fiduciam pariat, obtinendæ alicujus Servi Dei interceſſione ſanitatis, mox aſſerere, momentaneam ſanationem, excitata criſi, ſecutam in primo caſu eſſe naturalem; ſecus in ſecundo, in quo Deus criſi uti poſſet ad ſanitatem concedendam. Porro libenter admittimus, hujuſmodi ſanationem poſſe in ſe miraculum eſſe, ſed regulariter non poterit, uti talis, ab Eccleſia approbari, quæ cum de externis dumtaxat judicet, videns criſim, & cauſam ejus ignorans, aut judicium ſuſpendit, aut fert pro natura. Concluditur itaque, neque imaginationem operari miracula, neque ejus efficaciæ adſcribi ea poſſe, quæ tamquam miracula approbantur: Proinde ſanationes conditionibus ſuperius recenſitis præditas, Deo ſupra naturam agenti tribuendas eſſe, hiſque evidenter reddi credibilem ſanctitatem ejus, cujus poſt mortem interceſſione contigerunt; uti Card. de Lugo & Comptonius oſtendunt.

LIBER

LIBER QUARTUS

PARS SECUNDA.

CAPUT I.

De conceſſione Officii, & Miſſa in honorem Beatorum Beatificatione propria, qua formalis *dicitur.*

1 DE præcedentiis &c. juxta Sixti V. *Conſtitutionem* 74. in ordinaria ſacrorum rituum Congregatione agitur, necnon de Officii & Miſſæ conceſſione in honorem Beatorum Beatificatione formali, & Beatorum Beatificatione æquipollenti, & Canonizatorum. Nos igitur hîc primum de Beatis Beatificatione æquipollenti agemus.

2 Præmittendum autem eſt primo, Officium Divinum certam eſſe rationem Deum publice laudandi anctoritate Præſulum Eccleſiæ inſtitutam, quo nomine juxta Card. Bellarminum quidam Pſalmorum, Hymnorum, & precum ordo comprehenditur. Deo hoc Officium pro acceptis, & recipiendis beneficiis perſolvitur, nihil tamen prohibet, quin alicujus Beati, vel Sancti in eo fiat commemoratio. Deus enim, ut omnium auctor bonorum, exoratur, Sancti vero, ut pro nobis intercedant, invocantur.

3 Præmittendum eſt ſecundo, Euchariſtiam verum eſſe Sacrificium, & quamvis in honorem Beatorum, vel Sanctorum Miſſa aliquando celebratur, *Sacrificium* tamen *ſoli Deo*, ut loquitur Concilium Tridentinum (*a*), & ut antea S. Auguſtinus monuerat (*b*), *qui illos coronavit*, offertur. Sanctorum Miſſas acriter Proteſtantes perſequuntur, ſed perperam; Sanctorum quippe Miſſæ, vel ex eorum feſtivitatibus, vel ex pio erga illos affectu appellantur, cujuſmodi plures Miſſæ apud Mabillonium videri poſſunt. Celebrantur autem in honorem Sanctorum, vel ad eorum victorias commendandas, vel ad eorum poſcendum ſuffragium, aut in gratiarum actionem pro beneficiis eorum interceſſione obtentis. Quod ſi aliquando Hoſtiæ Sanctorum meritis dicatæ dicuntur, id juxta Trombellum intelligitur, ut Deus Hoſtias ſibi dicatas, Sanctorum meritis aſſumat.

a ſeſſ. 22. c. 3.

b libr. 20. contra Fauſtum c. 21. col. 347. oper. 10, 8.

4 &c. His præmiſſis, ut ad propoſitum accedamus, juxta hodiernam S. Sedis, & rituum Congregationis diſciplinam, in formalis Beatificationis Brevibus indulgetur, ut Beatificatus Beati nomine appelletur; ejus Reliquiæ publicæ venerationi (non tamen in proceſſionibus) exponantur; ejuſdem imagines ſplendoribus ornentur; ut Officium, & Miſſa de communi, & ſub ritu ſemiduplici, vel duplici majori, aut minori in ejus honorem celebretur. Cumque Beatificatio ex alibi dictis ſit ſola cultus pro determinatis perſonis, & locis permiſſio, ſi de Servo Dei Regulari agatur, Officium, & Miſſa in ejus honorem omnibus conceduntur utriuſque ſexus Regularibus, qui idem, quod Dei Servus, inſtitutum profeſſi ſunt, uti ex Beatificatorum Brevibus SS. Roſæ Limanæ, Franciſci Solani, aliorumque plurium colligitur. Si autem Beatus Martyr, vel Epiſcopus fuit, vel in aliquo loco diu vixit, aut egregia ſanctitatis ſpecimina reliquit, conceſſio fit etiam Diœceſi, in qua Martyrium, vel Epiſcopatum obivit, & loco, in quo diu, vel ſancte vixit. Similis conceſſio fit pro locis, in quibus Dei Servi nati ſunt, vel in quibus eorum corpora requieſcunt; utraque enim loca Beatorum, & Sanctorum patria apud Guyet, & Theophilum Raynaudum dicuntur.

Ali-

Aliquando tamen conceſſio ſolam reſpicit Eccleſiam *Matricem* loci, in quo Servi Dei nati ſunt, vel ſolam Eccleſiam, in qua eorum corpora requieſcunt; interdum vero conceſſio eadem fit, vel extenditur pro tota civitate, vel pago, in quo nati, vel mortui ſunt, uti colligere eſt ex Brevibus Beatificat. B. Petri de Arbues, S. Franciſci Saleſii, aliorumque, necnon ex *Conſtitut.* 13., & 20. Pauli V. Porro conceſſiones iſtæ vel diei, qua Dei Servi obierunt, vel alteri determinatæ diei affiguntur, omneſque locorum, pro quibus factæ ſunt, Sæculares, & Regulares utriuſque ſexus comprehendunt.

CAPUT II.

De nonnullis quæſtionibus, quæ fiunt a Doctoribus quoad ea, quæ in præcedenti capite dicta ſunt.

1 PRima quæſtio eſt, utrum Presbyteri ſive Sæculares, ſive Regulares, quibus in Brevi Beatificationis Miſſa, & Officium conceſſa non ſunt, poſſint aliquando in honorem Beati Miſſam celebrare, & Officium recitare? Affirmat Caſtropalao cum aliis, loquendo de Miſſa votiva, ac de Officio votivo; ea ductus ratione, quod ſtatim ac Pontifex Miſſam, & Officium in honorem Beati, Beatificatione formali permittit, declarat Beatum tali cultu dignum. Oppoſitum late Diana, aliique probant, cum privilegia non ſint de perſona ad perſonam extendenda.

2 &c. Jamvero quæſtio hæc triplici abſolvitur propoſitione. Prima eſt: Miſſa, etiamſi votiva, quæ ſane publicum præſefert cultum, in honorem Beati ab his, qui in Brevi Beatific. non comprehenduntur, celebrari non poteſt: Miſſa enim votiva de Sanctis tantummodo canonizatis fieri poteſt, non autem de Beatis, niſi ex privilegio; quod quidem privilegium ab Alexandro VII. 22. Maii 1662. in honorem tunc B. Aloyſii Gonzagæ, & ab aliis Pontificibus in aliorum Beatorum honorem conceſſum fuit. Secunda: non permittitur in honorem Beatorum Officium recitari votivum ab iis, qui in ejuſmodi Brevi non comprehenduntur: Officium vero votivum non datur. Tertia propoſitio eſt: Licet etiam iis, qui in Brevi Beatificat. non comprehenduntur, aliud in Beatorum honorem recitare Officium, non quidem in ſatisfactionem, ſed privatim, & ob devotionem, uti loquuntur Decreta generalia, & uti fuſe Quartus proſequitur.

5 Altera quæſtio eſt, utrum Miſſa in Brevi Beatificationis pro determinata Regularium Eccleſia conceſſa, ſtatuta die celebranda, poſſit ab exteris illuc confluentibus celebrari? Et in hoc negativa opinio retinenda eſt. Etenim quando Sedes Apoſtolica in Indulto exteros comprehendi intendit, id vel in ſuis litreris expreſſit, aut poſtea extendit, ut conſtat ex decretis in cauſa tunc B. Aloyſii Gonzagæ 7. Aug., & 2. Oct. 1621., & in cauſa S. Franciſci Borgiæ, aliorumque editis, cum quibus concordant Decreta Generalia anni 1659., & alia ſacræ rituum Congregationis 19. Novemb. 1622. decreta. Ne autem alia incongrue Miſſa ab exteris in eadem Eccleſia celebraretur, ejuſdem celebratio etiam ad exteros in Brevi Beatificat. extendi conſuevit. Quod ſi Miſſa particularis in honorem Beati Regularibus conceſſa ſit, eamdem non licet exteris celebrare; ſed aliam celebrabunt de communi ex Miſſali deſumpta, juxta ſacræ Congregationis reſolutionem *die, & an. citt.*, & juxta generale ejuſdem Decretum 20. Novemb. 1717. editum, & a Clemente XI. approbatum.

6 Alia quæſtio eſt, utrum liceat Officii, & Miſſæ celebrationem in aliam ab ea, quæ in Brevi Beatificationis pro iis celebrandis deſignata eſt, diem transferre? Joannes a S. Thoma putat, id fieri poſſe, cum conceſſio Officii, &

Miſſæ

Miſſæ, niſi aliter notetur, juxta communes Rubricas intelligenda ſit, ut ſcilicet, ſi dies pro Officii, & Miſſæ celebratione deſignata impedita ſit, celebratio in aliam diem transferatur. Verum cum non liceat verbales limites Brevium Beatificat. excedere, ejuſmodi translatio abſque Sedis Apoſtolicæ beneplacito non videtur eſſe permiſſa. Idque ex eo etiam ſuadetur, quod, inconſulta Sede Apoſtolica, non licet, ſaltem poſt Alexandri VII. tempus, primam Beatificationis ſolemnitatem in aliam diem transferre, ſi dies pro hac ſolemnitate deſignata impedita fuerit.

7 &c. Quærunt ulterius Doctores, utrum unicuique permiſſum ſit Beatorum Imagines in altari colendas conſtituere? Et huic etiam quæſito, quidquid alii ſenſerint, reſpondetur, id in locis in Beatificationis Indulto non expreſſis non eſſe permiſſum. Hæc enim cultus de loco ad locum extenſio, ſummo Pontifice inconſulto, decretis generalibus adverſatur. Et ſane ut ejuſmodi cultus in honorem tunc Beatorum Felicis a Cantalicio, Franciſci Saleſii, Cajetani Thienæi, & Turribii ad loca in Indulto non expreſſa extenderetur, opus fuit, ut novæ a ſummis Pontificibus epiſtolæ in forma Brevis expedirentur. Porro hæc intelligenda etiam ſunt de Imaginibus, & cultu eorum, qui æquipollenter beatificati ſunt.

12 Quæritur tandem, utrum ante Beatorum Canonizationem Officii, & Miſſæ facultas ad alios locos Indulto non comprehenſos extendatur? & affirmanter reſpondetur, veluti Carolo II. Hiſpaniarum Rege, aliiſque petentibus, ejuſmodi facultas in honorem tunc B. Roſæ Limanæ ad plures Provincias propagata fuit. Momentum vero pro hac propagatione a circumſtantiis pendet, ſacræ Congregationi exponendis, quales ſunt Principum, Populorumque deſideria, gratiæ Beatorum interceſſione obtentæ, & ſimilia.

13. 14 Sed difficultas eſt, an pro Beatorum Officio lectiones propriæ ſint concedendæ? Super hoc controverſia excitata fuit, cum de Officio proprio tunc B. Mariæ Magdalenæ de Pazzis ageretur. Et ſacra quidem Congregatio de eadem re juxta Fidei Promotoris oppoſitiones valde dubitavit, primo quia cultus in Beatificatione permiſſus eſt retractabilis, Officii autem proprii conceſſio cum virtutum, & miraculorum approbatione aliquem irretractabilitatis gradum conſtituit. Secundo quia cum in tranſitu a Beatificatione ad Canonizationem omnia, quæ Beatificationem præceſſerant, quæque ſubſecuta fuerant, referri deberent, id ipſum in Officii proprii conceſſione ſervandum videbatur. Quare ſacra Congregatio 5. Maii 1644. Promotori mandavit, ut oppoſitiones Pontifici referret. Quid Pontifex reſponderit, ignoratur; itaut hæc, quæ de ſacra Congregatione retulimus, decreti nomen non mereantur; ſed ſi decretum dici debeant, id locum habuiſſe ante an. 1668., quando ea, quæ ante Beatificationem diſcuſſa fuerant, iterum ante Canonizationem examinabantur; non autem nunc, cum examen hujuſmodi obſoletum ſit, ideoque *retractabilitatis* ceſſet periculum. Et ſane ſubſecutis temporibus pro Officiis propriis BB. Martyrum Gorcomienſium, aliorumque plurium lectiones propriæ conceſſæ fuerunt.

CAPUT III.

De conceſſione Officii, & Miſſæ in honorem Beatorum Beatificatione æquipollenti, & ſignanter per cultum immemorabilem.

1. 2 Quid ſit cultus immemorabilis, & quomodo ex eo *æquipollens* coaleſcat Beatificatio, ſatis *lib.* 2. oſtenſum fuit. Cum vero dubium ſupereſſet, an cultu immemorabili approbato, Officium, & Miſſa in honorem Servi Dei, cujus

cujus immemorabilis cultus approbatus fuiſſet, conceſſa intelligerentur, ſacra rituum Congregatio 20. *Novemb.* 1628. id minime intelligendum eſſe declaravit, ſed requiri, ut Miſſa & Officium ab immemorabili celebrata fuiſſe probarentur. Quod decretum in Officii, & Miſſæ conceſſione in honorem tunc B. Julianæ de Falconeriis 17. *Octob.* 1693. renovatum fuiſſe videtur.

3 Juxta hæc decreta poſſunt Officium, & Miſſa in iis locis continuari, in quibus, probato immemorabili cultu, probatum eſt etiam, eadem fuiſſe celebrata; quod eſt juri conſonum. Urbanus enim VIII. in ſuis decretis generalibus declaravit, ſe nolle *præjudicare iis*, qui aliquem antea cultum obtinuiſſent; ex quo infertur, Officium, & Miſſam, ſi petantur, non eſſe de jure in alicujus Servi Dei honorem deneganda, ſi, approbato cultu immemorabili, probatum fuiſſet eadem celebrata fuiſſe. Et ſane Clemens VIII. annuit, ut Officium, & Miſſa de B. Petro Eremita in terra Tribarum diœceſis Anagninæ continuarentur, quæ ab immemorabili celebrabantur, idque ſacra rituum Congregatio ad Terram Sublaci, & ad alia loca extendit. Præterquamquod, debitis concurrentibus circumſtantiis, poteſt eadem Congregatio, Pontifice approbante, indulgere, ut, probato cultu immemorabili, Officium in honorem Beati recitetur, & Miſſa celebretur, quamquam a tempore immemorabili hæc celebrata non eſſent. Ita quippe Proſper Bottinius olim Fidei Promotor occaſione petitionis Officii, & Miſſæ in honorem B. Mariæ de Socos teſtatus eſt; itemque Benedictus XIV., dum Fidei Promotorem agebat, cujus diſſertationem Ludovicus de Valentibus nunc Fidei Promotor in ſua diſſertatione ſuper Officiis, & lectionibus propriis in honorem Sanctorum Sabinæ concedendis exarata, laudavit. Concordant ſacræ Congregationis decreta, quibus Officium, & Miſſa pro BB. Ollegario, Amadeo III. Sabaudiæ Duce, & Antonio a Stronconio conceſſa fuerunt.

4 Ad circumſtantias quod attinet, prima eſt, ſi per tempus centum annos excedens Officium recitatum, & Miſſa celebrata in alicujus Servi Dei honorem fuiſſet, quamquam recitatio, & celebratio uſque ad Officii, & Miſſæ petitionem continuatæ non fuiſſent; vel ſaltem ſi per tempus notabile, licet non immemorabile, eadem celebrata fuiſſent, ut ex Officii, & Miſſæ conceſſione in honorem BB. Humilianæ de Cerchiis, Nicolai Flue, aliorumque colligitur. Hujuſmodi autem conceſſiones ad gratiam referendæ ſunt. Ut enim de jure Miſſa, & Officium concederentur, demonſtrandum eſſet, eadem per centum annos ante annum 1628., quo Urbani VIII. decretum editum fuit, recitata, & uſque ad eorumdem petitionem continuata fuiſſe, uti in conceſſione Officii, & Miſſæ pro BB. Auguſtino Dalmata, & Humilitate de Faventia factum eſt.

5 Altera circumſtantia eſt, ſi præter cultus immemorabilis, quamquam per Officii, & Miſſæ celebrationem non exhibiti approbationem, virtutes in gradu heroico in Congregatione rituum diſcuſſæ, & approbatæ fuiſſent, vel ſaltem ſi ex proceſſibus talia de virtutibus, & miraculis eruantur, ut Dei Servus, approbato immemorabili cultu, etiam Officii, & Miſſæ cultu dignus habeatur. Et ex hac circumſtantia in honorem BB. Petri Regalati, Joannis Cantii, aliorumque, Officium, & Miſſa conceſſa fuerunt.

6 Tertia circumſtantia ex cultus immemorabilis qualitate oritur. Qualitas autem, vel ex vetuſto, & nobili cultus initio deſumitur, uti in Officii, & Miſſæ conceſſione pro B. Ollegario contigit, cujus corpus duodecimo ab obitu anno ab Epiſcopo, & Capitulo elevatum fuerat; vel ex magno cultus apparatu, ut in conceſſione pro tunc B. Margarita de Cortona, ad cujus feſtum plures e finitimis populis confluebant: vel ex cultus propagatione, ut in

ut in conceſſione pro B. Zita, cujus cultus ad plures Europæ Urbes, & Provincias extenſus fuerat: vel ex altarium erectione, aut ex diuturna in Officio, & Miſſa commemoratione, & huic cultus qualitati innixa fuit Officii, & Miſſæ conceſſio in B. Hoſannæ de Andreaſiis, aliorumque honorem.

7 His aliæ addi poſſunt circumſtantiæ, e. g., ſi Dei Servus, cujus immemorabilis cultus approbatus fuit, Regularem aliquem Ordinem inſtituiſſet; aut ſi ejus interceſſione recens inſigne miraculum contigiſſet; aut ſi Princeps, Epiſcopi, & Populi Officium, & Miſſam ſponte, & enixe in ejus honorem peterent, & ex his circumſtantiis conceſſiones pro BB. Bernardo Ptolemæo, Ludovico Bertrando, aliiſque emanarunt. Hæ tamen, aliæque circumſtantiæ a ſacræ Congregationis arbitrio pendent.

8 Poſt hæc ſacra rituum Congregatio, Clemente XII. approbante, 11. *Auguſti* 1736. decrevit, ut impoſterum immemorabilis cultus approbatio non ſuffragaretur pro Officio, & Miſſa *in alicujus Sancti ner ranonizati, ner beatificati* bonorem obtinendis, niſi ſimul probetur, cultum cum Miſſa, & Officio fuiſſe eidem exhibitum, juxta decreta 20. *Novemb.* 1628. ſub Urbano VIII. edita, & ab Innocentio XII. 17. *Octob.* 1693. confirmata.

9 &c. Putarunt cauſarum Poſtulatores, ex boc decreto aditum ſupplicationibus pro Officii, & Miſſæ conceſſione in honorem Beatorum Beatificatione æquipollenti fuiſſe præcluſum. Sed Benedictus XIV. tunc Bononiæ Archiepiſcopus ſuper hoc conſultus, nil tale ex illo inferri decreto reſpondit: ſiquidem decretum hoc ad alia Urbani VIII., & Innocentii XII. decreta referebatur, poſt quæ decreta ſimiles conceſſiones, urgentibus circumſtantiis, emanaverant. Et ſane non diu poſt illius decreti editionem ſub eodem Clemente XII., approbato immemorabili B. Michelinæ cultu, Officium quoque, & Miſſa in ejus honorem pro diœceſi Piſaurenſi redintegrata fuerunt, quæ poſt Urbani VIII. decreta intermiſſa fuerant, quæ tamen de jure ut concederentur, opus fuiſſet, ut uſque ad petitionem continuata eſſent, ac proinde conceſſio non juſtitiæ, ſed gratiæ innixa fuit. Quod & in ſimilibus ſub eodem Benedicto impoſterum obſervatum eſt. Hæc autem, quæ de caſu ab Urbani VIII. decretis, ratione cultus immemorabilis, excepto diximus, locum etiam in caſu ex Sedis Apoſtolicæ Indultis, vel ex Patrum, virorumque Sanctorum ſcriptis excepto habent. Quod ſpectat ad ritum, ſub quo hæ conceſſiones fiunt, & ad loca, pro quibus eædem indulgentur, æquiparantur conceſſionibus, quæ pro Beatis Beatificatione formali fiunt, de quibus ſuperius egimus.

CAPUT IV.

Iterum de eadem materia, & ſignanter de nonnullis difficultatibus ad eamdem pertinentibus, examinatis in ſacrorum rituum Congregatione, & de conreſſione lectionum propriarum in honorem Beatorum Beatifiratione æquipollenti.

1 BEnedictus XIV., cum Fidei Promotoris munere fungeretur, Poſtulatoribus aliquando nimiam in Officio, & Miſſa pro Beatis Beatificatione æquipollenti petendis celeritatem oppoſuit, utpote qui in una Congregatione *ſignaturam Commiſſionis*, in altera ſubſequenti cultus immemorabilis approbationem, mox Officium, & Miſſam peterent. At ſacra Congregatio hanc reſpondit celeritatis notam in cauſis per viam non cultus, non in cauſis per viam cultus immemorabilis procedentibus eſſe admittendam.

2. 3 Cum in eadem Congregatione de Officii, & Miſſæ conceſſione in honorem ſex de Beatis Ord. Servorum B. M. V. Fundatoribus ageretur, nonnulli ex Cardinalibus hujuſmodi pro

æquipollenter Beatis conceſſionem ante diſcuſſas, & approbatas virtutes incongruam eſſe exiſtimarunt, præcipue quod, ſi poſt conceſſionem Poſtulatores Canonizationem promovere vellent, de virtutibus agendum ſit, quæ ſi non approbarentur, ſcandalo id populo eſſet, qui ejus rejici virtutes audiret, de quo Miſſam, & Officium fieri vidit. Sed laudatus Fidei Promotor aliam eſſe rationabilem ſacræ Congregationis conſuetudinem ſubdit, cum in honorem BB. Columbæ Reatinæ, Bernardi Ptolemæi, aliorumque plurium ante virtutum, vel martyrii diſcuſſionem, & approbationem Miſſa, & Officium, caſu excepto approbato, conceſſa fuiſſent. Cumque Congregatio ipſa Promotoris animadverſioni acquieſcens Officium, & Miſſam pro B. Dalmatio Monerio ante ſimilem diſcuſſionem, & approbationem conceſſiſſet, indubitatum remanet, id utique fieri poſſe, quamquam diſcuſſio, & approbatio eadem faciliorem redderet conceſſionem.

4 Rationabilem diximus conſuetudinem: ſiquidem æquipollens Beatificatio eſt cultus permiſſivus, ad quem virtutum, vel martyrii, & miraculorum fama ſufficit, & hæc in hac Beatificatione non deficit, cum ſignaturæ Commiſſionis, quæ caſus excepti approbationem præcedit, locus non ſit, niſi de eadem fama legitime conſtet. Neque aſſertum urget ſcandalum; nam diſputatio de virtutibus, poſt caſum exceptum approbatum, ad Canonizationem refertur; quare poteſt ſine abſurdo de virtutibus conſtare, quantum ſatis eſt ad cultum permiſſivum, licet de iis quoad cultum non conſtet præceptivum.

5 &c. Hactenus adducta probant, Officio, & Miſſa de communi ante virtutum, aut martyrii diſcuſſionem in honorem æquipollenter Beatorum conceſſis, lectiones etiam ſecundi nocturni proprias poſſe ſubſequenter concedi, quemadmodum pro BB. Columba Reatina, Margarita de Sabaudia, aliiſque a ſacra Congregatione conceſſæ fuerunt, cuius decreta aliquando a ſummis Pontificibus pro majori ſolemnitate, petentibus Poſtulatoribus, per litteras in forma Brevis confirmatæ fuerunt, quæ qnidem litteræ in Appendicibus dabuntur.

CAPUT V.

De conceſſione Officii, & Miſſæ in honorem nonnullorum Beatorum, qui ſunt in antiqua cultus poſſeſſione, vel antiqua habent venerationis Indulta, licet in eorum cauſis numquam confectus fuerit proceſſus ſuper caſu excepto.

1 DE his, qui immemorabilem cultum poſſident, vel per ſummorum Ponrificum Indulta, aut per ſacræ Congregationis reſponſa cultnm obtinuerunt, alibi diſſeruimus, cum ſcilicet de æquipollenti Beatificatione ageremus, quibus ſane irreligioſum eſſet cultum ſubtrahere, tum quia Urbanus VIII. in ſuis decretis nullum ſe velle eis præjudicium afferre profeſſus eſt, tum quia proceſſu ſuper caſu excepto opus eſt, ſi de Canonizatione, non vero ſi de cultus continuatione agendum ſit. Reliquum igitur eſt, ut de Officii, & Miſſæ in eorum honorem conceſſione diſſeramus.

2 Urbanus VIII., qui utpote olim Epiſcopus Spoletinus B. Ritæ de Caſſia publicum cultum, merita, & miracula ſatis perſpecta habuerat, Officium, & Miſſam de communi toti Spoletinæ diœceſi, & Ordini Auguſtiniano an. 1627. in ejus honorem conceſſit. Sequenti anno S. Contardi Peregrini Officium cum lectionibus propriis ad totam Ducis Mutinenſis ditionem dilatavit. S. Rochi cultus ſtatim poſt ejus obitum cœptus, & in Concilio Conſtantienſi auctus, poſtmodum Venetiis, Romæ, & alibi ob peſtis timorem, adverſus quam ejuſdem Sancti patrocinium plurimi eſt apnd Fideles, ſummopere invaluit: quare ſacra rituum

rituum Congregatio, inſtante Civitate Matritenſi 30. *Jun.* 1629. *cenſuit, eſſe concedendam Miſſam, & Officium in die S. Rochi de Communi ..... in iis tantum locis, ubi adſunt Eccleſiæ in ejus honorem ædificatæ*. Quod decretum idem Urbanus, teſte Pignatello, mox approbavit. Quæ poſtea conceſſio ſub aliis Pontificibus cum lectionibus, & oratione propriia pro quibuſdam civitatibus, Eccleſiis, & Provinciis aucta fuit.

3 Sub eodem Urbano VIII., ac ſub aliis ejus Succeſſoribus pro particularibus locis, & Ordinibus facultas Officium, & Miſſam in B. Alberti M., & B. Coletæ honorem celebrandi ampliata fuit: & conceſſæ fuerunt lectiones propriæ SS. Bernardi Cardinalis Epiſcopi Parmenſis, Petri Ignei, & Chelidoniæ Virginis. Item baſilicis primum Lateranenſi, deinde Vaticanæ, & Liberianæ Officium cum Lectionibus propriis, & Miſſa conceſſa fuerunt in honorem ſeptuaginta, & octo SS. Romanorum Pontificum, quibus poſtea B. Gregorius X. additus eſt, & quorum viginti octo in univerſa Eccleſia diverſo ritu antea colebantur. Extenſus quoque invenitur B. Petri de Lucemburgo cultus; & Miſſa, & Officium pro B. Eliſabeth S. Ludovici Galliarum Regis ſorore, pro B. Angela de Fulgineo, & pro SS. Joanne Laudenſi Eugubino, & Raynaldo Nucerino Epiſcopis, & cum lectionibus propriis ſecundi nocturni pro SS. Anſelmo Abbate Nonantulano, Flavio Clemente Conſulari, & Martyre, & Petro Urſeolo conceſſa fuerunt, & ritus, & Officii S. Idæ a ſimplici ad ſemiduplicem fuit elevatus.

4 Porro conceſſiones iſtæ in eo fundamentum habuerunt, quod B. Ritæ, & SS. Rochi, ac memoratorum ſeptuaginta octo Romanorum Pontificum, necnon S. Flavii Clementis nomina in Martyrologio Romano antea deſcripta fuerant, ac præterea in honorem B. Ritæ quædam Beatificationis ſolemnia in Eccleſia S. Auguſtini Urbis an. 1628. peracta dicuntur. Et quod ſpectat ad S. Clementem, ejus nomen in Romanum Martyrologium fuit relatum, cum Hannibal Albanus Tituli S. Clementis Presbyter Cardinalis anno 1725. ſacras ejus Reliquias ſub altari ejuſdem Baſilicæ principe invenit. Ad hanc vero claſſem poſſunt recentes referri Officiorum conceſſiones in honorem SS. Anthimi, Serenæ, aliorumque Sanctorum Sabinenſium. Jamvero in hac nominis in Martyrologio deſcriptione vim pro his conceſſionibus conſtitutam fuiſſe ex eo conſtat, quod Siricius Papa, etſi a quibuſdam Scriptoribus inter Sanctos numeretur, Officium tamen, & Miſſam cum aliis SS. Pontificibus non obtinuit, quod ejus nomen in Romano Martyrologio non inveniretur.

5 Ad alios quod attinet, antequam in honorem S. Contardi, BB. Alberti, Coletæ, Petri de Lucemburgo, & Eliſabeth recenſitæ Officii, & Miſſæ facultates concederentur, quædam Officii, & Miſſæ, vel alterius publici cultus Indulta præceſſerant: & conceſſiones B. Angelam, & S. Chelidoniam reſpicientes cultui immemorabili notorio, licet per proceſſum non probato, innixæ fuerunt. De SS. Epiſcopis Joanne Laudenſi, & Raynaldo antea in quibuſdam locis Officium recitabatur; Lectiones vero S. Anſelmi ex antiquo codice a multis Scriptoribus probato depromptæ fuerunt; immo ſacræ rituum Congregationi innotuerat, Officium de communi in ejus honorem alicubi recitari conſueviſſe: & Officii S. Idæ ritus non fuit elevatus, niſi poſtquam conſtitit, lectiones ejus proprias pro Abbatia S. Galli approbatas fuiſſe, & alia ſanctitatis documenta allata fuerunt. Tandem Officii, & Miſſæ conceſſio in honorem S. Petri Urſeoli fundamentum in Hiſtoriis ejus ſanctitatem, & miracula referentibus, & in cultu ejus Reliquiis præſtito, & in ſimilibus habuit.

6 Exempla allata ab Urbani tempore initium deſumunt, eorum nonnulla

nulla illius decretis anteriora ſunt, nonnulla vero poſteriora. Quædam itidem Officii, & Miſſæ extenſionem, ritusque elevationem; & quædam primam eorum conceſſionem reſpiciunt. Atque ex his omnibus exploratum eſſe videtur, poſſe in honorem Beati, qui aliquo ex ſuperius recenſitis modis cultum obtineret, Miſſam, & Officium concedi, quin ullus ſuper caſu ab Urbani VIII. decretis excepto proceſſus conſtructus fuerit, ſed vel exhibitis authenticis primi cultus indultis, vel ex authenticis monumentis cultu immemorabili demonſtrato.

7 Quod ſi dicatur, non omnes memoratas conceſſiones pro æquipollenter Beatificatis, ſed etiam pro vere Canonizatis factas fuiſſe, id utique quoad memoratos ſanctos Pontifices admittitur, qui ante ultimam conceſſionem in universa Eccleſia colebantur, non autem quoad reliquos. Etenim licet Ferrarius *ad 7. Septemb.* aſſerat, S. Joannem Laudenſem a Paſchali II. fuiſſe canonizatum; Scacchus tamen monet, ejus Martyrologii auctoritatem non magni faciendam eſſe. Poſſet item aliqnis aſſerere, omnes in Romano Martyrologio ſub titulo Sancti, vel Beati deſcriptos Sanctis adnumerandos eſſe; ſed id non facile ſuſtineri poterit: incertum quippe adhuc eſt, an, & quem cultum ejuſmodi deſcriptio ſignificet; iiſque titulis in Martyrologio nonnulli decorantur, qui iiſdem ab immemorabili appellati ſunt, quamvis de eorum Canonizatione non conſtet. Et ſane putarunt nonnulli SS. Bernardum Cardinalem, & Petrum Igneum vere canonizatos eſſe; quod Bernardi nomen ſnb titulo Sancti, Petri vero nomen ſub titulo Beati in Martyrologio reperiantur; ſed de hoc Caſtellinus, & Bollandiani merito dubitant. Quidquid de his ſit, ſi aliquis ex ſuperius recenſitis, titulo Sancti in eodem Martyrologio inſignitus ſit, & inter Sanctos aliquo modo vere relatus probetur, ejus exemplum ex ſupra expoſita claſſe erit expungendum; ſin minus, in eadem erit relinquendum; & concludendum, Miſſam, & Officium in honorem Beatorum Beatificatione æquipollenti concedi conſueviſſe, quamquam de hujnſmodi Beatificatione per formalem proceſsum non conſtet.

CAPUT VI.

De conceſſione Officii, & Miſſæ in honorem Sanctorum Canonizatorum.

1. 2 IN omnium fere Beatorum honorem, ſive formali, ſive æquipollenti Beatificatione, Officium, & Miſſa pro determinato loco concedi conſueverunt; ſi vero juxta hodiernam diſciplinam iidem Beati canonizentur, ejuſmodi conceſſiones, Canonizatione expleta, permanent, aut etiam ad alia loca extenduntur. Sed ut in universa Eccleſia Officium, & Miſſa *de præcepto* recitentur, concurrentibus cauſis, nova opus eſt conceſſione. Sanctis quoque juxta antiquiorem ritum canonizatis Miſſa, & Officium aut de communi, aut cum lectionibus propriis conceduntur, de qua re plura in ſacræ rituum Congregationis regeſtis videri poſſunt. Conceſſionis vero cauſæ vel ex pio Populorum affectu deſumuntur, accedentibus Principum inſtantiis, necnon Epiſcoporum petitionibus, pro quorum diœceſibus conceſſiones fiunt, vel ex eo, quod Sancti earumdem diœceſum Epiſcopi fuerunt, vel quod in iis verſati ſunt, & meritis in vita, ac miraculis poſt obitum floruerunt, aut Martyres occubuerunt, aut inſignis eorum Reliquia in iiſdem colitur. Et huc ſpectat recens in honorem SS. diœceſis Sabinæ conceſſio, inter quos S. Laurentius Sabinen. Epiſcop. & Confeſſ. recenſetur, de cujus ſanctitate, & antiqua Canonizatione Joannes VII. in ſuo diplomate ann. 706. edito, & S. Petrus Damiani *in epiſt. ad Nicolaum II.* (*a*), aliiqne teſtantur.

a epiſt. 9. pag. 9. to. 1. oper.

3. 4 Sed ad tollendos abuſus ſacra rituum

rituum Congregatio 16.Jan.1627., & 8.Apr.1628., feſtum, Officium, & Miſſam Sancti in Breviarium non relati celebrari vetuit, præterquam in Eccleſia ejuſdem Sancti titulari, aut in qua inſignis ejus Reliquia aſſervaretur: *inſignes autem Reliquias declaravit eſſe corpus, caput, brachium, crus, aut illam corporis partem, in qua Martyr paſſus eſt, modo ſit integra, & non parva, & legitime ab Ordinariis approbata.* Concordant Apoſtolicæ Gregorii XIII. litteræ 30. Decemb.1573. expeditæ pro Hiſpaniæ Eccleſiis, & monaſteriis, *aliquas inſignes Reliquias* habentibus. Guyet vero notat, cineres, niſi acervum conſtituant, veſtes, aliamque, licet magnæ molis, Sanctorum ſupellectilem, non eſſe inſignes Reliquias. Inſignis itaque Reliquia Officii, & Miſſæ conceſſioni cauſam ſuppeditare poteſt. Et idcirco in eccleſia *Matrice* Toletana plurium Sanctorum Officia, ex Pontificum approbatione, recitantur, quorum inſignes Reliquiæ in eadem aſſervantur. Advertendum tamen eſt, quod ſi magnus ſit numerus Sanctorum alicujus loci, aut quorum inſignes Reliquiæ in aliqua eccleſia aſſervantur, pro aliquibus dumtaxat juxta cit. Gregorii XIII. litteras Officium, & Miſſa concedenda ſunt, ne Officii Divini ordo invertatur. Quapropter ſacra rituum Congregatio, ut hoc abſurdum averteretur, & Sanctorum cultui, ac devotionis zelo ſatisfieret, aliquando indulſit, ut unicum Officium de omnibus Reliquiis in uno monaſterio, vel eccleſia aſſervatis recitaretur, cujuſmodi eſt decretum 20. Aug.1620. editum ſuper Reliquiis monaſterii S. Laurentii in Eſcuriali, & alia pro aliis locis.

5 Verum hic de Officii, & Miſſæ conceſſione pro univerſa Eccleſia in honorem Sanctorum vel juxta antiquiorem, vel juxta recentiorem diſciplinam canonizatorum agimus: hæc autem conceſſio fit vel ad libitum, vel de præcepto. Sed ad vitandam conceſſionum multiplicitatem, decretum ſub Clemente X. 13.Jun.1671. editum eſt, ne per quinquaginta annos de his conceſſionibus in ſacra Congregatione ageretur; cui decreto ſuffragatur aliud a Clemente XI. 4. Maji 1714. editum.

6 &c. Elapſis quinquaginta annis, decreta non fuerunt renovata, non tamen ampla via Officiorum conceſſioni aperta eſt, ſiquidem hujuſmodi conceſſio immodica juxta S. Bernardum (*a*), alioſque, Eccleſiaſticæ non congruit diſciplinæ. Et propterea executione caruit S. Gregorii VII. decretum a Micrologo relatum (*b*), *ut Sanctorum omnium Romanorum Pontificum, & Martyrum feſtivitates ubique cum pleno Officio celebrentur.* Nihilominus cum poſſit ſummus Pontifex ex peculiaribus circumſtantiis antiquæ derogare diſciplinæ, nonnullæ indicandæ ſunt rationes, ſeu motiva, ob quæ in honorem Sanctorum Officia de præcepto univerſæ Eccleſiæ conceduntur. Quamobrem, ſi Beati inter Sanctos relati Religionem aliquam a Sede Apoſtolica approbatam fundaverint, vel propagaverint, quos Fundatores Cornelius a Lapide *in Proverb.8.* ſummis laudibus extollit, congruum eſt, ut eorum Officia ad univerſam Eccleſiam a Sede Apoſtolica extendantur, ut fuſe Pignatellus oſtendit. Quare in decretis univerſalis Officiorum conceſſionis in honorem SS. Joannis Gualberti, Cæleſtini, Philippi Benitii, & aliorum mentio fit fundationis, vel propagationis Ordinis. Si vero Fundatores Beati ſolum ſint Beatificatione formali, vel æquipollenti Officium, & Miſſam in toto dumtaxat obtinent Ordine, quem fundarunt, & in locis ubi nati, vel mortui ſunt, vel ubi eorum corpora requieſcunt.

a epiſt.174. n. 6. oper. vol.1.

b in Bibl. PP. to.18. c.43.

10 Fidei Promotores nonnullas, aliquando in hac materia controverſias excitarunt Proſper Bottinius, cum ageretur de ritu a ſemiduplici ad duplicem de præcepto pro univerſa Eccleſia in S.Cajetani honorem elevando, oppoſuit, cum non fuiſſe Ordinis Thea-

Theatinorum Fundatorem, ſed Theatinos a Paulo IV. dictos eſſe, qui hunc Ordinem, cum Theatinus eſſet Epiſcopus, inſtituit. Verum in Brevi Beatificationis, in univerſali Officii conceſſione, & in Martyrologio Fundatoris titulus S. Cajetano attributus eſt, eique late illum P. Antonius Caracciolus in vita Pauli IV., aliique adjudicant. Ideoque Promotoris oppoſitio efficacia caruit. Theatinorum vero nomen vel ex urbe Theatina, in qua nova Religio floruit, derivatum eſt, vel ex eo, quod Paulus IV., qui eumdem Ordinem cum Theatinum adminiſtraret Epiſcopatum, inter primos ſuſcepit, ad Cardinalitiam poſtea dignitatem evectus Theatini nomen retinuit. Sæpe enim Religiones non a Fundatore, ſed a loco, in quo cœperunt, vel in quo floruerunt, nomenclaturam hauſerunt, uti ſunt Carthuſiani, aliique.

11 Rurſus cum in honorem S. Silveſtri Abbatis Fundatoris Congregationis Monachorum Silveſtrinorum Officium ad univerſam Eccleſiam extendi peteretur, Benedictus XIV. tunc Fidei Promotor inter alia oppoſuit, abſonam eſſe extenſionem ſub obtentu fundatæ Religionis petitam, cum Religio intra paucas Italiæ Provincias contineretur, & pauca monaſteria, paucoſque Monachos haberet. Oppoſitioni ſacra rituum Congregatio adhæſit, ac petitam extenſionem denegavit, ac ſolum poſt aliquot annos, petentibus Picenæ Provinciæ Epiſcopis, illam pro tota hac Provincia indulſit. Porro difficultas hæc, & alia de S. Cajetano probabilitatem aliquam obtinebant, ſed ſtulta prorſus eſt Joannis Boleſii aſſertio, S. videlicet Ignatium non fuiſſe Societatis Jeſu Inſtitutorem, quam proinde aſſertionem Bollandiani (*a*) optime profligarunt.

a to. 7. Julii ad diem 31. n. 146. pag. 437.

12 Eximia erga Sedem Apoſtolicam, & univerſalem Eccleſiam merita fundamentum aliquando ſuppeditarunt, ut ad univerſam Eccleſiam Officia extenderentur; & idcirco S. Henrici Imperatoris Officium a ritu ſimplici ad ſemiduplicem pro univerſa Eccleſia fuit elevatum, & S. Catharinæ Senenſis, ac S. Raymundi de Pennafort Officia univerſæ Eccleſiæ conceſſa fuerunt. Simile fundamentum aliquando publica beneficia interceſſione alicujus Sancti a Deo collata præbuerunt. Hinc propter inſignes de Turcis victorias a Chriſtianis reportatas S. Stephani Hungariæ Regis Officium a ritu ſimplici ad ſemiduplicem *de præcepto* pro univerſa Eccleſia elevatum fuit, & in honorem Sanctiſſimi Nominis, & Roſarii B. M. Virginis Officia ad univerſam pariter Eccleſiam propagata fuerunt, & apud Raynaldum in honorem Transfigurationis D. N. Jeſu Chriſti feſtum cum Officio, & Miſſa per univerſum orbem fuit redintegratum.

13 Aliquando demum Officii, & Miſſæ conceſſio, quæ in bulla Canonizationis pro univerſa Eccleſia facta fuit, & quæ ob rationes alibi indicatas executione caruit, accedentibus Principum, & Epiſcoporum, aut ſpectabilis cœtus precibus innovata fuit, uti in conceſſione in SS. Didaci, & Nicolai de Tolentino honorem contigit. Nonnumquam conceſſiones pro determinatis locis factæ, & identidem ad alia loca extenſæ, ſimilibus accedentibus precibus, ad univerſam Eccleſiam propagatæ fuerunt, ſicuti in Officii, & Miſſæ conceſſione in honorem S. Felicis de Valois, aliorumque, nec non in honorem Dolorum B. M. V. contigit. Preces vero ad hunc effectum exhibitæ in conceſſionis decretis referuntur.

14 Aliæ eſſe poſſunt pro hujuſmodi conceſſionibus circumſtantiæ, ſed cum conceſſio a ſacræ Congregationis conſilio, ſummique Pontificis approbatione pendeat, non omnes exponi poſſunt. Illud tamen non videtur omittendum, quod conceſſio pro univerſali Eccleſia prius ſub ritu ſemiduplici *ad libitum*, inde ſub eodem ritu *de præcepto* fieri deberet, quam ſub ritu duplici recitatio præciperetur, uti ex con-

conceſſionibus in honorem S. Joannis de Deo, aliorumque *in Bullario Clementis XI.* relatis colligitur. Et hunc eſſe ſacræ Congregationis morem, Decreta conceſſionum in honorem SS. Caroli Borromæi, Ignatii, aliorumque oſtendunt. Obſervat enim Guyet, per has ſub ritu duplici conceſſiones præjudicium Officio Dominico inferri. Tandem advertendum eſt, his conceſſionibus locum non eſſe in eorum Sanctorum honorem, quorum nomina in Romano Martyrologio deſcripta non ſunt.

CAPUT VII.

De aliis Officiorum conceſſionibus pro quibuſdam particularibus locis.

1 &c. Nonnullos Guyet recenſet titulos, propter quos propoſitæ conceſſiones pro determinatis locis fieri conſueverunt. Ac primo quidem Reliquiarum inventio titulum ſuppeditat conceſſioni Officii pro eo loco, in quo inventio contigit, quemadmodum ditioni Mantuanæ 20. Jul. 1686. Officium in honorem Sanguinis Chriſti ibi inventi conceſſum eſt. Alterum titulum præbet earumdem rranslatio, de qua re poſſet exemplum Officii tranſlationis almæ Domus Lauretanæ ſufficere; ſed & alia plura ſacrarum Reliquiarum tranſlationis Officia in eccleſia Toletana, in pluribus Religioſorum Ordinibus, & in urbis baſilicis celebrantur. Verum cum Officium tranſlationis corporis S. Paſchalis Baylon peteretur, Benedictus XIV. tunc Fidei Promotor oppoſuit, conſueviſſe quidem concedi Officium, Indulgentias, & ſimilia pro Reliquiarum ab una ad aliam civitatem, vel Eccleſiam, non vero ab uno ad aliud altare intra eamdem Eccleſiam tranſlationibus, cujuſmodi fuit S. Paſchalis tranſlatio; ſed allatis etiam de his a poſtulatoribus exemplis, ſacra Congregatio 2. April. 1718. petitioni annuit. Et ſane in baſilica Vaticana fit cum lectionibus propriis Officium tranſlationis S. Leonis Magni, quæ ſub Clemente XI. ab una ad aliam ejuſdem baſilicæ cappellam facta fuit: & Benedictus XIII. SS. Joannis, & Pauli Reliquiis intra eorumdem baſilicam ſolemniter elevatis, elevationis Officium ſub ritu duplici Presbyteris, & Clericis Congregationis Miſſionis, quibus baſilicæ cura commiſſa eſt, conceſſit.

5 &c. Alius titulus ex beneficiis interceſſione Sanctorum a Deo collatis, vel ex cæleſtium apparitionum prodigiis deſumitur. Ordini quippe Minorum facultas data eſt Officium cum lectionibus propriis recitandi in commemorationem inſignis Indulgentiæ, quam Deus, S. Franciſco orante, Eccleſiæ S. Mariæ Angelorum, ſeu *Portiunculæ* conceſſit, & quam, eodem Sancto juſſu Dei inſtante, Honorius III. plenariam, liberam, ac perpetuam indulſit, uti ex inſtrumento juſſu Conradi Epiſcopi Aſſiſienſis anno 1335. confecto, & ex aliis monumentis, & Hiſtoriis conſtat. Similiter ex ſacræ Congregationis 13. Jun. 1679. Indulto a Clericis Regularibus Congregationis Matris Dei in Urbe Officium proprium cum octava recitatur in commemorationem apparitionis imaginis S. Mariæ *in Campitello*, quæ in ædibus S. Gallæ ſub Joanne I. Pontifice ad Marcelli theatrum intra porticum Octaviæ apparuiſſe dicitur. Item cum in Civitate Piſtorienſi an. 1490. civilibus bellis vexata ſudor non exiguus ex quadam B. Virginis imagine manaſſet, de quo prodigio Epiſcopus una cum Vicario Generali examinatis teſtibus fide dignis, conſtare pronuntiaverat, & Senatus, populuſque Piſtorienſis in ejuſdem prodigii memoriam nonnulla authentica monumenta poſuerant, ſacra rituum Congregatio indulſit, ut de hoc Officium proprium cum Miſſa ſub ritu duplici in civitate, & diœceſi Piſtorienſi recitaretur, lectionibus tamen ſecundi Nocturni ex ſermone S. Bernardi deſumptis, addi-

ta ultimæ lectioni brevi prodigii narratione.

8. 9 Fertur item an. 1178. B. Virgo in civitate Dertuſana cuidam Presbytero apparuiſſe, & cingulum a ſe manufactum reliquiſſe, jubens omnia Epiſcopo, Clero, populoque referri. Hoc cingulum, teſte Thoma Salazar *in Martyrologio Hiſp.*, cum Hiſpaniarum Regina partui proxima eſt, ad ejus Oratorium caute defertur, & in eo collocatur, donec ipſa pepererit. In hujus apparitionis memoriam Officium proprium olim recitabatur, ſed, Breviario a S. Pio V. an. 1568. reſormato, intermiſſum fuit. Epiſcopus tamen Dertuſanus an. 1616. proceſſum ſuper Immemorabili ejus Cinguli cultu confecit. Subſecutis temporibus petita fuit Officii cum lectionibus ſecundi Nocturni propriis redintegratio; & Benedictus XIV. tunc Fidei Promotor oppoſuit, in Ordine Auguſtiniano in commemorationem ſacræ Zonæ, & apparitionis, quæ apud Bergomenſem *in vita S. Monicæ*, & apud alios a B. Virgine veſte nigra induta, & Zona præcincta facta narratur, Officium quidem recitari, non autem proprium, ſed de communi, quamquam ex pluribus Græcorum monumentis credibile ſit, B. Virginem in vita fuiſſe Zona præcinctam. Addidit, eventum illum non ſatis fuiſſe probatum. Quare ſacra Congregatio Officium apud Dertuſanos recitari permiſit, non autem proprium: in qua re prudentiſſime ſe geſſit; nam ſic & cultui immemorabili, & pio petentium affectui ſatis dedit, apparitionem vero minime approbavit.

CAPUT VIII.

De aliis rurſum Officiorum conceſſionibus pro quibuſdam particularibus locis.

1. 2 AD titulum apparitionum paulo ante memoratum pertinet Officium Dedicationis eccleſiæ Metropolitanæ Cæſarauguſtanæ, cujus ſecundæ lectiones bis rejectæ poſt tertiam tandem petitionem approbatæ fuerunt; quod quidem Officium ad totam poſtea Regis Catholici ditionem extenſum fuit, de qua re fuſe Bollandiani agunt (a). Idem Officium apparitionem reſpicit, qua B. Virgo S. Jacobo Majori in Hiſpania ſuper columnam marmoream ſe videndam præbuit, quæ idcirco S. Maria *de Pilar* dicitur, de qua infra.

a to. 6. Julii.

3 Ab egregio aliquo facinore, vel cæleſti chariſmate, quo Sanctus aliquis inſignitus fuiſſet, titulus etiam pro hujuſmodi conceſſionibus deſumi poteſt. Ad primum titulum ſpectat Officium converſionis S. Auguſtini, quod ſacra Congregatio aliquibus in locis recitari indulſit. Ad ſecundum titulum ſpectant ea, quæ ſequuntur. Inter alia S. Tereſiæ chariſmata ejus cor ob Divini amoris incendium ab Angelo dicitur ignito jaculo tranſverberatum fuiſſe. Carmelitæ Diſcalceati Officium proprium hujus tranſverberationis, cujus cicatrix in corde adhuc ſuperſtite apparebat, petierunt. Et Benedictus XIV. tunc Fidei Promotor oppoſuit, cicatricem eſſe probandam, nullumque dari hujuſmodi Officiorum exemplum. Poſtulatores & cicatricem judicialibus probationibus demonſtrarunt, & exempla attulerunt: quamobrem, Benedicto XIII. approbante, Officii conceſſionem obtinuerunt.

4 &c. Eidem Pontifici ſupplicatum fuit, ut Ordini S. Dominici Officium proprium impreſſionis ſtigmatum in corpore S. Catharinæ Senenſis concederetur; idemque Promotor ſenſum ſuum aperire juſſus chariſmatis veritatem ex B. Raymundi Capuani, ejuſdem ſanctæ olim Confeſſarii, & ex aliorum apud Theophilum Raynaudum teſtimonio admiſit. Pius quoque II. in Officio, quod in honorem Sanctæ compoſuit, eorum ſtigmatum meminit, eademque referuntur in Officio, quod in univerſa Eccleſia recitatur. Quare, exemplo Officii tranſverberationis Cordis S. Tereſiæ adducto, petitum Officium in honorem Stigmatum S. Catharinæ

rinæ concedi poſſe dixit. Difficultatem tamen adtexit ex quibuſdam Pontificiis Conſtitutionibus petitam. Nam Sixtus IV., duabus editis Conſtitutionibus, excommunicationis pœnam indixit adverſus eos, qui S. Catharinam Stigmatibus inſignitam fuiſſe aſſererent, aut ejus imagines cum Stigmatibus pingerent, utpote quæ ſolius S. Franciſci propria eſſent. His Conſtitutionibus Fratres Prædicatores in Capitulo Generali apud Peruſiam collecto ſubmiſſionem exhibuerunt, idemque Pontifex in Brevi ad Leonardum de Peruſio Ordinis Prædicatorum Generalem Magiſtrum ſcripto, revocatis pœnis in antecedentibus bullis contentis, ordinationum in eodem Capitulo conditarum obſervantiam præcepit. Innocentius VIII. Sixti IV. ſucceſſor eamdem pœnam adverſus eos comminatus fuit, qui a S. Catharinæ imaginibus ſtigmata abraderent, aut alias ejus imagines cum ſtigmatibus pingerent, veluti refert Caſtellinus. Ferunt quoque, S. Pium V. indulſiſſe, ut eædem imagines cum Stigmatibus pingerentur. Verum Clemens VIII. prohibuit, ne de hac re quidquam innovaretur, aut diſputaretur, donec in ſacrorum rituum Congregatione negotium abſolveretur.

7. 8 Poſt hujus Brevis publicationem Sedulius *in hiſt. Seraph.*, aliique Scriptores Franciſcani exiſtimarunt, S. Catharinæ imaginem cum Stigmatibus pingi poſſe. Et Rotæ Auditores in relat. cauſæ B. Catharinæ de Ricciis faſſi ſunt, tuto de ejuſdem Beatæ Stigmatibus diſſeri poſſe, non obſtantibus Sixti IV. Conſtitutionibus. Immo ſacrorum rituum Congregatio S. Catharinæ Officium ad univerſam extendit Eccleſiam, additis poſtea lectionibus ſecundi Nocturni propriis, in quibus poſtquam rurſum correctæ fuerunt, Stigmatum mentio retenta eſt. Aliæ inter Scriptores ſubortæ ſunt diſputationes, & ſignanter ſuper antinomia inter Sixti IV. Conſtitutiones, & Officium a Pio II. compoſitum. Melchior Canus id ad factum hiſtoricum refert; Theophilus vero Raynaudus, aliique putant, Sixtum IV. vetuiſſe, ne S. Catharinæ Stigmata S. Franciſci Stigmatibus aſſimilarentur. Brevius dicendum eſt, prohibuiſſe, ne S. Catharinæ Stigmata adſtruerentur, *donec Sedes Apoſtolica hoc approbaret*, quod etiam de Stigmatibus S. Franciſci olim cautum fuerat, veluti cit. Auditores, aliique proſequuntur: itaut merito liber P. Petri Sanchez Arroyo Minor. Convent., cui titulus, *Dialogo traumatico Regolar* proſcriptus fuerit. Quare Benedictus XIII. Officium eorumdem Stigmatum cum lectionibus ſecundi Nocturni propriis Ordini Prædicatorum conceſſit, quod ſubinde ad civitates, & diœceſes Senenſem, & Piſanam fuit extenſum.

9 Sacris Stigmatibus S. quoque Catharina de Ricciis, & B. Lucia Narnienſis ambæ ex Dominicana familia decoratæ fuerunt, quorum quidem Stigmatum mentio fit in Officio proprio, quod Ordini Prædicatorum, aliiſque locis conceſſum, die earum Beatarum recitatur. Solius vero S. Catharinæ Stigmata die, & Officio diſtinctis recoluntur; ideoque hoc dumtaxat exemplum ad rem præſentem pertinet.

CAPUT IX.

De Officiorum conceſſione ex iiſdem titulis facta pro Eccleſia univerſali.

1. 2 SAcrarum Reliquiarum inventionem ſuperius diximus cauſam aliquando fuiſſe, cur pro locis particularibus in Sanctorum honorem Officium concederetur. Aliquando tamen cauſa eadem ad Officium Eccleſiæ univerſali concedendum impulit.

3 Porro refert Marcellinus Comes *in chron.*, ſacra S. Stephani Lipſana a Luciano Sacerdote, Dei monitu retecta fuiſſe, quorum partem Oroſius pro-

preſbyter ſecum in Occidentem deferens, S. Auguſtino, aliiſque Epiſcopis impertivit. Hinc religio in Occidentem cum Reliquiis ipſis penetravit, ac teſte S. Auguſtino, plurimæ S. Stephani ædes conſtructæ, & in his plurima prodigia patrata fuerunt. Cum autem idem S. Doctor narret, Anconæ a pio Chriſtiano unum ex lapidibus, quibus S. Stephanus percuſſus fuerat, relictum fuiſſe, & idcirco in ejus honorem Eccleſiam ibi ædificatam fuiſſe, ex hoc Tillemontius putat, feſtum inventionis S. Stephani profluxiſſe, quod quidem feſtum in Eccleſia univerſali cum Officio, & Miſſa celebratur.

4 S. Placidus Ordinis S. Benedicti Monachus cum aliis pluribus in monaſterio prope Meſſanam a Manucha pirata ob Fidei confeſſionem occiſus fuerat, quorum corpora, cum diu ignota permanſiſſent, tandem ſæculo 16. in eccleſia S. Joannis Baptiſtæ civitatis Meſſanenſis inventa ſunt. Archiepiſcopus Meſſanenſis ſuper his proceſſum confecit, quo a ſacra Congregatione Concilii interprete, Sixti V. juſſu, examinato, cum de corporum identitate, aliiſque rebus geſtis conſtitiſſet, idem Pontifex eorum nomina in Martyrologio deſcribi, eorumque memoriam in Eccleſia univerſali ſub Officio ſimplici juſſit celebrari.

5 Inſignes pariter eventus, & apparitiones hujuſmodi conceſſioni aliquando profuerunt. Præter alias B. M. Virginis feſtivitates, celebratur Dedicatio eccleſiæ S. Mariæ ad Nives, quam Liberius Pontifex, & Joannes Patritius Romanus in ea Exquilini collis parte ædificarunt, quam æſtivo tempore nive contectam viderunt, cujus rei hiſtoriam, quidquid alii dubitent, Baronius, aliique admittunt. Præterquamquod jamdiu hoc feſtum cum Officio, & Miſſa in univeſa Eccleſia agitur. Huc etiam Officium, & Miſſa ſanctiſſimi Roſarii ſpectant, quæ Clemens XI. ad univerſam Eccleſiam extendit ob inſignem victoriam de Turcis in Hungaria relatam, & ob Corcyram eorumdem obſidione liberatam, dum Chriſtifideles Roſarium recitarent.

6 &c. Eadem ſanctiſſima Virgo S. Petro Nolaſco, & S. Raymundo de Pennafort, & Jacobo Aragoniæ Regi apparens, ſibi, Filioque acceptiſſimum fore indicavit, ſi in ſui honorem pro captivis de Turcarum poteſtate liberandis Religioſorum Ordo inſtitueretur. Paruerunt ipſi, ac indicatum Ordinem excitarunt, quarto Religioſis impoſito voto, manendi in pignus apud Infideles, ſi opus fuerit, pro Chriſtianorum redemptione. Ac Zumel, aliique probant, hunc Ordinem ab aliis per hoc quartum votum diſtingui. Hujus apparitionis hiſtoriam Bernardus Vargas, aliique referunt, & approbant; ſed validiora fundamenta pro eadem ſuppeditant Acta S. Petri Nolaſci, & S. Raymundi Canonizatio, hujuſque epiſtola eidem S. Petro ſcripta, cujus epiſtolæ veritatem contra quorumdam opinionem Ordinarius Barcinonenſis vindicavit. In tanti igitur beneficii, & inſtitutionis memoriam Officium prius eidem Ordini B. Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum, mox aliquibus Regnis cum lectionibus propriis; tandem univerſæ Eccleſiæ conceſſum fuit.

10 Fertur itidem Beatiſſimam Virginem B. Simoni Stok apparuiſſe, & *Scapulare*, quod Carmelitarum Ordinis inſigne eſſet, exhibuiſſe, ac ſe promiſiſſe Scapularis ſociis in Purgatorio degentibus opem allaturam. Putavit Mendoza, privilegium B. Virgini conceſſum eſſe damnatos etiam ab Inferis extrahendi, ſed eum Card. Capiſucchius late redarguit. *Scapularis* quoque traditionem Launojus, & Papebrochius pluribus impugnarunt; verum tum bullæ Sabbatinæ, tum rerum dictarum veritas apud Theophilum Raynaudum vindicantur. Officium vero B. M. Virginis de Carmelo, quod pluribus locis cum lectionibus propriis conceſſum fuerat, petente Chriſtianiſ-

ſimo

ſimo Rege, ad ejus dominium, tum ad univerſam Eccleſiam propagatum eſt.

11 Notiſſimum quoque eſt Stigmatum S. Franciſci prodiginm; hoc enim S. Bonaventura, aliique fuſe deſcribunt, & Gregorius IX, aliique Pontifices Conſtitutionibus ſuis expreſſe illud teſtati ſunt, impoſita pœna adverſus eos, qui eorum Stigmatum veritati refragarentur. Porro Benedictus XI. horum Stigmatum feſtum inſtituit, peculiare autem eorum Officium antea Minorum Ordini indultum, ſub Paulo V. ad univerſam Eccleſiam dilatatum fuit.

12 Alia quoque Sanctorum Officia in Eccleſia univerſali ob peculiares circumſtantias recitantur diſtincta ab iis, quæ certis quibuſdam diebus in eorum fiunt honorem. Eccleſia itaque univerſa S. Joannis Baptiſtæ non ſolum mortem, ſed etiam nativitatem ſpeciali Officio recolit, eo quod ipſe in utero matris ſanctificatus fuerit, multaque in ejus ortu prodigia contigerint. Græci ejuſdem quoque conceptionem colunt, de quo feſto plura apud Bellarminum legi poſſunt. *Eccleſia vero*, ait S. Auguſtinus (*a*), *ſolos duos natales celebrat, hujus* (S. Joannis Baptiſtæ), *& Chriſti*. Ex quo Suarez infert, tunc nondum fuiſſe nativitatis B. M. Virginis feſtum inſtitutum. Et Spinellius ſubdit, hoc feſtum ſubinde inſtitutum fuiſſe, cum B. Virgo inamiſſibili ſanctitate prædita fuerit.

a ſerm. 287. alias de diverſ. 40. c. 2. n. 1.

13. 14 Præter feſtum SS. Apoſtolorum Petri, & Pauli, quod cum Officio, & Miſſa 29. *Jun.* celebratur, qua die teſtatur Prudentius (*b*) duas Miſſas, alteram in baſilica S. Petri, in S. Pauli baſilica alteram a ſummo Pontifice olim celebratas fuiſſe, peculiare in Eccleſia univerſa feſtum agitur Vinculorum S. Petri, ut cujus eſt in ligandis, atque ſolvendis præcipua in Eccleſia poteſtas, ejus etiam Vincula a cunctis Fidelibus in honore habeantur, veluti Card. Baronius *in not. ad Martyrol.* (*c*) pie advertit. In ſecundis vero Officii lectionibus, quod pro hoc feſto extat in Breviario a Card. Henrico de Thiard de Biſſy Epiſcopo Meldenſi edito, narratur, Pontifices limaturam ex his catenis cruculis, vel clavibus incluſam ad alios Principes mittere ſolitos fuiſſe. Et Sigebertus refert, Theodoricum Metenſem Epiſcopum, cum quemdam Othonis Imperatoris familiarem, tactis illis catenis a furore liberatum vidiſſet, earum annulum a Joanne XIII. magna contentione obtinuiſſe, & in Galliam aſportaſſe. Cathedræ præterea Romanæ, & Antiochenæ feſtum cum Officio, & Miſſa Eccleſia univerſa peragit; & primæ quidem Cathedræ celebritatem Romæ fere obliteratam Paulus IV. reſtituit. Demum præter S. Pauli Commemorationem, ejuſdem quoque Converſionem cum Officio, & Miſſa Eccleſia veneratur. In quibuſdam Martyrologiis S. Pauli dumtaxat Translationis mentio fit: ſed in aliis communiter Converſionis feſtum annuntiatur, quod cum eſſet jam antiquatum, Innocentius III. reſtituit.

b periſteph. 12. v. 57.

c ad diem 1. Auguſti.

15 De S. Joanne Apoſtolo duo quoque feſta Eccleſia univerſa celebrat, quorum unum eſt in memoriam ejus prodigii, quo S. Joannes Romæ in ferventis olei dolium miſſus incolumis ſervatus eſt, cujus rei antiquum ante portam Latinam extat monumentum, idemque feſtum in Martyrologio S. Hieronymi, & in aliis monumentis exhibetur. Alii ſunt in Græcorum Menæis tituli, ob quos in Eccleſia Græca Officia peculiaria recitantur. Recolitur enim in iis memoria Conciliorum generalium, & Patrum, qui ipſis interfuerunt: necnon magni terræmotus, qui ſub extremum Theodoſii junioris imperium contigit: itemque natalis urbis Conſtantinopolitanæ, quam Bollandiani (*d*) referunt a Conſtantino B. M. Virgini fuiſſe dicatam, de quo ritu plura legi poſſunt in vita Leonis IV., qui Leoninam Urbem a ſe conditam Eccleſiaſtico ritu dedicavit.

d ad diem 11. Maii p. 611. to. 2.

CA-

CAPUT X.

De conceſſione Officiorum propriorum.

1 &c. IN antecedentibus capitibus hanc Officiorum propriorum, ſive pro particularibus Eccleſiis, ſive pro Eccleſia univerſali conceſſionem obiter attigimus; ſequitur ergo, ut nunc de ea fuſius agamus. Olim Officii pars eſſentialis in ſolius Pſalterii lectione conſiſtebat: S. Gregorius antiphonas addidit; Monachi deinde lectiones inſeruerunt. Jam vero Officium proprium ſtricte dicitur, vel cum lectiones ſecundi Nocturni propriæ in eo leguntur, in quibus ejus Sancti res geſtæ referuntur, in cujus honorem Officium, & Miſſa celebratur, vel cum præter lectiones proprias, Hymni quoque, Antiphonæ, & Reſponſoria propria leguntur. De horum antiquitate plura apud Frontonum legi poſſunt. Verum ſacrorum rituum Congregatio, teſte Card. Bellarmino, olim ſenſit, a peculiaribus horum conceſſionibus eſſe abſtinendum. Et quoad lectiones quidem proprias decrevit, ne de his Regularium admitterentur petitiones, *niſi fuerint ſpecialiter decretæ ab eorum Capitulo Generali.* Item ne admitterentur Monialium Ordinariis ſubjectarum, neque aliarum Communitatum petitiones, *niſi cum inſtantiis Ordinariorum* conjunctæ eſſent. Addidit, lectiones non eſſe a Cardinali Deputato examinandas, niſi ipſa petitionibus annuerit; Deputatus vero *lectiones reviſas referre debebit a .... Congregatione approbandas*. Præterea per manus uniuſcujuſque Cardinalis ſuper earum approbatione ſuffragaturi mittendæ ſunt una cum documentorum indicio, ex quibus deſumptæ fuerunt. Quæ ſane omnia multo magis obſervanda ſunt ſuper lectionum propriarum pro univerſali Eccleſia approbatione.

5 Monet Guyet, lectiones proprias de Sanctis canonizatis tuto ex Actis, aut bullis Canoniz. deſumi poſſe. Verum ex aliis etiam probatis monumentis hauriri poterunt; ſed ex dictis Actis, vel bullis deſumptæ ulteriori non indigent examine. Proceſſus quoque, & Breve Beatificationis ſimiles lectiones in honorem formaliter Beatorum pro particularibus Eccleſiia ſuppeditabunt. Sed difficultas eſt de lectionibus propriis in honorem Sanctorum juxta antiquiorem diſciplinam canonizatorum, vel in honorem Beatorum Beatificatione æquipollenti, de quorum virtutibus, aut martyrio, & miraculis neque proceſſus, neque bullæ Canonizationis extant, ideoque lectiones ex Hiſtoricis, ſimilibuſque monumentis petendæ ſunt. Agobardus Lugdunen. Epiſcopus affirmat, in Divinis Officiis ſolam ſacram Scripturam eſſe admittendam. Sed id Card. Bona, aliique inter errores recenſent. Ad levandum ſiquidem tædium, quod continuus Pſalmorum cantus afferre poterat, dudum in Divinis perſolvendis laudibus orthodoxorum Doctorum expoſitiones, & Sanctorum Acta legi conſueverunt, quamquam olim non erant, uti nunc ſunt, in Breviariis digeſta, veluti probat Martene. Et ſane in baſilica Vaticana *Paſſionaria*, ſeu *Sanctoralia* adhuc extant, quæ inter Divina Officia olim legebantur. Et hæc, Bollando teſte (*a*), in monaſteriis etiam conſervabantur.

6. 7 Porro S. Bernardus enixe inculcat (*b*), lectiones Sanctorum proprias in Divinis Officiis ſumma diligentia, & ingenuitate eſſe adornandas. Quare ſi aliquis ex SS. Patribus vitam, & miracula ejus ſcripſiſſet, in cujus honorem Officium proprium pro particulari, vel pro univerſali Eccleſia conceditur, tuto ex hoc fonte lectiones hauriri poterunt. Profecto lectiones propriæ SS. Theodori baſilicæ Vaticanæ Manſionarii, & Marcellini Epiſcopi, & Conſtantii Manſionarii Eccleſiæ Anconitanæ ex Dialogorum libris S. Gregorii deſumptæ ſunt. His monumentis deficientibus, lectiones ex Hiſto-

a In præf. ad acta SS. to. 1. Januar. C. 1. §. 4.

b epiſt. 398 vol. 1. col. 358.

Hiſtoricis probatis, & quantum fieri poteſt contemporalibus, juxta ea, quæ *lib.3.* de Hiſtoricis notavimus, peti poterunt. *Probatis*, inquam, aliqui enim pium exiſtimant pro religione mentiri: quod acriter Card. de Aguirre, & antea S. Petrus Damiani (*a*) rejecerunt. Hiſtoricis deficientibus ex inconcuſſæ traditionis monumentis lectiones deſumi poterunt, in quo quanta fuerit ſacrorum rituum Congregationis prudentia, ex ſubjectis exemplis palam fiet.

a to.2. oper. pag. 185. ed. Pariſ. 1664.

De Officio conceſſo pro civitate Mantuæ, aliiſque locis in honorem Inventionis Sanguinis Jeſu Chriſti.

8. 9 Petente Carolo M., S. Leo III. Pontifex (a Pio II. in comment. appellatur Leo II, a Doneſmundo autem Leo IX. dicitur) Mantuam ſe contulit, & Chriſti Sanguinem ibi repertum recognovit, atque probavit, uti præter citt. referunt Baronius (*b*), Quareſmius, alliique. Idem vero Doneſmundus addit, ejus ſanguinis particulam ad Urbem ab eodem Pontifice delatam fuiſſe, & in baſilica Lateranenſi repoſitam. Et Bonamens Aliprandus in ſuo poemate, ſeu verius in Chronico Mantuano refert, Sanguinem Chriſti Mantuæ inventum, illuc a S. Longino fuiſſe delatum, & in viridario S. Andreæ ſepultum. At cum nulla adſint Pontificia diplomata, quæ aſſerant, hunc ſanguinem e Chriſti latere fluxiſſe, & Concilium Nicænum 2. (*c*), & Martyrologium Romanum (*d*) teſtentur, Beryti in Syria Chriſti imaginem a Judæis fuiſſe crucifixam, ex eaque copioſum ſanguinem manaſſe, idque a Sigeberto in chron. *ad an. 765.* referatur, idcirco multi exiſtimant, ſanguinem Mantuæ inventum illius eſſe partem, qui ex eadem imagine, non qui e Chriſti corpore defluxit. Et ſane Molanus probat, nihil *ex carne, & ſanguine Chriſti in mundo inveniri, niſi illud, quod .... per manus Sacerdotum .... efficitur.* Et S. Thomas docet (*e*), totum ſanguinem, qui de corpore Chriſti fluxerat, cum ad veritatem humanæ naturæ pertineret, in corpore Chriſti reſurrexiſſe: quamquam alii putant, aliquas ejus guttulas ad corporis integritatem non pertinentes in terris remanſiſſe. Legi poteſt Card. de Lugo. Et Honoratus a S. Maria fuſe oſtendit, Chriſti ſanguinem, qui Mantuæ, & alibi colitur, non e Chriſti corpore, ſed ex imagine Berytenſi manaſſe, quod etiam ſtatuit de Chriſti lacrymis, quæ in quibuſdam coluntur Eccleſiis.

b ad ann. 804. n. 1.

c action. 4.

d ad diem 9. Novemb.

e 3. part. q. 54. art. 2. ad tertium.

10 Quidquid de his ſit, gravem hiſtoria Mantuana ingerit difficultatem; in ea enim narratur, poſt inventum Chriſti ſanguinem corpus S. Longini, qui corpus Chriſti lancea percuſſit, reſoſſum fuiſſe; difficulter autem intelligitur, quomodo ejus oſſa, qui juxta Romanum Martyrologium Cæſareæ in Cappadocia martyrium ſubierat, Mantuam cum ſanguine Chriſti translata fuerint, uti obſervant Bollandiani (*f*), qui tamen ſimul notant, hinc nullum afferri præjudicium cultui, qui ſacro cruori Mantuæ exhibetur. Quod vero ad Officium Mantuæ, aliiſque locis in honorem Inventionis Sanguinis Chriſti conceſſum ſpectat, advertenda eſt ſacræ Congregationis prudentia; in eo enim antiphonæ propriæ, lectiones autem ex ſermone S. Cypriani leguntur; in oratione mentio fit inventionis, ſed nihil de S. Longini corpore, aut de ſanguinis qualitate dicitur. Baronius putat (*g*), Centurionem, qui Chriſti divinitatem in ejus morte confeſſus eſt, appellatum fuiſſe militem, qui Chriſti latus lancea aperuit.

f ad diem 14. Maii in vita SS. Longinorum MM. §. 3. n. 11.

g ad ann. 34. n. 131.

De conceſſione Officii Translationis almæ Domus Lauretanæ.

11 Hujus Officii propriæ lectiones ſecundi Nocturni ex ſermone S. Bernardi deſumptæ ſunt, quarum ſextæ additur, *Pontificiis diplomatibus, & totius orbis veneratione, tum continua miraculorum virtute* comprobatum eſſe,

hanc

hanc domum *eamdem ipſam eſſe, in qua Verbum caro factum eſt*. Ex quo ſane prudentia ſacræ Congregationis elucet, cum in harum lectionum approbatione ejuſmodi diplomatibus, & fundamentis innitatur, de quibus nullum ſubeſſe dubium poteſt.

12. 13 Ad hanc vero domum quod attinet, Card. Baronius affirmat (*a*), ipſam *Angelorum miniſterio ab Infidelium manibus* vindicatam, *in Dalmatiam primum, inde .... in agrum Lauretanum Pieeni provinciæ* fuiſſe translatam. De qua re plura legi poſſunt apud Caniſium, alioſque apud Antonium Sandinum.

a ad ann. 9. §. 1.

14 &c. Nonnulli, ut hanc impugnent mirificam translationem, ſacram illam ædem ante translationem contendunt dirutam fuiſſe, idque ex eo probare conantur, quod Adamannus Monachus teſtetur, Eccleſiam, ubi ædes erat, ædificatam fuiſſe; & Urbanus IV. in epiſtola S. Ludovico Franciæ Regi ſcripta affirmet, quod *profanus hoſtis ... venerandam eeeleſiam Nazarenam, infra cujus ambitum Virgo Virginum ſalutata per Angelum, de Spiritu Sancto concepit, ... redegit ad ſolum*. Verum hæc, & ſimilia antecedentem non probant ſacræ ædis deſtructionem. Joannes quippe Phocas, qui Terram ſanctam an. 1185., vel 1193. deſcripſit, eamdem ædem per ea tempora conſervatam fuiſſe teſtatur. Enim vero potuit Ecelesia in loco, ubi ædicula erat, ædifieari, eademque a Barbaris deſtrui, quin ea domus pars, in qua B. Virgo ab Angelo ſalutata fuerat, dirueretur, veluti Raynaldus notat. Idque ut melius intelligatur, advertendum eſt cum Caniſio, B. Virginis parentes facultatibus utique non ampliſſimis inſtructos fuiſſe, ſed neque turpiſſima ægeſtate laboraſſe, & B. Virginem hæredem unicam in bona parentum ſucceſſiſſe. Et ſane Nicephorus apud eumdem Caniſium refert, Joſephum, & Mariam in Nazareth domicilium, ſubſtantiam, & poſſeſſionem propriam habuiſſe: adeoque veriſimile admodum eſt, domum eos habuiſſe, ſuæ conditioni aptam, ejuſque partem, reliquis dirutis perſtitiſſe, & ab Angelis transferri potuiſſe. Et Papebrochius quidem *in reſponſione ad P. Sebaſtianum a S. Paulo* oſtendit, ædiculam, *qualis hodiedum Laureti conſpicitur*, appendicem fuiſſe majoris domus, ſive cubiculum, in quo B. Virgo, Hebræorum more, ſeorſim a viri habitatione degebat, & in quo ſive ſponſa, ſive nupta fuerit, ſive in paterna domo, ſive in S. Joſephi domo habitaverit, de qua legi poteſt a Lapide (*b*), ab Angelo ſalutata fuit. Et ſane cubiculum a Baptiſta Mantuano, & ab aliis apud Tertullianum appellatur, quod profecto non univerſam domum, ſed ejus partem deſignat. Quod ſi cubiculi nomine integra ædes intelligatur, vis tamen argumenti non corruit, cum in hac materia totum pro parte ſæpe uſurpetur; quemadmodum Columna, ad quam Christus flagellatus fuit, Romam deportata eſſe dicitur, quamquam nonnulli ex S. Hieronymo (*c*) hanc ejus columnæ partem dumtaxat eſſe exiſtimant.

b in Matth. c. 1.

c epiſt. 108. col. 691. to. 1.

De conceſſione Officii, & Miſſæ in honorem B. Virginis
de Pilar.

17 Pro Officio dedicationis Eccleſiæ Cæſarauguſtanæ petita fuit lectionum propriarum ſecundi Nocturni conceſſio, in quibus referebatur, B. Virginem adhuc viventem S. Jacobo Majori in Hiſpaniam profecto ſuper columnam marmoream apparuiſſe, ibique Eecleſiam ſibi ædificari juſſiſſe. Hæc autem apparitio antiquiſſimæ ſcripturæ, pluriumque Hiſtoricorum, ac Pontificiorum diplomatum auctoritate comprobatur. Porro Benedictus XIV. tunc Fidei Promotor, quamquam ſciviſſet, Card. Baronium, alioſque de S. Jacobi in Hiſpanias adventu dubitaſſe, ab eodem tamen adventu impugnando conſulto abſtinuit, cum inter alia advertiſſet, narrationem de S. Jacobi

cobi in Hiſpanias adventu, ac de ejuſdem in iiſdem regionibus prædicatione, quæ ſub Clemente VIII. in Breviario ad ſolam Hiſpaniarum traditionem redacta fuerat, ſub Urbano VIII. fuiſſe abſolute reſtitutam.

18. 19 Oppoſuit tamen ex Card. de Aguirre, improbabile admodum eſſe, B. Virginem, humilitate præcellentem, eccleſiam ſibi adhuc viventi erigi juſſiſſe. Et quod ad Pontificia ſpectat diplomata, animadvertit, illam B. Virginis apparitionem in iis occaſione conceſſionis Indulgentiarum, & confirmationis privilegiorum referri, non autem approbari. Plura Poſtulatores repoſuerunt ex inconcuſſa traditione, & ex Card. Baronio (*a*) deſumpta. Sed tandem novas exhibuerunt lectiones ex S. Bernardi *ſermone 6. de Eccl. dedic.* petitas, & ſolum in fine ſextæ lectionis addebatur, ex antiqua traditione haberi, B. Virginem S. Jacobo in Hiſpaniis apparuiſſe, eique injunxiſſe, *ut Sacellum extrueret*; ipſum vero ædiculam in ejus honorem dedicaſſe. Et ita lectiones approbatæ fuerunt [illegible]

a in not. ad Martyrol. Rom. die 9. Octob.

20 Hinc ſacræ Congregationis pietas, & prudentia elucent. Pietas quidem, cum traditionem in Hiſpaniis receptam non improbaverit: prudentia vero, cum Eccleſiæ ædificationem B. Virgini, Eccleſiæ vero dedicationem in ejus honorem, non ipſi, ſed S. Jacobo potius adſcripſerit. Diximus libro primo, neminem adhuc viventem canonizari poſſe, cumque adverſus hanc aſſertionem difficultas excitata eſſet ex templis in B. M. Virginis adhuc viventis honorem erectis petita, huc reſponſionem amandavimus. Dicimus itaque, narrationem dedicationis horum templorum non eſſe ab Eccleſia definitam, ſed tantum permiſſam; neque ex ea argumentum pro alterius viventis Canonizatione deſumendum eſſe, *cum dignitas propemodum infinita* (verba ſunt Card. de Aguirre) *& ſanctitas incomparabilis .... & puritas .... exigant quaſi jure ſuo ſpecialem aliquem cultum, nulli alteri mortalium conceſſum.*

De Officio in honorem Sanctiſſimæ Virginis Roſarii.

21 Sanctiſſimi Roſarii inſtitutionem alii ad Apoſtolos, & ſignanter ad S. Bartholomæum; alii ex Sozomeno (*b*), & Palladio (*c*) ad antiquiſſimos Eremi Patres; alii ad S. Benedictum, aut ad Ven. Bedam, aut ad Petrum Eremitam civem Ambianenſem, aut ad Ven. F. Alanum de Rupe Ord. Prædicatorum referunt. At cum Roſarium ex centum, & quinquaginta Angelicis ſalutationibus, oratione Dominica, vitæque Chriſti myſteriis identidem interjectis componatur, profecto nemini ex recenſitis ejus inſtitutio adſcribi poteſt. Enimvero Sozomenus, & Palladius ſolum referunt, olim orationes per calculos numeratas, & repetitas in uſu fuiſſe, ſed hoc expoſiti Roſarii uſum non probat. Ad alios quod attinet, S. Benedicti, & Ven. Bedæ tempore ſalutatio Angelica in uſu non erat, cum Odo Pariſienſis Epiſcopus ann. 1196. inter primos illam Orationi Dominicæ, & Symbolo addendam eſſe ſtatuerit. Quis fuerit Petrus Eremita, incertum eſt apud Scriptores, & Mabillonius notat, ei per errorem tribui Roſarii inſtitutionem. Ven. Alanus Roſarii potius reſtitutor dici poteſt, uti ex ejus opere *de Pſalt. Chriſti, & Mariæ* colligitur.

b lib. 6. Hiſtor. Eccleſ. c. 29.

c in hiſtor. Lauſiaca c. 23.

22. 23 Quamobrem ſolus S. Dominicus ſanctiſſimi Roſarii auctor fuit; veluti fuſe Malvenda, Spondanus, aliique demonſtrant; cui aſſertioni antiqua monumenta, & adminicula, ac præcipue Alexandri IV, Leonis X., S. Pii V, Gregorii XIII, aliorumque Pontificum Conſtitutiones robur adjiciunt.

24 Hæc vero fuſe Benedictus XIV. olim Fidei Promotor adduxit, cum an. 1725. in ſacrorum rituum Congregatione de lectionibus ſecundi No-

ſturni propriis Officii ſanctiſſimi Roſarii B. M. Virginis pro univerſa Eccleſia concedendis ageretur. Porro earum lectionum prima, ejuſdem Congregationis prudentiam demonſtrat, eum in ea non definiendo, ſed exponendo ad S. Dominicum Roſarii inſtitutio referatur; de qua quidem inſtitutione plura apud Bollandianos (*a*) legi poſſunt.

a ad diem 4. Aug. in vita S. Dominici.

De Officio S. Ildefonſi Archiepiſcopi Toletani.

25 Sacræ rituum Congregationi ſupplices preces porrectæ fuerunt, ut S. Ildefonſi Officium pro omnibus Hiſpaniarum Regnis, in quibus antea ſub ritu duplici minori recitabatur, ad duplicem primæ claſſis cum Octava elevaretur, & ad univerſam Eccleſiam ſub ritu duplici extenderetur. Card. Colloredus hujus cauſæ Relator in ſuo ſuffragio in eadem Congregatione prolato innuere viſus eſt, petitioni eſſe annuendum, cum S. Ildefonſus inter celebriores Eccleſiæ Scriptores numeretur.

26 Sed cum lectiones proprias particularibus Eccleſiis conceſſas, ſi ad univerſam extendendæ ſint Eccleſiam, iterum expendi oporteat (aliquid enim admitti poteſt in lectionibus pro particularibus Eccleſiis, non vero pro Eccleſia univerſali) & in lectionibus pro Hiſpaniarum Eccleſiis antea approbatis legeretur, S. Leocadiam S. Ildefonſo ad ejus ſepulcrum oranti e ſarcophago apparuiſſe, eique dixiſſe: *O Ildefonſe, per te vivit Domina mea, quæ cæli culmina tenet*; (S. quippe Ildefonſus Deiparæ Virginitatem ab Elvidianis oppugnatam vindicaverat) idem Card. Relator, attenta apparitionis veritate, & verborum incertitudine, ac improprietate, in eodem ſuffragio a ſacra Congregatione quæſivit, utrum lectiones cum expoſitis verbis in univerſa Eccleſia promulgandæ eſſent, an potius emendandæ.

27 Sacra Congregatio verba illa expungenda eſſe cenſuit. Inſtantia autem renovata, Benedictus XIV. tunc Fidei Promotor addidit, S. Leocadiam, cum ejus corpus quæreretur, orante S. Ildefonſo, e tumulo proſiluiſſe, tuncque aſtantes verba illa, *Per te, Ildefonſe, vivit Domina mea* protuliſſe, quaſi dicere voluerint; *Ex meritis tuis, Ildefonſe, quaſi rediviva nobis apparuit S. Leocadia Domina noſtra*, ut proinde priora verba in utriuſque Sancti laudem prolata dicenda ſint, non autem ad B. M. Virginem pertinere, uti ex S. Ildefonſi vita apud Bollandianos (*b*) colligitur. Reliqua autem verba, *quæ cæli culmina tenet*, non eſſe attendenda idem Promotor ait, cum in eadem vita, & in S. Leocadiæ lectionibus deſiderentur. Idcirco ſacra Congregatio lectiones emendari juſſit. Verum cum in Hiſpaniis traditio de iiſdem verbis vigeret, indulſit, ut S. Ildefonſi Officium cum prædictis lectionibus propriis omnia illa verba continentibus, ſub ritu duplici ſecundæ claſſis cum octava ad omnia Hiſpaniæ ditionis regna extenderetur, uti ex decreto 25. *Maii* 1726. edito apparet.

b ad diem 23. Januar

De aliis ejuſmodi Officiis in honorem B. M. Virginis conceſſis.

28 S. Lucas in epiſt. *ad Coloſſ.* 4. Medicus dicitur. Sed pictor quoque fuiſſe fertur. Et ſane nonnullæ extant B. Virginis Imagines, quæ ab ipſo pictæ dicuntur. Et Theodorus Lector refert (*c*), unam ex iis ab Eudocia ad Pulcheriam miſſam fuiſſe. Hæc Patri Serry diſplicent, qui tamen a Card. Gotto, aliiſque bene confutatur.

c lib. 1. c. 1. ex recenſ. Henrici Valeſii pag. 551.

29 Difficulter tamen ſtatui poteſt, an imagines, quæ a S. Luca Evangeliſta depictæ circumferuntur, ejus vere opus fuerint. Tillemontius putat, eas ab alio Luca fuiſſe depictas. Et Baillet non probari ait, imaginem a Theodoro memoratam a S. Luca factam fuiſſe.

30 In baſilica Liberiana una ex his imaginibus colitur, quam S. Gregorius M.

rius M.

rius M. tempore peſtilentiæ ad S. Petrum celebri ſupplicatione detulit, & in ejus honorem ab ejuſdem baſilicæ Clero Officium recitatur, in cujus lectionibus ſecundi Nocturni, a ſacra Congregatione approbatis, picturæ a S. Luca factæ mentio fit, ſed ad traditionem refertur, quod etiam in lectionibus apparitionis S. Mariæ in Porticu, & in lectionibus B. Mariæ de Carmelo ſervatum eſt; quæ quidem relatio aſſertionem minuit, ſimilibuſque conceſſionibus viam ſternere poteſt, veluti Proſper Bottinius, olim Fidei Promotor animadvertit, cum approbatio Feſti Delationis Imaginis S. Dominici in Suriano peteretur.

CAPUT XI.

De Titulis Apoſtoli, *aut* Doctoris, *quibus nonnulli Sancti appellantur in Divinis Officiis, aut in particularibus Eccleſiis, aut in Eccleſia univerſali.*

1 INter Apoſtolos a Chriſto electos, *Primus Simon, qui dicitur Petrus*, *Matth.* 10. conſulto collocatur, *ad inſinuandum*, ait Card. Cajetanus, *valde præſtare ad Chriſtianam notitiam ſcire primatum Petri.* His poſtea Matthias, Paulus, & Barnabas adnumerati ſunt: quin etiam Sulpitius Severus (*a*), aliique S. Martinum Apoſtolis parem fuiſſe prædicant; ſed per piam dumtaxat hyperbolem, cum juxta S. Thomam (*b*), alioſque, Apoſtoli poſt Chriſtum, B. Virginem, & S. Joannem Baptiſtam ceteros antecellant. Ad hyperbolem quoque referenda ſunt, quæ de S. Baſilio S. Gregorius Nyſſenus prædicat, quod *ſi eodem tempore, quo Paulus, vixiſſet Baſilius ..... ita prorſus una cum Paulo litterarum monumentis celebratus eſſet*. Idem dicendum eſt de Nicolai Cabaſilæ aſſertione, qui SS. Baſilium, Nazianzenum, & Chryſoſtomum Apoſtolos vocat, & Evangeliſtas.

a epiſt. 1. pag. 39.

b ſuper c. 1. ad Epheſ. lect. 3.

2. 3 Hic vero quæritur, an aliquis Sanctus, qui aliquam nationem ab infidelitate ad Chriſti Fidem converterit, cognominari poſſit ejus nationis Apoſtolus, non quidem ſimpliciter, ſed minus proprie, & ad ſimilitudinem Apoſtolorum, qui a Chriſto cooptati fuerunt. Porro affirmative reſpondendum eſſe videtur, juxta Theophilum Raynaudum, dummodo ſummi Pontificis auctoritati cognomen hoc innitatur.

4 Idque ſuadetur primo, quia alii in ſacris Scripturis, præter eos, qui a Chriſto vocati fuerunt, appellantur Apoſtoli, uti videre eſt in epiſt. ad *Rom. c.* 16., 2. ad *Cor.* 8., & ad *Philip.* 2., quod præter Theodoretum (*c*) Petavius obſervat, qui etiam contra Salmaſium, & Caſaubonum Apoſtolatus notas conſtituit in munere, ſive proxime a Deo collato, ſive hominum miniſterio, propagandi ubique Evangelium, in perfectiſſima poteſtate ubique ligandi, & ſolvendi, & Epiſcopos, ac Clericos initiandi: ita tamen, ut hæc poteſtas in S. Petro, ejuſque Succeſſoribus fuerit ordinaria, in aliis vero extraordinaria. Et Cornelius a Lapide (*d*) oſtendit, Apoſtolatum non tantum miſſionem, ſed officium etiam, poteſtatem, & dignitatem ſummam in Eccleſia ſignificare: omneſque Apoſtolos S. Petro tamquam capiti fuiſſe ſubjectos.

c pag. 183. to. 3.

d in cap. 1. in epiſt. ad Roman.

5 Secundo, quia de S. Martiali Epiſcopo Lemovicenſi, qui a S. Petro in Gallias miſſus, Lemovicenſes, alioſque populos ad Chriſtianam pietatem adduxit, in duobus Conciliis Lemovicenſibus definitum eſt, eum appellandum eſſe Apoſtolum, quod etiam a Joanne XIX. definitum eſſe, Spondanus teſtatur.

6 Tertio, quia in Martyrologio Romano S. Severinus Abbas 8. *Jan.*, S. Bonifacius Epiſcopus Moguntinus 5. *Jun.*, S. Gerardus 24. *Septemb.*, & S. Franciſcus Xaverius 3. *Decemb.* Apoſtoli titulo decorantur, quod ad aliquas nationes Evangelium propagarunt. Similia de aliis in Breviario Romano habentur.

Digitized by Google

7 Ferunt, S. Martialem non amplius in iis Eccleſiis coli ut Apoſtolum, in quibus juxta Conciliorum, & Joannis XIX. reſolutiones Apoſtoli cultum antea obtinuerat. Sed diſtinguendum eſt inter Apoſtoli titulum, quo quis in Martyrologio, & in ſermonibus decorari poteſt, & Officium Eccleſiaſticum de eo tamquam Apoſtolo celebrandum. Quod ſpectat ad primum, extant exempla ſuperius recenſita. Quoad ſecundum vero animadvertit Guyet, neminem, præter Apoſtolos a Chriſto deſignatos, eoſque, qui cum ipſis in Evangelii prædicatione laborarunt, aut ab iiſdem miſſi Fidem primi in aliquas regiones invexerunt, Officio, Apoſtolorum ritu eſſe colendum. Et ſane nullum hujuſce rei in ſacrorum rituum Congregatione exemplum extat. Quamobrem nemini, præter nominatos in ſacra Scriptura, expedit, ut cultus ſub Apoſtolorum ritu decernatur, ut late Card. de Lauræa oſtendit.

8 &c. Sequitur, ut de *Doctoris* titulo agatur. Doctorum mentio fit ad *Ephes.* 4., itemque apud S. Cyprianum (*a*), & Tertullianum (*b*). Et a Codino, Cedreno, Glyca, aliiſque illuſtria referuntur de Doctoribus, qui in eccleſia Orientali floruerunt. Verum hic non de Doctoribus, qui in Eccleſia fuerunt, ſed de ipſius Eccleſiæ Doctoribus agitur. Hi vero *in cap. Glorioſus de Reliq., & vener. SS. in 6.* numerantur SS. Gregorius, Auguſtinus, Ambroſius, & Hieronymus, quibus poſtea S. Thomas de Aquino a S.Pio V, & S.Bonaventura a Sixto V. additi ſunt.

a epiſt. 24. ad Clerum Carthagin.

b in lib. de Præſcript. c. 14.

13 Ad conſtituendum Eccleſiæ Doctorem tria requiruntur, nempe eminens doctrina, inſignis vitæ ſanctitas, ac ſummi Pontificis, vel legitimi Concilii Generalis declaratio, uti bene Annatus docet.

14 Hiſce argumentis Benedictus XIV., dum Fidei Promotorem agebat, uſus eſt, ſi in alicujus Sancti honorem Officium, & Miſſa cum titulo, Evangelio, & Antiphona Doctoris a ſacrorum rituum Congregatione peteretur. Etenim cum ſimilis petitio in S. Petri Damiani honorem pro Eremitis, & Monialibus Ord. Camaldulenſis proponeretur, animadvertit, ejus nomen non eſſe in Martyrologio Romano deſcriptum, ejuſque doctrinam a Card. Bellarmino non probari, præcipue quod *lib. 4. epiſt. 9.* S. Leonem IX. ob bellum adverſus Normannos geſtum reprehenderit. Quare ſacra Congregatio 28. *Jan.* 1719. petitioni annuit, rejecta tamen Doctoris prærogativa. Similia contigerunt, cum ſimilis petitio in honorem S. Ludgeri propoſita fuit; eodem ſiquidem Promotore opponente, de illius doctrina non verificari, quæ de Eccleſiæ Doctoribus Bonifacius VIII. in *cap. Glorioſus* aſſeruit, quod ſcilicet errores profligaverit, obſcura, & dubia explanaverit, & ſcripturarum ænigmata reſeraverit, Congregatio eadem 3. *Mart.* 1721. in ejus Officio Doctoris inſignia non admiſit.

15 Admiſit vero in honorem S. Anſelmi, cum hujus Officium conceſſit, ut in univerſa Eccleſia *ex præcepto* recitaretur. Antea enim apud Benedictinos, & Ciſtercienſes ſub titulo Doctoris, Officio a ſacra Congregatione approbato colebatur, & a Card. de Aguirre elogia collecta fuerant, quibus Romani Pontifices, Virique inſignes ejus ſanctitatem, & doctrinam exornarant. Similia in honorem S. Iſidori 25. *Apr.* 1722. conceſſa ſunt, utpote qui ex litteris Apoſtolicis Gregorii XIII. in quibuſdam locis tamquam Doctor jam colebatur, eumque S. Leo IV *in can. de libellis, diſt.* 20. inter Doctores recenſuerat, & ſub Bonifacio VIII, cum de primis quatuor ſuperius recenſitis Doctoribus ageretur, nonnulli, teſte Mariana, S. Iſidorum S. Ambroſio præferendum, aut iiſdem quatuor accenſendum eſſe exiſtimaverant.

16 De hac materia actum eſt etiam pro S. Leandro S. Iſidori fratre, ac pro S. Fulgentio Epiſcopo Carthaginienſi. Porro S. Leander in Martyrologio Ro-

mano

mano ad 7. *Febr.* dicitur Viſigothos ad Fidem Catholicam revocaſſe, ejuſque ſanctitas, & doctrina a S. Iſidoro fratre (*a*), & a S. Gregorio M. ſummopere extollitur, & ex aliis monumentis colligitur. Ideoque Officium, quod de ipſo, tamquam Doctore in diœceſibus Hiſpalenſi, & Carthaginienſi recitabatur, ad totam Regis Catholici ditionem 25. *Apr.* 1722. fuit extenſum. Quod vero ſpectat ad S. Fulgentium, laudatus Promotor ex Nicolao Antonio oppoſuit, ſolido non niti fundamento, quæ de ipſo in exhibitis lectionibus referebantur, eum nempe Græcæ, Syriacæ, Hebraicæ, & Latinæ linguæ peritum fuiſſe, plura edidiſſe volumina, & ſimilia. Addidit, ejus nomen non eſſe in Martyrologio Romano deſcriptum; licet enim 1. *Jan.* adſit S. Fulgentii nomen, hoc tamen non eſt S. Fulgentii Aſtigitani Epiſcopi, ſed alterius Fulgentii Epiſcopi Ruſpenſis, ac proinde huic non illi tribuenda eſſe opera; quæ ſub S. Fulgentii nomine circumferuntur. Quare, correctis lectionibus, Officium cum Evangelio, *Vos eſtis ſal terræ*, ad totam Hiſpaniam, titulo Doctoris omiſſo, 23. *Jan.* 1723. extenſum fuit, qui tamen titulus ad iteratas preces paulo poſt fuit permiſſus.

a in lib. de viris illuſtrib. c. 41.

CAPUT XII.

In quo alia adduntur de Titulo Doctoris, *alia autem exponuntur de Titulo* Martyris, *& de Titulo* Virginis.

1 &c. CUM ſacræ rituum Congregationi ſupplices preces pro Doctoris titulo, in S. Ildefonſi Archiepiſcopi Toletani honorem obtinendo, exhibitæ fuiſſent, ſæpe laudatus Fidei Promotor eum ſanctitate floruiſſe, & ſcriptis Eccleſiam illuſtraſſe admiſit: monuit tamen ejuſdem doctrinam, quod Christum dixiſſet Filium Dei adoptivum ſecundum carnem, graviter in Concilio Francofordienſi fuiſſe perſtrictam, cum ab Elipando pro eodem falſo aſſumpto allegaretur. Subdidit vero, hoc S. Ildefonſi dictum benignam mereri interpretationem, quod ſcilicet non duas in Chriſto, Neſtorianorum more, perſonas, ſed duas naturas diſtinguere voluerit, ſumendo improprie naturam per perſonam, veluti S. Hilarii dictum, *carnis humanitas adoptatur*, S. Thomas (*b*) explicat. Nonnulli in S. Hilario *adoratur* legendum eſſe putarunt; ſed *adoptatur* legitur in omnium antiquiſſimo Hilariano codice, qui in Archivo baſilicæ Vaticanæ aſſervatur. Cumque impoſtor quidam in eo *adoratur* doloſe concinnaverit, plures graves viri, Clementis XI. juſſu, fraudem recognoverunt, & authentico ſcripto ad perpetuam rei memoriam teſtati ſunt. Addidit Promotor, alios etiam Patres ſimili modo locutos fuiſſe. Sed tandem his propoſitionibus rem totam abſolvi poſſe putavit.

b 3. par. qu. 23. ar. 4.

4 &c. Prima eſt: Felicem Urgellitanum, & Elipandum Toletanum aſſeruiſſe Chriſtum Filium Dei adoptivum, ſed incertum adhuc inter Theologos eſſe, an cum Neſtorio unitatem *perſonalitatis* in Chriſto negaverint. Secunda: S. Ildefonſum huic errori non adhæſiſſe, ut ex ejus libro *de Virginitate S. Mariæ* abunde conſtat. Tertia: Concilium Francofordienſe conditionate dumtaxat Ildefonſi, aliorumque doctrinam improbaſſe, ſi nimirum ea fuiſſet, qualis ab Elipando pro ſuo errore allegabatur, uti Cardinales Baronius (*c*), & de Aguirre advertunt. Ultima propoſitio eſt: celebriores Scriptores aſſeruiſſe, Ildefonſum ab Elipandi errore, non obſtante Francofordienſi cenſura, immunem fuiſſe; ita ſcilicet, præter citatos, Petavius, Thomaſſinus, aliique demonſtrant.

c ad ann. 794. n. 6. & ſeqq.

8 Tandem ait Promotor, Officium in ejus honorem non eſſe ſub ritu Doctoris concedendum, & ad Eccleſiam univerſalem extendendum, cum in Officiis propriis Toletanæ diœceſis, & Ordinis Ciſtercienſis S. Ildefonſus cultum

Digitized by Google

tum dumtaxat Confeſſoris Pontificis haberet. Ideoque ſacra Congregatio 25. Maji 1726. Officium proprium omnibus Regi Catholico ſubjectis locis ſine Doctoris titulo indulſit.

9 Sed ut omnia in unum colligamus, ſtatuendum eſſe videtur primo, conceſſionem tituli Doctoris quoad SS. Gregorium, & ceteros, quos ſuperius ſimul recenſuimus, anteiviſſe Officii, & Miſſæ ſub eodem titulo conceſſionem pro univerſa Eccleſia: ſecundo, S. Joannem Chryſoſt., alioſque eumdem integrum cultum in univerſa Eccleſia obtinere, quin antea Doctores declarati fuiſſent: tertio, quibuſdam hunc cultum cum Evangelio, & Oratione tantum exhiberi, ut S. Hilario, vel cum Antiphona tantum, ut SS. Athanaſio, & Baſilio: quarto, nonnullos ex bis in particularibus Eccleſiis integro Doctoris Officio coli: quinto, ſacram Congregationem aliquando titulum Doctoris pro Officio in quibuſdam diœceſibus recitando conceſſiſſe in ſequelam immemorabilis cultus, quem Sancti ſub Doctoris titulo in iiſdem locis poſſidebant: ſexto, Officium Doctoris a Confeſſoris Officio numquam ſeparari: tandem, nonnullos, pro quibus in eorum Canonizatione Officium ſub titulo Doctoris conceſſum fuerat, in univerſali tamen Eccleſia coli dumtaxat tamquam Confeſſores Pontifices, quod ex alibi dictis pro Officio in univerſa Eccleſia nova poſt Canonizationem declaratio requiratur, uti de SS. Antonino, Bernardo, aliiſque conſtat.

10 Reliquum eſt, ut aliqua de Martyris, & Virginis titulis addantur. Bonus Latro, qui cum Chriſto cruci affixus ab eo audivit, *hodie mecum eris in paradiſo*, in Occidentali, & Orientali eccleſia colitur, *Dimas*, aliiſque nominibus in quibuſdam monumentis appellatur, ſed hæc apocrypha ſunt, & in Religione B. Mariæ de Mercede Officium proprium ſub nomine dumtaxat S. Latronis ex Sixti V. conceſſione obtinet. Eumdem PP. Piorum Operariorum Congregatio in Patronum ſibi cooptavit, unde, & memoratum S. Latronis Officium ad ſe extendi petiit. At Benedictus XIV. tunc Fidei Promotor id admittendum non eſſe oppoſuit: nam licet prima Officii conceſſio facta ſub titulo Confeſſoris non Pontificis fuerit, dubitari tamen poterat, an tamquam Martyr colendus eſſet: multi ſiquidem illum Martyrem fuiſſe prædicant, quod propter Chriſti confeſſionem crurifragium, & mortis accelerationem paſſus fuiſſet. Sed verius S. Auguſtinus (a), aliique Martyrium illi abjudicant, cum crurifragium, & mortem non propter Chriſti Fidem, ſed propter ſua facinora ſuſtinuerit, uti etiam Gloſſa *in can. Impoſtura 58. diſt. 1. de Pœnit.* adnotavit. Et in hoc ſenſu ſacrorum rituum Congregatio 23. Septembr. 1724. petitam extenſionem indulſit.

a l.4. contra Donatiſt. n. 29. col. 139. 10. 9.

11 Bergomi S. Grata colitur, quæ in quibuſdam monumentis Virgo dicitur, quamvis conjugata fuerit. Porro Officium de communi Virginum in ejus honorem Bergomi recitabatur; & in ſacræ rituum Congregationis regeſtis 19. Decembr. 1615. adnotatum reperitur, Officium S. Gratæ de eodem communi recitari poſſe *abſque lectionibus propriis de hiſtoria*. Et merito: nam in Martyrologio Romano pluries correcto, non Virgo, ſed Vidua appellatur. Quamobrem cum virum certo habuerit, ut vere Virgo dici poſſet, neceſſario probandum fuiſſet, virginitatem in matrimonio ab ea ſervatam fuiſſe. Virgo forte dici potuiſſet eo pacto, quo S. Humbelina in Menol. Ciſtercienſi S. Bernardi ſoror, quæ ex conjugio ad monaſterium convolavit, Virgo appellatur, ea nempe ſignificatione, qua omnes, quæ cum virginibus in monaſterio degebant, Virginis nomen obtinuerunt.

12 Cum de Officii, & Miſſæ conceſſione in B. Luciæ de Narnia tamquam Virginis honorem ageretur, idem Promotor inter alia oppoſuit, eam non eſſe tamquam Virginem colendam,

dam, cum matrimonio juncta fuiſſet. Poſtulatores tamen ex Hiſtoricis, virorumque gravium teſtimonio virginitatem in matrimonio ab ea ſervatam fuiſſe demonſtrarunt. Cumque aliæ, ſervata in matrimonio virginitate, tamquam Virgines colerentur, Benedictus XIII. 5. Febr. 1729. Officium, & Miſſam de communi Virginum diœceſibus Narnienſi, Viterbienſi, ac Ferrarienſi, necnon univerſo Prædicatorum Ordini conceſſit. Pro hac quippe conceſſione Eccleſia judicium non interponit definitivum, quoad perſonarum qualitatem, ſed ſatis ei eſt, ſi fundamenta adſint, quæ virginitati faveant, ut Tanner advertit. Idem forte dicendum eſſet de iis, quæ vim paſſæ in ſtuprum non conſenſerunt. Viri ſancti, etſi virginitatem cuſtodierint, titulo tamen virginis non coluntur, cum peculiares alios cultus titulos obtineant. Et quamquam in illo Apocalypſ. 14. *Hi ſunt, qui cum mulieribus non ſunt coinquinati &c.* mares, & feminæ juxta Cornelium a Lapide (*a*) comprehendantur; & apud Tertullianum (*b*) viri magis, quam feminæ ob virginitatem honorandi ſint, retinenda tamen eſt Eccleſiaſtica diſciplina de ſolis feminis ſub ritu Virginum colendis: quamquam utriſque juxta D. Thomam (*c*) par erit in cælis aureola.

a In c. 14. Apocalypſ. v. 4.

b lib. de veland. Virginib. c. 10.

c In 4. ſent. diſt. 49. qu. 5. ar. 3. ad 7.

CAPUT XIII.

De Breviario Romano, & ejus auctoritate, aliiſque nonnullis rebus, quæ ad Officia Divina pertinent.

1 OFficia, & Miſſæ univerſali Eccleſiæ conceſſa in Breviarium, & Miſſale Romanum inferenda ſunt.

2 Ferunt, Patres Franciſcanos in Apoſtolicis Miſſionibus Officia quædam compendioſa recitaſſe, quæ propterea Breviarium appellata fuere. Hoc vero Breviarium Haymo Franciſcanorum Generalis correxit, correctum vero Gregorius IX. confirmavit. Rodulphus Tungrenſis, aliique teſtantur, hoc ipſum Officium paulo poſt in Capella Papæ, inde Nicolai III. juſſu in omnibus Urbis eccleſiis, antiquioribus libris proſcriptis, uſurpatum fuiſſe. Verum de hac Rodulphi aſſertione Pagi junior dubitat, cum ex *epiſt. apolog.* Petri Abaelardi *adverſus S. Bernardum* deſumatur, diu ante Officium in Urbis eccleſiis fuiſſe abbreviatum. Et Du-Cange ex Breviario Caſinenſi circa an. 1100. ſcripto colligit, Breviarii nomen ſolis olim Rubricis, poſtea toti Officio fuiſſe attributum.

3 Menda in Breviarium Romanum irrepſerant, & particularia Breviaria in nonnullas diœceſes introducta fuerant. Quamobrem de Breviario emendando, eodemque ubique adhibendo cogitatum fuit, veluti etiam Carolus V. Auguſtæ Vindelicorum propoſuit. Negotium hoc a Paulo IV. ſtrenue inceptum, & a Pio IV. ad Tridentinos Patres, ab his vero ad eumdem Pontificem remiſſum, tandem a S. Pio V. peritis adhibitis viris, feliciter abſolutum eſt, uti ex ejus *Conſtit.* 14. deſumitur, in qua alia Breviaria proſcripſit, niſi in eorum inſtitutione a Sede Apoſtolica approbata, aut per ducentos annos fuiſſent in uſu. Quare, eodem S. Pio annuente, baſilica Vaticana antiquum ſuum Breviarium retinuit.

4. 5 Præſcripſit S. Pius V., ne quid Breviario adderetur, aut detraheretur. Nihilominus aliorum incuria, vel audacia factum eſt, ut errores in illud irreperent. Quare Clemens VIII., ac poſtea Urbanus VIII. per eruditos viros, inter quos Gavantus fuit, Breviarium iterum recognoverunt, & emendarunt. Porro Breviarii Romani ſuper omnia aliarum Eccleſiarum Officia præſtantiam ingenue Grancolas teſtatur; & Concilium Rotomagenſe an. 1581., aliaque ſubinde Gallicana Concilia ſtatuerunt, Breviaria ad Conſtitutionis S. Pii V. præſcriptum emendanda

4. 12

danda eſſe. Quod ſane antiquiori Gallicanæ conſonat diſciplinæ; nam Toletanum Concilium an. 633. habitum decrevit, unum per Hiſpaniam, & Galliam orandi, & pſallendi modum ſervandum eſſe. Et Pipinus, & Carolus M. perfectæ cum Sede Apoſtoliea conſenſioni ſtudentes, Officia Romana in Galliam invexere, velnti Echardns, aliique referunt.

6. 7 Nihilominus nova quotidie Breviaria in quibuſdam ultra montes diœceſibus eduntnr. Grancolas cit. auctor aſſerit, S. Pium V. non intendiſſe, ut Breviarium a ſe correctum ubiqne ſuſeiperetur. Et Pontas paulo audaeius Breviarii reformationem Epiſeopis adjudicat, cum quo conſentit Van-Eſpen, qui tamen addit, ubi Romanum Breviarum receptum eſt, attendendam eſſe S. Pii V. Conſtitutionem. Et in hoc fere ſenſu alii quoque locuti ſunt. Sed tutius eſt, ut Epiſeopi in his Sedem conſulant Apoſtolicam, cum in nonnulla Breviaria ab ipſis edita errores aliquando irrepſerint ſanæ doctrinæ adverſantes. Quod autem Romanum Breviarium correctum ſpectat, Grancolas cit. cenſet, nonnullas lectiones emendandas, aliaque immutanda eſſe. Verum Gavantus teſtatur, perdiffieile Cardinalibus Baronio, & Bellarmino viſum fuiſſe in correctione ſecundarum lectionum, in quibus Sanctorum hiſtoriæ referuntur, omnia ad hiſtoriæ veritatem revocare. Hinc nonnulli apud Honoratum a S. Maria anſam arripuerunt aſſerendi, Breviarium fabulis eſſe refertum, ejuſque auctoritatem in factis hiſtoricis eſſe ſpernendam: alii contra, impium, & quaſi hæreticum eſſe dicunt, iis, quæ in Breviario referuntur, refragari.

8 Inter hæc tuto aſſeri poſſe videtur, facta hiſtorica in Breviario Romano relata, & approbata non modicam obtinere auctoritatem; non autem vetitum eſſe, ne modeſte, & cum gravi fundamento difficultates de iis excitentur, & Sedis Apoſtolicæ judicio ſubjiciantur. Ita ſane Bollandiani (a) profeſſi ſunt, cum accuſarentur, quod de Actnrum S. Venantii ſinceritate dubitaverint, ex quibus ejus Sancti lectiones in Breviario componuntur. Et Papebrochius adverſus errores ſibi in ſimilibus a P. Sebaſtiano a S. Paulo oppoſitos, ſe tutatus eſt exemplo Emmanuelis a Schelſtrate, qui de S. Dionyſio Areopagita cnm Breviario Romano non omnino conſentit; itemque exemplo Card. Vincentii Mariæ Urſini, poſtea Benedicti XIII., qui pariter de S. Bartholomæi Apoſtoli corporis translatione ad Urbem, a Breviario diſſentit. Legi poſſunt Guido Grandus Abbas Camaldulenſis, & Calmet, qui de hac materia ſolide ſcripſerunt. Addi poſſet, S. Marcellini Papæ lapſum iu Breviario memorari, quod tamen factum a multis commentitium reputatur, uti apud Bollandianos, Tillemont., alioſque legi poteſt. Quare Janningus *Continuator* Bollandianus de factis hiſtoricis, quæ aliquando in Offieii lectionibus a ſacrorum ritunm Congregatione approbatis occurrunt, fatetur, *ex ejuſmodi approbatione hiſtoriis auctoritatem accedere*, poſſe tamen de pluribus impune diſputari, ut, an S. Dionyſius Areopagita in Gallias a S. Clemente I. miſſus fuerit, & ſimilia, quæ in Breviario leguntur.

9 Poſt hæc pro complemento nonnulla de Officiis duplicibus, & ſemiduplicibus, de *Octavis*, ac de preeibus novendialibus ſubjicienda ſunt. Jamvero Bonifacius VIII. *in cap. un. de Reliqu. & vener. SS. in 6.* duodecim Apoſtolorum, quatuor Evangeliſtarum, & quatuor Doctorum feſta ſub Officio duplici, ubique celebranda eſſe decrevit. Quamquam ipſe ejuſmodi Officiorum diſtinctionis, & ritus auctor non fuit, ut ex eodem *capite* colligitur.

10 De *Octavis* fuſe Guyet, aliique rituum tractatores agunt, qui proinde legi poſſunt. Gavantus eorum originem a Tabernaculorum feſto, de quo *Levit.* 23. repetit. Beati *Octavæ* cultu coli

a ad diem 18. Maji.

coli nequeunt, niſi expreſſa accedat Sedis Apoſtolicæ facultas, ut idem Guyet teſtatur, & ut ex Alexandri VII. decretis an. 1699. editis, & *lib. 1. c. 37.* relatis deſumitur. Et ſane ex ſpecialibus circumſtantiis in honorem BB. Petri Armengol, Bernardi Ptolomæi, & ſeptem Fundatorum Ordin. Servorum B. M. Virginis Octavæ a ſummis Pontificibus conceſſæ reperiuntur.

11 De Novendialibus in honorem Sanctorum ſupplicationibus fuſe P. Prola Societatis Jeſu agit. Numquam vero de his in ſacrorum rituum Congregatione, quod ſciatur, actum eſt. Solum binæ occurrunt Clementis XI. litteræ Apoſtolicæ de novendialibus in Capella S. Joſephi ſita in Eccleſia S. Ignatii in Urbe peragendis.

12 &c. In Bullis Canoniz. SS. Franciſci Xaverii, Franciſci Saleſii, aliorumque plurium miracula referuntur poſt novendiales preces ſecuta. Et Guilelmus Gumppeuberg ſcribit, B. M. Virginem de Novendio Matriti in Hiſpania hoc titulo appellatam eſſe, *quia obſervatum eſt, novem omnino dies requiri, ut quis, quod vult a Deipara, hic impetret*. Porro improbandæ preces novendiales non ſunt; ſed ad ſuperſtitionis ſuſpicionem avertendam obſervetur, ue vis in novenario numero præciſe conſtituatur. In vitis ſiquidem SS. Bononii Abbatis, Mauri Cæſenatenſis, & aliorum miracula, etiam poſt triduanas preces obtenta leguntur; Deus enim, quando, & quoties vult, preces exaudit. Diximus *part. 1. c. 14.*, S. Humberti Epiſcopi Leodienſis interceſſionem adverſus rabidorum canum morſus conferre. Ea autem, ut proſit, novendiales inſtitutæ ſunt preces, quas Theologi, & Examinatores Leodienſes an. 1690. approbarunt. Gerſonius tamen eas diu ante tamquam ſuperſtitioſas improbaverat, præcipue ob nonnulla, quæ novem iis diebus agenda præſcribuntur. Sed hæc quidam S. Humberti Monachus apud Petrum le Brun. *in hiſt. crit. ſuperſt.* ab omni vindicare ſuperſtitione conatus eſt. Commendandæ itaque ſunt novendiales preces, dummodo quæcumque abſit vana obſervantia, ſed omnia in Dei, Sanctorumque honorem referantur.

CAPUT XIV.

De Electione Sanctorum in Patronos.

1 &c. Antiqua, & pia Provinciarum, Urbium, aliorumque locorum apud Theophilum Rayn. conſuetudo eſt, unum, aut plures Sanctos in Patronos eligendi. Et ante Urbani VIII. decretum etiam Beati, ſive *formaliter*, ſive *æquipollenter* Beatificati, vel ipſa rituum Congregatione annuente, eligebantur, cujus rei plura apud Bollandianos exempla legi poſſunt. Electio autem a Civitatum Decurionibus, irrequiſito Epiſcopi, & Cleri conſenſu, perficiebatur.

4. 5 Anno autem 1630. ſacra rituum Congregatio, Pontifice annuente, ſtatuit, ut Sancti in Patronos eligerentur, non vero Beati, dum hi neque Eccleſiarum *Titulares* eſſe, neque *Octava*, Patronorum more, aut quacumque cultus ſpecie coli poſſint. Item, ut Electio, quæ a Civitatibus fit per ſecreta populorum ſuffragia, neque a ſolis locorum Officialibus, ſed a Conſilio generali perficeretur, cum electio hæc ſit voti nuncupatio, quo pupulus feſti obſervantiæ ſub peccato ſe obſtringit. Idem ſervandum eſſe decrevit, ſi Regni Patronus eligeretur, nempe, ut electio per ſecreta populorum ſingularum Civitatum ſuffragia fieret: ſimulque prohibuit, ne electiones a Regnorum, Civitatum, aliorumque locorum Repræſentantibus fierent, niſi ipſi ſpeciale mandatum ad hoc haberent. Addidit, ut in his electionibus Epiſcopi, & Cleri conſenſus interveniat, idque quoad Epiſcopos tam *ſtricte* præcepit, ut, Sede vacante, novi Epiſcopi conſenſus ſit expectandus. Quoad Clerum vero ex praxi debet Cleri etiam Regularis

conſenſus accedere, idque ob plures cauſas, quarum una eſt, quod etiam Regulares Officium, & Miſſam de Patronis celebrant. Tandem ſtatuit, ut cauſæ electionis Patronorum in eadem Congregatione expendantur, & approbentur, niſi aliter Pontifici videatur. Porro omnia hæc in Patronorum ſive principalium, ſive minus principalium electione obſervanda ſunt, niſi quod pro electione Sanctorum in Patronos quorumdam Communium, ut Ordinum Equeſtrium, aut Regularium, ſufficiunt eorum vota, qui Commune repræſentant, & obligare poſſunt. Et hoc modo Minimorum Ordo S. Michaelem in Patronum elegit, electionem vero Clemens X. confirmavit. Eodemque modo Epiſcopi apud Sinas Vicarii Apoſtolici S. Joſephum in Miſſionum Sinenſium Patronum elegerunt, confirmavitque Innocentius XI.

6 &c. Vetitum itaque eſt, ne Beati in Patronos eligantur. Nihilominus Carolo Hiſpaniarum Rege, & Marianna Regina petentibus, Clemens IX. Roſam Limanam tunc ſolum Beatam, Limæ, & Peruvii, ac poſtea totius Americæ, Philippinarum, & Indiarum: & Stanislaum Koſtkam tunc pariter dumtaxat Beatum, totius Poloniæ, & Magni Ducatus Lithuaniæ, Michaele Rege, Archiepiſcopis, Epiſcopis, & Senatu Poloniæ petentibus, Patronos principaliores declaravit. Præterea ſacrorum rituum Congregatio Orontii, Juſti, & Fortunati in Civitatis Licienſis Patronos; item Chunegundis in Poloniæ, ac Lithuaniæ Patronam, electionem confirmavit; qui quidem omnes ſolum Beatificati Beatificatione æquipollenti dici poſſunt. Porro in hac confirmatione non fuit Decreto ſuperius expoſito derogatum, cum electio illud præceſſerit: derogatum vero illi fuit in BB. Roſæ, & Stanislai electione: ſed. ob peculiares circumſtantias, nempe ob majorem Dei laudem, Divinique cultus augmentum. Accedit, quod B. Roſa prima ex Indiis Occidentalibus cultum obtinuit.

11 His exceptis circumſtantiis in exemplum non facile adducendis, inconcuſſum ſemper idem Decretum permanſit. Cumque Carolus II. Hiſpaniarum Rex S. Joſephum in ſuorum Regnorum Patronum elegiſſet, non ſervata in electione forma, quæ in eodem Decreto præſcribitur, electionemque Ven. Innocentius XI. Litteris Apoſtolicis in forma Brevis confirmaſſet, exorta ſubinde ſuper hoc Brevi controverſia, ipſaque ad ſacrorum rituum Congregationem delata, hæc 31. *Auguſti* 1680. reſpondit, *non ſuffragari Breve, attenta inobſervantia Decretorum ipſius ſacræ Congregationis*, quod quidem reſponſum idem Pontifex confirmavit. Hæc autem ita geſta ſunt, quia de electionis confirmatione controverſiæ, ut dictum eſt, excitatæ fuerunt; niſi enim controverſiæ ortæ fuiſſent, Decreto etiam ſuper Cleri, populique conſenſus defectu derogatum fuiſſet, uti alias factum eſt.

12 In eccleſia Caſtri Tarregæ diœceſis Celſonenſis duæ ſpinæ Coronæ Chriſti conſervari dicuntur: cum vero de iis in ejuſdem Caſtri Patronas eligendis actum fuiſſet, & in ſacrorum rituum Congregatione dubium invaluiſſet, an id fieri poſſet, Congregatio eadem rem in peculiari congreſſu expendi juſſit.

13 &c. Pro parte affirmativa animadverſum fuit, ſacellum a S. Ludovico Rege in honorem ſpineæ Chriſti Coronæ Pariſiis ædificatum fuiſſe, teſte Ferrando, & hanc erga ſacram ſpineam Coronam religionem ad Eccleſiam Lugdunenſem extenſam fuiſſe. Præterea patrocinium pro auxilio ſumi, quod a Deo ſperatur, & obtinetur; hoc autem ipſum ex cultu erga Paſſionis Chriſti inſtrumenta ſperari, & obtineri poſſe: immo apud eumdem Ferrandum Sanctorum Reliquiæ olim *Patrocinia* appellari, & in caſtris, ac in præliis circumferri conſuevisse, ut exercitum patrocinio ſuo tuerentur. His addi potuiſſet, Sixtum V. diœceſi Taurinenſi Officium proprium de ſancta Chri-

Chriſti Sindone conceſſiſſe; & Clementem VIII. lectiones proprias infra ejus *Octavam* recitandas, & Congregationem rituum hymnos pariter approbaſſe. Præcipue vero animadverti potuiſſet, eamdem Congregationem precibus Maximiliani Bavariæ Ducis indulſiſſe, ut de Corona Domini feſtum cum Officio, & Miſſa in civitate Monachienſi celebraretur, quod ſubinde a Ven. Innocentio XI. confirmatum fuit.

16 Verum neganti opinioni tamquam probabiliori ſacra Congregatio 20. Septembr. 1681. adhæſit, eligi nempe Spinas illas in Oppidi Patronas non poſſe. Sicuti enim Chriſto particularis Patroni nomen convenire non poteſt: ita neque ejus Paſſionis Inſtrumenta, adeoque nec Spinæ, utpote ad ipſum relatæ, in alicujus loci Patronas eligi poſſunt, uti bene Guyet ponderat.

CAPUT XV.

De cultu Sanctis in Patronos electis exhibendo.

1. 2 PLures Civitates, & Oppida a Sanctis in Patronos electis nomen acceperunt. Patroni vero alii principales, alii minus principales dicuntur. De primis Officium, & Miſſa ſub ritu duplici primæ claſſis cum *Octava* etiam a Regularibus (*octava* tamen ab his omiſſa) recitari debent. De minus principalibus eadem fieri debent ſub duplici tantum majori, vel ſecundæ claſſis ſine *Octava*: neque his Regulares obſtringuntur.

3 &c. Unus dumtaxat in Patronum principalem, plures in minus principales eligi poſſunt. Quamquam Alexander VII. ad contentiones ſedandas ſuper hoc in Regno Navarræ exortas SS. Firminum Martyrem, & Franciſcum Xaverium coli tamquam Patronos principales juſſit. Quod etiam Ven. Innocentius XI. pro Poloniæ Regno, & Lithuaniæ Ducatu, quoad SS. Hyacinthum, & Stanislaum Koſtkam, ad Joannis Regis, totiuſque Regni petitiones, præſtitit. Sacra vero rituum Congregatio ob eamdem cauſam 22. Aug. 1699. ſtatuit, Civitatis Neapolitanæ inſtantias pro electionibus Patronorum minus principalium confirmandis, non eſſe amplius admittendas.

6 Quod vero ad feſtum *de precepto* in Patronorum principalium honorem ſpectat, Henricus IV. Galliæ Rex preces Clementi VIII. exhibuit pro feſtis *de præcepto* minuendis, at Pontifex non annuit, uti apud Thomaſſinum videri poteſt. Poſtmodum vero Urbanus VIII. peculiari Conſtitutione feſta *de præcepto* obſervanda deſignavit, inter quæ unius tantum ex principalioribus Patronis feſtum ſervandum eſſe ſtatuit. Quare ſacra rituum Congregatio, cum Clerus, populuſque Cajetæ S. Montanum in Patronum minus principalem elegiſſet, ac pro confirmatione, & pro ejus feſto *de præcepto* celebrando ſupplicaſſet, electionem, non autem feſtum admiſit.

7 Aliquando tamen ex ſpecialibus circumſtantiis indultum eſt, ut in alicujus S. Patroni minus principalis honorem feſtum *de præcepto* obſervaretur. Cum enim Urbanus VIII. electionem S. Dominici in Patronum Civitatis, & Regni Neapolis approbaſſet, ſacra vero rituum Congregatio patronatum principaliorem cum feſto *de præcepto* S. Januario adjudicaſſet, Alexander VII., ne erga S. Dominicum devotio minueretur, permiſit, ut etiam de hoc, utcumque Patrono minus principali, feſtum *de præcepto* cum Officio, & Octava in toto Regno celebraretur.

8 Hæc quoad feſta *de præcepto* in honorem S. Patroni principalis. Nunc aliquid de aliis feſtis pariter *de præcepto* dicendum eſt, idque ſequentibus propoſitionibus abſolvitur.

9 &c. Prima eſt: Princeps ſæcularis nequit feſtum *de præcepto* conſtituere, & idcirco Innocentius X., prævio ſacræ rituum Congregationis con-

 ſilio,

ſilio, Senatus, Gubernatoriſque Mediolanenſis edictum de feſto S. Dominici obſervando irritum declaravit. Secunda: Clemens XI. feſtis ab Urbano VIII. deſignatis feſtum immaculatæ Conceptionis B. M. Virginis ſub præcepto in toto Orbe ſervandum addidit. Tertia: ex Clementis X., ac Ven. Innocentii XI. conceſſione feſta B. Ferdinandi Regis, ac S. Auguſtini in univerſa Hiſpania pariter *de præcepto* ſervantur. Quarta: poteſt Epiſcopus, Capitulo, & populo, vel ſaltem Capitulo conſentiente, feſtum *de præcepto* in ſua diœceſi inſtituere. Quinta: id tamen non expedit, niſi graviſſimæ urgeant circumſtantiæ. Ultima propoſitio eſt: ſacra eadem Congregatio poſt memoratam Urbani VIII. Conſtitutionem, eodem approbante Pontifice, cenſuit, feſtia ex voto inductis ſolas perſonas voventes obſtringi, veluti ex ejus decreto 18. Apr. 1643. edito colligitur.

CAPUT XVI.

De Imminutione Feſtorum de præcepto.

1 PLures Italiæ, & ultra montes Epiſcopi de nimia Feſtorum *de præcepto* multitudine apud Benedictum XIV. conqueſti ſunt. Ipſe autem nihil ſuper hoc prius ſtatuere voluit, quam aliorum audiret conſilium, quod ut maturius exhiberetur, diſſertationem exaravit, & ad eoſdem tranſmiſit, quæ in compendium redacta hic exhibetur.

DISSERTATIO

De Feſtorum de præcepto imminutione.

2 &c. SIciliarum Rex, Archiepiſcopia Neapolitano, & Tarentino, totiuſque Regni Epiſcopis obſequentibus, itemque Bambergæ Præſul, & Princeps pro tota Germania pro Feſtorum imminutione enixe inſtiterunt, quibus Joannes Gerſon, aliique apud Thiers præiverant, qui Concilio Conſtantienſi interfuerunt. Hanc vero imminutionem eo potiſſimum titulo commendant, quod ea, quæ feſtis diebus agenda ſunt contemnuntur, iiſdemque diebus frequentior intemperantia eſt, & pauperes ob interdicta ſibi ſervilia opera non leve detrimentum patiuntur. Hæc multo ante Simon Archiepiſcopus Cantuarienſis in Concilio Machfeldenſi anno 1332. habito attigit. Alii addunt, Hæreticos ob majorem ferialium dierum numerum Catholicis ditiores eſſe, & laudatus Bambergæ Præſul teſtatur, mercenariorum operas cariori pretio vendi.

11 &c. Si Epiſcopis permitteretur, ut pro ſua quiſque diœceſi Feſta deſignaret, uti olim in more poſitum erat, ſicuti pluribus congeſtis Thiers oſtendit, & ſicuti ſub Clemente VIII. reſponſum fuit, res citius expediretur; ſed cum Urbanus VIII. Feſta obſervanda peculiari Conſtitutione deſignaverit, non licet Epiſcopis ab ea recedere; cumque Archiepiſcopus Pariſienſis an. *1666.* Feſtorum Indicem pro ſua diœceſi ab eadem Conſtitutione diſſonum promulgaſſet, Alexander VII, & Clemens IX. apud Regem Chriſtianiſſimum per ſuos Nuntios conqueſti ſunt, quamobrem Archiepiſcopus novum indicem Conſtitutioni Urbanæ cohærentem confecit. Quod autem Epiſcopis non licet, Romanus Pontifex abſolute præſtare poteſt.

15 &c. Pluribus id modis perfici poteſt. Ac primo quidem, ſi nonnulla feſta in Urbani VIII. Conſtitutione recenſita e feſtorum indice expungerentur, quemadmodum Urbanus ipſe, & antea Eugenius IV. quoad aliqua Feſta præſtiterunt, quæ ſub præcepto ſervabantur. Verum plures hoc ægre ferent, immo oppugnabunt, quemadmodum ſub eodem Urbano contigit, qui tamen feſta utplurimum ſuſtulit, quæ jam in deſuetudinem abierant, uti ex S. Antonino, & ex aliis Scriptoribus, & monumentis colligitur.

22 &c. Al-

22 &c. Alterum modum Præſul Caramuel propoſuit, ut ſcilicet Sanctorum feſta iu dies Dominicos tranſferantur. Sed vix probari hæc ſententia poteſt, eamque Thiers pluribus improbat, ac refellit. Enimvero jamdiu Eccleſia Sanctorum feſta die eorum obitus celebrare conſuevit, ne cultus Deo præcipue Dominicis diebus præſtandus, inverſo ordine Servis ejus exhiberetur; cum juxta Micrologum, & Radulphum, ne Apoſtolorum quidem feſta in Dominicum incidentia eodem die celebranda ſint; cum quibus conſentit ConciliumMoguntinum an. 1549 coictum.

26. 27 Tertiam methodum Concilium Tarracouenſe anni 1727. ſuppeditavit, quod a Beuedicto XIII. per epiſtolam enixe petiit, ut quibuſdam diebus Feſtis de præcepto Fideles, audita Miſſa, ſervilibus operibus tuto vacare poſſent. Petitionibus Pontifex annuit, cujus indultum ad alias ſubinde diœceſes idem depoſcentes propagatum fuit, itaut in his diœceſibus opera manualia ſeptemdecim diebus feſtis, nempe SS. Matthiæ, Joſeph, Philippi & Jacobi, Iuventionis S. Crucis, Annæ, Laureutii, Bartholomæi, Matthæi, Dedic. S. Michaelis, Simonis & Judæ, Andreæ, Thomæ, Joannis Evang., Innocentium, Silveſtri, & tertio Paſcharis, & Pentecoſtes die, poſt Miſſam peragi liceat.

28 Totum hoc expendendum nunc eſt, ut innoteſcat, au pro feſtorum imminutioue tutiſſima ſtatui norma poſſit.

29 &c. Urbanus VIII. aſſiduis adductus poſtulationibus feſta minuit, ſed ejus Conſtitutio, cum ante promulgationem non ſatis omnibus Epiſcopis denunciata eſſet, graves paſſa eſt difficultates; idque, teſte Caramuele, duabus de cauſis: prima, quia Conceptiouis feſtum ſuſtulit; ſecunda, quia alia feſta, aliis ſuffectis, non ſatis imminuit. In Galliis ea Conſtitutio ad omnes Epiſcopos a Nuntio Apoſtolico miſſa fuit, quorum nonnulli ſe ejus obſervantiam promoturos reſponderunt; alii nullum feſtum ante ſtatuendum eſſe ſignificarunt, quam Magiſtratibus indicaretur, quædam vero feſta in Conſtitutione deſignari, quæ Galli numquam obſervaverunt. Hinc nihil novi definitum fuit.

33 Aliæ adverſus eamdem Conſtitutionem excitatæ oppoſitiones fuerunt; nonnulli ſiquidem Auctores ex quibuſdam Conſtitutionis verbis aſſeruerunt, feſta, quæ Urbanus *de præcepto* addidit, non eſſe in iis diœceſibus obſervanda, in quibus antea nun ſervabantur. Et nunnulli Epiſcopi ſciſcitati fuerunt, an feſta votiva per eam Conſtitutionem dempta eſſent; ſacra vero rituum Congregatio, Urbano ipſo approbante, reſpondit, ſolos voventes ad illorum celebritatem teneri; ceterum ad pietatis feſta eſſe reducta.

34 &c. Jamvero Benedictus XIII, uti diximus, Concilii Tarraconenſis decreta approbavit, nulla edita Conſtitutione; attamen nihil adverſus ea innovatum eſt. Quamobrem illa methodus tutiſſima videtur, aliiſque diœceſibus idem exquirentibus ſuadenda. Et quod ad opera attinet in prædictis feſtivitatibus poſt auditum ſacrum exercenda, idipſum Card. Petrus Alliacenſis in Concilio Conſtantienſi ſenſerat, & ſuaſerat, idemque habetur in Diſſertatione *Opuſculum Tripartitum* inſcripta, & poſt Lateranenſe Concilium ſub Innocentio III. promulgata. Porro id fieri poſſe Navarrus, Suarez, aliique affirmant; immo ex Conſtitutionibus Epiſcopi Wigornenſis an. 1240. editis, ex Coucilio Trevirenſi au. 1549. & ex aliis monumentis aliquando factum fuiſſe colligitur.

39 &c. Sed ut ea, quæ a Tarraconenſibus Patribus geſta ſunt, expendantur, ipſi permittunt, ut feria tertia Paſchatis, & Pentecoſtes poſt Miſſam opera ſervilia peragantur. At enim æquum eſt, ut feſta, in quibus præcipua Fidei myſteria recoluntur, per plures dies celebrentur; verum circa dierum numerum, quibus Paſcha, & Pentecoſtes

tecoſtes celebrari conſueverunt, varia fuit, teſte Baillet, Eccleſiæ diſciplina, adeout Thiers affirmet, ejuſmodi ſolemnitates unico die abſolvi poſſe. Permittunt itidem, ut in aliis feſtis ſuperius recenſitis Fideles, audito Sacro, operibus ſuis libere vacent. In quo ſane laudanda eſt eorumdem Patrum prudentia, & Sedis Apoſtolicæ pietas, quæ eorum methodum approbavit. At difficulter fortaſſis in alias regiones præcipue in Italia, hæc ipſa methodus induci poſſet; quamobrem alia proponenda eſt.

42 Poſſet itaque S. Andreæ Apoſtoli feſtum ad tertiam Junii Dominicam amandari, & S. Thomæ Apoſtoli feſtum cum S. Bartholomæi feſto copulari: S. Matthias cum S. Matthæo: S. Joannes Evangeliſta cum S. Jacobo fratre conjungi, & uterque 26. Decembris coli: SS. Anna, & Joachim cum S. Joſepho: & S. Stephanus cum S. Laurentio conjungi. Hac methodo ſex profeſti dies comparantur, quibus ſi ſeptem addantur, quibus Tarraconenſes Patres opera ſervilia poſt Miſſam permiſerunt, tredecim dies obtinentur, qui per integrum annum modum non excedunt. Et ne cum feſtis jejunia quoque eliminarentur, jejunium pervigilii S. Andreæ ad Sabbatum ante prædictam Dominicam transferri poſſet, pervigiliorum vero SS. Thomæ, Jacobi, & Matthiæ jejunia, vel ad ferias Rogationum, vel ad Circumciſionis, Epiphaniæ, & Corporis Chriſti vigilias revocari poſſent.

43 &c. Profecto in SS. Petri, & Pauli ſolemnitate, ſi Thomaſſino credimus, aliorum Apoſtolorum feſta olim continebantur. Inducta poſtmodum in Eccleſiam Occidentalem SS. Philippi, & Jacobi eodem die celebritate, in hanc reliquorum Apoſtolorum, SS. Petro, & Paulo exceptis, feſtivitates relatæ ſunt, uti late Thiers, Belethus, & Durandus oſtendunt. Quamobrem abſonum non eſt, ut aliquorum Sanctorum celebritates ſocientur. Supereſt, ut ea expendantur, quæ huic methodo objici poſſent. Ac primo quidem illud obſtare videtur, quod æquum ſit, duorum feſta Sanctorum per eamdem diem celebrari, ſi tamen eadem, non diverſis diebus, deceſſerint. Sed id parum officit; nam etiam nunc SS. Simon, & Judas, itemque SS. Philippus, & Jacobus una die coluntur. At omiſſa indagine de die obitus SS. Simonis, & Judæ, qui etſi eadem apud nos, diverſa tamen apud Græcos die coluntur, difficillime ſtatui poteſt; SS. Philippum, & Jacobum eadem die obiiſſe; enimvero, quidquid de S. Philippo ſit, S. Jacobus Hieroſolymis martyrium in Paſchate conſummavit. Paſcha vero neque apud Catholicos, neque apud Judæos in Kalendas Maji, quo die hi Sancti coluntur, incidere potuit.

46. 47 Obſtaret fortaſſis, quod ex illa feſtorum conjunctione, alicujus Sancti celebritas a die obitus ejuſdem removeretur. At in primis incerta eſt dies obitus S. Andreæ, cujus feſtum etſi 30. Novembris in Martyrologiis commemoretur, Florentinius tamen in ſuo Martyrologio notat, eo die translationem potius ejus Reliquiarum, quam mortem contigiſſe, quæ translatio etiam in Græcorum Menologio ponitur. Ideo vero ad Dominicam tertiam Junii Feſtum S. Andreæ refertur, quod eo die in baſilicam Vaticanam ipſius caput a Pio II. ſolemniter tranſlatum fuit; & in has translationes referri Sanctorum feſta conſueverunt, quorum mors ignoratur. Neque vero per hoc Dominicis præjudicium infertur contra id, quod ſuperius ſtatutum eſt, nam præterquamquod S. Andreæ feſtum eſt ex præſtantioribus, juxta hanc methodum feſtum S. Joachim a Dominica quarta Auguſti detrahitur. Poſſet fortaſſis S. Andreas cum SS. Petro, & Paulo coli, ſed parum apte tres Apoſtoli eodem die colerentur, neque id ſacræ antiquitati congruit.

48 &c. S. Thomæ feſtum a 21. Decembris ad S. Bartholomæi feſtum 24. Auguſti revocatur, quod ſane congruen-

gruentius eſt, cum ante Domini Nativitatem Artifices operibus abſolvendis urgeantur. Neque ſic S. Thomæ martyrium a die, quo evenit, amotum dici poteſt, nam juxta Du Solier, Baronium, alioſque, diſcrepant utriuſque Eccleſiæ Martyrologia quoad utriuſque Apoſtoli ſolemnitates,& apud eoſdem Auctores 24.Auguſti,& 21.Decembris eorum feſta celebrantur, non quod iis diebus iidem Apoſtoli obierint, ſed quod eorum translationes iiſdem factæ fuerint.

52. 53 Similia de S. Matthia referuntur. Caſtellanus quippe eum 21.Maji obiiſſe contendit, & Florentinius, Du Solier ſuffragante, in ſuo Martyrologio probat, illius cultum 24. Februarii non eſſe vetuſtiſſimum. Quare cum S. Matthæo conjungi convenienter poteſt, quin periculum ſit, ne ejus feſtum, a die quo obitus contigit, amoveatur. Quamquam neque certus eſt dies obitus S. Matthæi, cum in Martyrologiis diverſis diebus denuncietur. Verum cum in Breviario Romano 21. Septembris mortuus dicatur, hic ipſe dies juxta propoſitam methodum retinetur.

54 S. Jacobus major nunc 25. Julii colitur; quod hoc die ejus corpus ſolemniter translatum fuit. Ceterum Petrus de Natalibus cum aliis affirmat, eum 25. Martii obiiſſe. Porro ejus cum S. Joanne fratre conjunctioni Miſſale Gothicum ſuffragatur, quod Card. Thomaſius vetuſtiſſimo, quod edidit, Sacramentario inſeruit, in quo utriuſque Apoſtoli natale eadem die enunciatur. Ad feſtum autem S. Joannis congruentius reducitur, quod dies 25. Julii frumentis colligendis plerumque implicetur; & utriuſque feſtum 26. Decembris conſignatur, ne, S. Stephano ad 10. Auguſti translato, Nativitas Domini ſubſequenti feſto careat; aliunde non ſatis exploratum eſt, an S. Joannes 27. Decembris obierit, immo apud Græcos, juxta Baronium, alioſque, 26. ejuſdem menſis colitur.

55 Ad SS. Annam, & Joachim quod attinet, profecto ſi ad S. Joſephi feſtum 19. Martii revocentur, eorum feſta removeri a die obitus dici nequeunt, nam ex S. Epiphanio, & ex aliis Patribus, ac monumentis incerta prorſus eſt dies mortis eorum. Quod ſi S. Joachim feſtum a Dominica quarta detrahatur, jam detrimentum reparatur, quod ex S. Andreæ translatione Dominicis inferretur. Et S. Anna a 26. Julii amota, periculum removetur, ne ejus feſtum propter inſtantem meſſem violetur. Nec quidquam obeſt, quod ſic tres Sancti, iique diverſi ritus eodem die colerentur; nam etiam in Græca Eccleſia S. Xenophon cum conjuge, & filiis Martyribus, itemque in Latina S. Euſtachius cum uxore, & liberis, & S. Nazarius cum ſociis Martyribus, & cum Innocentio Pontifice, & Confeſſore ſimul coluntur. Idque convenire Guyet affirmat, ſi plures vel eodem die deceſſerint, vel affinitate aliqua copulentur; affinitas autem inter SS. Joachim, Annam, & Joſeph certa eſt.

56 Reliquum eſt, ut de SS. Laurentii, & Stephani conjunctione aliqua adnotentur. Porro conveniunt omnes, S. Laurentium 10. Auguſti Martyrium ſubiiſſe, quæ quidem dies in propoſita methodo retinetur, & ad eam etiam S. Stephani feſtum apte reducitur, cum hic juxta Notkerum, alioſque 3. Auguſti paſſus ſit, non 26. Decembris, quo die nunc colitur, quo potius aliqua ejus translatio facta eſt.

57 Demum eidem methodo obiici poteſt, quod novæ lectiones eſſent adornandæ, & Miſſale aliquantulum immutandum eſſet. At vero utrumque facili negotio abſolvi poteſt.

58 His poſitis, tredecim dies pro operibus ſervilibus comparantur, quibus tamen Patroni cujuſcumque loci feſtum non adnumeratur. Votiva autem feſta, vel juxta Urbani VIII. Decretum ad pietatis feſta redigi poſſunt, vel juxta Benedicti XIV. Litteras Apoſtolicas pro Calaguritana, Pampilonenſi, & Pa-

& Pacenſi diœceſibus datas in alia pia opera commutari.

59 &c. Tandem ſuffragia in ſcriptis de his expoſcuntur, videlicet: an feſta minuenda ſint, & quænam ex Urbani VIII. indice expungenda: quæ methodus ex ſuperius dictis admittenda: & utrum ea, quæ admittatur, nova Apoſtolica Conſtitutione firmanda ſit, an potius ſi uni diœceſi permittatur, aliarum petitiones pro eadem facultate expectandæ ſint.

CAPUT XVII.

De Martyrologio Romano.

1 ROmanum Martyrologium eſt omnium Sanctorum catalogus cum brevi uniuſcujuſque elogio. Olim poſt *Primam*, nunc ante verſiculum, *Pretioſa*, in Choro legitur, ac præcedenti die Sanctorum ſequentis diei memoriæ recoluntur. Gregorius XIII. in hoc juſſit Martyrologium correctum adhiberi. Ea vero lectio tribus diebus ante Paſcha omittitur, de quibus omnibus fuſe Card. Bona.

2 &c. Vetuſtius Eccleſiæ Occidentalis Martyrologium S. Hieronymo a Beda, & ab aliis tribuitur. Hujus exemplaria in monaſterio Epternacenſi, & alibi inventa ſunt, idemque demum Florentinius edidit. Aliud Ven. Beda compoſuit, quod genuinum ab Henſchenio editum eſt. Alia inſuper Martyrologia Rabanus, Wandelbertus, & Ado compoſuerunt, quæ ab aliis poſtea edita ſunt. Aliud edidit Roſvveydus, & hoc Sollerius contra Valeſium, alioſque illud eſſe putat, quod S.Gregorius M. in epiſt. *ad Eulogium Alexandrinum* commemorat. Ex præcedentibus Martyrologiis aliud Uſuardus, & aliud B. Notkerus compoſuerunt. Sed illud Uſuardi inter Benedictinos primum, mox in aliis Eccleſiis, excepta Vaticana, quæ ſuum habebat, ad *Primam* legi conſuevit. Idem Martyrologium an.1398. Venetiis a Bellino, deinde a Sollerio, poſtmodum ex Autographo abbatiæ Sangermanenſis a quodam Monacho Benedictino editum fuit. Maurolicus illud deturpavit, quamobrem Molanus reſtituere ſtuduit. Et Galeſinius eodem tempore aliud Martyrologium edidit. Martyrologia hæc erroribus non carebant, idcirco ſummi Pontifices neceſſarium duxerunt, ut Martyrologium ab erroribus expurgatum ederetur.

5 Provinciam hanc Gregorius XIII. Silvio Antoniano, Bellarmino, Baronio, Gavanto, aliiſque demandavit. Hi *Martyrologiis* Uſuardi, Bedæ, & antiquæ Eccleſiæ S. Cyriaci in Via Lata, & quodam ex Græcis Menologiis a Card. Sirleto in latinum converſis uſi ſunt, & plus Bellino & Molano, quam Maurolico, & Galeſinio detulerunt. Demum, hortante Baronio, Sancti ex Menologio additi ſunt, quos Græci ante ſchiſma colebant; item alii ex Latinis, qui a Patribus, & ſignanter a S.Gregorio *in Dialogis* commemorabantur.

6 Correctum Martyrologium ter editum eſt; ſed tertia editio anni 1584. ſincerior habita eſt, veluti Card. Baronius teſtatur, qui ſubinde, Card. Sirleti juſſu, annotationes addidit, paucis, conſentiente Pontifice, in textu immutatis. Hoc Martyrologium ſub Sixto V. editum eſt, attamen Gregorii XIII. nomen retinuit. Baronio inter Cardinales cooptato, Stephani, & ducentorum Monachorum nomina, qui ſub Raſſa Arabum Tyranno Caſtellam devaſtante an.834. Martyres occubuerunt, appoſita fuere, Clemente VIII. annuente, & Romæ an.1602. novum editum fuit Martyrologium, cujus tamen nullum in Urbe exemplar remanſit.

7 Poſt hæc Philippus Ferrarius, Federico Card. Borromæo hortante, Sanctorum edidit catalogum, qui in Romano Martyrologio non ſunt deſcripti. Sub Urbano VIII. Baroniana editio recognita fuit, additis Sanctis ſubſequenter canonizatis, textuſque ad

hiſto-

Digitized by Google

hiſtoriæ fidem emendato, teſte Gavanto: & Florentinius teſtatur, Sulpitium Severum tunc fuiſſe a Martyrologio Romano expunctum. Holſtenius Florentinium admonuit, ut vetuſtius S. Hieronymi Martyrologium ederet, putans, ſic poſſe errores adhuc extantes corrigi, nonnullaſque ipſe, & Latinus Latinius, ac Philippus Ferrarius notas ediderunt. Quocirca Auguſtinus Lubin Martyrologinm iterum edidit, sc mappis geographicis, notiſque hiſtoricis illuſtravit. Editum quoque fuit ſub Innocentio XI., additis Sanctis eouſque canonizatis. Alias ſubinde Martyrologii editiones Franciſcus Maria de Aſte, & Abbas Caſtellain curarunt. Alia quoque ſunt particularia Arturi, Sauſſaji, Tamaji, & Ferrarii Martyrologia.

8 Omnia hæc ex Baronii annotationibus, & ex aliorum in Martyrologium præfationibus deſumpta oſtendunt, quanta fuerit Romanorum Pontificum diligentia pro optima Martyrologii editione. Nihilominus errores in eo adhuc extare nonnulli contendunt.

9 Horum errorum nonnulli Martyrologii Compoſitoribus, & Correctoribus adſcribi poſſunt. *Ad diem 25. Januarii* commemoratio fiebat ſanctæ Xynoridis Martyris ex male intellecta S. Joannis Chryſoſtomi auctoritate *homil. 14. de Lazaro*, ubi Xynoris nomen non eſt proprium, ſed par Martyrum indicat; ſed errorem Baronius ipſe ab aliis admonitus correxit. *Ad 31. Jul.* S. Firmus Epiſcopus Tagaſtenſis commemoratur, cujus nominis appoſitionem Bollandiani (*a*) tamquam Baronii auctoritate factam improbare videntur. At ejus Epiſcopi ſanctitatem S. Auguſtinus (*b*) aperte teſtatur. *Ad 2. Novemb.* S. Theodotus Laodiceæ Epiſcopus ponitur, eumque Arianum fuiſſe, ideoque a Martyrologio expungendum Valeſius, aliique exiſtimant. Verum Epiſcopus Laodicenſis Arii fautor Theodorus apud Labbeum, & Harduinum appellabatur: Theodotus vero ante ortam Arianam hæreſim obierat, & tamquam ſanctitate conſpicuus in antiquioribus Martyrologiis commemoratur. *Ad 25. Auguſti* S. Bartholomæi corpus Romam ad Inſulam Tiberinam translatum dicitur; id vero Card. Urſinus, poſtea Benedictus XIII. vehementer impugnavit. Quidquid de his ſit, non proinde Romani Martyrologii minuitur auctoritas, neque cujuſquam eſt in hoc cenſorem agere, ſed expectandum eſt Eccleſiæ judicium. Neque ex errore, qui forte in Martyrologium irrepſerit, inferri licet, etiam in Canonizationis judicio poſſe errorem contingere, veluti Lupus recte argumentatur. Neque enim Sedes Apoſtolica omnia, quæ in Martyrologium inſerta ſunt, inconcuſſæ veritatis exiſtimat, uti ex repetitis Martyrologii correctionibus conſtat.

10 Et quamvis Gregorii XIII. litteræ Apoſtolicæ Martyrologio præfixæ affirment, illud emendatum fuiſſe, idemque in Choro legendum, neque aliud immutatum edendum eſſe, hinc tamen non eſt inferendum, errores omnes fuiſſe ſublatos, neque eruditis vetitum eſſe novæ correctionis fundamenta ad S. Sedem deferre. Ita Gratiani decretum uſu jam receptum, cum mendis ſcateret, ab eruditis viris, etiam Pontificum auctoritate, correctum fuit, & inter alios laudatus Gregorius litteras Apoſtolicas eidem Decreto præfixit, affirmans, ſe illud emendari juſſiſſe, neque ulterius eſſe immutandum, pœnis adverſus inobedientes ſancitis. Cumque nihilominus viri docti idem decretum adhuc emendandum eſſe cenſeant, manifeſtum eſt, operis alicujus correctiones Pontificia auctoritate vallatas ulteriori correctioni non obſtare, dummodo res S. Sedis judicio ſubmittatur.

11 Alii errores Typographorum incuria, vel malitia irrepſerunt, quibus tamen ſacra rituum Congregatio obſtitit. Enim vero Agnes de Monte Politiano, antequam canonizaretur, ſub titulo *Sanctæ* in Martyrologio in-

a to. 7. Julii ad diem 31 pag. 120.

b lib. 1. de Mendacio c. 13. n. 22. col. 433. to. 6.

venta fuit, ſed poſtea ſub nomine *Beatæ* deſcripta eſt. *Ad* 8. *Februar.*, *&* 20. *Novembr.* SS. Joannes de Matha, & Felix de Valois tamquam primarii Fundatores Ordinis S. Mariæ de Mercede deſcribebantur, quod cum hiſtoriis repugnet, ſacra Congregatio expungi juſſit. Cumque in nonnullis Martyrologiis tunc B. Felicis a Cantalicio elogium, alias ab eadem Congregatione approbatum, omiſſum eſſet, ipſa illud iterum apponi mandavit.

12 Tandem Romanum Martyrologium Benedicti XIV. auctoritate nuper editum eſt, cujus editionis tota ratio in ejuſdem Pontificis litteris Joanni V. Portugalliæ Regi Fideliſſimo directis, & editioni præfixis exhibetur.

CAPUT XVIII.

De nominum deſcriptione in Romano Martyrologio.

1 &c. Poſt Martyrologii editionem ſub Gregorio XIII, Sixto V, & Urbano VIII. factam, alia eidem Martyrologio nomina, Apoſtolica auctoritate, addi poſſunt. Gregorius enim XIII. in ſuis Apoſtolicis litteris ſolum vetuit, ne privata auctoritate additiones fierent. Sed ſacra rituum Congregatio 30. Jul. 1616., & 31. Aug. 1680. decrevit, Canonizatos dumtaxat in Martyrologio deſcribendos eſſe. Et quia hæc deſcriptio cum aliquo brevi elogio fit, ſacræ Congregationis methodus eſt, ut, audito Fidei Promotore, dubium proponatur, *an nomen ſit deſcribendum in Martyrologio Romano*, quo affirmative reſoluto, alicui ex ſacræ Congregationis Cardinalibus elogii compoſitio committitur, quod ſubinde in eadem Congregatione refertur, ut approbetur, approbatio autem a Pontifice eſt confirmanda. Hæc methodus ſervata fuit in B. Petri Amengaudii, S. Petri Nolaſci, aliorumque deſcriptione. Porro ſi alicujus Sancti Canonizatio probanda ſit, prius de nominis deſcriptione, mox de elogio diſputandum eſt. Si vero de Canonizatione conſtet, de utroque ſimul agitur, ut in SS. Joannis de Deo, & Pii V. deſcriptione ſervatum fuit.

5 &c. Canonizatorum itaque nomina in Martyrologio Romano deſcribenda ſunt, tam eorum, qui poſt Martyrologii editionem a ſummo Pontifice canonizantur, quam aliorum, qui aliquo alio ex modis ab Eccleſia approbatis canonizati fuerunt, ſed nondum in Martyrologio deſcripti. Et quoad primos quidem, id ex quotidiana conſtat diſciplina. Quoad alios vero, eædem, ac pro primis rationes militant, quibus præterea plura ſuffragantur exempla. Enimvero S. Leonis III. nomen in Martyrologio deſcriptum fuit, quamquam in editionibus ſub Gregorio, & Sixto omiſſum fuiſſet. Et S. Ptolemæus S. Petri diſcipulus, ac S. Romanus Epiſcopus Nepeſinus S. Ptolemæi diſcipulus, qui Martyres apud Baronium ad ann. 261. occubuerunt, nonniſi ann. 1672. in Martyrologium relati ſunt. Subſecutis temporibus Sanctorum quoque Petri Confeſſoris, & Eremitæ, Stephani Abbatis Ordinis Grandimontenſis Inſtitutoris, Eneconis Abbatis Benedictini, & Juſtini Epiſcopi Theatini nomina, ſacræ Congregationis, & ſummi Pontificis auctoritate, in Martyrologio appoſita ſunt, authenticis monumentis ad omnium ſanctitatem, & antiquam Canonizationem comprobandam allatis.

9 Ad Beatos quod attinet, & ſignanter ad eos, qui poſt ultimam Martyrologii editionem beatificantur, horum nomina ex repetitis ſacræ rituum Congregationis Decretis, etiamſi in eorum honorem Officium, & Miſſa pro aliquo determinato loco conceſſa fuiſſent, non ſunt jure ſuo in Martyrologio deſcribenda, niſi ex ſpecialibus circumſtantiis Congregatio eadem, annuente Pontifice, id indulgendum eſſe cenſuerit, quemadmodum BB. Catharinæ de Bononia, Fidelis a Sigmaringa, aliorumque plurium nomina in Marty-

Martyrologio etiam cum elogiis appoſita fuere.

10. 11 Sed difficultas eſt de iis, qui cultum poſſident immemorabilem, ac multo magis ſi ab immemorabili tempore Sancti appellati fuerunt, & in eorum honorem vel ab immemorabili, vel ex Apoſtolica conceſſione Miſſa, & Officium cum lectionibus ſive de communi, ſive propriis celebrata fuerunt. Sunt, qui putant, hos prædictis ſacræ Congregationis decretis non comprehendi, ſed melius diſtinguendum eſſe videtur: aut enim ante Decretalem *in cap. Audivimus*, *de Reliq.*, *& vener. SS.* in Eccleſia univerſali, ſummo Pontifice ſaltem tacite conſentiente, coli conſueverunt, & iſti, etiamſi eorum cultus ad univerſam Eccleſiam extenſus fuerit, poſtquam particulares Epiſcopi illum in certis quibuſdam provinciis decreverunt, jure ſuo in Martyrologium referendi ſunt, cum proprie ſint Canonizati.

12 &c. Aut cultum immemorabilem modo ſuperius expoſito poſt illam Decretalem obtinuerunt, & hi quidem, etiamſi eorumdem cultus in ſacra Congregatione diſcuſſus, & approbatus eſſet, non ſunt in Martyrologio recenſendi: non enim ſunt Canonizati, ſed ad ſummum *æquipollenter* Beatificati; neque ex Officii, & Miſſæ pro determinatis locis conceſſione inferri jure poteſt, nomina etiam in Martyrologio eſſe deſcribenda, uti ex pluribus conſtat exemplis: quæ ſane deſcriptio, ſi formaliter Beatificatis non indulgetur, neque æquipollenter Beatificatis eſt concedenda, niſi ſacra Congregatio ex ſpecialibus circumſtantiis, Pontifice annuente, eamdem deſcriptionem indulgendam eſſe cenſeat, uti ſane permiſit, BB. Bernardi Ptolemæi, Simeonis pueri a Judæis interempti, aliorumque plurium nomina in Romano Martyrologio deſcribi, quorum cultus vel ab eadem Congregatione diſcuſſus, & approbatus fuerat, vel non.

CAPUT XIX.

De Elogiis, quæ in Martyrologio Romano nominibus Sanctorum in eo deſcriptis adduntur, & de nonnullis Decretis ſacræ Congregationis ad idem Martyrologium pertinentibus.

1 HUjuſmodi elogia vel ex probatis Auctoribus, vel ex probata traditione, aut ex proceſſibus deſumenda, ac brevi ſermone contexenda ſunt, veluti Guyet advertit.

2 &c. Porro nonnullorum elogia in Romano Martyrologio ex ſanctitate, ſeu ex virtutibus adornata ſunt: aliorum ex miraculis; quorumdam ex ſanctitate ſimul, & miraculis; aliorum ex doctrina; nonnullorum ex ſanctitate, & doctrina; aliorum ex Ordinum Regularium inſtitutione; quorumdam ex gratiis eorum interceſſione a Deo conceſſis; Martyrum vero elogia ex cruciatibus fortiter toleratis deprompta ſunt.

9 In eodem Martyrologio feſta quoque Converſionis, & Ordinationis, necnon corporum Inventionis, aut Translationis Sanctorum annuntiantur; & *ad 7. Octobr.* inſignis victoria memoratur, quam Chriſtiani ad Echinadas Inſulas de Turcis retulerunt.

10 Similia habentur in Græcorum Menologio juſſu Baſilii Imperatoris edito, in quo præterea horrendi terræmotus, hæreſum extinctiones, & ſolemnes inſtitutæ ſupplicationes commemorantur.

11 Denique in Martyrologio Luna indicatur, idque Gregorius XIII. approbavit; & Baronius ad ann. 325. teſtatur, id ex Concilii Nicæni Decreto inductum fuiſſe pro die Paſchæ ſtatuendo; Milliet vero docet, ex hoc feſta mobilia dignoſci; diei autem, & quantitatis Lunæ numerationem ad ritus in Officiis ſervandos conferre.

12 Olim Indulgentiæ in honorem

 Bea-

Beatorum concedebantur, qui neque in Martyrologium, neque inter Sanctos relati fuerant, veluti in BB. Jacobi de Mevania, Catharinæ Suecæ, aliorumque plurium conceſſæ referuntur. Nunc juxta Decretum Congregationis rituum 16. Jun. 1674. in honorem dumtaxat Sanctorum conceduntur, qui in Martyrologio Romano recenſentur. Verumtamen ſummus Pontifex Indulgentiam plenariam iis concedit, qui in Beatificationis ſolemnitate Vaticanam baſilicam, aut illas Eccleſias viſitaverint, in quibus prima poſt Vaticanam ejuſdem Beatificationis ſolemnia peragentur, uti ex Beatificatione S. Joannis Franciſci Regis exploratum eſt.

13 Aliis decretis ſacra Congregatio Officium, & Miſſam in Sanctorum honorem, ratione corporis, vel Reliquiæ prohibuit, niſi in Martyrologio deſcripti ſint. Sed de his infra.

14 &c. Cum in ſacra rituum Congregatione inſtantia examinaretur pro BB. Bernardi Ptolemæi, & Thurribii Mogrobeſii nominibus in Romano Martyrologio deſcribendis, diſputatum fuit, an hujuſmodi deſcriptio Eccleſiaſticum cultum ſignificet. Proſper Bottinius tunc Fidei Promotor hoc ipſum affirmavit, cui alii etiam Auctores ſuffragantur. Sed Cardinalibus in diverſas abeuntibus ſententias, controverſia indeciſa remanſit. Jamvero dicendum videtur, deſcriptionem hanc ad geſtorum potius hiſtoriam pertinere, quæ Fatinelli etiam ſententia fuit; & Martyrologium in Choro utique legendum eſſe, neque ex ea deſcriptione, neque ex hac lectione cultum publicum univerſalem ab Eccleſia aut demandatum, aut permiſſum inferri. Aliter plura ſequerentur abſurda; nam ſic Beati in Martyrologio deſcripti cultum in univerſa Eccleſia ante Canonizationem obtinerent, qui tamen per ſolam Canonizationem inducitur. Cumque nonnullorum nomina in Martyrologio ante declaratum caſum exceptum, adeoque ante æquipollentem Beatificationem deſcribantur, ſi poſtea eadem æquipollens Beatificatio fieret, hæc cultum non augeret, ſed minueret, cum per hanc cultus determinatis ſolum locis permittatur. Nomina tandem, & res geſtæ eorum, qui in Martyrologio deſcripti ſunt, in eodem annuntiantur, ut Fideles ad eos imitandos, & proportionate colendos excitentur.

17 Demum plura Sanctorum, & Beatorum nomina in Martyrologio deſcribi ſacra rituum Congregatio decreverat, ſed nondum deſcripta erant: id vero in nupera Martyrologii ſub Benedicto XIV. editione præſtitum eſt.

18. 19 Juxta Romanum Catechiſmum alicujus Sancti nomen, baptizatis imponendum eſt, ut hi ad ejus imitationem excitentur, & hanc piam conſuetudinem pervetuſtam eſſe ex SS. Ambroſio (*a*), & Joanne Chryſoſtomo (*b*) diſcimus, eademque ex vitris pictis dignoſcitur, quæ ex Urbis Cœmeteriis identidem eruuntur: immo hoc ipſum in 30. ex Nicænis canonibus, quos Turrianus ex Arabico in Latinum tranſtulit, præcipitur; ſed hi canones dubii ſunt. Illud vero certum eſt, Cardinalem de Tournon præcepiſſe, ut baptizatis alicujus Sancti nomen in Martyrologio deſcriptum imponeretur, interdictis omnino Idolorum, aut falſæ religionis Pœnitentium nominibus. Verum Congregatio Inquiſitionis ſub Clemente XII., interdicto retento, præceptum illud ad ſuaſionem remiſit.

a In exhortat. Virginit. lib. 1. c. 3. n. 15. col. 281. oper. to. 2.

b homil. in S. Meletiū to. 2. pag. 519.

20 Reliquum eſt, ut pauca de Græcorum Menologiis innuamus. Porro hæc a Menæis differunt; Menæa enim Sanctorum Officia; Menologia vero eorumdem vitas ſingulis diebus aſſignant, quæ proinde, uti Allatius obſervat, Latinorum Martyrologiis reſpondent. Refert Baronius ad ann. 886. Menologium a Baſilio Macedone Imperatore auctum fuiſſe, id tamen Allatius alteri Baſilio Imperatori tribuit. Subdit Baronius, Menologium Conſtantinopoli ad Ludovicum Sfortiam allatum, ad Cardinalem Sfondrati deveniſſe, qui illud Paulo V. tradidit,

& hic

& hic in Vaticanam bibliothecam intulit, quod cum vetuſtate fatiſceret, ſub Clemente XI, Innocentio XIII, & Benedicto XIII, additis imaginibus, reſtitutum eſt. Hoc ſex tantum menſes continebat; alteram partem idem Clemens adhuc juvenis in monaſterio Cryptæ Ferratæ reperit, & in Latinum vertit, ac tandem integrum, opera Hannibalis Card. Albani editum eſt.

CAPUT XX.

De Nominum Sanctorum additione in Litaniis.

1 Litania aliquando Proceſſionem, interdum quodcumque precum genus, interdum quamdam Sanctorum ſeriem ſignificat, qui in quibuſdam precibus coluntur, & invocantur. Et S. Iſidorus ait (a), Litaniam græcum nomen eſſe, latine vero *Rogationem* dici, eamque ab exomologeſi differre, quod hæc *pro peccatorum confeſſione*, illa *propter rogandum Deum* agitur.

a lib.6.Origin.cap.19.

2 Si Litania pro Sanctorum ſerie ſumatur, Apoſtolicis viris, juxta Cardd. Bonam, & Bellarminum, adſcribenda eſt. In quibuſdam antiquis Litaniis nonnulli invocantur Sancti, qui in hodiernis non reperiuntur, ut ex antiquis Angliæ Litaniis apud Mabillon., & ex aliis monumentis deprehenditur. In aliis apud Menardum nonnulli Sancti non invocantur, qui in hodiernis extant. Omiſſo, quod nonnulli aliquando Beatos in Litaniis ex devotione invocaverunt.

3 Jamvero S. Pius V. in ſuis Litteris Apoſtolicis Breviario Romano præfixis quamcumque mutationem, & additionem prohibuit. Quamobrem nunc Patriarchis, Archiepiſcopis, & Epiſcopis vetitum eſt alicujus Sancti nomen litaniis addere. Et Clemens VIII. ſtatuit, ne præter litanias, quæ in Breviariis, Miſſalibus, Pontificalibus, ac Ritualibus continentur, & litanias B. Virginis, aliæ ederentur, aut recitarentur, niſi a ſacra rituum Congregatione approbatæ eſſent.

4 Poteſt igitur ſacra Congregatio alicujus Sancti additionem ſive pro univerſali, ſive pro particulari Eccleſia in Litaniis admittere, ſed ut plurimum ab hoc ipſa abſtinuit, uti colligere eſt ex ejus Decretis 20. Junii 1654., & 20. Martii 1706. quamquam poſtea Ordini B. Mariæ de Mercede permiſit, ut S. Petri Nolaſci Fundatoris nomen in Litaniis adderetur, quæ in eodem Ordine recitantur. Et Benedictus XIV. Ordini Carmelitarum Excalceatorum pariter indulſit, ut S. Joannis a Cruce nomen in ejuſdem Ordinis litaniis adjiceretur. Pouget vero refert, in quibuſdam Eccleſiis Sanctos Patronos, alioſque celebriores in litaniis invocari.

5.6 Cum Clemens XI. Officium S. Joſeph pro Eccleſia univerſali compoſuiſſet, nonnulli pii viri poſtularunt, ut ejus quoque nomen in Litaniis invocari permitteretur. Benedictes XIV. tunc Fidei Promotor, ſacræ rituum Congregationis juſſu, diſſertationem ſuper hoc edidit: ſed deficientibus Principum, Eccleſiaſticorumque cœtuum precibus, neve aliis additionibus via aperiretur, nihil decretum eſt. Advenerunt preces, expenſaque iterum Promotoris diſſertatione tum pro nomine deſcribendo, tum pro loco eidem nomini in litaniis aſſignando, ſacra Congregatio cenſuit, ſuffragiorum notam ſummo Pontifici exhibendam eſſe. Innocentius XIII. tunc Pontifex reſolutionem diſtulit, eoque vita functo, Benedictus XIII. ſucceſſor S. Joſephi nomen poſt S. Joannem Baptiſtam in litaniis reponi juſſit, velut laudatus Promotor in ſuo ſuffragio inſinuaverat, quod ſequenti ordine in compendium redacto contexuit.

7 &c. S. Joſephi nulla in Uſuardi, & Adonis Martyrologiis mentio occurrit, ex quo inferri licet, modicum tunc in Eccleſia Occidentali fuiſſe ejuſdem Sancti cultum. Idque S. Bernardinus ex eo repetit, quod S. Joſeph

ad

ad Limbum poſt mortem deſcendit, & ad vetus pertinet Teſtamentum, ac nonnulli Hæretici eum naturalem Redemptoris patrem fuiſſe aſſeruerant.

10 &c. Hæc tamen ſubſecutis temporibus nequeunt cultus S. Joſephi extenſionem impedire. Et ad primum quod attinet, in Romano Martyrologio SS. Malachiæ, Habacuc, aliorumque mentio fit, & S. Joannis Præcurſoris, ac Martyrum Machabæorum memoria quotannis colitur, itemque Patriarchæ, & Prophetæ in litaniis majoribus, SS. Abel, & Abraham in commendatione animæ invocantur, licet hi omnes ad Limbum deſcenderint.

14. 15 Quod ſpectat ad ſecundum, nempe quod S. Joſeph ad vetus Teſtamentum pertineat, nunc Sancti quoque veteris Teſtamenti ex ſuperius dictis coluntur; immo juxta Suarez, & Guyet S. Joſeph ad illud proprie non pertinet (quemadmodum neque Magi, qui Chriſtum in cunabulis venerati ſunt, quique Coloniæ Agrippinæ Officio, & Miſſa coluntur: neque Paſtores, qui eumdem in præſepio reclinatum invenerunt, & apud Græcos ſpecialem obtinent cultum.) Illud de Hæreticis moderna excludunt tempora, quibus Fides ſatis eſt corroborata, veluti Bollandiani *in vita S. Joſephi* (a) explicant.

a ad diem 19. Martii In cõment. hiſtor. §. 2. pag. 6.

16. 17 Poſt hæc juvat propagationis cultus S. Joſephi Auctores recenſere. Conſentiunt Eruditi, eumdem ab Oriente in Occidentem per Carmelitas fuiſſe propagatum, quibus Prædicatorum, & Minorum Ordines acceſſerunt, nec parum profuit S. Tereſiæ erga S. Joſephum devotio, & inter alios Joannes Gerſon, & Iſidorus de Iſolanis eidem cultui amplificando adlaborarunt.

18 &c. Succedunt Romanorum Pontificum conceſſiones. Ac primo quidem S. Joſephi nomen in Martyrologium Romanum ante annos 800. relatum fuiſſe dicitur. Sixtus IV, teſte Platina, ejus feſtum 19. Martii inſtituit; Gregorius vero XV. apud Thiers illud tamquam *de præcepto* ſervari mandavit, quod tandem Urbanus VIII. confirmavit. Præterea ejus Officium ſub Sixto IV. ſimplex, ad ritum duplicem ſub Innocentio VIII, ac poſtmodum ſacræ rituum Congregationis auctoritate ad duplicem ſecundæ claſſis cum hymnis propriis elevatum fuit, cui tandem Clemens XI. lectiones primi Nocturni, Capitula, Antiphonas, & Reſponſoria ex novo potiſſimum Teſtamento deprompta addidit. His accedunt Officium Deſponſationis B. M. Virginis cum S. Joſepho, pluribus locis ab eadem Congregatione conceſſum, ac Miſſa propria in ejuſdem Sancti honorem pro bona morte impetranda inter Votivas Miſſalis Romani inſerta.

22 Demum ejus nomen in antiquioribus Eccleſiæ univerſalis (& Eccleſiæ Bononienſis) litaniis invocabatur; & nunc extat in litaniis PP. Prædicatorum, & Carmelitarum Diſcalceatorum, ut ex probatis utriuſque Ordinis monumentis conſtat. Bollandiani quoque referunt, S. Joſephum in quibuſdam particularibus litaniis cultum fuiſſe, ejuſque nomen in litaniis reperitur, quæ in Vigilia Epiphaniæ ad aquæ benedictionem recitantur. Porro hujuſmodi benedictio antiquiſſima eſt, eaque ex Baptiſmo, qui in feſto Epiphaniæ frequentabatur, originem traxit. Hic mos in Eccleſia viget Orientali, teſte Goar, idemque viget in Eccleſia Occidentali, & ſignanter in quibuſdam Romæ Eccleſiis.

23. 24 Omnia hæc ſatis eſſe videntur, ut S. Joſeph in litaniis Eccleſiæ majoribus recenſeatur; quod ſi alia requirantur, ſequentia addi poſſunt.

25 Litaniæ a temporibus Apoſtolicis initium ſumpſerunt, eæque ſunt Sanctorum catalogus, qui rite, & licite coli poſſunt. Omnis vero Sanctus ab Eccleſia approbatus in iis, niſi Eccleſia ipſa vetet, invocari poteſt. Et ſane Clemens VIII. additionem in litaniis privata auctoritate factam dumtaxat prohibuit, & Ven. Card. Bellarminus

Digitized by Google

minus teſtatur, poſt ejuſdem Pontificia Decretum additionem alicujus Sancti in litaniis, ſaltem particularibus, novam non fuiſſe exiſtimatam, & a Sede Apoſtolica non obtinendam. Porro additionis privata auctoritate faciendæ prohibitio, & Eccleſiæ difficultas annuendi novæ additioni in litaniis majoribus, in eo potiſſimum fundantur, quod uniformis eſſe debet orandi modus, & ſi nova additio permitteretur, hæc aliis viam ſterneret. Sed hæc a S. Joſephi prærogativis excluduntur.

30. 31 Joſephum itaque Gerſon cum aliis affirmat, in utero matris fuiſſe ſanctificatum. Verum Theologi communiter hujuſmodi ſanctificationem Beatiſſimæ Virgini, Jeremiæ, & Joanni Baptiſtæ dumtaxat adſtruunt, & S. Thomas (a), & S. Bernardus (b) docent, non eſſe ad alios extendendam. Quin etiam S. Auguſtinus docuit, Jeremiam, & Joannem non fuiſſe in utero matris plene ſanctificatos.

a 3. part. q. 27. art. 6. in corp.

b epiſt. 174. ad Canon. Lugdun. oper. vol. 1.

32 &c. De S. Joſepho præterea S. Bernardinus prædicat, eum corpore, & anima glorioſum ad cœlos aſcendiſſe, quam ſententiam Suarez non improbat. Id vero aſſeri tuto nequit, cum ab ea inter Patres, & Theologos controverſia pendeat, utrum ii, qui *Matth.* 27. cum Chriſto ſurrexerunt, immortalem animæ, & corporis vitam obtinuerint, an potius ſurrexerint iterum morituri, de qua plura D. Thomas (c), & Calmet. Quare his, quæ ad ſummum probabilia ſunt, omiſſis, alia de S. Joſepho perſequi oportet, quæ certa ſunt, & ex Evangelio hauriuntur.

c 3. part. q. 53. art. 3. ad 2.

35 &c. S. Joſeph igitur ſponſam procul dubio Beatiſſimam Virginem habuit, *Matth.* 1., & putativus Chriſti pater appellatus eſt, *Luc.* 3. & *Matth.* 13., de qua paternitate plura S. Auguſtinus diſſerit (d). Præterea Chriſtus ipſe illi *ſubditus erat*, *Luc.* 2., non quidem ex debito, ſed ex uſu, veluti Suarez notat (hanc ipſam ſubjectionem Gerſon in ſermone habito in Concilio Conſtantienſi extollit.)

d lib. 2. de conſenſ. Evang. c. 1. col. 27. to. 3 par. 2. oper.

38 Sublimia hæc ſunt, & certiſſima, neque alteri Sancto communicata, ideoque S. Joſephum litaniis addendum inſinuant, quin alterius Sancti ſuperadditioni aditus aperiatur, idque multo magis, quod S. Joſeph ex ſuperius dictis in aliis litaniis, Sede Apoſtolica permittente, deſcriptus eſt. Sic Conceptionis B. M. Virginis feſtum, quod ex S. Sedis tolerantia in quibuſdam Eccleſiis, teſte D. Thoma (e), celebrabatur, ampliato a pluribus Pontificibus illius cultu, Clemens XI. ab omnibus *de præcepto* ſervandum eſſe juſſit.

e 3. part. q. 27. art. 2.

39. 40 Nunc de loco dicendum eſt, in quo S. Joſephi nomen in litaniis majoribus reponendum eſt. Jamvero is vel ante S. Joannem Baptiſtam, vel ante omnes Confeſſores, vel proxime poſt eumdem S. Joannem Baptiſtam eſſe poteſt.

41 &c. Et quod ad primum ſpectat, illi aſſumpto favent ea, quæ Suarez docet, qui probabile exiſtimat, S. Joſephum gratiam S. Joanne perfectiorem aſſecutum fuiſſe, cum quo Cornelius a Lapide conſentit (f). Neque vero obſtat, quod S. Joannes Matth. 11. omnibus major dicatur, id enim veteris Teſtamenti Patres reſpicit, veluti poſt S. Hieronymum Maldonatus obſervat: S. Joſeph autem ad novum pertinet Teſtamentum. Accedit, quod in litaniis, qui prior obiit, prior invocatur. Et S. Joſephum quidem S. Epiphanius affirmat (g), paulo poſt Jeſum in Templo repertum obiiſſe. S. Joannes vero juxta Ven. Bedam anno Chriſti 33., vel juxta Salianum anno 32. occiſus fuit.

f in comment. in Matth. c. 1. 52. in fin.

g hæreſ. 78.

44 &c. Verum hæc ſententia non videtur admittenda. Etenim litaniæ PP. Prædicatorum, aliæque ſuperius memoratæ S. Joſephum poſt S. Joannem exhibent: neque Scripturæ auctoritas, neque Eccleſiæ traditio docet, S. Joſephum S. Joanni ſanctitate præſtitiſſe. Et, quod periculoſum eſt, juxta expoſitam ſententiam admitteretur, Eccleſiam in litaniis ordinem ex

majori

majori ſanctitate deducere. Neque vero exploratum eſt, S. Joſephum eſſe S. Joanni præmortuum, cum nonnulli Patres exiſtiment, illum in Chriſti Paſſione ſuperſtitem fuiſſe. Demum illa præcedentia admiſſa, Confeſſor Martyri præponeretur, cum ex S. Auguſtino (a), aliiſque pluribus S. Joannes Martyr occubuerit.

a cōment. in pſal. 140. col. 1578. to. 4.

49. 50 Potius igitur inter Confeſſores primus S. Joſeph eſſet collocandus; & ſane uti Confeſſorem Eccleſia ipſum colit, quemadmodum ex Martyrologiis, Miſſalibus, & Breviariis colligitur, idemque laudatus Iſidorus de Iſolanis docuit. Quod ſi immediate poſt S. Joannem Baptiſtam collocetur, Patriarchis adnumeratur, cum tamen Patriarcha non ſit, cumque ad novum pertineat Teſtamentum, Apoſtolis præcederet, quod eſſet abſurdum, veluti Guyet demonſtrat.

51 &c. Verum neque iſta opinio retinenda videtur; ſed tutior ea cenſetur, quæ poſt S. Joannem Baptiſtam immediate S. Joſepho locum aſſignat. Hæc enim cum litaniis PP. Prædicatorum, aliiſque ſuperius adductis cohæret. Et quamvis uti Confeſſor in Breviariis, & Calendariis recolatur; ex his tamen illatio ad litanias non valet. In litaniis ſiquidem, non vero in Breviariis habetur Patriarcharum, & Prophetarum claſſis. Neque S. Joſephi poſt S. Joannem invocatio recentiorum devotioni adſcribenda eſt, uti Guyet cenſuit; idem quippe ordo in ſæpe laudatis litaniis retinetur.

54 &c. Porro juxta hanc ſententiam S. Joſeph Apoſtolis præcederet, at juxta Suarez ejus munus, & officium Apoſtolico muneri præferendum eſſe videtur. His tamen omiſſis, quæ, ut monuit Guyet, Concionatoribus magis, quam Divinis Officiis, & litaniis ordinandis deſervire poſſunt; momentum in eo conſiſtit, quod S. Joannes Baptiſta, qui utique ad novum pertinet Teſtamentum, Apoſtolis in litaniis præfertur, non quia Matth. 11. *inter natos mulierum major* dicitur, cum hoc ex ſuperius dictis veteris Teſtamenti Sanctos reſpiciat, adeoque Apoſtolos non comprehendat, ſed vel quia Patriarchis, aut Prophetis adnumeratur, vel quia ante Apoſtolos obiit. Hæc autem S. Joſepho quoque conveniunt, ideoque eamdem & ipſi in litaniis prælationem vindicare debent.

57 Jam vero (quidquid Guyet ſenſerit) S. Joſeph Patriarcha dicendus eſt, cum Chriſti, qui Electorum caput eſt, pater reputatus fuerit. Propheta quoque dici poteſt ex illo Matth. 1. *Angelus Domini apparuit ei dicens: noli timere &c.* ex quo textu laudatus Iſidorus de Iſolanis, & Perez Prophetæ prærogativam S. Joſepho adjudicant. Quamquam, ut ejus nomen in Patriarcharum, & Prophetarum claſſe collocetur, ſufficit, ut alterutra ex his qualitatibus inſignitus fuerit; quemadmodum S. Maria Magdalena, licet virgo non fuerit, inter Virgines, & Viduas in litaniis majoribus recenſetur.

58 His poſitis ſacræ rituum Congregationis eſt advertere, an S. Joſephi nomen in litaniis majoribus ſit deſcribendum, ut ſicuti Gerſonius in Concilio Conſtantienſi pro ſchiſmate extinguendo honorem aliquem illi inſtituendum eſſe inſinuaverat, ita in præſentibus calamitatibus hic in litaniis cultus eidem ſuperaddatur.

59 Hucuſque ſuffragium, cujus argumenta Auctori ſemper probabilia viſa ſunt, niſi quod litaniarum ritus pro aquæ benedictione in vigilia Epiphaniæ, qui tamquam pars Ritualis a Paulo V. approbati antea habitus fuerat, poſtea privata cujuſdam Sacerdotis Petri Lucatelli auctoritate additus apparuit. Nonnulla in eo continentur a ſacrorum rituum gravitate aliena, & quidem invocantur Sancti, qui in litaniis approbatis non inveniuntur; quapropter ritus idem cum argumento ab eo deducto rejiciendus cenſetur: non jam ut ritus benedicen-

di

di aquam in vigilia Epiphaniæ reprobetur, ſed ut additamentum privata auctoritate inſertum abjiciatur.

CAPUT XXI.

De ſacris Imaginibus, & nonnullis controverſiis ad eas pertinentibus.

1. 2 JUxta Concilium Tridentinum (a) ſacræ Imagines, in templis præſertim, retinendæ, & colendæ ſunt; nullam vero inſolitam collocare licet; niſi ab Epiſcopo approbata ſit. Cumque Concilium de Chriſti, Deiparæ, & Sanctorum Imaginibus loquatur, nonnulli tum Heterodoxi, tum Catholici exiſtimarunt, neque Deum Patrem, neque SS. Trinitatem pingi poſſe. Verum etiam Deus pingi poteſt modo, quo ſæpe apparuit, & quo ejus majeſtas, & omnipotentia repræſentari poteſt, uti videre eſt apud Buonaruoti.

a ſeſſ.25.

3 Porro nefas eſſet reputare, Deum, prout eſt in ſe, pictura repræſentari, in hoc quippe Anthropomorphitarum error contineretur; ſed recte Deus depingitur, vel ut hiſtoria aliqua repræſentetur, vel ut ejus majeſtas oculis proponatur, ut bene Card. Gottus oſtendit. Primis Eccleſiæ ſæculis juxta Origenem, & juxta *can.*36. Concilii Illiberitani, Dei, & SS. Trinitatis Imagines in uſu non fuerunt; ne ſcilicet Gentiles, & Catechumeni putarent, Fideles Deum corporeum venerari, veluti in eumdem *can.* Albaſpinæus, & Card. Lucinus adnotarunt, & Arcani diſciplina ſecretiora Chriſtianæ Religionis myſteria occultabat, ne a Gentilibus profanarentur. Hoc ſublato periculo, recte nunc Dei Imago in templis collocatur, & ab Alexandro VIII. propoſitio damnata fuit, quæ oppoſitum ſtatuebat. Chriſtianus Lupus ſe ignorare fatetur, quando Dei Imagines in Eccleſia fieri cœperint, ſed ex S. Paulino diſcimus, eas ſæculi quinti initio depictas fuiſſe. Idem vero Lupus affirmat, Spiritum ſub columbæ, Angelos ſub humana ſpecie recte depingi; & ab Eccleſia illæ SS. Trinitatis Imagines probantur, quæ Deum Patrem in forma Senis, Chriſtum in ejus ſinu, vel ad ejus latus, & Spiritum Sanctum Columbæ forma inter utrumque repræſentant, ut videre eſt apud Card. Capiſucchium, & Perimezzium.

4 Sarnellus modum exponit, quo Chriſtus, B. Virgo, & SS. Petrus, & Paulus pingi poſſunt. Et Buonaruoti plura diſſerit de veteri more Chriſtum ſub Agni ſpecie pingendi. Videatur Joannes Interianus de Ajala, qui Pictores egregie inſtruit, quomodo ſacræ Imagines pingendæ ſint. Volumen non diu ante prodiit, quod a ſacris urbis Tribunalibus proſcriptum eſt, cujus Auctor plures picturæ ſpecies reprehendit. Alias reſpuunt Ciampinus, Theophilus Raynaudus, & Thiers. Aliis diſplicent Martyrum picturæ, qui abſciſſum caput manibus geſtant, quem pingendi modum Bollandiani, & Langlet ex quadam S. Joannis Chryſoſtomi oratione ortum fuiſſe exiſtimant.

5. 6 Utcumque hæc ſe habeant, ex his attingenda ſunt, quæ a ſacra rituum Congregatione ſtatuta fuerant. Ipſa itaque 10. Septemb. 1637. prohibuit, ne SS. Auguſtini, Nicolai de Tolentino, aliorumque Imagines habitu Fratrum Diſcalceatorum Ordin. S. Auguſtini pingerentur; & Congregatio Concilii declaravit, B. Claram de Montefalco ad Ordinem Eremitarum S. Auguſtini pertinere, ideoque hujus Ordinis veſte pingendam eſſe. Urbanus vero VIII., prævio Congregationis rituum conſilio, conſtituit, ne ſacræ Imagines fierent *alio habitu, & forma, quam in Catholica eccleſia ab antiquo tempore conſuevit.*

7 Poſt hæc propoſitum fuit, an in Eccleſiis Ordinis Servorum Imago B. M. Virginis Dolorum cum habitu nigro permitti poſſet: at ſacra Congregatio ad præcavenda ſcandala nihil decrevit.

Digitized by Google

8 Porro ejuſmodi permiſſioni obſtare videtur, quod Synodus Conſtantinopolitana ſub Hadriano II. ſtatuit, Deiparæ Imaginem pingendam eſſe, ut in Scripturis figuratur. Et univerſalis Eccleſiæ praxis, quam paulo ante memorata Urbana Conſtitutio præſervavit, habitum illum numquam admiſit; immo in quibuſdam ejuſdem Ordinis Eccleſiis B. Virgo juxta antiquum morem, quem Sarnellus a tempore Apoſtolorum repetit, rubro, & ceruleo coloribus depicta cernitur. Quod ſi aliud apud eumdem Ordinem in more poſitum ſit, hoc univerſalis Eccleſiæ conſuetudinem non conſtituit.

9 Contra vero id ipſum permitti poſſe, ex hoc ſuaderi poteſt, quod idem Ordo ab initio in memoriam dolorum B. Virginis habitum nigrum, eadem Virgine monſtrante, aſſumpſit, ut in bulla Innocentii VIII., & in aliis monumentis legitur. Et in Chronica F. Petri de Tuderto ipſa Virgo dicitur, S. Petro Martyri revelaſſe, ſe a Filio ſuo impetraſſe, ut hic Ordo in ſignum mœſtitiæ, quam ipſa in ejuſdem Filii ſui paſſione perpeſſa eſt, ejuſmodi habitum geſtaret. Quamobrem abſonum non videtur, ut ob eamdem rationem etiam B. Virginis Imago eodem habitu exponatur.

10 Sed ut cætera afferantur, quæ ad hanc Imaginum materiam pertinent. Alexander VII. prævio Congregationis rituum conſilio, Fratribus Minoribus de Obſervantia Toloſæ commorantibus vetuit, ne B. Virginis Imaginem exponerent, quæ Roſarium SS. Franciſco, & Claræ exhiberet, idque, ne Roſarii inſtitutio his Sanctis adjudicaretur, quam Eccleſia S. Dominico attribuit. Eadem Congregatio, Clemente X. annuente, cenſuit, B. Petri Paſchaſii Imagines non eſſe habitu Trinitariorum pingendas. Eademque juſſit, amoveri Eliæ Imaginem inuſitato modo a PP. Baſilianis depictam. Monachi quoque Camaldulenſes contra Vallumbroſanos contendunt, S. Joannem Gualbertum poſſe alba indutum cuculla depingi. Nonnulli quoque B. Petri Urſeoli Imagini albam veſtem; alii nigram attribuunt. Porro Martene, & Mabillon innuunt, albas veſtes antiquitus apud Monachos in uſu fuiſſe, nigras vero ab iis aſſumptas fuiſſe, cum ſubuculis uti cœperunt. De his tamen nihil adhuc a ſacra rituum Congregatione definitum eſt.

11 Nonnulla item in Ordine S. Franciſci inter membra corporis Obſervantiæ diſſidia invaluerant quoad imagines, inſcriptiones, proceſſiones, & alia, quæ occaſione Beatificationis, vel Canonizationis Servorum Dei Ordinis ejuſdem peragi conſueverunt. Quamobrem Capitulum Generale Victoriæ ann. 1694. celebratum inter alia ſtatuit, ut in prædictis omnibus ſemper particularis Ordinis ſtatus exprimeretur, in quo Servus Dei obiiſſet, & prima ſolemnitas in Conventu ejuſdem ſtatus celebraretur. Et hæc a ſacrorum rituum Congregatione anno 1713. confirmata fuerunt. Aliæ inter FF. Capuccinos, & Conventuales exarſerunt controverſiæ, utra horum Ordinum veſte SS. Franciſci, & Antonii Patavini Imagines pingendæ eſſent. Scripta utrinque prodierunt, quæ a ſacra Indicis Congregatione proſcripta ſunt, Tum Neapoli, Innocentio X. approbante, in ſacello Theſauri S. Januarii Simulacrum S. Antonii ſub veſte Conventualium collocatum fuit. Contra vero, Capuccinis inſinuantibus, aliud ejuſdem Sancti ſimulacrum ſub Capuccinorum veſte in Capella S. Reſtitutæ in ejuſdem Theſauri conſpectu poſitum fuit; at ſacra rituum Congregatio, hoc in eadem Eccleſia exponi non debere cenſuit; cæterum neutris cauſam adjudicavit; ut proinde quælibet ex Franciſcanis familiis eorumdem Sanctorum Imagines ſub propriæ veſtis forma exponat.

12. 13 Neminem latet, cereos Agnos a Romano Pontifice conſecrari, qui mos perantiquus eſt, ut ex Agno in tumulo Mariæ Auguſtæ Honorii Imperatoris uxoris Romæ invento deprehen-

prehenditur. Quidquid enim Panvinius ſenſerit, Card. Auguſtinus Valerius hunc ritum ad ſæculi 5. initium, Molanus vero ad Conſtantini tempora referunt. De eorumdem Agnorum virtute plura Card. Papienſis cumulat. Porro Sanctorum Imagines in iis imprimuntur: & Clemens XI. etiam Sanctos Græcos in illis expreſſit. Et Benedictus XIV., cum Fidei Promotorem ageret, exemplis oſtendit, Beatos quoque poſſe in iiſdem repræſentari; quamquam Innocentius XIII. ab hoc abſtinendum eſſe cenſuerit.

14. Tandem licet B. M. Virginis Imaginem Euchariſtiam recipientis pingere, cujuſmodi imago Romæ extat in eccleſia S. Luciæ in Silicibus. Siquidem conſtat, B. Virginem Ordinis, Pœnitentiæ, & Matrimonii Sacramenta non recepiſſe, & conveniunt Theologi eamdem Baptiſmum, Confirmationem, & Euchariſtiam participaſſe. Solum controvertitur, an Extremam-Unctionem receperit, de qua re Suarez legi poteſt.

CAPUT XXII.

De Translatione Corporum.

1 ANte Conſtantini Imperatoris tempora nonnullæ Corporum SS. Translationes factæ memorantur, Sanctorum nempe Pontiani, & Cornelii Pontificum. Pace tandem ab eodem Imperatore Eccleſiæ reſtituta, majori ſolemnitate translationes ejuſmodi peragi cœperunt: & ſub ipſo SS. Andreæ, & Timothei corpora, S. Paulino teſte (a), celeberrima ſolemnitate Conſtantinopolim tranſlata fuere.

(a) In carmine 11. in natali S. Felicis 10. 1. Anecdotor. Murat. verſ. 321.

2 &c. Juxta præſentem diſciplinam, Servorum Dei, vel Beatorum, vel Canonizatorum corpora transferri poſſunt. Atque ſi Servorum Dei tranſlationes faciendæ ſint, a ſacra rituum Congregatione ordinaria facultas petenda eſt, quæ indulgere conſuevit, ut translatio ſecreto, januiſque Eccleſiæ, ſeu cœmeterii clauſis fiat; dummodo nihil corpori addatur, aut detrahatur, & ita, ut cultus introductio non ſignificetur. Si in urbe translatio expleatur, Fidei Promotor, Secretarius, & Notarius ſacræ Congregationis, eadem jubente, intereſſe conſueverunt. Si extra Urbem, ejuſdem juſſu, Epiſcopus, vel Vicarius Generalis, Promotor Fiſcalis, & Notarius Eccleſiaſticus interſunt. Et hoc modo corpus tunc Servæ Dei Hyacinthæ de Mareſcottis translatum fuit, excommunicatione Papæ reſervata iis impoſita, qui aliquid Servæ Dei corpori, vel ſepulchro addere, vel minuere auſi eſſent. Similia de aliis translationibus leguntur in ſacræ Congregationis regeſtis.

5. 6 Hæc quoad Servorum Dei translationes, in quorum cauſis Sedes Apoſtolica manum appoſuit. Quod ad alios ſpectat, Ordinarii eſt, facultatem pro eorum translatione concedere, quemadmodum pro Servi Dei Antonii de Graſſis, aliorumque translationibus, in quorum cauſis Commiſſio nondum ſignata fuerat, ſacra rituum Congregatio reſpondit. Quamobrem in cauſa tunc Servi Dei Petri Forerii cautum eſt, ut appoſitio manus S. Sedis etiam in cadaverum translatione locum ſibi vindicet, veluti ex decreto 20. Jul. 1686. edito, & ex litteris Apoſtolicis Innocentii XI. in forma Brevis ad Epiſcopum Virdunen. 22. Aug. ejuſdem anni datis conſtat. His vero translationibus cauſam ſuppeditant novum ædificium conſtruendum, vel locus corpori conſervando ineptus, vel opportunitas illud ab aliis corporibus ſeparandi, vel qualitas capſæ, in qua primo corpus conditum fuerat, in hoc tamen mutatio dumtaxat de capſa in capſam indulgetur.

7 &c. Ad Beatorum corporum translationes quod attinet, hæ fieri nequeunt, niſi ſummus Pontifex, aut ſacra rituum Congregatio id permittat. Et ſacra quidem Congregatio, cum petitam indulget facultatem, modum ſi-

mul translationis peragendæ præſcribit, ut ſcilicet vel ſolemniter, & cum aliorum interventu, vel etiam proceſſionaliter; vel ſecreto, juxta diverſas circumſtantias expleatur, uti colligere eſt ex translationibus tunc BB. Laurentii Juſtiniani, Joannis a Cruce, Stanislai Koſtkæ, aliorumque. Cum tamen Urbanus VIII, & Alexander VII. in ſuis Decretis proteſtati ſint, ſe nullum velle præjudicium illis inferre, qui vel ab immemorabili tempore, vel ex Pontificum, aut ex ſacræ Congregationis permiſſione, vel per Patrum, virorumque ſanctorum ſcripta coluntur, idcirco ſi horum corpora transferenda ſint, nullum eorum ſepulcris præjudicium inferendum eſt. Enimvero cum Servi Dei Bartholomæi de Salutio Ord. Minorum Obſervantium Reformatorum corpus in Eccleſia S. Franciſci ad Tiberis ripam de uno ad alium ejuſdem Eccleſiæ locum transferendum eſſet, ejuſque ſepulcrum pavimento paululum ſupereminens repertum eſſet, idque, præter alia monumenta, Caſtellinus Auctor contemporalis teſtaretur, ex Gregorii XV. permiſſione factum fuiſſe; Benedictus XIV. tunc Fidei Promotor cadaver eodem modo in alio loco reponendum eſſe inſinuavit, prout ſane ſacra Congregatio fieri decrevit. Harum vero translationum cauſæ ſunt vel eædem, quæ ſuperius de Servorum Dei translatione memoravimus, vel aliæ infra, quoad Sanctorum translationes, referendæ.

11. 12 Quod igitur ad corporum Sanctorum translationem ſpectat, de jure Civili humanum corpus perpetuæ traditum ſepulturæ, non poteſt ſine Principis, vel ſaltem, ſi legitima cauſa adſit, ſine Rectoris provinciæ facultate ex ſuo loco in alium transferri. Hinc plures exiſtimant, Sanctorum corpora, & Reliquias non poſſe abſque Pontificia auctoritate transferri. Fagnanus, & Pirhing putant Epiſcopi auctoritatem, Capitulo conſentiente, ſufficere. Alii nullam requirunt, ſi corpora perpetuæ non ſint ſepulturæ tradita. Alii Papæ licentiam exigunt, ſi corpus transferendum integrum ſit.

13 Nonnulli hanc Papæ facultatem neceſſariam eſſe affirmant pro translatione ab una Eccleſia, vel diœceſi ad aliam; quod Eccleſiæ res, inter quas etiam Sanctorum Reliquiæ computantur, juxta *Extravag. Ambitioſæ* (a) alienari ſine ſummi Pontificis auctoritate nequeant. a de rebus Eccleſ. non alienandis inter cõm. Sed Fagnanus contendit, hanc *Extravagantem* non poſſe his translationibus aptari; adeout qui ſine Pontificis conſenſu has translationes peragent, non excommunicationi, ſed pœnæ arbitrariæ ſubjiciantur. Id quidem tutiſſime aſſerendum eſſe videtur, ſed ſimul etiam ſtatuendum, ex uſu non poſſe ex una civitate, aut Eccleſia, ad aliam, translationes, Sede Apoſtolica inconſulta, fieri, veluti ſacra Concilii Congregatio reſpondit. Et ſane teſtatur Papebrochius, Epiſcopos ſæculo X. nihil abſque Apoſtolica facultate innovare, quoad veteres Sanctos, eorumque Reliquias, conſueviſſe: eamdemque conſuetudinem ſubſecuta ſuſceperunt tempora, cum apud Raynaldum, Waddingum, Bollandianos, alioſque, & ex aliis monumentis exploratum ſit, in translationibus SS. Bruni, Franciſci, Thomæ Aquinatis, aliorumque plurium Apoſtolicam interveniſſe auctoritatem.

20 Cauſæ vero translationum Sanctorum, præter eas, quæ ſuperius expoſitæ ſunt, quæque ſolum translationem reſpiciunt de loco ad locum intra eamdem Eccleſiam, ſequentes recenſeri poſſunt; loci nempe, in quo corpora condita ſunt, indecentia; populorum devotio; novus locus venerabilior; ac Divina revelatio de translatione peragenda.

21 Tandem quæ ſuperius n.6., & ſeqq. dicta ſunt, adamuſſim comprobantur ex Benedicti XIV. litteris Apoſtolicis in forma Brevis an. 1742. Ludovico Valenti Fidei Promotori datis pro nova tunc Servi Dei Camilli de Lellis translatione in decentiorem locum intra eamdem Eccleſiam peragen-

gen-

genda, imminente ejuſdem Beatificatione.

CAPUT XXIII.

De modo, quo fieri debent Sanctorum Corporum Translationes.

1 REfert S. Ambroſius (*a*), SS. Gervaſii, & Protaſii corpora a ſe inventa, & translata fuiſſe: in translatione autem teſtatur, ingentem fuiſſe populi concurſum, manus impoſitionem, concionem, & vigilias habitas fuiſſe, ac miracula contigiſſe. Similia etiam referunt Centuriatores Magdeburgenſes.

a epiſt. 22. to. 2. col. 875.

2 In Martyrologio Romano 27. *Januar.* commemoratio fit translationis corporis S. Joannis Chryſoſtomi, de qua in Mæneis Officium habetur. Extat etiam Synaxarium, in quo translationis hiſtoria refertur, eademque a Coſma Veſtiario, Socrate, aliiſque deſcribitur. Boſius quoque narrat, S. Cæciliæ corpus a S. Paſchali I. propriis manibus pertractatum fuiſſe. Et apud Baronium (*b*) S. Leo IX. dicitur S. Remigii corpus propriis manibus tranſtuliſſe. Apud Bollandianos (*c*) item monumentum refertur translationis S. Quirini Epiſcopi, & Martyris, quæ ſub Innocentio II. facta eſt. Porro in eo legitur, Clericos S. Mariæ Tranſtyberim illud magna reverentia, hymnis, & orationibus ad eamdem Eccleſiam tranſtuliſſe. Plura harum tranſlationum exempla legi poſſunt in Officiis propriis baſilicarum Lateranenſis, & Vaticanæ.

b ad ann. 438. n. 1.

c to. 1. Jun. pag. 383.

3 Sed ut ad recentiorea translationes Romæ potiſſimum ſolemniter peractas deveniamus, prima occurrit tranſlatio capitis S. Andreæ. Demetrius Conſtantini ultimi Imperatoris frater illud Romam transferri curavit: & Pius II. idem a Card. Beſſarione ad pontem Milvium propriis manibus ſuſcepit, ac primo in Eccleſia S. Mariæ de populo repoſuit, poſtera vero die, inſtituta ſupplicatione, ad baſilicam Vaticanam cum Cardinalibus, & reliquo Clero, hymnis, & orationibus tranſtulit.

4. 5 Succedit Ferri translatio, quo Chriſti latus perfoſſum fuit, quodque Bajazet Turcarum Tyrannus Innocentio VIII. dono dedit. Tyranni Legatus illud Anconam detulit, ibique ſummi Pontificis Legati Archiepiſcopus Arelatenſis, & Epiſcopus Fulginas ſacram Reliquiam recognoverunt, eorumque primus eamdem *proceſſionaliter* per Civitatem ſub Baldachino detulit. Tum ad Civitatem Narnienſem perrexerunt, ubi duo Cardinales Legati ſacrum ferrum ſuſceperunt, hiſque poſtea Romam appropinquantibus, Innocentius extra portam Flaminiam obviam proceſſit, Mitraque depoſita, illud reverenter excepit, tum Mitra ſibi impoſita, uſque ad baſilicam S. Petri proceſſionaliter geſtavit, & apud ſe retinuit, ut in magnificentiſſimo, quod conſtruere meditabatur, ſacello collocaret: moa imminente morte idem ferrum Cardinalibus tradidit in eamdem Baſilicam inferendum, qui ſane paulo poſt Reliquiam, cum ſancto Chriſti Sudario collocarunt, quod ibi conſervatur.

6 Tertia ſolemnis translatio eſt Corporis S. Gregorii Nazianzeni ſub Gregorio XIII. ab eccleſia Sanctimonialium Campi Martii ad baſilicam Vaticanam, de qua Mucantius, & Martyrologium 11. *Jan.*

7 Quartum locum translatio Corporis S. Leonis M. obtinet. Hoc in baſilica Vaticana conditum fuerat, Sergius vero I. in nobiliorem tumbam tranſtulit, & Paſchalis II. cum SS. Leonum II, III, & IV. corporibus in oratorio ejuſdem S. Leonis IV. repoſuit, poſtea Paulus V. ſub altari S. Mariæ de Columna omnia hæc corpora recondidit, uti Aringhius, aliique referunt. Sacellum ſubinde nobiliſſimum Innocentius X. S. Leoni M. in eadem baſilica extruxerat, ad quod tandem Clemens XI. ejuſdem S. Leonis corpus transferendum eſſe cenſuit.

8 Qua-

8 Quapropter Hannibal Card. Albanus baſilicæ Arcbipresbyter 20. Maji 1713. ad altare S. Mariæ de Columna cum aliis acceſſit, ibique S. Leonis M. Corpus in capſa, a SS. Leonum II, III, & IV. corporibus diſtincta invenit, atque reviſit, ſigilliſque appoſitis in eodem ſtatu reliquit.

9 Sequenti anno 24. Mart. idem Cardinalis ad memoratum altare cum aliis rediit, omnibuſque, ut in præcedenti actu, inventis, Corpora in aliis duabus capſis compoſita fuerunt, ac ſigillis appoſitis, earumque clavibus Cardinali traditis, ad S. Nicolai Sacellum ad latus Altaris Crucifixi ſitum proceſſionaliter delata fuerunt.

10 Die 2. Apr. duodecim Cardinales ſacra Corpora, capſis reſeratis, iterumque ut prius clauſis, venerati ſunt. Die 11. Clemens XI. ad Sacellum, pluribus comitantibus, ſe contulit, ibique oravit, & S. Leonis M. corpus, aperta capſa, inſpexit; mox quidam Phyſicus corporis ſtatum deſcripſit, & capſa de more obſerata fuit.

11 Sequenti anno 1715. Pontifex ſtatuit, S. Leonis M. corpus 11. Aprilis transferre, & indulgentiam plenariam iis impertivit, qui Pœnitentiæ, & Euchariſtiæ Sacramentis ſuſceptis, translationi intereſſent, aut Baſilicam eo die viſitarent. Quapropter Card. Archipresbyter, & Card. Urſinus (poſtea Benedictus XIII.) 10. ejuſdem menſis capſam cum ſacro Corpore in aliam ligneam incluſerunt, & ad Capellam Chori *proceſſionaliter* aſportarunt, apertiſque Eccleſiæ Januis, populus undique confluens ſacrum Corpus veneratus eſt.

12 Tum uſque ad horam ſolemnis Miſſæ, quæ ſequenti die 11. cantata fuit, Card. Archipresbyter, cæterique de Clero baſilicæ ante ſacrum Corpus orantes alternis horis vigilarunt. Inter Miſſarum ſolemnia oratio de translatione babita fuit, qua audita, Pontifex Miſſam privatam ad altare Chori celebravit.

13. 14 Ad Veſperas omnes fere Cardinales, Præſules, tum Pontifex, aliique innumeri ad Baſilicam convenerunt, inſtitutaque ſolemni Proceſſione, quæ e dextero porticus latere ad mediam plateam egreſſa per januam baſilicæ majorem rediit, capſa cum Corpore ad ejuſdem S. Leonis M. altare laudibus, & canticis delatum fuit, & ſuper aram ibi paratam repoſitum. Papa coram ipſo oravit, populo benedixit, & cum Cardinalibus receſſit. Tum coram Card. Archipresbytero, Canonicis, Clero, & Œconomo Generali Fabricæ S. Petri capſa cum Corpore ſigillis obſignata in alia plumbea intra aram altaris S. Leonis M. condita fuit, ſculpta in operculo plumbeo totius rei geſtæ inſcriptione. Poſt hæc 18. Jun. alis a Card. Archipresbytero, Canonicis, & Clero baſilicæ proceſſione circum interiorem Eccleſiam inſtituta, reliqua SS. Leonum corpora in alia capſa plumbea, impoſita inſcriptione, in altare B. Mariæ de Columna reſtituta fuerunt.

15 Sacra hæc Corpora ſub *baldachino* delata fuerunt, juxta opinionem in Congregationibus coram Card. Archipresbytero præhabitis admiſſam, cui Epiſcoporum Cæremoniale, aliaque monumenta, & Auctores ſuffragantur.

16 Sigilla, ut ſupra, apponuntur, ne de corporis identitate aliquando dubitari contingat, ut in Alexandri VII. Apoſtolicis litteris fuſe deſcribitur anno 1662. pro S. Franciſci Saleſii corpore in decentiori arca reponendo datis.

17. 18 Si quis translationis ritum mane, Pontifice Miſſam celebrante, peragendæ noſſe velit, Boſium adeat. De modo translationis ab una ad aliam Eccleſiam, Pontifice abſente faciendæ, legi poteſt Caſtellettus. De eadem materia plura in Concilio Mediolanenſi IV, & apud Card. Gabrielem Palæotti habentur.

CA-

CAPUT XXIV.

De Identitate ſanctorum Corporum, & Reliquiarum.

1 &c. HÆC quoque materia ad ſacram rituum Congregationem ordinariam pertinet. Porro non licet ſacras Reliquias publicæ exponere venerationi, niſi de earum identitate conſtet. Hæc vero identitas antiquitus ignis experimento probabatur, uti ex Concilio Cæſarauguſtano II. apud Card. de Aguirre, ex vita S. Meinvverci Epiſcopi Paderbonenſis *in Act. SS. Ord. Bened.*, & ex Leone Marſicano exploratum eſt. Scriptores quoque de Bellis *Cruciatæ* narrant, Antiochia a Chriſtianis ſubacta, Clericum Gallum, Petrum nomine, ex repetita S. Andreæ revelatione indicaſſe, in Eccleſia S. Petri ejuſdem urbis, lanceam occultari, quæ Chriſti latus aperuit, quæ ſane ibi quæſita, & inventa fuit, teſte Raymundo de Agiles, qui inventioni interfuit. Quæſtione de lanceæ veritate exorta ad hanc dirimendam Petrus per ignem tranſiit, ſed cum paucos poſt dies obiiſſet, contentio major exarſit, teſtibus Alberto Aquenſi, Guillelmo Tyrio, aliiſque.

7. 8 Ab his vero probationibus nunc abſtinendum eſt. Reliquiarum tamen identitas probationibus moraliter ſaltem evidentibus adſtruenda eſt, ſive coram Ordinario, ſive coram rituum Congregatione de illis agatur. Conci-
a ſeſſ.25. lium quippe Tridentinum (*a*) Epiſcopis hoc judicium detulit, ſed aliquando a Sede Apoſtolica interponitur.

9 Ad moralem vero evidentiam quod attinet, S. Martinus Turonenſis
b in ejus vita c.8. apud Sulpicium Severum (*b*) teſtimonium Seniorum ex Clero pro ſacris
c epiſt. 22. to. 1. oper. pag. 877. §.12. vindicandis Reliquiis exegit. Et S. Ambroſius (*c*) in SS. Gervaſii, & Protaſii inventione Seniorum teſtimonium magni fecit, idemque teſtimonium ſufficere S. Gregorius epiſt. 31. (*d*) ad Au-
d lib.11. guſtinum inſinuat. Porro niſi moralis evidentia in hac materia ſufficiat, Reliquiarum identitas deſtruatur oporteret, in quo ſane Auctores omnes conſentiunt, & Papebrochius monet, hujuſmodi evidentiæ acquieſcendum eſſe. Majores tamen probationes coram rituum Congregatione, quam coram Ordinario requiruntur, cum Apoſtolica approbatio majoris ſit momenti, veluti conſtat ex ejuſdem Congregationis judicio ſuper identitate Capitis S. Brunonis Epiſcopi Signini.

10 &c. Miracula quoque, juxta Ferrandum, alioſque, probabilibus concurrentibus rationibus, identitati aſſerendæ proſunt, ut etiam colligitur ex reſponſis S. Gregorii M. (*e*) ad Au- e to. 2. lib. 11. epiſt. 44. pag. 1157.
guſtinum, & ex reſponſis Honorii III. ad Stephanum Archiepiſcopum Cantuarienſem, & Othonem Subdiaconum, quibus Pontifex B. Birini Epiſcopi translationem commiſerat.

13 Plura exempla ad rem hanc Ferrandus congerit, quibus addi poteſt id, quod Card. Toletus, & ex eo alii referunt. In Urbis nempe direptione an. 1527. miles ſacrilegus e Sacrario, quod *Sancta Sanctorum* dicitur, Chriſti Præputium abripuit, ac fugiens illud in oppido Calcatæ vili ſcriniolo defodit. Poſt annos 30. ſcriniolum repertum eſt, eoque aperto, & involucro, in quo nomen JESUS inſcriptum erat, ſoluto, ſuaviſſimus odor e globulo manavit, qui proinde in ejuſdem oppidi Eccleſia collocatus fuit, moxque prodigia, & miracula ſecuta ſunt. His auditis, Paulus IV. duos illuc Lateranenſes Canonicos miſit, qui omnia Pontifici retulerunt, ſimulque teſtati ſunt, in perantiquis Lateranenſibus Codicibus inter inſignes Reliquias adnotatum Chriſti Præputium reperiri, quod poſt Urbis direptionem non fuit amplius repertum, ubi antea conſervabatur. Quapropter conſtans eſt apud Italos traditio, in oppido Calcatæ inſignem hanc Reliquiam conſervari, cui traditioni cum miracula pondus addidiſſent, manifeſtum eſt,

ex

Digitized by Google

ex identitatis judicio prodeſſe, quamquam neceſſaria non ſunt.

14. 15 Nunc reſolutionum exempla addenda ſunt, quæ in hac materia a ſacris Congregationibus prodierunt. Sixti V. tempore in eccleſia S. Joannis Baptiſtæ civitatis Meſſanæ S. Placidi, & ſociorum Martyrum corpora inventa fuerunt, & Archiepiſcopus Meſſanenſis ſuper eorum identitate proceſſum confecit, ex quo Concilii Congregatio identitatem ipſam ſatis probatam eſſe cenſuit, & Pontifex hanc ſententiam confirmavit, Officiumque in eorumdem honorem conceſſit. Cum vero nova eccleſia his Martyribus ſub Paulo V. ædificaretur, alia Martyrum corpora inventa fuerunt, ſuper quorum identitate idem Archiepiſcopus proceſſum conſtruxit; quamobrem ſacra rituum Congregatio, identitate approbata, permiſit, ut Fidelium venerationi exponerentur, ut ex ejus Decreto 19. Januar. 1611. colligitur.

16 Tempore pariter Pauli V. inter antiquæ civitatis Otriculanæ ruinas quinquagintaſeptem corpora inventa fuerunt, quæ Martyrum eſſe dicebantur. Epiſcopus Narnienſis proceſſum ſuper hoc confecit, quo ad ſacram rituum Congregationem miſſo, hæc reſpondit: conſtare dumtaxat de corporis S. Medici identitate, reliqua non eſſe colenda, uti ex ejuſdem Decreto 16. Jul. 1612. conſtat.

CAPUT XXV.

De nonnullis quæſtionibus pertractatis in ſacrorum rituum Congregatione quoad Sanctorum Corporum identitatem.

1 PLures hujuſmodi quæſtiones in ſacra rituum Congregatione, Benedicto XIV. Fidei Promotorem agente, pertractatæ fuerunt. Ac primo quidem cum in monaſterio S. Tereſiæ civitatis Fanenſis Mitra S. Pii V., & Indumentum S. Felicis a Cantalicio aſſervari dicerentur, Epiſcopus Fanenſis ab eadem Congregatione quæſivit, an liceret eas Reliquias publicæ venerationi exponere, ſed reſponſum fuit negative. Idem quippe Fidei Promotor animadvertit, totam identitatis probationem cujuſdam Sanctimonialis atteſtationi inniti, quæ aſſerebat, has Reliquias eaſdem eſſe, quas ipſa Romæ in domo Ruſticuccia magna veneratione aſſervari a teneris annis viderat. Porro hoc unius feminæ, licet piæ, & Religioſæ, teſtimonium quamquam adminiculis vallatum eſſet, quidquid nonnulli Auctores cenſeant, inſufficiens evidentiæ morali ſtatuendæ viſum eſt.

2 Secunda quæſtio fuit de cultu Coronæ ferreæ, quæ in eccleſia S. Joannis Baptiſtæ oppidi Modoetiæ prope Mediolanum conſervatur, & in qua unus ex clavis contineri dicitur, quibus Chriſtus crucifixus fuit. Jamvero Modoetiæ Capitulum Coronam illam cum aliis Reliquiis in Cruce aurea inſeruit, quam poſtea in magnifica Capella collocavit. Quapropter Vicarius Generalis Archiepiſcopi Mediolanenſis in ejus eccleſiæ viſitatione decrevit, ut Archipresbyter coram Archiepiſcopo doceret, qua facultate Corona e Theſauri loco, in quo conſervabatur, extracta, & in aurea Cruce collocata fuerit? Capitulum, & Commune Modoetiæ ad Archiepiſcopum appellavit, iſque reſpondit, rem eſſe ad Romanum Pontificem deferendam. Hinc in ſacrorum rituum Congregatione actum fuit, an Capitulo liceret Coronam intra Crucem retinere, aut ſaltem in altari majori de more exponere, & proceſſionaliter deferre?

3 &c. Porro laudatus Fidei Promotor in hac re examinandum eſſe contendit, an conſtaret, S. Helenam unum clavum Conſtantini coronæ innexuiſſe; vel ſaltem an conſtaret, hanc coronam ad S. Gregorium M., & ab hoc ad Theodolindam Reginam, ac deinde ad prædictam eccleſiam deveniſſe, veluti Modoetienſes contendebant. Ac primum quidem non conſtare ait, cum anti-

antiqui Scriptores clavum non diademati, ſed galeæ intextum fuiſſe memorent. Neque conſtare ſecundum, cum neque id Scriptores referant, neque temporibus S. Gregorii permitteretur, ſacras Reliquias ab Urbe ad alias civitates transferri, veluti ex eodem S. Gregorio (a), & ex aliis monumentis deſumitur. Addidit ex S. Thoma (b), Imperatores in oppido Modoetiæ ferream Coronam aſſumere conſueviſſe, quod Carolus M. Longobardos Reges domuerit: Ferream vero in Cæremoniali Romano eamdem appellari ex ferrea lamina illi intexta: demum, cum Carolus V. Bononiæ a Clemente VII. coronaretur, allata a Modoetienſibus Corona, nihil geſtum fuiſſe, quod cultum Chriſti clavo debitum præſeferret, qui utique non fuiſſet omiſſus, ſi vere Chriſti clavus Coronæ ineſſet.

a in Regeſto lib. 3. epiſt. 30.

b lib. de Regimine Principum lib. 3. c. 20.

6 Modoetienſes contra, inter alios Fontaninum advocarunt, ut eorum cauſam tueretur, iſque luculentiſſima diſſertatione omnia a Promotore oppoſita diluit. Antiquiſſimum præterea cultum conſentientibus Ordinariis, erga eamdem coronam, itemque prodigia, & miracula ad eam contigiſſe demonſtrarunt, & Auctores, qui de illa diſſerunt, attulerunt. Cumque omnia hæc evidentiam moralem conſtituerent, ſacra Congregatio Capitulo Modoetienſi cauſam adjudicavit.

7 His Fidei Promotor acquievit, & merito. Teſtatur quippe S. Ambroſius, unum ex Chriſti clavis fuiſſe a S. Helena Coronæ intextum. Sandinus quoque putat, hos clavos Conſtantipoli uſque ad Chriſti an. 550. aſſervatos, inde ad Latinos probabiliter per S. Gregorium tranſmiſſos fuiſſe; & ex ipſo S. Gregorio quodammodo deſumitur (c), Coronam ab ipſo ad Theodolindam deveniſſe. Quod vero ad Caroli V. coronationem ſpectat, teſtatur Ripamontius, congruam venerationem tunc illi Coronæ exhibitam fuiſſe. Plura vero de hujus Coronæ identitate in eadem Fontanini diſſertatione congeſta legi poſſunt.

c epiſt. 12. al 7. lib. 14.

8 Quæſtio tertia fuit ſuper identitate corporis S. Joannis de Matha, quæ in ſequenti ſuffragio integra continetur, quod laudatus Fidei Promotor, tamquam ſacræ Congregationis Conſultor exaravit.

9 &c. S. Joannes de Matha, Ordinis SS. Trinitatis Redemptionis Captivorum Fundator, Romæ ann. 1213. mortuus eſt, ejuſque corpus in eccleſia S. Thomæ de Formis ſepultum, ibi ex Panciroli, aliorumque teſtimonio pluribus ſæculis permanſit. Ea Eccleſia a Religioſis Trinitariis derelicta, & Baſilicæ Vaticanæ Capitulo unita, duo Converſi Trinitarii Gundiſalvus de Medina, & Joſephus Vidal ann. 1655. noctu per feneſtram ingreſſi, ſepulcrum aperuerunt, in cujus eminentiori parte S. Joannis oſſa invenerunt una cum oratione in ejus honorem ſuper illis appoſita; in ſeparatis vero, & depreſſioribus ejuſdem ſepulcri partibus aliorum duorum oſſa erant, qui primus, & ſecundus poſt S. Joannem ejuſdem Ordinis Generales fuerunt; tum S. Joannis oſſa aſportarunt, moxque P. Petro Arias Portocarrero ejuſdem Ordinis in Urbe Procuratore Generali inſinuante, duorum quoque Generalium oſſa ſuſtulerunt, relicta in ſarcophago ſyngrapha, manu ejuſdem Procuratoris exarata, in qua ſurreptionis hiſtoria continebatur, cum additione, ut oſſa, prope quæ ſimilis ſyngrapha reperiretur, S. Joannis cenſerentur. Idque caute Procurator inſinuavit, ne de oſſium identitate, aut confuſione dubitari contingeret. Hæc ex proceſſibus deſumuntur Romæ anno 1655., & Matriti 1657. constructis.

15 &c. Poſt hæc Regis Catholici, apud ſummum Pontificem Oratori, memoratus Procurator duorum Generalium oſſa tradidit, illa vero S. Joannis Matritum detulit, & Camillo de Maximis, tunc Nuntio Matritenſi ſolemniter conſignavit, quæ Nuntii ſigillis obſi-

obſignata in Nuntiatura conſervata fuerunt. Anno autem 1671. alter Apoſtolicus Nuntius Mareſcottus, Clementis X. juſſu, eadem cum anteceſſoris Nuntii ſigillis, ac memorata ſyngrapha, de qua P. Portocarrero, & F. Gurdiſalvus teſtati ſunt, recognovit, & ſacro capite circumſtantium oſculis exhibito, ſigillis iterum appoſitis, clauſit. Tandem alius Nuntius Duratius an. 1686. illa Miniſtro Generali, ac Definitorio PP. Trinitariorum Diſcalceatorum Matriti tradidit, ut ſub altari Capellæ in cella Ven. P. Thomæ de Virgine exiſtentis reponerentur, ubi etiamnum conſervantur.

18 Omnia hæc, omnem de hujus corporis identitate difficultatem ſatis excludere videntur, nihilominus ſacra Congregatio bis reſpondit de eadem non conſtare; ſed cum Clemens XI. indulſerit, ut de hoc iterum ageretur, ſperare licet, identitatem demum fore ſtatuendam.

19 Præmiſſa itaque regula generali, ut in hoc identitatis judicio plena evidentia non requiratur, hic oſtendendum eſt, certum moraliter eſſe, S. Joannis corpus in Eccleſia S. Thomæ de Formis ſepultum fuiſſe, & in ea uſque ad an. 1655. permanſiſſe, tum hoc corpus idem eſſe, quod nunc in Conventu Matritenſi exiſtit.

20. 21 Quod igitur ad ſepulturam ſpectat, hanc tum Hiſtorici, tum lectiones ejus Officii proprii pro univerſali Eccleſia approbati teſtantur. Permanentia vero ex Scriptoribus fere contemporaneis, ac multo magis ex proceſſu Romæ ſuper oſſium ſurreptione conſtructo indubitata eſt.

22 &c. Alterum quoque ex pluribus fundamentis conſtat, eaque ſunt memorati P. Procuratoris atteſtatio, ac judicialea FF. Gundiſalvi, & Joſephi de facto proprio depoſitiones, necnon aliorum Religioſorum, qui corpus extractum, idemque in Hiſpanias aſportari viderunt, vel audierunt, etiam in Sacramentali Confeſſione cum facultate rem propalandi.

26 &c. Accedunt ſolemnis oſſium conſignatio Nuntio Matritenſi facta, necnon ſigillorum appoſitio, & conſervatio; itemque ſyngrapha in ſarcophago ad avertendum identitatis dubium relicta, & altera ſyngrapha oſſibus ſurreptis addita, & in oſſium recognitione an. 1671. inventa, de cujus identitate teſtes depoſuerunt. His addi poteſt oſſium qualitas, eximiæ nempe albedinis, & ingentis proceritatis, qualem S. Joanni natura contulit, teſte Georgio Innes, (ſi tamen hic Auctor umquam extitit, quod negat Caverus.)

30 Suffragatur fama per Hiſpanias divulgata, ſemperque continuata, & ab ipſis Miniſtris Apoſtolicis admiſſa, quemadmodum ex Nuntii de Maximis, aliorumque atteſtationibus, & ex oſſium recognitione a Nuntio Mareſcotto facta, necnon ex eorumdem a Nuntio Duratio Trinitariis Diſcalceatis traditione conſtat. Addi poteſt fama, quæ Romæ ſtatim de S. Joannis corpore ſublato viguit.

31. 32 Urget præterea veriſimilitudo. Quis enim credat, P. Procuratorem conſilium ſurreptioni oſſium præſtitiſſe, duoſque Religioſos rem perfeciſſe, ut oſſa in Hiſpaniis colerentur; ſurrepta vero fideliter non ſervaſſe, & Nuntio non tradidiſſe? Urgent inſuper contentiones inter utraſque familias, Calceatam, & Diſcalceatam, quæ ſacrum Corpus certatim exigunt.

33 Quocirca ſi in identitatis judicio moralis ſufficit certitudo, profecto in re præſenti tot teſtes, tot præſumptiones, & adminicula, quæ omnia conjunctim utique de jure accipienda ſunt, corporis S. Joannis de Matha identitatem ſatis evincunt.

34. 35 Neque vero urgent ea, quæ in hac re alias oppoſita fuerunt. Ac primo non obſtat, quod in eodem ſepulcro aliorum duorum Generalium oſſa eſſent; ſiquidem inter ſe diviſa, & per ſyngraphas notata erant, ac poſtea Oratori prædicto tradita fuerunt.

runt. Oſſa vero S. Joannis per orationem ſuperius memoratam diſtinguebantur; & quamquam P. Velez teſtetur, orationem hanc occaſione viſitationis Apoſtolicæ appoſitam fuiſſe, de qua viſitatione non conſtat; ſufficit tamen, quod ſuper oſſibus oratio inventa ſit. Præterquamquod ſuper aliorum oſſibus ſyngraphæ repertæ fuerunt, & S. Joannis oſſa in eminentiori loco collocata erant, juxta uſum diſtincte cuſtodiendi oſſa eorum, qui cum ſanctitatis fama mortui eſſent; uti ſane S. Joannes obierat, cujus propterea funeri, teſte Bonaventura Baro, Innocentius III. cum Cardinalibus adfuit, idemque miraculis illuſtratum fuit. Accedit, quod S. Joannis oſſa ſublata fuerunt, ut in Hiſpanias transferrentur, ibique diſtincti coloris, & magnitudinis apparuerunt. Ex quibus omnibus oſſium confuſio excluditur.

36 Illud quoque rejicitur, quod nempe oſſa huc illuc delata antequam Nuntio traderentur, nullis ſigillis munita fuerunt. Enimvero ſigilla identitati probandæ valde utique proſunt, ſed ex eorum defectu ipſa non excluditur: nulla enim lex hanc identitatem reprobat, niſi ſigilla appoſita ſint, & certitudo moralis aliunde, quam a ſigillis hauriri poteſt. Et ſane Clemens VIII. permiſit, ut S. Guillelmi Aquitaniæ Ducis caput ab incendio ereptum, & pluribus annis apud Sæculares abſconditum, ac poſtea eccleſiæ PP. Societatis Jeſu Antuerpiæ traditum, publicæ venerationi exponeretur; neque tamen in litteris Apoſtolicis ſigilla memorantur.

37 Demum non officit, quod tota hujuſce rei hiſtoria illorum teſtimonio innitatur, qui ſacra oſſa ſurripuerunt, quique proinde nullam mereri fidem videntur. Omiſſo enim, hos peccaſſe quidem, excommunicationem tamen non incurriſſe, quæ adverſus eos tantum lata eſt, qui ex Urbis cœmeteriis Reliquias rapiunt, uti probat Boldettus; profecto Eccleſia in ſimilibus caſibus hujuſmodi teſtes alias admiſit, & dependenter ab ipſis Reliquias coli indulſit.

38 &c. Enimvero S. Hilarionis corpus, apud S. Hieronymum (*a*), & Sozomenum (*b*), ex Cypro in Palæſtinam furtim ab Heſychio deductum fuit; eodemque modo apud Sigebertum, S. Romani Abbatis Reliquiæ ad monaſterium S. Germani Antiſiodorenſis; & S. Clementis Martyris caput a monaſterio S. Mariæ Conſtantinopolitanæ ad abbatiam Cluniacenſem delata fuerunt. Item S. Bertulphi Abbatis corpus apud Bolland. (*c*) ſublatum, & ab ipſo fure detectum fuit, & juxta Beatillum S. Nicolai Myrenſis corpus Mercatores Barienſes vi rapuerunt, & Barium tranſtulerunt. Attamen omnes hæ ſacræ Reliquiæ, accedente etiam Prælatorum conſilio, publico cultui expoſitæ fuerunt.

a In ejus vita.

b lib. 3. hiſtor. Eccleſ. c. 13.

c to. 1. Februar. pag. 682. n. 26. & ſeqq.

43 Præterea S. Marci Evangeliſtæ corpus ab eccleſia Alexandrina in Ægypto a Venetis ſublatum, & Venetias translatum fuiſſe dicitur, cujus rei hiſtoriam Bollandiani referunt; & tranſlationis quidem etiam nunc memoria recolitur, quamquam ſuper corporis identitate diligentiæ ſolum tempori, & loco proportionatæ adhibitæ fuerunt. (Idem corpus, juxta Dandulum, eccleſia, in qua erat, igne conſumpta, iterumque ope Divina inventum, in loco Duci, Primicerio, Procuratori, eorumque ſucceſſoribus dumtaxat cognito collocatum eſt.)

44. 45 Quidam pariter nauta Venetus S. Athanaſii corpus Conſtantinopoli furatus Venetias tranſtulit, illudque S. Laurentius Juſtinianus, re ex nauta ſolum, & ex quodam Magiſtro Jacobo cognita, publicæ venerationi in eccleſia Monialium S. Crucis collocari juſſit, uti videre eſt apud Bollandianos (d). Similia refert Baillet de S. Rochi corpore a Venetis pariter ſublato, neque tamen ulla umquam de identitate controverſia excitata fuit, immo Urbanus VIII. inſignem ejus corporis Reliquiam, teſte Caſtellino, in Eccleſia S. Rochi de Ur-

d to. 2. Maii pag. 252. n. 422.

Ppp 2 be

be collocari juſſit, ut in ea coleretur.

46. 47 Huc ſpectat furtum Reliquiæ Præputii Chriſti in Urbis direptione, (de quo ſupra cap.24. n.13.) quæ quidem Reliquia; indicio furis, in oppido Calcatæ inventa, in ejuſdem oppidi Eccleſia, Pontificia auctoritate collocata fuit, ibique colitur. Et Clemens VII. apud Raynaldum Archiepiſcopo Calaritano, qui nonnullas Reliquias in eadem Urbis direptione ſublatas, & ad ipſum caſu delatas, ſuæ Eccleſiæ concedi petierat, reſpondit, ſe ejus devotioni, quo plus poſſet, adhæſurum.

48 Corpus quoque S. Ludovici Epiſcopi Toloſani ab Alfonſo Aragoniæ Rege, cum Maſſiliam depopularetur, raptum fuiſſe dicitur, & in Metropolitana Valentina collocatum, ubi etiam nunc colitur.

44 Fertur demum, corpus S. Lucæ Evangeliſtæ Conſtantinopoli, furtim Brunduſium, inde ad monaſterium Guleti diœceſis Nuſcanæ translatum fuiſſe, ejuſque monaſterii Abbatiſſam Monacho Cæleſtino ejus corporis Brachium, quod ſolum ſibi ſupererat, tradidiſſe, Monachum vero Abbati ſui Ordinis Generali dediſſe, qui illud Bononiam detulit. Poſt hæc Julius II. identitatis Brachii judicium Legato Bononienſi commiſit cum facultate ſubdelegandi Vicelegatum; hic vero de identitate conſtare pronunciavit, ejuſque ſententiam Legatus confirmavit. Quamobrem ſacra Reliquia in eccleſia S. Joannis Baptiſtæ Cæleſtinorum Bononiæ ſolemniter collocata fuit, ibique colitur.

50 &c. Porro hæc furtorum inſignium Reliquiarum exempla ſunt, earumque identitatis ex furantium teſtimonio admiſſæ; ex quibus proinde indubitata videtur Eccleſiæ praxis admittendi furantium dicta ad probandam ſacrarum Reliquiarum identitatem. Quod ſi quis obtrudat, in recenſitis exemplis, præter furantium atteſtationes, miracula interceſſiſſe; in primis etiam quoad Oſſa S. Joannis de Matha nonnulla referuntur, ſed his omiſſis, certe non in omnibus iis exemplis Hiſtorici miracula inſerunt. Præterquamquod ſi in hoc identitatis judicio miracula abſolute requirerentur, actum eſſet de ſacris Reliquiis, quæ ex Urbis cœmeteriis eruuntur, & publicæ venerationi exponuntur ex palmæ dumtaxat, aut vaſis ſanguinei ſignis, quæ una cum Reliquiis reperiuntur. Sufficit ergo in eodem judicio moralis de identitate certitudo, quæ ſicuti de S. Joannis oſſibus non deeſt, ita de eorum identitate conſtare declarandum eſt, multo magis cum oſſa eadem in loco certo exiſtant.

53 Hactenus ſuffragium, in quo omiſſa eſt furtiva corporis S. Benedicti ad Floriacenſes, & corporis S. Scholaſticæ ad Cenomanos translatio, quam Mabillonius, aliique an.660. contigiſſe contendunt. Sed hanc Angelus de Nuce, aliique impugnant, & merito cum ex bulla Zachariæ Papæ, & ex aliis monumentis exploratum ſit, eadem corpora in monaſterio Caſſinenſi adhuc exiſtere. Sed ad S. Joannis de Matha corpus quod attinet, ſacra rituum Congregatio 6. Septembris anno 1721., Innocentio XIII. approbante, reſcripſit, de ejus identitate conſtare, *itaut publicæ venerationi exponi poſſit*.

54 De hac identitatis materia raro in ſacra rituum Congregatione diſputatur. Si enim Poſtulatores Officium, & Miſſam propter inſignem Reliquiam petant, ea conceduntur, *citra tamen approbationem Reliquiæ*. Idque fit, ne per hanc gratiam Reliquia, ob ſolam Poſtulatorum expoſitionem approbari videatur.

55 Exemplo ſit Lancea, quæ Chriſti latus aperuit, quamque Pragæ aſſervari Germani eo potiſſimum fundamento contendunt, quod Innocentius VI, Carolo IV. Imperatore petente, feſtum, & Indulgentiam, itemque Officium in ejus honorem conceſſit. Hanc Lanceam Henricus I. ab Arnul-

Arnulpho Burgundiæ Rege, juxta Othonem Friſingenſem, extorſit. Alii putant eſſe Conſtantini Lanceam, quæ clavorum Chriſti partem continet. Utcumque hæc ſint, ex Innocentii Indulto non infertur, hanc Lanceam eſſe eamdem, quæ Chriſti latus aperuit; nam *quæ Innocentius retulit*, ait Raynaldus, *ex Imperatoris relatione repetivit*.

56 Poſt hæc Muratorius alia multa ſacrarum Reliquiarum furta retulit, & improbavit, quaſi per hoc Reliquiæ incertæ eſſent, quod in his furtis, ait, *furibus dumtaxat erat habenda fides*. Hæc tamen verba iis non officiunt, quæ de identitate corporis S. Joannis de Matha ſuperius dicta ſunt, cum hæc identitas non ſoli furum dicto, ſed aliis quoque probationibus innixa ſit.

CAPUT XXVI.

De loco, in quo ſancta Corpora, ſacræque Reliquiæ debent conſervari, & de aliis ad Corpora, & Reliquias Sanctorum pertinentibus.

1. 2 Sanctorum Corpora, Inſignes Reliquiæ, & Corporis pars, in qua Martyr paſſus eſt, ſi integra ſit, in eccleſia collocari debent. Et quamvis in authenticis Card. Vicarii, & Palatii Apoſtolici Sacriſtæ litteris dicantur, eadem retineri ab unoquoque poſſe, cui conceduntur, id tamen, Boldetto teſte, ad tempus eſt intelligendum, donec nempe in eccleſia reponantur. Excipiuntur autem magni Principes, præſertim Eccleſiæ Præſules, qui illa apud ſe retinere poſſunt, uti ſane Dux Joannes Angelus ab Altemps S. Aniceti corpus, quod a Clemente VIII. obtinuit, in proprii palatii Sacello magnifice collocavit, ut idem Dux in ejus vita refert. Reliquias vero minus inſignes unicuique domi ſuæ decenter conſervare licet.

3. 4 Ad locum vero quod attinet, in quo intra Eccleſiam illa conſervanda ſunt, profecto non in area ſuper altare exponenda, ſed vel ſub terra, vel intra altaria, ſuper quæ Miſſa celebratur, reponi debent; partes tamen Reliquiarum non admodum grandes in *Reliquiariis* clauduntur, ut populorum venerationi in ſolemnitatibus exhibeantur, veluti ſacræ rituum Congregationis nomine PP. Capuccinis civitatis Neapolitanæ Card. Ruſticuccius anno 1595. de quorumdam Sanctorum corporibus reſpondit. Porro antiquiſſimus eſt ritus eadem intra altaria collocandi, ſuper quæ ſacrum fit. Anaſtaſius quippe id a S. Felice I. ſtatutum eſſe narrat, idemque ex SS. Ambroſio (*a*), & Hieronymo (*b*), nec non ex aliis Scriptoribus, & monumentis exploratum eſt, & ab ipſa ſacra Congregatione, quoad S. Joannis Nepomuceni corpus anno 1721. decretum fuit.

5 Nunc de Reliquiarum oſtenſione dicendum eſt; ſiquidem ex Ordine Romano 15. apud Mabillon., & ex aliis Scriptoribus jampridem hic oſtenſionis ritus in uſu fuit. Porro juxta *cap. Cum ex eo, de Reliq. & vener. SS.* non ſunt ſacræ Reliquiæ ſine operimento oſtendendæ, vel propter decentiam, vel ne obloquendi, aut ſurripiendi, & falſas pro veris ſupponendis anſa præbeatur. Videatur Canonicus Morettus, qui hunc ritum exactiſſime expendit.

6 Sequitur, ut de earumdem in Proceſſionibus delatione verba fiant. Hic quoque ritus antiquus eſt, uti ex S. Auguſtino (*c*) conſtat. Et Paulinus, atque Evagrius tradunt, ſacras Reliquias lecticis, & vehiculis impoſitas deferri conſueviſſe. Beatorum vero Reliquiæ, ex ſacræ rituum Congregationis Decretis, non ſunt proceſſionaliter deferendæ, niſi immemorabilis conſuetudo permittat. Solet Aſſiſii prima die Auguſti ſolemnis Proceſſio quotannis inſtitui, in qua Benedictio, ut vocant, geſtatur S. Franciſci manu conſcripta. Anno 1720. Proceſſionem non-

a epiſt. 22. to. 2. oper. col. 874.

b adverſ. Vigilant. to. 2. oper. pag. 395.

c de Civit. Dei lib. 22. c. 8.

Digitized by Google

nonnulli prohibendam eſſe contendebant, tum quod in ea multa mala contingerent, tum quod non conſtaret, Benedictionem eamdem eſſe, quæ a S. Franciſco ſcripta fuerat, tum quod etiam epiſtola alicujus Sancti manu exarata non eſſet Reliquia, quæ cultum, & delationem per Proceſſionem mereatur. His omnibus Benedictus XIV, cum in minoribus eſſet, juſſu Card. Vallemani Ord. Min. Conventualium Protectoris, abunde ſatisfecit; quapropter particularis Congregatio a Clemente XI. deputata, & Proceſſionem ſervandam, & Benedictionem in ea deferendam eſſe cenſuit.

7 Enimvero ad Sanctos, arctius ſcripta, quam veſtes pertinent; ideoque ſi veſtibus, multo magis ſcriptis cultus eſt exhibendus. Diu autographam Apocalypſim Græci coluerunt, & Venetiis ſumma in veneratione Evangelium eſt S. Marci manu conſcriptum. Ferunt item, Abgarum Edeſſæ Regem a Chriſto per epiſtolam corporis ſanitatem petiiſſe, Chriſtum vero reſcripſiſſe, miſſurum ſe poſt ſuam in Cœlum aſcenſionem aliquem ex ſuis Diſcipulis, qui ipſi, ejuſque populis ſalutem afferret, quod a S. Thaddæo præſtitum poſtea fuiſſe graves referunt Auctores. Has Abgari, & Chriſti epiſtolas refert Euſebius (*a*), eaſque uti genuinas Baronius (*b*), aliique tuentur; impugnat Natalis Alexander cum aliis, præcipue quod Gelaſius Papa illam Chriſti inter apocrypha recenſuit: id tamen Gretſerus factum putat, quia illam nonnulli Canonicis Scripturis æquabant. Utcumque hæc ſint, qui epiſtolæ veritatem admiſerunt, eamdem, apud Baronium, inter ſacras Reliquias venerati ſunt. Quemadmodum admiſſa epiſtolæ veritate, quæ a B. M. Virgine, dum in humanis eſſet, ad Meſſanenſes ſcripta dicitur, quamquam a nonnullis rejiciatur, veneratio non denegatur. Quamobrem epiſtolæ a Sanctis ſcriptæ coli tamquam eorum Reliquiæ, & per Proceſſiones deferri poſſunt, uti de eadem Chriſti epiſtola refert Cedrenus. Et aliquando Deus eumdem cultum miraculis comprobavit, uti de S. Martini ſcriptis teſtatur Venantius Fortunatus (*c*).

a lib. 1. hiſtor. Eccleſ. c. 13.

b ad ann. 31. §. 60. & ad ann. 43. §. 18.

c to. 8. Biblioth. Patrum.

8 &c. Poſt hæc nonnulla de indumentorum mutatione dicenda ſunt, quæ circa Servorum Dei, vel Beatorum, aut Sanctorum corpora fit, de qua aliquando in ſacrorum rituum Congregatione ordinaria agitur. Si enim corpora intacta, & veteres eorumdem veſtes attritæ ſint, novis veſtibus conteguntur, quemadmodum de S. Catharina Bononienſi Bzovius, aliique referunt, ac de SS. Jacobo de Marchia, Pio V, aliiſque paſſim in eorum actis legitur.

11 Pro his peragendis facultas a ſacra Congregatione petitur, quæ illam concedere conſuevit, ſi legitima cauſa adſit, & dummodo Epiſcopus, aut Vicarius Generalis veſtium mutationi interveniat, eademque ſecreto fiat, neque a ſepulcro aliquid detrahatur. Si corpus ſit alicujus Servæ Dei, vel Beatæ, aut Sanctæ, indumentorum, ſaltem interiorum, mutatio a feminis facienda eſt, ut pluribus conſtat exemplis. Veteres vero veſtes, præſertim Beatorum, vel Sanctorum in capſa obſignata apud Ordinarium, vel prope corpus retinentur.

12 Hæc ex ſacræ Congregationis Decretis; in cauſa tunc B. Catharinæ Fliſeæ Adurnæ deſumuntur, quæ quidem rationabilia ſunt, cum Beatorum, & Sanctorum veſtibus juxta Nicolai Pontificis epiſtolam ad Michaelem Imperatorem veneratio exhibenda ſit, & juxta Imperatorum Theodoſii, & Valentiniani reſponſum curanda ſit eorumdem ſepulcrorum honeſtas.

13 &c. Reliquum eſt, ut de Reliquiarum conſervatione aliqua adnotentur. Inter pretioſas urbis Reliquias Scalæ Sanctæ recenſentur, quas Chriſtus morti proximus ſanguineis veſtigiis decoravit, & S. Helena juxta antiquam traditionem, quidquid nonnulli blaterent, Hieroſolymis Romam tranſtulit, teſte Megiſto Abbate, qui

ann. 844.

ann.844. vivebat, cujus narratio in bibliotheca Vaticana aſſervatur. Earumdem Scalarum gradus vigintiocto numerantur, quos Conſtantinus Imperator in porticu palatii diſpoſuit iuxta ſcalam, quæ ad *Patriarchium* ducebat. Cumque temporum injuria ſcalarum diſpoſitionem amiſerint, Sergius Papa II. an.844. ante baſilicam Conſtantinianam eos magnifice collocavit, veluti refert Anaſtaſius, & ex bulla Paſchalis II. an.1099. edita manifeſtum eſt.

16 &c. Poſt hæc Cœleſtinus III. Scalas Sanctas ante *Patriarchium* juxta Porticum Lateranenſem collocavit, ne multitudine ad illas accurrentium ingreſſus in baſilicam Conſtantinianam impediretur, uti videre eſt apud Nicolaum Proceſſi. Tandem Sixtus V. eas ante Capellam poſuit, quæ *Sancta Sanctorum* dicitur, binis hinc inde ſcalis ad commodum ædificatis. Verum tum longum tempus, tum frequentiſſimus per illas aſcenſus nedum Dominici veſtigia cruoris abraſit, ſed quoſdam etiam gradus attrivit, & tales in aliis foveas aperuit, ut difficulter genua illis imponi poſſent.

19 Quamobrem Clemens XI. Benedicto XIV. tunc Fidei Promotori mandavit, ut quid pro iis ſervandis agendum eſſet, ſcripto aperiret, & ipſe quidem inſinuavit, ut ſinguli gradus ligneo clauderentur operculo rimulis perforato, ut aſcedentes ſacra Limina videre, & oſculari poſſent, idque ſacra Apoſtolicæ Viſitationis Congregatio an.1723. perfici juſſit. Et hoc modo Scala Sancta ab interitu ſervata eſt, quam antiquiores Pontifices nudis pedibus aſcenderunt.

20 Reliquiarum conſervationi exacta addenda eſt cuſtodia, ne illæ furto auferantur. Et ſane Paulinus in vita Ambroſii (*a*), & Acta SS. Epipodii, & Alexandri teſtantur (*b*), diligentiſſime eam ob cauſam ſacras Reliquias a Chriſtianis olim fuiſſe cuſtoditas.

21 Neque vero permiſſum eſt eas, licet obtentu pietatis, furari, ut videre eſt *in can. Quiſquis*, 17. *q*.4., & apud Ferrand., & Piringh. Licet tamen eaſdem ex Infidelium poteſtate eripere, ut probat Theophilus Raynaudus. Immo laudantur, qui eas, ne fœdentur, ab Infidelibus pretio redimunt, quemadmodum Luitprandus Longobardorum Rex S. Auguſtini corpus e Saracenorum manibus, Beda teſte (c), pretio vindicavit.

22 Plura de ſacrarum Reliquiarum furto apud Auctores legi poſſunt. Sed quod in hoc ad Sedis Apoſtolicæ praxim ſpectat, primo ipſas Reliquias furto ſublatus liberaliter iis conceſſit, ad quos e furum manibus devenerunt, ut ex alias allato Clementis VII. ad Archiepiſcopum Calaritanum reſponſo colligitur, cum idem Archiepiſcopus humillime ſupplicaſſet, ſuæ Eccleſiæ concedi Reliquias, quæ in urbis direptione, ſublatæ ad ipſum forte delatæ fuerunt.

23 Secundo; Sedes Apoſtolica eorum annuit petitionibus, qui ablatas Reliquias ſibi reſtitui contendunt, uti ex Apoſtolicis Clementis VIII. litteris conſtat, in quibus mandavit, ut oppido de Ubeda tunc Servi Dei, nunc S.Joannis a Cruce corpus reſtitueretur, quod ad civitatem Segobienſem furtim translatum fuerat.

24 Tertio, reſtituenda eſſe Sanctorum corpora cenſuit, quæ titulo depoſiti ad alium locum translata fuiſſent, quemadmodum ex aliis ejuſdem Clementis VIII. litteris deſumitur, in quibus S. Ildefonſi corpus Eccleſiæ Toletanæ reſtitui juſſit, quod Saracenis Hiſpaniam occupantibus, ad civitatem Zamorenſem delatum fuerat. Quamquam in aliis Apoſtolicis litteris permiſit, ut aliqua ejuſdem corporis particula Zamoræ retineretur.

a n.33. to. 2. oper. ejuſd. Sancti.

b ap. Bolland. ad diē 22. April. to. 3. pag. 80.

c in Chronico pag. 33. edit. novæ Cantabrig.

CA-

CAPUT XXVII.

De Sanctis Baptizatis.

1 &c. ANtequam de his ſermo inſtituatur, nonnulla præmittenda ſunt. Ac primo quidem loca, in quibus Martyrum, aliorumque Fidelium corpora ſepeliebantur, *Cœmeteria*, *Catacumbæ*, *Arenariæ*, *Cryptæ*, aliiſque nominibus apud Baronium, Bolland., alioſque appellari conſueverunt. Hæc loca a Gentilibus fortaſſis, eruendæ gratia arenæ, initium habuerunt, ſed poſtea Chriſtiani ea ad ſuos uſus perfecerunt, atque aptarunt. Quocirca venerationem aliquam merentur, cum in iis multa Sanctorum corpora, teſte Prudentio, condita ſint. In iis quoque præcipue perſecutionum tempore, Miſſæ celebrabantur, ſacramenta adminiſtrabantur, Ordinationes, Synodi, ac reliquæ ſacræ functiones peragebantur, veluti Panvinius, aliique oſtendunt.

5 &c. Secundo, innumeri Martyres in his cœmeteriis ſepulti ſunt, quorum nomina, teſte Prudentio (*a*), ut plurimum ignorantur, non quidem ob Chriſtianorum incuriam, ſed propter Gentilium furorem, qui ingentem novum numerum hauſit, itaut vix cum notis, & ſignis martyrii ſepeliri potuerint, ut notat Aringhius.

(*a*) periſteph. 3. de S. Laurent. v. 541.

7. 8 Tertio, ſoli Chriſtiani in iis ſepeliebantur, ut late Baronius demonſtrat, & uti ex epiſt. 68. S. Cypriani, & ex aliis monumentis exploratum eſt. Baſnagius contendit, Gentiles quoque ſimul cum Chriſtianis tumulatos fuiſſe, ſed Dominicus Georgius eum fuſe refellit. Non omnes tamen, qui in cœmeteriis ſepulti ſunt, pro Sanctis, ſeu Martyribus haberi debent. Omnes quippe Chriſtiani in iis tumulabantur, qui neque primis illis temporibus omnes ſancti erant, ut videre eſt apud Panvinium, & Scacchum.

9, 10 Quarto, licet ex epiſt. S. Germani *ad Hormiſdam Papam*, & ex aliis antiquis monumentis Romani Pontifices videantur, non corpora, aut oſſium fragmina, ſed vel olea ex eorum lampadibus, vel, juxta S. Gregorii epiſtolam ad Conſtantiam Imperatricem, Brandea, ſeu Pannos Sanctorum corporibus admotos, conſueviſſe ad alios mittere: teſtatur tamen S. Paulinus Nolanus, ſacra corpora, ſacraſque Reliquias e Romanis cœmeteriis antiquitus extractas, & ad remotas eccleſias tranſmiſſas fuiſſe. Immo ex memorata S. Gregorii epiſtola eruitur, ejuſdem Sancti temporibus non abſolute prohibitam, ſed ſolum difficulter admiſſam ejuſmodi tranſmiſſionem fuiſſe, cujus rei exempla videre eſt apud Ripamontium, & Ughellium.

11. 12 Porro conveniunt omnes, Sanctorum corpora eſſe in Urbis cœmeteriis; quamquam nonnulli exhauſta illa eſſe ob frequentem extractionem exiſtimarunt, cum Gregorius IV. Otgario Archiepiſcopo Moguntino, & Clemens IV. Regi Caſtellæ Sanctorum corpora poſcentibus reſponderint, ea præſto non eſſe. Verum Gregorii IV. tempore non omnia Urbis cœmeteria detecta erant, & Otgarius alicujus Sancti certi nominis corpus fortaſſis petierat, cujuſmodi corpora in Urbanas eccleſias e cœmeteriis tranſlata, aliis concedenda non erant, ut obſervat Mabillon.; & ut Rainulpho Comiti Aliphano ſimile corpus petenti Anacletus II. apud Teleſinum reſpondit, quamquam poſtea S. Sixti I. corpus eidem conceſſit, quod tamen non conſtat, utrum ad civitatem Aliphanam tranſlatum fuerit, an in Alatrina remanſerit:

13. 14 Nunc de ſignis dicendum eſt, quibus Martyrum corpora ab aliis in cœmeterio diſtinguuntur. Primum ſignum eſt inſcriptio corpori appoſita, dummodo clara ſit, ideoque juxta Mabillon. nomen, & titulum Martyris debet exprimere. Et ſane cum de S. Felicis Papæ II. meritis Cardinales Baronius, & Sanctorius acriter diſceptapta-

ptarent, contentionem ſuſtulit lapideus latereulus in Diaconia SS.Coſmæ, & Damiani una cum S. Felicis corpore inventus, & inſcriptus, *Corpus S. Felicis Papæ, & Martyris, qui damnavit Conſtantium*. Quamobrem Gregorius XIII. eum in Martyrologio Romano tamquam Martyrem deſcribi juſſit, uti fuſius apud eumdem Baronium ad an.357. legi poteſt. Non tamen ſufficit, ut inſcriptio titulum Sancti exhibeat, quia hic olim titulus, juxta Boldettum, Chriſtianis omnibus communis erat.

15 &c. Secundum in martyrii Inſtrumentis conſiſtit, quæ olim a Chriſtianis eum Martyrum corporibus interdum recondebantur, veluti Caſalius, Aringhius, aliique referunt. Et S. Ambroſius, & Baronius teſtantur, quorumdam Martyrum corpora cum martyrii inſtrumentis reperta fuiſſe. Incerta tamen ſunt hæc ſigna, ſi depicta tantum in tumulis ſint, cum fortaſſis artem indicent, quam quis, dum viveret, profeſſus fuerat.

18 Tertium ſignum conſiſtit in ſymbolo ☧, quod explicatur *pro Chriſto*. Monogramma hoc Conſtantinus cruci vexillo præfixæ inſeruit, teſte Euſebio, ante ipſum tamen apud Chriſtianos uſitatum fuerat; Dominicus quippe Georgius refert, illud in Marci, aliorumque ſepulcris inventum fuiſſe, qui ſub Hadriano, & Antonino Pio Martyres occubuerunt. Si autem hoc ſignum cum aliquo corpore ſolum ſit, quidquid alii ſentiant, verius neque Martyrem, neque Confeſſorem, ſed hominem dumtaxat Chriſtianum ſignificat, ut videre eſt apud Scacchum, alioſque.

19. 20 Quartum ſignum exhibent Palmæ ſepulcris inciſæ. Has enim Martyrii ſymbolum eſſe juxta illud Apocalypſ.7., *& Palmæ in manibus eorum*, docent S. Gregorius, S. Ambroſius, aliique, & colligitur ex Actis SS. Jacobi, Mariani, aliorumque apud Ruinart.

21 Quintum ſignum dant phialæ, ſeu vaſcula ſanguinis, quæ in ſepulcris reperiuntur. Siquidem mos erat apud Chriſtianos ſacrum Martyrum cruorem colligendi, & in ſepulcris una cum Martyribus condendi, teſte Aringhio, cui cum aliis ſubſcribit Muratorius.

22 &c. Ex his omnibus ſignis ſacra Congregatio Indulgentiis, & Reliquiis præpoſita Palmas, & phialas ſanguinis dumtaxat, tamquam certiſſima, admiſit, reliquorum vero examen diſtulit, ut colligitur ex Decreto 10. April.1668. edito. Id ipſum affirmat Fabrettus in ſuo *Inſcriptionum libro*, & in publico Inſtrumento, quod condidit, cum, tamquam Cardinalis Vicarii Secretarius, extractioni corporum SS. Martyrum Ptolemæi, & Romani prope civitatem Nepeſinam intereſſet. His addi poteſt, quod, cum de corpore in *Confeſſione* S. Petri in Cælo Aureo civitatis Ticinenſis invento contentio exarſiſſet, utrum illud Sancti Auguſtini Eccleſiæ Doctoris, an alterius Sancti eſſet, utpote quod cum quibuſdam ampullis vitreis repertum fuerat, Epiſcopus, Benedicto XIII. approbante, declaravit, corpus idem eſſe S. Auguſtini, cum ampullæ nullum ſanguinis veſtigium exhiberent. Ex quibus omnibus manifeſtum eſt, vaſa ſanguine tincta indubitatum eſſe martyrii ſignum.

25 Quapropter Bollandiani, & Mabillonius negant, ſolam palmam martyrii argumentum eſſe, putantes, in laudato Congregationis Decreto, palmam, & ſimul vas ſanguineum pro ſignis certiſſimis requiri. Verum ex illo Decreto videtur, alterutrum eſſe ſignum ſufficiens, ut probat Boldettus.

26 Porro Muratorius a Boldetto diſſentit, & Mabillonio, aliiſque adhæret, qui negant, ex ſola palma indubitatum deſumi poſſe martyrii ſignum, idemque Muratorius ex S.Gregorio M., Caſſiodoro, & Beda docet, palmam ſolum eſſe Juſtorum ſymbolum. Et ſane, qui e Catacumbis corpora extrahunt, totum martyrii

fundamentum in vaſe ſanguine tincto conſtituunt.

CAPUT XXVIII.

De extractione, cuſtodia, & diſtributione ſanctorum Corporum, & Reliquiarum, quæ extrahuntur ex cœmeteriis Urbis, & de cultu illis debito.

1 &c. JUxta Pontificum ſtatuta ſub pœna triremium, aut pecuniaria, & excommunicationis latæ ſententiæ Pontifici reſervatæ cautum eſt, ne quis ex Urbis cœmeteriis ſacras extrahat Reliquias. His vero extrahendis Sacerdos intereſſe debet, a Card. Vicario deſignandus, iſque ea ſigna recognoſcere, quæ pro tutioribus habuit Indulgentiarum Congregatio, ad quam ſpectat juxta Clementis IX. Conſtitutionem 6. Jul. 1669. editam, Reliquias recens inventas recognoſcere. Recognitæ in capſa ſigillis obſignata ad Sacrarii Apoſtolici Præfectum, vel ad eumdem Sacerdotem cuſtodiendæ deferuntur. Neque licet publicæ venerationi Reliquias exponere, niſi a Card. Vicario, aut ab alio deputato examinatæ, & a Pontifice, vel a prædicta Congregatione approbatæ ſint.

6 &c. Inſignes Reliquiæ in eccleſia collocandæ ſunt, attamen eædem non conceduntur, niſi Ordinarius per literas eccleſiæ dignitatem, & meritum teſtetur. Excipiuntur magni Principes, & Eccleſiæ Præſules, cum quibus liberalius in hoc agi conſuevit, & minores Reliquiæ privatis etiam Fidelibus dantur. Porro Reliquiæ, & accipientium nomina in peculiari libro notanda ſunt: neque aliud licet Reliquiis nomen imponere præter illud, quod a Card. Vicario impoſitum eſt. Idemque Vicarius, ſacrorum corporum effoſſoribus mercedem ex pecuniis ſolvet, quæ piis operibus applicantur. Demum ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ vetitum eſt, ne in ſacris corporibus tradendis, aut pro litteris Patentibus, earumque ſigilla quidquam, etſi ſponte datum, accipiatur. Omnia hæc in Apoſtolicis Clementis X. litteris in forma Brevis 13. Januar. 1672. datis confirmantur.

12 &c. Nomine utplurimum ſacra corpora carent, quæ e catacumbis extrahuntur, quod proinde a Card. Vicario illis imponitur. Qui mos nedum laudabilis eſt, cum, ſicuti Ferrandus notat, Fideles ferventiori affectu erga Reliquias certi nominis ferantur: ſed etiam antiquiſſimus, ut pluribus Joannes Mabillon., aliique oſtendunt. Et ſane in ipſis Eccleſiæ primordiis Chriſtiani Martyrem illum, qui S. Felici patienti ſe comitem addidit, Adauctum appellarunt, cum proprium ejus nomen ignotum eſſet, uti in Romano Martyrologio ad 30. Aug. habetur. Et ad 8. Novembr. SS. Severus, fratreſque Martyres diu SS. Quatuor Coronati appellati ſunt, donec eorum nomina divinitus innotuerunt.

15 Porro nomina, quæ imponuntur, ex ſacræ Indulgentiarum, & Reliquiarum Congregationis Decreto 23. Jun. 1670. appellativa eſſe debent, quæ Sanctis communia ſunt, ut *Juſtus*, & *Candidus*, & ſimilia, quorum elenchus apud Plovvierium videri poteſt. Idque caute obſervandum eſſe Baldellus, aliique inſinuant.

16 Opponunt nonnulli, ex horum nominum impoſitione mendacium, & ſuperfluitatem oriri, itemque confuſionem, quippe cum idem nomen pluribus Sanctis imponatur, multæ Civitates contendunt, ſe unius, & ejuſdem Sancti corpus habere. At mendacium: ab ipſo nomine appellativo excluditur, ſuperfluitas vero a cultu abjicitur, qui ex horum nominum appoſitione augetur. Pius autem Civitatum error, vel facile tollitur, vel nullum pietati, ac religionis detrimentum affert, teſte Guiberto Abbate. Qui de his plura velit, Ricciulum, & Boldettum adeat.

17 &c. Supereſt, ut de horum Sanctorum corporum cultu aliqua adnotentur, & ſignanter quoad Officium,

cium, & Miſſam, & delationem per Proceſſiones. Sacra itaque rituum Congregatio Decreto 3. Jun. 1617., aliiſque pluribus ſubinde editis declaravit, non licere Officium, & Miſſam in eorum honorem celebrari, quorum nomina in Martyrologio Romano non ſunt deſcripta, & de quorum identitate non conſtat, etiamſi inſignes eorumdem Reliquiæ publico cultui in eccleſiis exponantur.

25. 26 Verum cum ex Martyrologii Romani Rubricis alicujus Sancti Officium celebretur, qui in eodem Martyrologio non ſit deſcriptus, cumque Sedes Apoſtolica conſueverit Officium, & Miſſam concedere in honorem Beatorum Beatificatione formali, vel æquipollenti, quorum nomina non ſunt de jure in Martyrologio deſcribenda, hinc fit, ut memorata Congregationis decreta intelligenda ſint de Officio, & Miſſa quoad Eccleſiam univerſalem, & quoad Sanctos, quorum corpora, & inſignes Reliquiæ ad publicam venerationem exponuntur, ſed eorum nomina, & Martyrii Acta ignorantur, quales utplurimum ſunt ii, quorum corpora ex Urbis cœmeteriis extrahuntur. Porro ſacra Congregatio Officium, & Miſſam in honorem Sanctorum bujus generis vetuit, non quod de eorum ſanctitate dubitaverit, aut venerationem illis ſubtrahere voluerit, ſed quod lectiones propriæ, Actis incognitis, in eorum honorem concedi non poſſent; quod ſi de communi concederentur, Officia nimis excreſcerent, quod non eſt admittendum. Similia docent Bollandiani *to.7.*
(a) pag.33. *Jul.*(a), ubi hiſtoriam referunt corporis S. Theodori Martyris, quod ex urbis Catacumbis erutum, & Collegio Auguſtæ Vindelicorum Societatis Jeſu conceſſum fuit.

27 Paucis relata decreta vetant Officium, & Miſſam ratione inſignis Reliquiæ, niſi hæc ſit alicujus Sancti in Martyrologio Romano deſcripti, & de identitate conſtet; itaut hæc prohibitio Sanctos, ſive baptizatos, ſive non baptizatos in Martyrologio non recenſitos reſpiciat, non autem Beatos ſive formali, ſive æquipollenti Beatificatione, de quorum virtutibus, aut Martyrio, miraculis, & cultu monumenta ſuperſunt, licet eorum nomina in Martyrologio non ſint deſcripta. Et hæc quidem a ſacra rituum Congregatione admiſſa fuere, cum de conceſſione lectionum propriarum in honorem S. Silveſtri Abbatis Nonantulani ageretur.

28 Ab hac tamen regula aliquando Congregatio eadem ex particularibus circumſtantiis receſſit. Nam inſtante Card. Flavio Chiſio, Officium, & Miſſam de communi in honorem S. Sergii Martyris conceſſit, cujus corpus ſub proprio nomine e cœmeterio Calliſti eductum Alexander VII. in Metropolitana Senenſi eccleſia ſub ara Sacelli B. M. V. Immaculatæ ab eodem Pontifice extructi collocaverat, & cujus die feſto Indulgentia plenaria idem Sacellum viſitantibus conceſſa erat, ut videre eſt in decreto 26. Novembris 1678. edito. Et Benedictus XIV. in ſuis Apoſtolicis litteris in forma Brevis 21. Jul. 1741. datis, ad enixas Card. Lambergh Paſſavienſis Epiſcopi preces indulſit, ut Canonici Regulares Ordinis S. Auguſtini Congregationis Lateranenſis ejuſdem Diœceſis Officium, & Miſſam de communi in honorem S. Amantii Martyris celebrarent, cujus corpus ſub proprio nomine ex Urbis cœmeteriis extractum iiſdem Religioſis dono datum fuerat.

29 Quod ſi ab immemorabili tempore in ejuſmodi Sanctorum honorem Officium, & Miſſa celebrentur, ea retinenda ſunt; nam in ſuperius citato Decreto anni 1691. reſervatur conceſſio Apoſtolica, & in decretis Urbani VIII. cultus immemorabilis præſervatur: & ita ſervandum eſſe ipſa rituum Congregatio Epiſcopo Ripano reſpondit quoad Officium, & Miſſam, quæ in ejus diœceſi in honorem cujuſdam S. Benedicti Martyris celebrata fuerunt.

30 Reliquum eſt, ut expendatur, an horum Sanctorum corpora, ſeu Reliquiæ per Proceſſiones deferri poſſint. Porro cum de hoc in ſacra Indulgentiarum, & Reliquiarum Congregatione ageretur, Benedictus XIV. tunc Fidei Promotor oppoſuit, nullam hujus delationis mentionem fieri in litteris teſtimonialibus, quæ in harum Reliquiarum diſtributione dantur; & quamquam in Beatorum honorem Officium, & Miſſa concedantur, non tamen permiſſum eſſe, horum Reliquias per Proceſſiones deferri; idcirco neque id permittendum eſſe pro Sanctis baptizatis, qui utique Officium, & Miſſam non obtinent. Verum nihil in eadem Congregatione ſtatutum eſt.

31 &c. Attamen probabilior videtur contraria ſententia; ſi enim certa eſt eorum ſanctitas, nomen ignotum obſtare nequit. Quin etiam hunc ritum antiqua diſciplina inſinuat; nam S. Paulus Papa I, & Paſchalis I. apud Anaſtaſium, ac Stephanus V. apud Baronium (*a*), & Surium (*b*) Sanctorum corpora e cœmeteriis eruta in Urbem ſolemni Proceſſione deduxerunt. Congruit quoque diſciplina recentior; ſiquidem in his Reliquiis, ad alias urbes tranſmiſſis, excipiendis, Proceſſiones fiunt, & ex Pontificali Romano, ſi in altaribus conſecrandis collocandæ ſunt, proceſſionaliter per Eccleſiam deferuntur.

a ad ann. 886.

b ad diem 27. Januar.

34 His poſitis evaneſcunt ea, quæ Fidei Promotor oppoſuit. Enimvero facultas deferendi has Reliquias per Proceſſiones, non litteris teſtimonialibus, ſed fundamentis paulo ante adductis innititur. Illæ vero Beatorum deferri nequeunt, quia aliud de his judicium ſupereſt, non item de Sanctis Baptizatis. Quod ſi de his Officium, & Miſſa non conceduntur, id non ob ſanctitatis incertitudinem fit, ſed ob Actorum defectum, & ne Officia nimis multiplicentur.

CAPUT XXIX.

De cultu Sanctorum veteris Teſtamenti.

1. 2 NOnnulla de his alibi attigimus, alia hic expendenda ſuperſunt. Ac primo quidem quæritur, an omnes, qui ante Chriſtum mortui ſunt, ad vetus pertineant Teſtamentum? ſed neganter reſpondetur. Siquidem juxta S. Thomam (*c*), Suarez, alioſque Sancti Joannes Baptiſta, Joſeph, Pueri Innocentes, Zacharias, Eliſabeth, Simeon, Anna Prophetiſſa, Joachim, & Anna, quamquam Chriſto præmortui, ad novum Teſtamentum ſpectant.

c in 2. 2. q. 179. ar. 4.

3. 4 Secundo quæritur, an expediat, ut cultus Sanctorum veteris æquetur cultui Sanctorum novi Teſtamenti? Id Theophilus Raynaudus affirmat a ſummo Pontifice de poteſtate abſoluta fieri poſſe, non autem de ordinaria, quæ Eccleſiæ diſciplinæ, & conſuetudini alligatur. Enimvero ab Eccleſiæ initio ad hæc uſque tempora inter utroſque Sanctos maxima interceſſit differentia, veluti Card. Capiſucchius adnotavit. Alii dixerunt, Sanctos veteris Teſtamenti non eſſe in univerſali Eccleſia colendos, quod ad Limbum deſcenderint, & dilata eis viſio beatifica fuerit; hic vero additur, quod cum Fides doceat, Chriſtum cœlos aperuiſſe, & per ipſum ſolum ceteros beatitatem conſecutos eſſe, id juxta Ferrarium aptius inſinuatur, ſi Sancti, qui Chriſtum ſubſecuti ſunt, ſpecialiter colantur, & Sanctis veteris Teſtamenti anteferantur.

5 &c. Quæres tertio, cur ex veteris Teſtamenti Martyribus ſoli Machabæi colantur? S. Gregorius Nazianzenus id fieri docet (*d*), quia pro legibus patriis fortiter paſſi ſunt, & *ad Crucis normam* vitam exegerunt. S. Bernardus (*e*) vero id ex eo repetit, quod ex veteribus ſolum eorum martyrium quoad cauſam, & formam martyrio Martyrum novi Teſtamenti aſſimi-

d in Orat. de Machab. in princip.

e epiſt. 98.

Digitized by Google

aſſimiletur, quia nempe Juſtitiam deſerere, & Diis alienis libare noluerunt. Sed hæ rationes non omnibus ſatisfaciunt. Aliam rationem dat Thomaſſinus, ſcilicet, quia Machabæi ultimi ex Synagoga martyrium ſubierunt, & Judæi Helleniſtæ, qui Chriſtianam Fidem ſtatim ſuſceperunt, eos fortaſſis Martyribus novi Teſtamenti in Oriente adjunxerunt, unde ad Occidentem cultus eorum dimanavit.

9. 10 Quæres quarto, an in Orientali Eccleſia Sanctorum veteris Teſtamenti feſta celebrentur? Et id quidem verum eſt: nam in Græcorum Menologiis, & Synaxariis Malachias, aliique Prophetæ, necnon Abraham, & Lot commemorantur. Certa quippe eſt Abrahæ ſanctitas, quam ejus fides, & obedientia ſatis commendant; Lot vero, etſi peccaverit in filiarum ſtupro, pœnitentiam tamen egiſſe colligitur ex 2.*Petr.*2., ubi Lot Juſtus appellatur. Alia itidem hujuſmodi feſta referuntur a Gregorio Tauromitano, a Balſamone, & Joanne Nicæno, & apud Waddingum Calendarium extat Eccleſiæ Hieroſolymitanæ, in quo plurima Sanctorum veteris Teſtamenti feſta recenſentur.

11 Quæres quinto, an etiam in Eccleſia Occidentali ex conceſſione Sedis Apoſtolicæ Sanctis veteris Teſtamenti in quibuſdam locis cultus exhibeatur? Et hoc pariter certum eſt. Siquidem ex ejuſmodi conceſſione Officia, & Miſſæ celebrantur in eccleſiis, quæ ab antiquo tempore his Sanctis dicatæ fuerunt, quæ profecto in Sardinia, in Apulia, Cremonæ, Venetiis, & in aliis pluribus locis reperiuntur.

12 Duo quoque ſunt Lazari, alter mendicus, de quo *Luc.*16., alter Marthæ, & Mariæ frater a Chriſto reſuſcitatus *Joan.*11. Duobus iſtis Lazaris Eccleſia cultum exhibet, & templa dedicat, ex quo evincitur, coli Sanctos veteris Teſtamenti. Primus quippe ad vetus Teſtamentum pertinet, ejuſque factum hiſtoriam redolet, ut notat Maldonatus; & Bellarminus, aliique affirmant, eumdem tamquam verum Sanctum recte coli, pingi, & invocari. Romæ quoque extra portam Angelicam extat templum, & hoſpitale S.Lazari. Plura vero de ejus cultu habentur in bulla 95. Pii IV, in qua Ordinem S. Lazari reſtituit.

13 Accedunt Officiorum, & Miſſarum celebrationes. Etenim in Cæremoniali Monaſterii Fontiſebraldi, & & in Calendario, ac Breviario Congregationis Oratorii Jeſu, ex auctoritate Apoſtolica, reperitur Officium S.Abrahæ, itemque Officium, & Miſſa S. Job. Et ſacra rituum Congregatio lectiones S. Danielis, & Officium S.Zachariæ approbavit pro quibuſdam Venetiarum Monialibus. Præterea univerſus Carmelitarum Ordo ex Gregorii XIII, aliorumque Pontificum Indultis recitat Officium S. Eliæ, idque ſacra rituum Congregatio retineri poſſe, teſte Lezana, ſtatuit, impoſito contradicentibus ſilentio. Et Innocentius XII. controverſiæ de primæva hujus Ordinis inſtitutione ſilentium impoſuit. Quænam vero lectiones pro Sanctis veteris Teſtamenti aptiores ſint, Gavantus inſinuat.

CAPUT XXX.

De Angelis, & eorum Cultu.

1 VEnerationem, & preces Angelis exhibitas fuiſſe, vetus Teſtamentum paſſim demonſtrat, cujus auctoritates apud Calmet videri poſſunt. Item ex verbis Chriſti Matth.18. *Angeli eorum .... vident faciem Patris mei*, conſtat, Angelos parvulis apud Deum patrocinari, & Fidelium orationibus præeſſe, ut explicat S. Hilarius (*a*). Quod vero *in* *a* col. 699. n. 5.
Apocalypſi Angelus Joannem, qui ipſum adorare volebat, prohibuerit, & Synodus Laodicena adorationem pariter *b* 2.2.q.84. art.1.
Angelorum vetuerit, id S.Thomas (*b*), Zona-

Zonaras, aliique interpretantur de adoratione, quæ idolo-latriam ſaperet, & in Chriſti contemptum redundaret. Colendos autem, & invocandos eſſe Angelos diſerte docet Origenes *homil.1. in Ezechiel.*, quam homiliam S. Hieronymus ex Græco in Latinum vertit, eamque contra Dalleum, & Bochartum Origeni Eraſmus, & Huetius adjudicant.

2. 3 Novem in ſacris Scripturis, & apud Patres recenſentur Angelorum Ordines, videlicet, Angeli, Archangeli, Principatus, Poteſtates, Virtutes, Dominationes, Throni, Cherubim, & Seraphim. Eorum nomina apud Scriptores ſunt, Michael, Gabriel, Raphael, Uriel, Sealtiel, Jehudiel, & Barachiel, ſed Eccleſia Gabrielis, Michaelis, & Raphaelis dumtaxat nomina admittit, ut conſtat ex Capitularibus Caroli M., & ex Concilio Romano ſub Zacharia Papa celebrato. Cumque in eccleſia S. Mariæ Angelorum de Urbe pictura quædam cum aliis Angelorum nominibus appoſita fuiſſet, mandatum eſt, ut ea nomina delerentur, teſte Card. Albitio.

4 His præmiſſis, videndum eſt, quænam ſit Eccleſiæ diſciplina in Angelis colendis. Porro veneramur Angelorum imagines, qui figura humana Juſtis apparuerunt, & circumſcripti ſunt, ut loquitur Concilium Generale ſeptimum (*a*). Nemo vero hinc inferat, Concilium autumaſſe, Angelos eſſe corporeos, ut quidam perperam ſuſpicati ſunt, ſed ſolum intellexiſſe, Angelos pingi poſſe.

a Act.5.

5 Præterea invocantur in litaniis; & in benedictione Incenſi ad Offertorium dicitur, *Per interceſſionem beati Michaelis &c.* Quamquam in antiquioribus codicibus legitur, *Per interceſſionem S. Gabrielis &c.*, & hoc modo legendum eſſe, præter alios, docet Ven. Card. Thomaſius.

6 Templa inſuper Deo in honorem omnium Angelorum dedicantur, cum Eccleſiæ, & feſtum S. Michaelis, juxta Guyet, ac Durandum, diei omnium Angelorum eccleſiæ, & feſtum poſſint, & Romæ templum eſt B. Mariæ Angelorum a Pio IV. dicatum.

7 Dedicantur etiam in honorem ſingulorum, ut S. Michaelis &c. Theodoretus ſiquidem, & Sozomenus (*b*) teſtantur, plura Oratoria per totum Orientem in honorem præſertim S. Michaelis inſtituta fuiſſe, quæ *Michaelia* dicebantur.

b lib.2.c.3.

8 Idem honor Angelis Cuſtodibus tribuitur, non quidem Angelo Cuſtodi cujuslibet hominis, ſed Cuſtodibus omnium hominum, ut notat Guyet, qui etiam advertit, in recognitione Breviarii ſub Urbano VIII, ubi antea legebatur, *In feſto S. Angeli Cuſtodis*, ſcriptum fuiſſe in plurali numero, *In feſto SS. Angelorum Cuſtodum*, ut intelligeretur, non unius, ſed omnium Angelorum Cuſtodum feſtum celebrari.

9 Rurſus dedicantur eccleſiæ in memoriam inſignis apparitionis alicujus Angeli, aut acceptæ ejus ope ſingularis gratiæ; quemadmodum in memoriam apparitionis S. Michaelis in monte Gargano, Ravennæ, & alibi apud Rubeum, Sozomenum, Longueval, alioſque, celebres eccleſiæ erectæ ſunt. Porro Apparitio in monte Gargano apud Baronium ann.356. contigit, & ad eam eccleſiam frequens olim erat Chriſtianorum peregrinatio, & Otho Imperator hanc peregrinationem nudis pedibus obivit. Item Leo IV, Saracenis interceſſione S. Michaelis fugatis, eccleſiam prope Vaticanum in ejus honorem extruxit. Aliam erexit Bonifacius IV. in ſummitate molis Hadrianæ, ſuper quam Angelus viſus fuerat gladium, ceſſante lue, in vaginam recondere, ut refert Baronius (*c*). Notandum tandem eſt, non dedicari eccleſias in honorem omnium Seraphim, aut aliorum Ordinum Angelorum, quia non eſt uſu receptum, ut notat Guyet.

c in not. ad Martyrol. Roman. ad diem 29. Septemb.

11 Præterea Officio in Eccleſia uni-

univerſali recoluntur Apparitio, & Dedicatio S. Michaelis Archangeli in monte Gargano. Et Clemens X. in honorem Angelorum Cuſtodum Officium, quod Paulus V, petente Ferdinando Imperatore, conceſſerat, in tota Eccleſia recitari præcepit.

12 In plerisque Eccleſiis, & Ordinibus Regularibus recitatur Officium S. Gabrielis octava die ante, vel poſt Annunciationem B. M. Virginis, idque juxta Guyet, quia Incarnationis myſterium B. Virgini Gabriel annuntiavit. Plura de ejuſdem cultu apud Bollandianos videri poſſunt.

13 Similiter in honorem S. Raphaelis Officium, & Miſſa in quibuſdam locis, ſacra rituum Congregatione approbante, celebrantur, ac templa dicata ſunt, & merito, ut notat idem Guyet, cum Raphael in litaniis invocetur, & ex ſacris Scripturis certa ſit ejus ſanctitas.

14 Tandem in regionibus Regi Portugalliæ ſubjectis Officium Angeli Cuſtodis ejuſdem Regni ex Sixti V. conceſſione recitatur. Conſentiunt quippe Theologi cum S. Bonaventura (a), non ſolum ſingulis hominibus, ſed etiam Regnis, & Provinciis Angelos Cuſtodes aſſignari.

a in compend. Theologicę veritat. lib. 2. c. 16. to. 7.

CAPUT XXXI.

Nonnulla miſcellanea in ſacrorum rituum Congregatione examinata, & vel approbata, vel reprobata.

De Officio, Miſſa, & Feſto in honorem Patris Æterni celebrando Dominica quinta poſt Paſcha.

1. 2 ALcuinus a S. Bonifacio Archiepiſcopo Moguntino rogatus, inter alia Officia illud quoque SS. Trinitatis compoſuit, idque Alexander II, vel ut alii malunt, III. *in cap. Quoniam de feriis* non reprobavit. Sed tandem feſtum hoc juxta Durandum, alioſque in univerſam Eccleſiam ſub Joanne XXII. introductum fuit.

3 Poſt hæc Innocentio XII. preces exhibitæ ſunt, ut in honorem Patris Æterni feſtum cum Officio, & Miſſa propriis concederetur. Porro Eccleſia aliquando ſolum Patrem orat, & recte in unam Perſonam mentem intendere poſſumus, non cogitando actu de aliis, veluti Raynaudus docet. Hinc nonnulli putarunt petitioni annuendum eſſe. Verum ſacra rituum Congregatio, cui petitionis examen a Pontifice commiſſum fuerat, inſtantiam ne proponendam quidem eſſe cenſuit. Fidei ſiquidem Promotor animadvertit, non quidquid ſancte ſuſcipi poteſt, ab Eccleſia præſertim publico ritu admittendum eſſe; & inde fortaſſis nonnullos anſam arrepturos ſimilia petendi in honorem Filii, & Spiritus Sancti. Præterea Perſonarum diſtinctio quoad feſta occaſionem rudibus præberet plures naturas Divinas admittendi, quod ut caveretur, Eccleſia in orationibus ad unam Divinam Perſonam directis alias Perſonas ſtatim nominat. Neque vero obſtat, quod alia feſta in honorem unius ex Divinis Perſonis ſeorſum ab aliis inſtituta eſſe videantur. Siquidem per feſtum Pentecoſtes ſolum Spiritus Sancti adventus memoria recolitur; illa vero, quæ de Chriſto celebrantur, non diriguntur ad Filium, tamquam ad ſecundam Trinitatis Perſonam, ſed præcipua Incarnationis, & humanæ ſalutis myſteria repræſentant, ut late Thomaſſinus, & Raynaudus proſequuntur. Omnia vero ad hanc petitionem ſpectantia luculenter expreſſit Ven. Card. Thomaſius in ſuo ſuffragio ſuper eadem exarato, quod extat inter Mss. celebris Bibliothecæ Card. Paſſionei.

De Feſto in honorem Nominis Jeſu.

5. 6 Sanctiſſimo Jeſu Nomini, quod a Deo per Angelum Luc. 2. impoſitum eſt,

eſt, *Latriæ* cultum exhibendnm eſſe docet S. Paulus *ad Philipp.*2. Plura de eodem Nomine prædicat S. Bernardus (*a*). Et S. Bernardinus Senenſis Ordin. Min. S. Franciſci, ſæculo XV. ineunte, ut populos ad pœnitentiam, & ſpem excitaret, illud in tabella delineatum conſuevit in fine concionis proponere adorandum. Quapropter tamquam novi cultns inductor apud Pontificem accuſatus fuit. Verum, S. Joanne de Capiſtrano ejus cauſam tutante, non ſolum ipſe uti innocens dimiſſus, ſed etiam Sanctiſſimi Nominis cultus approbatus fuit, veluti S. Antoninus, Waddingus, aliique referunt.

a ro.3.oper. edit. Maur. pag.22.ſer. 15. in Cantica.

7 Poſt hæc F. Bernardinus de Buſtis ejuſdem Ordinis Officium SS. Nominis Jeſu proprium compoſuit, & Sixto IV, & Innocentio VIII. obtulit, illudque poſtea Clemens VII. univerſo Franciſcano Ordini 14. Jan. recitari conceſſit: inde ad alios Ordines propagatum, ac tandem ad univerſam Eccleſiam pro ſecunda Dominica poſt Epiphaniam, petente Carolo VI. Imperatore, extenſum eſt.

De quibuſdam inſignibus Reliquiis pertinentibus ad Paſſionem, & Nativitatem Domini N. Jeſu Chriſti exiſtentibus in baſilicis Urbis, in quibus tamen Officium de eis non recitatur, nec Miſſa celebratur.

8 &c. In baſilica Vaticana Ferrum ſacræ Lanceæ aſſervatur, quæ Chriſti latus aperuit, quamvis nonnulli illud apud Gallos, vel apud Germanos eſſe contendant. Porro oſtendunt Bollandiani (*b*), hanc Lanceam a S. Helena Hieroſolymis inventam fuiſſe; inde ſæculo VI. exeunte, teſte Auctore contemporaneo *in Chron. Alexandr.*, Conſtantinopolim translata, & in templo S. Sophiæ collocata fuit: poſtea ad eccleſiam S. Joannis de Petra ejnſdem civitatis deducta eſt, cujus tamen pars cum ſpongiæ, & arundinis Paſſionis Dominicæ parte in palatio Imperiali aſſervabatur, ut probat Du-Cange; qui etiam putat, ſolum Lanceæ ferrum fuiſſe Conſtantinopolim allatum.

b ad diem 15. Martii §. 21. pag. 379.

11. 12 Has Reliquias, labente ſæculo XIII., Balduinus Imperator Gallus, qui tunc Conſtantinopoli dominabatur, Venetis, recepta pecunia, pignori dedit; ſed, eodem permittente, S. Ludovicus Galliæ Rex eaſdem pretio redemptas in Gallias, Bergomenſi, aliiſque teſtibus, tranſtulit, & in ſacello Pariſienſi poſuit. Et Caorſinus addit, ex his Reliquiis illam Lanceæ eſſe ſolam cuſpidem, quæ nempe in palatio Imperiali Conſtantinopoli aſſervabatur.

13 Subacta a Mahomete Conſtantinopoli, Bajazettes ejus filius reliquam Lanceæ partem, quæ Conſtantinopoli remanſerat, Innocentio VIII. dono dedit, ut ſuperius dictum eſt, cum qua poſtea collata figura cuſpidis, quæ in ſacello Regio Pariſienſi colitur, inventa eſt omnino conveniens.

14 Extat præterea in baſilica Vaticana Sudarium, quod a pia femina nomine Veronica, ut fertur, faciei Chriſti admotum ejus effigiem retinuit. Nonnulli de hoc facto dubitarunt, cum tota antiquitas Veronicæ nomen ignoraverit, neque in Martyrologio Romano reperiatur. Cum vero Nicolaus IV, aliique Pontifices, & Scriptores apud Bzovium, & apud alios hoc Sudarium *Veronicam* appellaverint, idcirco Tillemont cum aliis veroſimile eſſe putat, ut *Vera Icon*, litteris pauliſper tranſpoſitis, dicta ſit *Veronica*. Utcumque hæc ſint, certum eſt, Sudarium ipſum inſigniſſimam eſſe Reliquiam, & multis abhinc ſæculis in baſilica Vaticana coli conſueviſſe, ut pluribus probant Honoratus a S. Maria, Sandinus, & alii. Refert Gretſerus, Imaginem hanc etiam Giennæ in Hiſpaniis aſſervari, & religioſe coli, quod ut tueatur, Sudarium fuiſſe triplicatum exiſtimat, & unicuique parti Imaginem vultus Chriſti impreſſam, earumque unam Ro-

Romæ, alteram in Hiſpania, & tertiam Hieroſolymæ conſervari, ſed verius dicendum eſt, exemplaria ab Autographo Romano fuiſſe deſumpta, & ſubſecutis temporibus pro ipſo prototypo haberi cœpta eſſe.

15 In baſillica S. Mariæ Majoris conſervatur Præſepe Redemptoris noſtri. Fertur, illud an. 352. ad Urbem allatum fuiſſe; verum S. Hieronymus teſtatur (*a*), idem ſuis temporibus Bethlemi extitiſſe. Quapropter probabilius videtur, ſæculo VII., irruentibus Saracenis, Romam eſſe translatum, uti, præter Blanchinum, oſtendit Battellus ejuſdem baſilicæ Canonicus; qui etiam notat, hanc baſilicam variis olim nominibus appellatam, ſub Theodoro Papa, qui ab an. 642. ad 649. Sedem Romanam tenuit, S. Mariam ad Præſepe vocari cœpiſſe. Demum ſacram hanc Reliquiam dignis laudibus proſecutus eſt Clemens XI. in homilia, quam die Nativitatis Domini habuit, cum in eadem baſilica ſacrum faceret.

a epiſt. 18. tom. 1.

16 Titulus, qui cauſam injuſtæ Mortis Chriſto illatæ præſeferebat, Romam a S. Helena delatus, & in baſilica S. Crucis repoſitus fuerat, anno autem 1472. cum baſilica reſtauraretur, inventus eſt in medio muri, in quo Placidius Valentinianus Imperator illum diu ante clauſerat. Porro tota rei ſeries a Benedicto XIV. exponitur in opere de Feſtis, & a Leonardo Sarzanenſi in ſuis epiſtolis, quæ inter Appendices dabuntur.

De Reliquia S. Sindonis, quæ aſſervatur in civitate Taurinenſi, & de Officio, & Miſſa in ejus honorem.

17 Sanctiſſimum Chriſti Corpus poſt ejus mortem Joſeph Arimathæus, & Nicodemus, Judaico more, aromatibus inunxerunt, & Sindone involverunt, uti ex Evangelio conſtat. Hæc Sindon Taurini aſſervatur, & hanc eamdem eſſe, qua Chriſti Corpus involutum fuit, Sixtus IV, aliique Pontifices apud Raynaldum teſtati ſunt. Hiſtoriam ejuſdem a civitate Hieroſolymitana ad Taurinenſem translationis Pingonius, Victon, & Alfonſus Palæotus conſcripſerunt. De Chriſti quoque clavis notant Baronius, & Fontaninus, quod quamvis quatuor dumtaxat fuerint, plures tamen in Eccleſia Catholica coluntur, vel quia fortaſſis aliqua clavorum Chriſti particula in alios clavos infixa fuit, vel quia plures fuerunt clavi, quibus Crux ipſa Chriſti, Titulus, & ſuppedaneum compacta fuerunt, ut advertit Lucas Tudenſis, vel alia de cauſa apud eumdem Baronium.

18 Porro Innocentius VI. apud Raynaldum, & Martinus V. apud Gretſerum ſacras iſtas Reliquias cultu etiam Officii, & Miſſæ dignas eſſe aſſeruerunt. Et Julius II. in S. Sindonis honorem Miſſam, & Officium conceſſit pro *Capella Sancta* caſtri Camberiaci, in qua olim eadem Sindon conſervabatur. Sixtus vero V. civitati, & diœceſi Taurinenſi, quo Reliquia poſtmodum translata fuerat, eadem conceſſit, approbatis a ſacra rituum Congregatione quibuſdam pro eo Officio lectionibus, & hymnis; quod quidem Officium ad alias ſubinde Eccleſias extenſum fuit, eademque Congregatio aliis locis de Corona ſpinea, & quinque Plagis Domini Officium conceſſit.

De Officio in honorem Plagarum Chriſti, & de Officio, & Miſſa petitis in honorem SS. Cordis Jeſu.

19 Apud Joannem legitur, Chriſtum ſua vulnera tractanda Thomæ obtuliſſe, ut noſtram Fidem roboraret, quemadmodum S. Leo adnotavit (*b*). Refert Guyet, de iiſdem vulneribus ſolemne feſtum inſtitutum eſſe. Ab his exemplis an. 1697. in ſacra rituum Congregatione, poſtulante Maria Angliæ Regina, petita fuit inſtitutio feſti cum Miſſa propria in honorem SS. Cor-

b ſerm. 61. de Aſcenſione primo c. 3.

SS. Cordis D. N. J. Chriſti pro eccleſiis Monialium Viſitationis B. Virginis. Sed cum Proſper Bottinius tunc Fidei Promotor novitatem Feſti Eccleſiaſticæ diſciplinæ adverſantem oppoſuiſſet, ſacra Congregatio ſolum induliſit, ut feria 6. poſt Octavam Corporis Chriſti in iis eccleſiis Miſſa quinque vulnerum Chriſti celebraretur.

20 Poſt aliquot annos Poloniæ Rex, nonnulli Epiſcopi, & laudatæ Moniales preces inſtaurarunt, cujus rei Poſtulator fuit P. Joſeph de Galliffet Societatis Jeſu, qui librum *de cultu Cordis D. N. J. Chriſti* edidit.

21 &c. Porro tam in hoc libro, quam in ſcripturis ſacræ Congregationi exhibitis ratio ſeſti inſtituendi conſtituebatur in Corde Jeſu, non ſolitarie ſumpto, ſed tamquam unito cum Corpore Divino, & tamquam ſede, & *comprinripio* virtutum, & interiorum affectionum Chriſti, præcipuoque loco vulneris lancea inflicti. Et vero docet S. Thomas (*a*), Humanitatem Chriſti una cum ejus Divinitate adorandam eſſe. Præterea Claudius la Colombiere Societatis Jeſu inter alia ſcriptum reliquit, Ven. Margaritam Alacoque Ordinis Viſitationis B. M. Virginis ſibi retuliſſe, quod Chriſtus ipſi revelaverat, ut feria 6. poſt ſui corporis Octavam ejus *Cordi colendo peculiariter dicata eſſet*. Additus fuit Catalogus locorum, Eccleſiarum, & Ordinum, in quibus Cor Dei ſolemniter colitur, itemque Patrum, & Theologorum huic cultui faventium. Præcipuam vero vim ſuppeditabat feſtum Corporis Chriſti, cujus inſtitutio orta dicitur ex revelatione B. Julianæ Virgini facta in civitate Leodienſi de eodem feſto inſtituendo.

a 3. par. qu. 25. ar. 1.

24 Plura adverſus hæc Benedictus XIV. tunc Fidei Promotor, auctoritate S. Bernardi (*b*) oppoſuit. Ac primo quidem ait, hoc feſtum novum eſſe; tum Eccleſiam non conſueviſſe feſti inſtitutionem admittere, ex quo aliorum conſequi feſtorum inſtitutio poſſet; admiſſo autem Cordis Jeſu feſto, inde feſti oculorum ejuſdem, & ſimilium inſtitutionem peti poſſe. Neque ad hoc ſufficere, ait, Ven. Margaritæ revelationem, cui, *nec ratio ſuppeditare, nec certa invenitur favere auctoritas*, ut loquitur S. Bernardus (*c*). At enim feſto Corporis Chriſti B. Julianæ revelatio cauſam dedit. Verum revelatio hæc ab Epiſcopis, & eccleſiaſticis Doctoribus prius examinata fuit, & Urbanus IV. idem Officium ad univerſam extendi Eccleſiam non permiſit; niſi poſtquam novo miraculo edoctus, Divinæ id voluntatis eſſe cognovit. Cum enim in civitate Urbevetana degeret, incredulo Sacerdoti Miſſam in eccleſia Vulſinii Urbevetanæ diœceſis celebranti Hoſtia apparuit vera caro, roſeo cruore reſperſa, effuſoque ſanguine vitta lintea calici impoſita, & corporale maduerunt, quemadmodum Panvinius, S. Antoninus, aliique referunt. Præterea SS. Sacramenti Officium a S. Thoma de Aquino, eodem Urbano præcipiente, compoſitum fuit.

b epiſt. 174 ad Canonic. Lugdunenſ.

c epiſt. cit.

25 Cum igitur pro Cordis Jeſu feſto non verificentur, quæ pro feſto Corporis Chriſti contigerunt, hujus inſtitutio illi inſtituendo non ſuffragatur. Ad illud, quod addebatur, Cor eſſe virtutum, interiorumque affectionum comprincipium, repoſuit oretenus idem Promotor, diſcrepare in hoc Philoſophos antiquos, & modernos, ideoque non eſſe petitioni annuendum, quæ controverſæ inter Philoſophos ſententiæ inniteretur. Quapropter ſacra Congregatio inſtantiam ſecundo rejecit.

De petitione Officii, & Miſſæ S. Mariæ de Littera.

26 Beatiſſima Virgo, dum in humanis agebat, litteras ad Ignatium, & ad civitates Meſſanenſem, & Florentinam ſcripſiſſe dicitur. Et aliam ab ipſa, ejuſque Filio ad S. Walthenum Abbatem ſcriptam Bollandiani admittunt (*d*). Sed ad epiſtolam, quod atti-

d te. 1. Auguſti pag. 248. n. 40.

attinet, quæ civitati Meſſanenſi ſcripta dicitur, in eadem civitate ſolemnis hujus epiſtolæ inventio celebratur, teſte Joſepho Renato a Jeſu Maria, qui etiam refert Indulgentias a ſummis Pontificibus in ejus honorem fuiſſe conceſſas. Cum vero Benedictus XIV. Fidei Promotorem ageret, nonnulli pii Siculi ipſum conſuluerunt, quomodo B. Virginis de Littera cultus augeri poſſet, &, an ſpes eſſet obtinendi a ſacra rituum Congregatione pro civitate Meſſanenſi Miſſam, & Officium, in cujus lectionibus aliquid diceretur de eadem littera; ſed Promotor iis ſuaſit, ut rem in ſuo ſtatu relinquerent; de hujus enim epiſtolæ veritate Baronius (a), aliique graviſſimi Auctores dubitant. Præterea prohibitus eſt P. Melchioris Inchoffer liber ſub titulo, *Epiſtola B. Mariæ ad Meſſanenſes veritas vindicata*: qui tamen liber poſtea permiſſus eſt, titulo, nonnulliſque aliis in eo immutatis.

a Ad an. 48. n. 25.

De novo quodam Roſario a ſacrorum rituum Congregatione prohibito.

27. 28 In Toloſano Conventu PP. Trinitariorum novum quoddam Roſarium in honorem SS. Trinitatis recitari cœperat, de cujus recitandi methodo libellus editus fuerat, ut ſcilicet, omiſſa oratione Dominica, pauca quædam Orationi *Gloria Patri* adderentur. His cognitis, Procurator Generalis Ordinis S. Dominici Clementi XI. ſupplicavit, ut novum Roſarium cum libello proſcriberetur.

29 Re ad ſacram rituum Congregationem remiſſa, hujus juſſu Benedictus XIV. tunc Fidei Promotoris *Coadjutor* inter alia animadvertit, aliud antea novum Roſarium prohibitum fuiſſe, quod ſub titulo *Seraphici* a PP. Minoribus de Obſervantia in eadem civitate Toletana inſtitutum fuerat, a ſummis vero Pontificibus approbatum jam eſſe B. Virginis Roſarium, in quo SS. Trinitas debite laudatur: neque facile admittendas eſſe novas preces, neque precibus Eccleſiæ quidquam privata auctoritate addendum. Enim vero ſi Angelicæ Salutationi, & Orationi *Salve Regina* aliqua addita ſunt, id legitima auctoritate factum eſt. Quocirca ſacra Congregatio Roſarium illud prohibendum eſſe cenſuit, ejuſque ſententiam idem Pontifex litteris Apoſtolicis 8. Mart. 1712. datis confirmavit.

De Officio in honorem B͠mæ Virginis dictæ de Remedio.

30. 31 Hoc Officium PP. Trinitarii a ſacra Congregatione an. 1727. obtinuerunt. Cum vero ſequenti anno lectiones proprias concedi poſtulaſſent, in quibus B. Virgo bis S. Joanni de Matha apparuiſſe, pecuniamque ad redimendos captivos ſubminiſtraſſe dicebatur; obſtiterunt Patres Ordinis S. Mariæ de Mercede, affirmantes, ea ex Lubiano Zappata deſumi, de quo alibi actum eſt; titulum vero *de Remedio*, juxta Bernardinum Gomeſium Miedes Epiſcopum Albarracinenſem, eumdem eſſe ac *de Mercede*. Ideoque cultus B. Virginis ſub titulo de Remedio ad ſpiritualem æmulationem referri poſſe videbatur. Quare ſacra Congregatio gratiam conceſſam revocavit, ejuſque ſententiam Clemens XII. litteris Apoſtolicis confirmavit, uti ex Inſtrumento a Rigantio 15. Maji 1731. exarato conſtat.

De cultu erga Deiparam in Sacramento Altaris.

32 De hoc cultu P. Zephyrinus de Someire Recollectus S. Franciſci librum edidit, in quo B. M. Virginis carnem, ſanguinem, & lac in Sacramento altaris adeſſe aſſeruit: idque fuſius Vega proſecutus eſt. At Theophilus Raynaudus, juxta Guidonem Carmelitam, illud hæreſim ſapere oſtendit. Porro docet S. Thomas, Chriſti corpus conceptum fuiſſe ex puriſſimo B. Virginis ſan-

ſanguine, ſola Spiritus Sancti operatione in ejus utero adunato, & in prolem formato; neque potuiſſe de ejus ſubſtantia, ideſt de carne, & oſſibus formari ſine ejuſdem corruptione, & diminutione, cum eæ ſint partes corpus integrantes. Alia plura in hanc rem S. Doctor tradit, ex quibus omnibus doctrina P. Zephyrini tamquam *erronea, periculoſa, & ſcandaloſa* habita eſt, ſimulque ejuſmodi cultus reprobatus fuit. Patrum vero locutiones, *Caro Mariæ eſt caro Chriſti*, & ſimiles, non ita intelligendæ ſunt, ut in Chriſto aliquid eſſe dicatur, quod ſit Mariæ, ſed Chriſtum ex M. Virgine conceptum eſſe; nam etiam in Scripturis filii, & fratres ſæpe patrum, & fratrum caro dicuntur.

De cultu Beatiſſimæ Virginis ſub vulgari titulo
Del Lume.

33. Hunc cultum privatus quidam in Sicilia, & præcipue Siracuſis excitaverat, feſto, imaginibus, aliiſque inductis ad eumdem cultum pertinentibus, quæ ſingula in ſacræ rituum Congregationis Decreto 27. Jan. 1742. édito deſcribuntur. In eodem Decreto ſacra Congregatio Epiſcopo Siracuſano ſcribendum eſſe ſtatuit, ut cultum illum omnino proſcriberet, & eliminaret. Librorum vero examen, qui ſuper eodem cultu prodierant, ad ſacræ Indicis Congregationem remiſit; hæc autem illos prohibuit.

34 Porro ex antiquis Eccleſiæ monumentis conſtat, alia olim vetita fuiſſe, quæ licet ex pietate ortum duxerint, ſcandalum tamen poſteà induxerant. Concilium Trullanum can. 79. feſtum *Secundinarum* impollutæ V. Mariæ prohibuit, innixum opinioni, quæ naſcenti Jeſu ſordes illas naturales negabat, quas tamen Patres, ac Theologi rectius illi adjudicant; idcirco *feſtivitatem, ac nugas*, ait Lupus, *in ipſa fieri conſuetas rectiſſime proſcribit, at illas* (ſecundinas) *Domino denegans ab antiquo Eccleſiæ dogmate recedit*. Quamquam tenendum eſt, partum illum ſine Matris dolore fuiſſe, ut monet S. Bernardus (*a*). In quibuſdam pariter Gallicanis eccleſiis ritus quidam in uſu erat, quo nonnulli Pontificalibus ornamentis induti, Epiſcoporum more benedicebant; alii ut Reges, & Duces induti procedebant. Et hoc in quibuſdam regionibus feſtum *fatuorum*, vel *puerorum* appellabatur, & ab Odone de Soliaco Pariſienſi Epiſcopo, auctoritate Legati a latere prohibitum fuit. In Rituali Rothomagenſi apud Honoratum a S. Maria habetur, Proceſſionem quamdam in Nativitate Domini fieri conſueviſſe, in qua nonnulli, Judæorum & Gentilium more, induti ſub nomine Prophetarum, Virgilii, & Sybillæ de Meſſiæ adventu interrogabantur, & reſpondebant. Sed hæc jam obſoleta ſunt. Præterea in urbe Alatrinate in feſto S. Sixti Papæ I. ante fores eccleſiæ viri cum feminis choreas ducere conſueverunt; id vero Epiſcopus vetuit, ejuſque judicium ſacra Epiſcoporum, & Regularium Congregatio approbavit.

a oper. to. 2. n. 9. & ſeqq.

35 Benedictus quoque XIV. quoſdam Epiſcopos per litteras encyclicas monuit, ut inverecundos ludos averterent, quibus dies feſtos in eorum diœceſibus violari acceperat.

36 Demum cum petitum eſſet, ut per totum Regnum Neapolitanum in Officii, & Miſſæ Orationibus, cum S. Januarius nominatur, titulus *Patris noſtri* adderetur, Card. Thomaſius in ſuffragio ſuperius laudato petitionem rejiciendam eſſe cenſuit, cum Eccleſia Evangelio Matth. 23., & Luc. 11. edocta hujuſmodi titulum nulli attribuat.

CAPUT ULTIMUM.

De examine nonnullorum miraculorum, quod aliquando fit in ſacrorum rituum Congregatione ordinaria.

1 &c. DE miraculis quoad Beatificationem, & Canonizationem agendum eſt in Congregatio-

gationibus *Antepræparatoria*, *Præparatoria*, & *Generali*. Aliquando tamen quorumdam miraculorum examen ad Congregationem Ordinariam deducitur. Nempe cum Ordinarii juxta Tridentinum poſſint, conſultis Theologis, aliiſque piis, ac doctis viris, proceſſum conſtruere, & ſententiam pronunciare ſuper miraculis eorum interceſſione patratis, qui jam canonizati ſunt, ut lib.2. dictum eſt, & uti Archiepiſcopus Meſſanenſis an.1712., & Vicarius generalis Bononienſis 1718. ſe geſſerunt. Si iidem Ordinarii a pronuntianda ſententia abſtineant, ad Congregationem Ordinariam pertinet miraculum examinare, & approbare, vel reprobare, ut ex pluribus ejuſdem Congregationis decretis colligitur. Quod ſi de his, qui miraculum teſtantur, fraudis, aut illiciti lucri, vel affectatæ ſanctitatis ſuſpicio adſit, miraculi examen ad Tribunal Inquiſitionis pertinet, ut delinquentes puniantur.

6 Ante inſtitutam ſacrorum rituum Congregationem, cum S. Pius V. a quodam Sacerdote Acta cujuſdam miraculi accepiſſet, quod in Galliis in Hoſtia conſecrata contigerat, idem Pontifex, coacta virorum doctorum Congregatione, litteras Apoſtolicas in forma Brevis 8.Octobr. 1571. Nuntio Apoſtolico inſcriptas eidem Sacerdoti tradidit, in quibus eidem Nuntio mandabatur, ut re cum Epiſcopo Laudunenſi, & cum quodam Canonico, qui rei geſtæ interfuiſſe dicebantur, communicata, curaret, ut favore Chriſtianiſſimi Regis miraculum typis editum in lucem omnium prodiret.

7 Item Alexander VI. Indulgentiam elargitus eſt iis, qui Eccleſiam Domus S.Crucis Ordinis Prædicatorum diœceſis Jaurienſis quibuſdam diebus viſitarent, in qua Hoſtia prodigioſo ſanguine reſperſa conſervabatur, & miraculis coruſcabat. Alias Indulgentias plures ſummi Pontifices Eccleſiæ S. Mariæ a Vado Ferrariæ conceſſerunt, in qua cum quidam Parochus in Fide hæſitans Hoſtiam in Miſſa elevaret; infantulum adſtantes omnes viderunt, & in Hoſtiæ fractione ſanguis manavit, ex quo totum Capellæ cœlum ſanguineis ſtellis reſperſum eſt.

8. 9 In eccleſia Collegii Complutenſis Societatis Jeſu vigintiquatuor Hoſtiæ conſecratæ ab anno 1597. conſervantur, quas a Mauris ſurreptas adoleſcens Chriſtianus conſervavit, & P. Joanni Suarez tradidit. Hic veneni ſuſpicione adductus eas in loco humido repoſuit, ut corrumperentur, ſed potius conſervari deprehendit, ſicuti Petraſancta, aliique referunt. Et Vicarius Generalis Toletanus an.1682. viſitata cuſtodia, in qua Hoſtiæ conſervabantur, declaravit, eas eſſe, quas P. Suarez acceperat, eaſdemque miraculo conſervari, indulſitque, ut ſolemne feſtum cum Proceſſione celebraretur.

10. 11 Poſt hæc Rex Catholicus, Archiepiſcopus Toletanus, aliique inſtiterunt, ut Officium, & Miſſa propria Compluti celebrari poſſent; verum ſacra rituum Congregatio minime annuit, cum Hoſtiarum conſecratio, & identitas, quemadmodum Fidei Promotor animadverterat, non ſatis comprobarentur.

FINIS LIBRI QUARTI, ET ULTIMI.

AD-

Digitized by Google

Digitized by Google

ADMONITIO AD LECTOREM.

TOtum Opus de Beatificatione, & Canonizatione tres alios Tomos præter quatuor præcedentes amplectitur, nempe:

Tom. V. *Acta Canonizationis SS. Fidelis a Sigmaringæ, Camilli de Lellis, Petri Regalati, Joſephi a Leoniſſa, & Catharinæ de Ricciis, una cum Apoſtolicis Litteris Sm̃i D. N.* Benedicti XIV. *& Vaticanæ Baſilicæ ornatus deſcriptione.*

Tom. VI. *Sm̃i D. N.* Benedicti XIV. *Pont. Opt. Max. Acta & Decreta in cauſis Beatificationum, & Canonizationum, aliiſque ad Sacrorum Rituum materiam pertinentibus, ad annum Pontificatus ſui decimum.*

Tom. VII. *Appendices ad quatuor libros de Servorum Dei Beatificatione, & Beatorum Canonizatione, quæ in calce quatuor priorum Voluminum hactenus continebantur. Accedunt documenta aliis editionibus præpoſita, quæque ibidem deſiderabantur.*

Horum omnium Voluminum, Synopſim, & locupletiſſimos Indices damus, ut in toto illo doctiſſimo, & celebratiſſimo Opere nihil deſiderari poſſe videatur. Pro publica diſputatione hanc Synopſeos partem produximus; exemplaria vero, quæ cum ipſo Opere prodibunt, quæque Fidelissimo Luſitaniæ, & Algarbiorum Regi nuncupavimus, totius Operis Synopſim continebunt; atque in eis ad calcem adnotabuntur menda, quæ in hunc Tomum irrepſerunt, & ubi ambiguus fuerit, verborum ſenſus illuſtrabitur.

Digitized by Google

LIBER QUINTUS.

ACTA CANONIZATIONIS SS. FIDELIS A SIGMARINGA, CAMILLI DE LELLIS, PETRI REGALATI, JOSEPHI A LEONISSA, ET CATHARINÆ DE RICCIIS, UNA CUM APOSTOLICIS LITERIS SS. D. N. BENEDICTI XIV. ET VATICANÆ BASILICÆ ORNATUS DESCRIPTIONE.

CAPUT I.

SS. D. N. BENEDICTI PP. XIV. Decreta de Canonizatione BB. Fidelis a Sigmaringa, Camilli de Lellis, Petri Regalati, Joſephi a Leoniſſa, & Catharinæ de Riccis.

1 CUM ad Summum Romanum Pontificem privative pertineat Dei Servos inter Beatos, & Beatos inter Sanctos referre, BENEDICTUS XIV. qui id ipſum in ſuo opere de Servorum Dei Beatificatione, & Beatorum Canonizatione abunde demonſtraverat, beatificatis Alexandro Saulio, & Camillo de Lellis, cultuque immemorabili Nicolai Albergati, & Benedicti a S. Philadelphio approbato, BB. Fidelem a Sigmaringa, eumdem Camillum de Lellis, Petrum Regalatum, Joſephum a Leoniſſa, & Catharinam de Ricciis canonizavit.

2 Et quoad B. Fidelis cauſam, approbatis 18. Januarii 1744. duobus ex quatuor poſt Beatificationem patratis miraculis, 24. Martii in Congregatione generali D. Alexander Card. Albanus, loco D. Card. Aldrovandi relatoris abſentis, dubium, omiſſa compendiaria Actorum relatione, propoſuit, an procedi poſſet ad Canonizationem. Omnibus affirmantibus, ſummus Pontifex ſententiam ferre diſtulit, lumen a Deo precaturus. Die verò 24: Aprilis B. ejuſdem anniverſaria, Miſſa in Capuccinorum Templo celebrata, Decretum de Canonizatione quandocumque celebranda publicari juſſit, uti, conſueta cœremonia, ac magna lætitia, factum fuit. Similia Decreta idem Pontifex 6. Octobris ejuſdem Anni, celebrata ad altare S. Brunonis in Eccleſia S. Mariæ Angelorum Miſſa, expediri voluit, in cauſis BB. Petri Regalati, & Catharinæ de Riccis, referentibus in prima cauſa Card. de Gentilibus, in ſecunda Card. Lercario, poſtquam in Congregationibus generalibus 24. Martii, & 2. Junii habitis, duo in ſingulis reſpective cauſis miracula approbata fuerant, & in alia generali Congregatione 22. Sept. propoſita fuerant dubia, an tuto ad eorumdem BB. Canonizationem deveniri poſſet. Eadem die 6. Octobr. in Choro ejuſdem Eccleſiæ, plura ſummus Pontifex indulſit quoad cultum B. Nicolai Albergati, quæ fuſe exponuntur in prædicto opere de Servorum Dei Beatificat. &c. tom. 2. c. 24. §. 58.

3 In cauſis BB. Camilli, & Joſephi miracula poſt eorum Beatificationem ſecuta perpenſa jam fuerant, ac ſolum expectabatur Pontificis ſuper iis oraculum. Ipſe tamen ſacram viſitationem tunc inſtituit, ideoque Kalend. Maii an. 1745. ad Lateranum ſe contulit, ubi a Capitulo, & Card. Archipresbytero exceptus, ſacrum fecit. Mox Euchariſtiæ, & ſacrorum Oleorum cuſtodias, tum ſacras Reliquias, conſcenſo pēgmate, in quo aſſervantur, diligenter inſpexit, ac veneratus eſt. Altaribus deinde, cæteriſque ad divinum cultum ſpectantibus inſpectis, Capellam quoque Domus Corſinæ a Clemente XII. S. Andreæ Corſino magnificentiſſime erectam,

ctam, in qua ejuſdem Clementis cadaver depoſitum eſt, & omnem ejus ornatum obſervavit. Tandem per Orientalem portam nuvæ porticus ab eodem Clemente ædificatæ, ex qua ipſius Benedicti munificentiæ opera quædam, Leonis nempe Triclinium reſtitutum, Baſilica Seſſoriana aucta, & illuſtrata, ut lapis ſuper oſtium intus inſcriptus teſtatur, viaque ad hanc Baſilicam explanata, conſpiciuntur, egreſſus ad Quirinale remeavit, ubi Secretario Congregationis Rituum, ac Fidei Promotore accerſitis, eidem Secretario Decreta aprobationis duorum miraculorum tertii generis pro ſingulis ex duabus prædictis cauſis tradidit, quæ quidem miracula in generalibus Congregationibus 22. Septembr. 1744. & 16. Martii 1745. habitis diſcuſſa fuerant. Et quoad miracula B. Joſephi, cum Sanctitas ſua in proceſſu deprehendiſſet, articulos non fuiſſe Romam de more miſſos, ut Fidei Promotor conſuetas interrogationes ad eruendam veritatem conficeret, ad Epiſcopum Spoletinum, a cujus Prædeceſſore proceſſus conſtructus fuerat, ſcribendum ſecretò eſſe ante illorum approbationem duxit, ut teſtes jam examinatos, alioſque ad examen improviſo vocaret, ut veritas certius eluceſceret, qua tandem obtenta, ſupradictum approbationis Decretum vulgari juſſit.

4 Poſtero die Summus Pontifex ad Lateranum rediit viſitationem proſecuturus. Peracto ſacro, libros ad Animarum curam, & ad Miſſarum applicationem ſpectantes ſedulo ſerutatus fuit. Tum ſaluberrima decreta pro pueris, & rudibus ad Catholicam fidem inſtituendis, de qua re ſummo zelo alia ſæpe ante prælliterat, ac pro iis, qui Choro intereſſe debent, necnon de aliis rebus edidit.

5 Sed ad BB. Camilli, & Joſephi cauſas quod attinet, approbatis, ut dictum eſt, miraculis, dubium in Congregatione generali die 3. ſequentis Augusti habitam propoſitum fuit, an tuto ad eorum Canonizationem procedi poſſet. Affirmarunt ſuffragatores omnes, ac Pontifex ſententiam ſuam diſtulit, lumen a Deo precaturus, donec die 17. ejuſdem menſis, ipſius in Pontificatum electionis anniverſaria, Fidei Promotore, & Congregationis rituum Secretario advocatis, celebrata Miſſa, decreta de eadem Canonizatione quandocumque facienda expediri mandavit.

CAPUT II.

Solemni dictorum BB. Canonizationi Templum Vaticanum pro antiquo more deligitur dieſque conſtituitur.

1 Statuta quinque prædictorum Beatorum Canonizatione, Templum Vaticanum ad eam peragendam electum fuit, paucis enim Beatificationibus, & Canonizationibus exceptis ſub Benedicto XIII. & Clemente XII. in Lateranenſi Baſilica celebratis, aliæ omnes in Urbe peractæ in dicto Templo fuerunt. Et BENEDITUS XIV. Conſtitutione Cal. Decembr. 1741. edita ſanciverat, ut in eodem omnes inpoſterum celebrarentur, innovato Alexandri VII. Decreto ſuper contributione, ipſius Templi Sacrario in his ſolemnitatibus præſtanda.

2 Novis interim precibus pro eadem Canonizatione quantocius peragenda advenientibus, idem Summus Pontifex BENEDICTUS XIV. ſequenti anno id ſe facturum affirmavit, Poſtulatoribus, quorum eſt omnia ad tantam celebritatem neceſſaria parare, admonitis, ne ſumptui parcerent, iiſque R.P.D. Theodorum Boccapadulium, qui ei a ſecretis eleemoſinis erat, in hoc præfecit, & diem 29. Junii anni ſequentis pro ſolemnitate peragenda ſtatutam denuntiavit. Ipſi igitur ſæpe apud Reverendiſſimum P. Thomam Ripoll Generalem Ordinis Predicatorum, & cauſæ B. Catharinæ Poſtulatorem convenientes, omnia moliri cæperunt, & quæ rata habebant

bant, Pontifici ſignificabantur, ut ipſe præceperat.

3 Bellum interim Enropam totam divexabat, cum menſe Septembr. Romam nuncius allatus eſt, Franciſcum I. Lotharingiæ Ducem in Romanorum Imperatorem electum eſſe. Quamobrem Pontifex in Conſiſtorio Secreto in diem 15. Decembr. indicto acceptas ab eo litteras coram Cardinalibus recitari voluit, ſequenti die, omnibus, qui ad Pontificiam Capellam convenire debuerant, per intimationem vocatis, gratiæ Deo actæ ſunt, celebrata a Card. Paſſioneo Miſſa.

CAPUT III.

Ad Canonizationis celebritatem Epiſcopi Romam invitantur. Oratione a SSmo D. N. habita ſuper quinque BB. Canonizatione, Cardinales eunt in ſuffragium, ubi incidenter cæremonia claudendi, & aperiendi os novis Cardinalibus deſcribitur.

1 SEqnenti anno 1746. Paſchate celebrato Secretarius Congregationis Concilii Trident. Epiſcopos intra centeſimum ab Urbe lapidem ad Canonizationis celebritatem per litteras, jubente Pontifice, Id. Apr. accivit. Quoad alios Antiſtites SANCTITAS SUA ſignificavit, ſe eorum ad hanc ſolemnitatem acceſſum loco conſtitutæ Sacrorum Liminum Viſitationis habituram, quamobrem nonnulli etiam Orientales Epiſcopi adfuerunt.

2 Interim Conſiſtorium ſecretum, data ad Cardinales inſtructione, 18. Apr. coactum fuit, nt Pontifex Cardinalium ſententias ſuper Canonizatione peragenda exquireret, & audiret, in quo ante omnia Cardinali Paulutio recens inter Cardinales adlecto Sanctiſſimus *os clauſit*, ſeu interdixit; ne ſententiam in Conſiſtoriis, aut Conſiliia diceret, donec ei os aperiret, quod olim pluribus ac nunc cæremoniis perficiebatur.

3 Tum Pontifex orationem ſuper Canonizandorum cauſis habuit, quod munus alias Cardinalis Congregationis Rituum Præfectus, vel alius antiquior obire ſolet, in qua commemoratis primum ſtudiis, in quibus verſatus, officiis, quibus functus, & dignitatibus, quibus merito gradatim inſignitus fuerat, nonnulla de præfatarum quinque cauſarum Actis attigit, ac ſermone pauliſper interrupto, Cardinali Paulutio os aperuit, ut ipſe quoque ſuffragium ferre poſſet. Mox reſumpta Oratione, de rebus a B. Fideli de Sigmaringa geſtis dixit, & Cardinales interrogavit, an ipſis placeret, ut ad ejus Canonizationem procederet? PLACET, omnea reſponderunt. Orationem proſecutus de B. Camillo de Lellis ſecundo loco, tertio de B. Petro Regalato, quarto de B. Joſepho a Leoniſſa, quinto de B. Catharina de Riccis ſimilia peregit, & id ipſum a Cardinalibus quoad ſingulos hos Beatos quæſivit, & audivit. Poſtremo de publicis, & ſemipublicis futuris Conſiſtoriis, ac de rebus iiſdem præmittendia, & in ipſis gerendia admonuit, quibus orationem abſolvit.

4 Poſt hæc, ſigno ab ultimo ex Diaconibus dato, alter ex ingreſſia Cæremoniarum Magiſtris prædictum Cardinalem Paulutium e ſuo loco evocavit, ut a Summo Pontifice Annulo, & Titulo decoraretur. Siquidem ad Cardinalatum Promotis non licet Annulum geſtare, niſi a Summo Pontifice illum recipiant, pro quo quingenti aurei ducati ſolvuntur, quos alii Pontifices diverſis locis, ſed Gregorius XV. Congregationi de Propaganda Fide attribuit. Titulus autem Eccleſia eſt, cui Presbyter Cardinalis præficitur, quam etiam Diaconi Cardinales nunc obtinent, licet ad aliud eorum inſtitutio reſpiciat. Idemque Titulus vel Crucis ſignum, quod in loco Deo dicato erigitur, vel *Tutelam*, vel *Memoriam* ſignificat.

5 Incertus olim erat Cardinalium nu-

numerus : Sixtus IV. illum auxit, & Sixtus V. ſeptuageſimum præfinivit, itaut ſex Epiſcopi, quinquaginta Preſbyteri, Diaconi quatuordecim eſſent. Antiquiſſimum SS. Joannis,& Pauli Titulum Cardinalis Fabritius Paulutius ditiſſime inſtauraverat,in cujus memoriam præfato moderno Cardinali Camillo Paulutio collatus eſt, quo ad oſculum excepto,Conſiſtorium fuit abſolutum. Porrò dum Cardinalibus os clauditur, vel aperitur, peculiari Pontifices formula utuntur. Ad hoc autem, ſicuti & ad Annuli, & Tituli traditionem, non ſemper Conſiſtorium requiritur, quemadmodum antiqua, & recentia comprobant exempla etiam ſub Benedicto XIV. regnante, qui etiam 11. Martii 1744. decrevit, ut ſi Prælati, qui Eccleſiis in partibus Infidelium exiſtentibus præerant, ad Cardinalatum evehantur, in formula traditionis Tituli à vinculo ſpiritualis conjugii cum priori Eccleſia contracti ſolvantur. Hujus autem Pontificis quantum ſit erga amicos ſtudium, magnificentiſſime indicant monumenta, quæ Lazaro Pallavicino Thebarum Archiepiſcopo, qui vivens Cardinalatum ab eodem oblatum recuſaverat, & Sebaſtiano Cardinali Tanario jam defunctis poſuit, quæque Joanni Antonio Cardinali Davia, & Alexandro Cardinali Caprara pariter defunctis ponere meditatus eſt.

CAPUT IV.

In primo publico Conſiſtorio a tribus Advocatis Conſiſtorialibus cauſa agitur trium BB. Fidelis a Sigmaringa, Camilli de Lellis, & Petri Regalati.

1 SEd ad Canonizationem quod attinet, ventum eſt ad duo publica Conſiſtoria in Aula Regia Quirinali habita, quorum primum in diem 21. Aprilis indictum fuerat, ad quod per intimationem omnes acciti ſunt, quos acciri ſolemne eſt. Ad dictam Aulam cum per alteram Parafrenariorum ſolemniter tranſiret laudatus Pontifex, ſex nova periſtromata, ſeu Peripetaſmata in pauperum invalidorum Hoſpitio propè majorem Tiberis ripam mirifico artificio, ejuſdem juſſu, contexta inſpexit, quorum quatuor Fidem, Spem, Charitatem, & Poteſtatem Eccleſiæ, reliqua aliquot Principis Apoſtolorum geſta repræſentabant. Hæc cum veſtibus in tanta ſolemnitate adhibitis Bononiam in Metropolitanæ ornamentum, quam ante Pontificatum rexerat, & in Pontificatu, aliorum Pontificum exemplo, retinuerat, miſit novum beneficiorum, quæ eidem, & Anconitanæ præſtiterat Eccleſiæ, quam pariter olim rexerat, argumentum.

2 Ad Conſiſtorii Aulam cum perveniſſet Pontifex, & in eminenti Cathedra aſſediſſet, omnibus diſpoſitis, primus Cæremoniarum Magiſter Advocatos, jubente Pontifice, accerſivit: qui cum acceſſiſſent, & de genu APOSTOLICUM adoraſſent, primus ex his Virgilius Montecatinus Ferrarienſis Orationem ſuam pro B. Fideli a Sigmaringa exorſus de ejus patria moribus, ſtudiis, peregrinationibus, ingreſſu in Capuccinorum Religionem, de vita inter ipſos acta, de virtutibus heroicis,de ejus miſſione contra Hæreticos Rhetiæ, & prædicatione, de Martyrio, & miraculis luculentiſſime diſſeruit, ac tandem pro ejus Canonizatione perorans, & preces Congregationis de Propaganda Fide, aliorumque ad hunc effectum porrectas exponens, ſermonem clauſit.

3 Alteram pro B. Camillo de Lellis eximiam orationem habuit Julius Cæſar Fagnanus, tertiam non abſimilem de rebus geſtis B. Petri Regalati dixit Joſeph Aſcevolinus. Quibus omnibus communi aſtantium plauſu exceptis, D. Cajetanus Amatus Epiſtolarum ad Principes Secretarius, Pontificis nomine, reſpondit, æquum eſſe, ut recenſitis Beatis, pro quibus peroratum erat, ſolemnes honores deferantur,

Digitized by Google

rantur, ſed interim lumen pro hoc graviſſimo judicio à Deo petendum eſſe, & reliqua de more in Conſiſtorio ſemipublico peragi debere. Tum conſueta benedictione Cardinalibus dimiſſis, ad manſiones, quas Principum vocant, digreſſus, ibi ſacris veſtibus exutus eſt, & ad interiora cubicula ſe recepit.

4 Imminebant annuæ publicæ ſupplicationes, ſeu *Litaniæ Majores*, & SANCTITAS SUA novas Indulgentias per edictum a Card. Vicario propoſitum per eos dies intervenientibus, vel alia in edicto injuncta peragentibus conceſſit, ut Divinum auxilium pro futura Canonizatione eidem SANCTITATI SUÆ implorarent, & pro pace inter diſſidentes Chriſtianos Principes orarent. Quamquam ob nimios imbres die 25. Aprilis Proceſſio perfici non potuit, ideoque in Eccleſia Sancti Marci ſolùm Litaniæ decantatæ fuerunt.

CAPUT V.

In altero publico Conſiſtorio a duobus aliis Advocatis Conſiſtorialibus agitur Cauſa BB. Joſephi a Leoniſſa, & Catharinæ de Ricciis. Pontifex in Caſtrum Gandulphi ſecedit. Interim quinque Beatorum res geſtæ in compendium redactæ in ſingulos Cardinales, Epiſcopoſque diſtribuuntur.

1 MOx in diem 26. ejuſdem menſis alterum publicum Conſiſtorium indictum fuit, ut BB. Joſephi a Leoniſſa, & Catharinæ de Ricciis cauſæ pertractarentur. Quo die pro prima cauſa D. Advocatus Philippus Maria Pirellius, pro altera D. Paulus Franciſcus Antamorus luculentiſſimas habuerunt Orationes, quibus abſolutis, ſupradictus Secretarius ſimilia, ut ſupra, repoſuit.

2 Poſt aliquot dies SANCTISSIMUS PATER Caſtrum Gandulphi petiit, in cujus Templo, recurrente Pentecoſte, Euchariſtiæ Sacramento expoſito finitimis Populis illuc invitatis, & incredibili frequentia confluentibus pro Pontifice oraturis Indulgentiam plenariam conceſſit, ac demùm Euchariſtiæ benedictione dimiſit.

3 Interea compendia vitæ, & Actorum quinque Canonizandorum exarata erant, eaque R. P. D. de Valentibus Fidei Promotor in ſeparatis libellis impreſſa ad DD. Cardinales, Patriarchas, Archiepiſcopos, & Epiſcopos ad Urbem convenientes tranſmittebat, addita inſtructione de methodo ſervanda in quinque ſemipublicis Conſiſtoriis juxta Canonizandorum numerum habendis. Omnibus pariter monitis, ut unuſquiſque propriam ſententiam ſcriptam, atque ſubſcriptam Secretario Congregationis Rituum, vel uni ex Cæremoniarum Magiſtris traderent. Primum compendium erat B. Fidelis a Sigmatinga, ſecundum B. Camilli de Lellis, tertium B. Petri Regalati; quartum B. Joſephi a Leoniſſa, quintum B. Catharinæ de Ricciis.

CAPUT VI.

Primum ſemipublicum Conſiſtorium pro Canonizatione B. Fidelis a Sigmaringa, quod gemina eloquentiſſima Allocutione Sanctiſſimi Domini Noſtri apertum, & concluſum eſt.

1 OCtava Idus Junii Pontifex e Gandulphi Caſtro Romam redux, Cardinales, & Præſules in Urbe præſentes per ſchedulam commoneri de primo ſemipublico Conſiſtorio die 8. ejuſdem menſis in Aula Ducali Quirinalis Palatii habendo juſſit. Statuta die in hanc Aulam, omnibus in ea a Pontificis Coſmetis, ſeu *Floreriis*, rite diſpoſitis, Cardinales, & Præſules convenerunt, etiam Orientales, quibus Papa nedum cibaria, ſed Rhedam quoque ſubminiſtrari præceperat. Tum ipſe congruentibus veſtibus indutus pedes acceſſit, & in Solio ſedit, omnibuſque, queis ibi locus

cus non erat, excluſis, ae ſolum ex ſpeciali gratia R. P. D. Joſepbo Livizzano Protonotario, & SANCTITATIS SUÆ a ſupplicibus libellis, necnon R. P. D. Vincentio Malvezzi pariter Protonotario, & Apoſtoliei Cubiculi Præfecto prope ſedem Pontificiam admiſſis, ſeſſionem inchoavit erudita allocutione, in qua eommemorata veteri diſeiplina de Actorum Martyrum eollectione, eorumque vindicatione, ac laudato Sedis Apoſtolicæ inſtituto de non concedendo Martyribus eultu publico, niſi eorum non ſolnm Martyrium, ſed etiam miraeula ſatis perſpecta fuiſſent, ab iis exquiſivit, an ad B. Fidelis Canonizationem, cujus Martyrium, & miraeula probata fuerant, deveniendum eſſe cenſerent. Porro omnes, qui aderant, Cardinales vigintr quinque, Patriarchæ Pontificio Solio Aſſiſtentes tres, Archiepiſcopi eidem Solio Aſſiſtentes duodecim, inter quos unus erat Orientalis, Epiſcopi quoque Aſſiſtentes ſexdecim, Archiepiſcopi non Aſſiſtentes tres, ex quibus unus Orientalis, Epiſcopi pariter non Aſſiſtentes decem, quem numerum unus Orientalis compleverat, res ab eodem B. Fideli geſtas ſummis laudibus extulerunt, dignumque unanimiter cenſuerunt, cui Canonizationis honor impenderetur. Et Orientales quidem patrio prius, tùm latino ſermone ſuffragia tulerunt.

2 Quæ ubi abſoluta fuerunt, Pontifex nova ad omnes alloeutione commendavit, & jejunia, aliaque pietatis opera eommemoravit a Fidelibus adimplenda pro adeptione plenariæ Indulgentiæ ab eodem conceſſæ iis, qui a Deo lumen ipſi ſuper futura Canonizatione implorarent. Mox Procurator Generalis Cameræ Apoſtolieæ Joannes Philippus Toppi Protonotarios, & Notarios Apoſtolicos adſtantes paucis rogavit, ut unum, vel plura inſtrumenta de his Conſiſtorialibus Actis conficerent. Et R. P. D. Antonius Maria Erba Protonotariorum Pro-Decanus Collegii ſui nomine reſpondit, *Conficiemus*, Solioque circumitantes in teſtes appellans ait, *Vobis teſtibus*. Et ita Conſeſſus ſolutus eſt. Inſtrumentum vero dictum conſtructum fuit, notatis in eo Suffragatorum nominibus, & reliquis in Conſiſtorio geſtis. Ut autem prædicta pietatis opera per edictum a Card. Vicario publieata melius innoteſcerent, unicuique ab Aula recedenti exemplar dabatur, addita pro Cardinalibus ſchedula eirca veſtium colorem iis jejuniorum diebus adbibendum. Cumque iis diebus Euchariſtiæ Saeramentum publicæ venerationi in Patriarcbalibus Baſilicis exponi conſueverit, & Baſilica S. Mariæ ad Præſepe impedita eſſet, utpotè quæ ſumma hujus Pontificis liberalitate elegantiùs reſarciebatur, in ejus loeum Eccleſiam S. Mariæ ſupra Minervam idem ſubſtituit.

3 Abſuerunt a Conſiſtorio Cardinales duodecim, Archiepiſcopi duo, & ſexdecim Epiſcopi, licet in Urbe eſſent, qui tamen ſententias ſuas ſeriptas, Pontificis juſſu, Secretario Congregationis Rituum tranſmiſerunt inter alia Acta ſervandas.

CAPUT XII.

Proceſſio Vaticana Corporis Chriſti deſcribitur. Hujus ſolemnitatis origo & incrementa, recenteſque de hac re BENEDICTI XIV. Conſtitutiones.

1 EAdem die 8. Junii in Sacello Paulino Palatii Quirinalis eelebratæ ſunt magno Cardinalium, Præſulumque numero primæ Veſperæ ſolemnitatis Corporis Chriſti. Vias interea apud Vaticanum, per quas poſtridie ſolemniter procedendum erat, Cardinales ornari euraverant, & R. P. D. Marcus Antonius Columna Protonotarius de numero Participantium, aliique eum ipſo militibus Helvetiis ſtipati eas equitando eireumivere, ut eircum-

Digitized by Google

circumſpicerent, an omnia recte convenirent. Poſt veſperas Papa e Quirinali ad Palatium Vaticanum perrexit ibi ea nocte manſurus. Poſtero die in Sixti IV. Sacellum venit, Miſſam ſine cantu celebravit, & Sacramentum a ſe contectum, ac in pretioſa cuſtodia clauſum, ſupra thalamum compoſitus, & a Parafrenariis elatus ſolemni proceſſione geſtavit.

2 Nemo eſt qui ignoret, qua ſolemnitate, qua luminum copia, quo comitatu, & quam recto ordine ſolemnis hæc proceſſio peragatur. Hoc anno Antiſtites amplius octoginta interfuerunt. Umbellæ ſupra Sacramentum, & Papam obtenſæ haſtas mutatis vicibus detulerunt Referendarii, Equites S. Petri, Magiſtri viarum, Senenſes, demum, abſente Senatore Urbis, qui primam haſtam deferre debuiſſet, Conſervatores pariter Urbis cum Oratore Bononiæ, & Capitolii Judicibus, cui Oratori Pontifex pridem indulſerat, ut faſcias aureas Senatoriæ veſti nigræ ſuperadderet in ſolemnioribus dumtaxat functionibus, & quando dicti Conſervatores aureas togas induunt. Ad quatuor Baldacchini angulos totidem Clerici laternas haſtis præfixas, juxta Benedicti XIII. ſtatuta in Concilio Romano geſtabant.

3 Hoc Corporis Chriſti Feſtum, Urbanus IV. inſtituerat, Urbanus VI. ſacrum, illo recurrente, etiam in locis interdictis fieri permiſit; tunc tamen Euchariſtia in Eccleſiis adoranda exponi dumtaxat ſolebat; Martinus vero V. Indulgentias conceſſit comitantibus proceſſionem, cum Sacramentum eodem Feſto publice deferretur, & primus inter Pontifices Nicolaus V. illud per vias pedibus gradiens publice a D. Petri Templo geſtavit, teſte Stephano Infeſſura. Sub Leone X. hic mos incrementum accepit; & nonnulli quidem Pontifices pedites, alii in ſublimi ſella compoſiti, ac Miniſtrorum humeris ſubvecti ſacram Euchariſtiam detulerunt; tandem ab Alexandri VII., vel a Pauli IV. tempore Papa non ſedens, ſed in genua provolutus, innixuſque ſcabello bajulari cum Sacramento cœpit, idemque Paulus lampades cera inſtructas in Pontificio Sacello ardere inſtituit.

4 Tandem ſæpe laudatus BENEDICTUS XIV., ut tam ſolemnis Proceſſionis celebritas apud Vaticanum peragi ſolita numquam minueretur, cum compertum habuiſſet, Sede Apoſtolica vacante, Clerum, recurrente memorato Feſto, dividi, & partem ad Lateranam, partem ad Vaticanam Baſilicam accurrere, ac duas propterea ſolemnes proceſſiones eodem tempore peragi, Conſtitutione ſpeciali motu proprio edita 15. Febr. 1744. ſancivit, ut unica Proceſſio generalis SS. Corporis Chriſti in dicto Feſto, eademque apud Baſilicam Vaticanam, etiam Apoſtolica Sede vacante, peragatur, methodumque ſimul ejus peragendæ ſtatuit, & perſonas, quæ interveniant, deſignavit, ac ordinem, quo eædem procedere debeant, ſtabilivit; quæ omnia in aliis literis Apoſtolicis, anno, & menſe iiſdem, datis clarius expreſſit, atque firmavit.

Inter has perſonas Collegio Advocatorum Conſiſtorialium peculiarem locum aſſignavit.

CAPUT VIII.

Nonnullæ a SS. D. N. Advocatis Conſiſtorialibus recens conceſſæ prerogativæ referuntur.

1 ATque ad hos Advocatos quod attinet, inter quos & ipſe locum olim obtinuerat, per aliam Conſtitutionem 29. Auguſti anni ſupradicti editam plura privilegia a Prædeceſſoribus Pontificibus eiſdem conceſſa, vel aliter acquiſita confirmavit, & auxit. Ac primo quidem duodenarium eorum numerum a Sixto IV. ſtatutum conſtabilivit, ex quibus ſeptem Participantes, reliqui Supranumerum nuncuparentur, Coadjutores verò, qui alicui ex iis forte deputentur, voce, & emo-

Digitized by Google

emolumentis careant, donec ſucceſſionem acquirant. In eodem numero unus Bononienſis per immemorabile jus locum obtinet; alius ex literis Apoſtolicis Pii IV. eſt Mediolanenſis; alius Ferrarienſis ex conceſſione Clementis VIII., & Pauli V., & ex literis Urbani VIII., alius Neapolitanus ex Apoſtolicis literis Innocentii XII. Hos omnes idem Benedictus approbavit, ceteros ex omni Advocatorum Romanæ Curiæ, qui vel Romani, vel alterius Urbis Pontificiæ ditionis cives ſint, cœtu aſſumi voluit, itaut Advocati ipſi collegialiter congregati tres Summo Pontifici exhibeant, & hic unum eligat, & quoad hoc Decreto Clementis XII. aliam eligendi formam præſcribentis derogavit.

2 Eorum Officium non, niſi per ſpontaneam dimiſſionem, aut juridicam privationem, aut promotionem ad Auditoratum Cauſarum Sacri Palatii, aut ad Cardinalatum, vel ad Epiſcopatum reſidentiæ onus habentem, vacare; nec, niſi poſt conſuetas functiones expletas exerceri poſſe affirmavit. Alia ſubinde quoad eorum, & Coadjutorum antianitatem ſtatuit. Juniores, Coadjutores Epiſcopos, & Prælatos, qui inter ipſos reperiantur, necnon abſentes, a Decanatus officio excluſit, quod antiquiori ex Senioribus addixit; quodſi omnes Seniores vel Epiſcopi, vel Prælati ſint, eorum antiquior Pro-Decani titulo gaudeat, donec in Participantium numerum alius ſub ingrediatur, cui Decanatus jure deferatur.

3 Ad eorum privilegia quod attinet, Ipſos Summi Pontificis Familiares, & Commenſales eſſe, & in ejus comitatu, vel in aſſociandis Legatis de Latere, aut ſi Principibus ad Curiam venientibus occurrendum ſit, inter Pontificiæ Aulæ Prælatos, & Familiares incedere, aliiſque Advocatis, & Procuratoribus, & cujuſcumque Univerſitatis Licentiatis, & Doctoribus, ac reliquis Clericis, & Laicis, ac Principum Familiaribus præire voluit. Et in Capellis, & Conſiſtoriis, ac Proceſſionibus Pontificalibus, equitatibus, ceteriſque publicis functionibus locum immediate poſt Cubicularios Aulæ tam ſecretæ, quam honoris, ſcilicet ſupra intimi Pontificii Sacelli Capellanos ſecretos, alioſque inferioris ordinis eiſdem aſſignavit cum debitis prærogativis quoad intimationem, Candelarum, & ſimilium diſtributionem. Seſſionis locum in Capellis, quæ in Baſilica Vaticana celebrantur, infra Conſervatores Urbis, in aliis vero Capellis ſedile ante Cubicularios ad honorem confirmavit; & in Pontificiis ſupplicationibus umbellæ haſtas, abſente Pontifice, ac Referendariis deficientibus, ab ipſis Advocatis deferri decrevit, omeſque prærogativas, quas in Romana Curia obtinent, eiſdem in Conciliis tam generalibus, quam provincialibus competere voluit.

4 Conſuetum in memoratis functionibus habitum, aliumque ab Alexandro VII. iis conceſſum confirmavit, & alium viatorium conceſſit ad formam habitus, quo Prælati, & Familiares Pontificii extra Urbem uti ſolent.

5 Ad majores cauſas in Conſiſtorio ſecreto pertractandas ipſos dumtaxat admitti, & privilegium ſcribendi in jure quoad Beatificationum, & Canonizationum cauſas iiſdem reſervari edixit, quamquam in hoc alii a ſacra Rituum Congregatione deputari poſſunt. Inſtantia vero pro iiſdem Beatificationibus, & Canonizationibus obtinendis, in Conſiſtoriis publicis proponere, & Beatificandorum, & Canonizandorum Acta exponere ad ſolos Conſiſtoriales Advocatos pertinet, quibus pro his rebus emolumentum quoque aſſignatur. Si Summo Pontifici in Conſiſtorio exhibenda ſit alicujus ſupplicatio, exceptis Imperatoribus, Regibus, & Cardinalibus Conſiſtorio præſentibus, niſi Cardinales dignitatem dimittere fortaſſis vellent; aut ſi Patriarchæ, vel Archiepiſcopi, ſive Epi-

Epiſcopi pallium petere debeant, hæc per Advocatos Conſiſtoriales Seniores explenda erunt, aſſignato ipſis congruo emolumento.

6 Regimen quoque Archigymnaſii Urbis tam quoad ſcholas, quam quoad ejus Eccleſiam, & Bibliothecam ad idem Advocatorum Collegium ſpectare approbavit; eoſque in examinandis Lectoribus, & Profeſſoribus ſuffragium ferre poſſe dixit; itaut examen ad obtinendas Cathedras in Jure Canonico, vel civili ab ipſis Advocatis peragatur; quoad alias vero facultates, alii periti pro examine eligantur, juxta quorum ſententiam ſuffragium iidem Advocati ferant, quibus privativam quoque confirmavit facultatem Doctores in utroque, vel in alterutro Jure creandi, ſublata quibuſcumque ſimili facultate, & lite ſuper hoc inter præfatos Advocatos, & Sedis Apoſtolicæ Protonotarios extincta, declarans non licuiſſe, nec licere Protonotariis examen ad hujuſmodi Doctoratum extra Urbem committere, & abſentem ſub aliena fide de ejus examine ad eumdem gradum tamquam præſentem promovere; ſed quatuor dumtaxat perſonis in Urbe revera præſentibus, & rigoroſo examine per ipſos Protonotarios collegialiter peragendo probatis quotannis illum conferre poſſe, quin imo id pro ſex perſonis, quibuſdam ſervatis conditionibus, extendit. Quod ſi alii altero ſupradicto modo ad Doctoratum promoti inveniantur, eorum promotiones benignè revalidavit.

7 Statuit præterea, ut nemo inpoſterum a die publicationis hujuſmodi Conſtitutionis, qua Advocatorum Conſiſtorialium Collegio memorata privilegia attribuit, ad Prælaturas, Magiſtratus, aut ad alia munia, & Officia in Romana Curia exercenda, aut ad Eccleſiaſtica Beneficia Doctoratus in utroque, vel in alterutro Jure gradum ex quocumque capite exigentia, admittatur, niſi Doctoratum ejuſmodi in Romano prædicto Archigymnaſio obtinuerit. Admitti verò poſſint, qui ante illum diem in alia ſtudii generalis Univerſitate eodem gradu potiti fuiſſent. Quemadmodum & Advocati Conſiſtorialis munus, & Auditoratus Cauſarum Palatii Apoſtolici conferri iis poſſint, qui in alia pariter Univerſitate, aut Collegio privilegiis, aut Indultis Apoſtolicis ad hoc gaudente ad Doctoralem gradum in utroque Jure promoveantur.

8 Omnia demùm Romanæ Curiæ munera prædicto Advocatorum Conſiſtorialium Collegio attribui ſolita, eidem perpetuo ſtabilivit; nempè munus Promotoris Fidei, Advocati Pauperum, Advocati Fiſci, & Cameræ Apoſtolicæ, Advocati Fabricæ Baſilicæ S. Petri, Advocati Senatus, & Populi Romani, & munus Commiſſarii Conclavis Sede vacante; ita tamen ut Officia Promotoris Fidei, & Advocati Fiſci, non ab uno, ut olim, ſed a duobus ex prædictis Advocatis ſeparatim exerceri debeant, idemque Fiſci Advocatus, ſicuti etiam Advocatus Pauperum, patrocinium aliarum cauſarum non ſuſcipiat.

9 Privilegium inſuper privati Oratorii in propria habitationis domo cuilibet ex ipſis Advocatis conceſſit, in quo una Miſſa ſingulis diebus, quibuſdam exceptis, celebretur, ſub certis tamen conditionibs. Quæ quidem omnia enarrata privilegia firmiſſimis expreſſionibus, ac ſumma auctoritate communivit.

CAPUT IX.

Alterum ſemipublicum Conſiſtorium pro Canonizatione Beati Camilli de Lellis, quod conſuetis Sanctiſſimi Domini Noſtri Alloqutionibus decoratur.

1 Celebrata apud Vaticanum SS. Corporis Chriſti ſolemnitate ſuperiùs dicta, Papa ad Quirinale Palatium rediit, ad quod alterum ſemipublicum Conſiſtorium ſuper B. Ca-

milli Canonizatioue in diem 10. ejuſdem menſis Junii iudictum fuit. Huic Pontifex ſua Allocutione initium dedit, in cujus præfatione antiquitatem cultus Confeſſorum expoſuit; tum de Ordinum Regularium pauca diſſeruit, affirmans Sedem Apoſtolicam eorum Fundatoribus ſemper Canonizationis honores libenter tribuiſſe, quod exemplis plurium, qui vel juxta veterem, vel jnxta modernam diſciplinam canonizati fuerunt, demonſtravit. Cumque B. Camillus Ordinis Regularis, Clericorum ſcilicet Miniſtrantium Infirmis, Inſtitutor fuiſſet, heroiciſque virtntibus, & miraculis claruiſſet, Cardinales, ceteroſque præſentes, qui ſuffragandi jure potiebantur, interrogavit, an ad ejus Canonizationem deveniendum eſſe ſentirent.

2 Mox omnes, quorum erat ſuffragium ferre, Cardinales nempè vigintiſeptem, Patriarchæ Aſſiſtentes tres, Archiepiſcopi Aſſiſtentes tredecim, inter quos unus Orientalis, Epiſcopi pariter Aſſiſtentes vigintitres, Archiepiſcopi non Aſſiſtentes tres, ex quibus duo Orientales erant, alii Epiſcopi decem, quorum unus erat ex Orientalibus, in Canonizationem Beati Camilli peragendam conſenſerunt.

3 Expletis ſuffragiis, Papa ſolum reſpondit, indictas jam preces peragendas eſſe ad cæleſte ſuper futura Canonizatione lumen obtinendnm. Procurator Generalis Cameræ Protonotarios rogavit, ut publica ſuper his Actis Inſtrumenta conficerent, eorumque Decanns R. P. D. Franciſcus Maria Riccardi omnia, uti ſnperius in alio Conſiſtorio ſemipnblico, repoſuit, & Inſtrnmentum de more fuit confectum.

4 In hoc Conſiſtorio Cardinales undecim, Epiſcopi novem deſiderati fuerunt, licet in Urbe eſſent, qui tamen ſuffragia ſua ſcripta ad Secretarium Congregationis Rituum de more tranſmiſerunt.

CAPUT X.

Tertium ſemipublicum Conſiſtorium pro Canonizatione Beati Petri Regalati majori, quam quæ præceſſerant, frequentia celebratur.

1 Tertium ſubinde Conſiſtorium pro cauſa B. Petri Regalati in diem undecimam Junii indictum fuit, quod majori Antiſtitum quotidie ſupervenientium frequentia celebratum fuit. Acceſſit Pontifex, emiſſiſque iis, quibus non erat in Aula locus, præfari cæpit, ac primo quidem Ordines Regulares, eorumque collabentium Reſtanratores, & Reformatores commendavit, exemplis oſtendens, eorum nonnullos fuiſſe Sanctis adnnmeratos. Subdidit, B. Petrum Regalatum in Ordinis Minorum Reformationem a Sede Apoſtolica in Hiſpania indictam enixius incubuiſſe, virtutibus heroicis, donis ſupernaturalibus, ac miraculis fulſiſſe, ideoqne à Cardinalibus, ceteriſque Suffragatoribus quæſivit, an ejus Canonizationem peragendam cenſerent.

2 Totidem Cardinales, & Patriarchæ ac in altero Conſiſtorio proximè celebrato, Archiepiſcopi vero Aſſiſtentes duodecim, quorum unus Orientalis erat, Epiſcopi Aſſiſtentes vigintiquinque, Archiepiſcopi non Aſſiſtentes tres, duo nempè Orientales, & unus Occidentalis, Epiſcopi pariter non Aſſiſtentes duodecim, inter quos ſecundum locum unus Orientalis tenebat, B. Petrum dignum cenſuerunt, qui inter Sanctos adſcriberetur.

3 Sententiam ſuam Pontifex in futurum diſtulit, interea omnibus commendavit, ut lumen a Deo in re tanti momenti ſibi adprecarentur. Procurator Generalis Cameræ Apoſtolicæ Protonotarios de more rogavit, ut Inſtrumenta de his Actis conficerent, eorumque Sub-Decanus, qui aderat, conſuetis

ſuetis Cæremoniis Inſtrumenti conſtructionem promiſit, quod ſane poſtea exaratum fuit.

4 Reliqui interim, qui Romæ commorabantur, & Jus in Conſiſtorio ſuffragandi habentes, ab eo abſuerunt, ſententias ſuas ad Secretarium Congregationis Rituum ſcriptas miſerunt, ut inter alias in ejus Tabulariis aſſervarentur. Porro abſentes fuerunt Cardinales undecim, unus Archiepiſcopus, & ſex Epiſcopi.

CAPUT XI.

Quartum ſemipublicum Conſiſtorium pro Canonizatione B. Joſephi a Leoniſſa.

1 Dies Dominicus celebratum Conſiſtorium immediate ſubſecutus in cauſa fuit, ut quartum Conſiſtorium ſuper cauſa B. Joſephi a Leoniſſa in feriam 2., quæ fuit 13. ſupradicti menſis Junii, differretur. Et hoc die omnes, quorum adeſſe intererat, per Curſores vocati, in conſuetam Quirinalis Aulam convenerunt. Adfuit & Pontifex ſacris ornatus veſtibus, dimiſſiſque iis, queis in Conſiſtorio ſtare non licebat, ejuſdem B. Joſephi cauſam propoſuit.

2 In ſua brevi oratione morem in Eccleſia antiquitus admiſſum, & exemplis comprobatum explicuit, eos inter Martyres recenſendi, qui pro Chriſtiana Religione tormenta ſuſtinuiſſent, licet ſuperſtites poſt notabile tempus in pace obiiſſent. Theologorum ſententias ſuper hoc protulit, ſed conſuetudinem ſubſecutis temporibus invaluiſſe ait, ut nemo Martyribus accenſeretur, niſi mortem in odium Chriſtianæ Fidei a Tyranno illatam ſubiiſſet. B. Joſephum a Leoniſſa crudeliſſimum tormentum Conſtantinopoli in ejuſdem Fidei odium a Turcis pertuliſſe, ac Divino beneficio fuiſſe ex illo ereptum innuit, ejus tamen Beatificationis cauſam, eodem Pontifice inſtante, cum Fidei Promotorem in minoribus ageret, tamquam Confeſſoris fuiſſe pertractatam. Præclariſſimum vero illud facinus ad ejuſdem Beati Canonizationem valde conferre, ſi tamen in virtutibus heroicis ipſe impoſterum ſe exercuiſſet. Cumque id ſane ipſe tam in ſacris Miſſionibus, quam in reliquo vitæ curſu præſtitiſſet, pretioſa morte quieviſſet, ac miraculis ſubinde fulſiſſet, aſtantium Fratrum ſententias de ſolemni ejus Canonizatione indicenda idem Pontifex requiſivit.

3 Morem ſummo Pontifici gerentes, qui aderant, vigintiocto Cardinales, tres Patriarchæ, quatuordecim Archiepiſcopi, quorum tres erant Orientales, & vigintiquinque Epiſcopi; inter quos unus Orientalis, ſtatim ſuffragia ſua emiſerunt, affirmantes, æquum eſſe, ut B. Joſephus, qui tot, ac tanta pro Dei gloria in terris geſſerat, ab omnibus, tamquam Dei Sanctus, interpoſito Sedis Apoſtolicæ Judicio, coleretur.

4 Auditis ſuffragiis, Summus Pontifex omnes hortatus fuit, ut preces funderent, quibus in re ſummi momenti Divinum ei auxilium obtinerent. Mox Generalis Cameræ Apoſtolicæ Procurator conſuetam ad Protonotarios interpellationem emiſit pro Inſtrumentis conficiendis de hujus Conſiſtorii Actis. Eorum Decanus de more reddidit reſponſionem, & Inſtrumentum ab iis ſubinde exaratum fuit.

5 His acceſſerunt abſentium ſuffragia, novem ſcilicet Cardinalium, trium Archiepiſcoporum, & octo Epiſcoporum, quæ quidem ad Congregationis Rituum Secretarium ex more deferri Papa juſſit.

CAPUT XII.

In ultimo ſemipublico Conſiſtorio Cauſa B. Catharinæ de Ricciis diſcutitur, & ad diem 29. Junii ſolemnis BB. Canonizatio indicitur.

1 Quintum tandem, & ultimum Conſiſtorium ſemipublicum pro cauſa B. Catharinæ de Riceiis in ſequentem diem 14. Junii indictum fuit, in cujus intimatione Curſores oretenus Cardinales admonuerunt de ſecreto Conſiſtorio ante ſemipublicum habendo.

2 Statuta die in deſignata Conſiſtorii Aula ſolus Pontifex cum Cardinalibus, ceteris excluſis, de rebus Conſiſtorialibus primum egit. Quibus expeditis, ac Patriarchis, & aliis, quibus locus erat, admiſſis, inculcavit, ne foribus clauſis ſupervenientes amplius intromitterentur. Et ſane Protonotarii, & Advocatus Fiſcalis ſero advenientes introire prohibiti ſunt.

3 Conſueta allocutoria oratione Sanctitas Sua Conſiſtorio initium dedit. Et ducto ex cap.21. Act. Apoſt. exemplo, ubi dicitur S. Paulus Cæſaream cum ſociis veniſſe, ac domum Philippi Evangeliſtæ intraſſe, cui *erant quatuor filiæ virgines prophetantes*, in Clauſtris quoque Ordinis Prædicatorum, quem S. Dominicus inſtituerat, quatuor tanti Parentis filias inventas eſſe dixit, quæ & prophetantes appellari merito poſſunt, Catharinam ſcilicet Senenſem, Roſam Limanam, Agnetem a Montepolitiano, & Catharinam de Ricciis: Cumque primæ tres a Prædeceſſoribus in Sanctorum album relatæ jam fuiſſent, reliquum eſſe, ut etiam quarta, nempe Catharina de Ricciis pari honore cumularetur, utpotequæ tam virtutibus heroicis, quam miraculis floruiſſet, quare indixit, ut ſuffragaturi aſtantes mentem ſuam ſuper hoc aperirent.

4 Nulla poſt hanc orationem interpoſita mora Cardinales vigintinovem, Patriarchæ Aſſiſtentes duo, Archiepiſcopi Aſſiſtentes duodecim, quorum unus Orientalis, Epiſcopi Aſſiſtentes viginti, Archiepiſcopi non Aſſiſtentes tres, ex quibus duo Orientales, Epiſcopi non Aſſiſtentes decem, inter quos unus Orientalis, ſententias ſuas expoſuerunt, & Occidentales latino, Orientales patrio primum, tum latino idiomate, ut in aliis quoque antecedentibus Conſiſtoriis factum fuerat, unanimiter affirmarunt, B.Catharinæ merita, & miracula ejuſmodi eſſe, ut eam Canonizationis honore dignam efficerent.

5 Sanctiſſimus, auditis ſuffragiis, brevi altera oratione lætitiam ſuam ſignificavit, quam in hoc, & in ſuperioribus Conſiſtoriis ex ſimilibus ſuffragiis ſenſerat. Diem 29. ejuſdem menſis Junii SS. Apoſtolorum Petri, & Pauli Feſto conſecratam deſignavit ad quinque Beatorum, nempe Fidelis a Sigmaringa, Camilli de Lellis, Petri Regalati, Joſephi a Leoniſſa, & Catharinæ de Ricciis Canonizationem complendam. Omnibuſque commendavit, ut preces ad Deum funderent, Divinum lumen in re tam gravi petituri.

6 Abfuerunt, uti ſuperius dictum eſt, Procurator Generalis Cameræ Apoſtolicæ, & Protonotarii; idcirco Sanctitas Sua Procuratoris defectui conſulens, commiſit Cæremoniarum Præfecto, ut Protonotariorum abſentium loco Inſtrumentum de ultimi hujus Conſiſtorii ſemipublici Actis conficeret; idque ab Apoſtolicis Cæremoniariis fieri poſſe Sanctiſſimus Pater docuit, eum de Canonica novi Pontificis electione, ejuſque dignitatis acceptatione inſtrumenta conficere ſoleant. Præfectus itaque ſe Inſtrumenta exaraturum conſuetis Cæremoniis promiſit, uti revera poſtea exaravit.

7 Non omnes, quorum intererat, ultimo huic Conſiſtorio adfuerunt: Quamobrem novem Cardinales, unus Patriarcha, duo Archiepiſcopi, & unde-

undecim Epiſeopi abſentes ſuffragia ſua ad eum, ad quem ſpectabat, ex more miſerunt.

CAPUT XIII.

Summus Pontifex Baſilicas Lateranam, & Vaticanam, templumque S. Mariæ ſupra Minervam inviſit, auxilium a Deo poſtulaturus, quibus in locis a frequenti Cardinalium numero excipitur.

1 PORro eum indictæ preces juxta ſuperius dicta peragendæ eſſent, & Dominiea die 19. Junii SS. Saeramentum in Baſilica Laterana eſſet exponendum, Pontifex ſignificavit, ſe frequentiori eomitatu illue iturum, ideoque per privatam ſehedulam admouiti ſunt Cardinales, ut ſi & ipſi accedere, præſertim acquirendæ Indulgentiæ gratia, vellent, rubris veſtibus uterentur.

2 Statuta die, & hora viginti ferme ex Cardinalibus adfuere, & paulopoſt advenientem Summum Pontifieem ſolemni pompa exceperunt; ipſe vero tamquam eollegialiter accedens in Baſilieam ſolemni comitatu ingreſſus SS. Saeramentum, maxima Populi multitudine adſtante, adoravit, ac peracto ſiero diſceſſit.

3 Poſtridie ſimili ſchedula iiſdem DD. Cardinalibus nunciatum eſt, SS. Patrem die 22. ejuſdem menſis ad Baſilieam Vaticanam iturum, ut eadem ae in Laterano perageret, uti revera omnia non minori ſolennitate, ae frequentia facta ſunt.

4 Eccleſiam S. Mariæ ſupra Minervam Baſilicæ Liberianæ ſuffectam Sanctitas Sua 24. ejuſdem menſis poſt meridiem juſtis ex cauſis adire ſtatuit. De qua re per ſebedulam DD. Cardinales admoniti, vigintitres ex ipſis ad eam Eecleſiam eonvenerunt, ſed ob ingentem Populi eoncurſum vix unus, ant alter eorum comitari Summum Pontificem potnit, qui, re eognita, populique religione eommotus præ gaudio illacrymatus eſt.

CAPUT XIV.

Indulgentia plenaria omnibus, qui Canonizationi intereſſent, conceditur, totius Cleri Secularis, ac Regularis ad Proceſſionem in Vaticano ante Canonizationem peragendam conventus jubetur, aliæque Sanctiones pro majori tantæ ſolemnitatis celebritate referuntur.

1 POST preces reverſus ad Quirinale Sanctiſſimus Pater novam plenariam Indulgentiam iis conceſſit, qui ſolemni Canonizationis Actni, aut præmittendæ eidem ſupplicationi intereſſent. Quam quidem Indulgentiam ii quoque luerarentur, qui aliquo impedimento a prædictis rebus diſtracti quaſdam ſaltem deſignatas preees recitarent; dummodo omnes Saeramentalem Confeſſionem, & Communionem aut præmitterent, aut inter octiduum explerent: Omnibus, qui Canonizationi, aut Proceſſioni intereſſe vellent, admonitis, ut debitam ſervarent modeſtiam, & reverentiam. Mandatum inſuper eſt Baſiliearum Capitulis, & nniverſo Clero ſeculari, & Regulari, eeteriſque ſolemni Corporis Chriſti Proceſſioni intereſſe ſolitis, nt dicta die 29. Junii peragendæ Canonizationi deſtinata omnes in magnum Palatii Pontificii Vatieani atrium convenirent Proceſſionis ante Canonizationis Actum peragendæ gratia, moduſque præſeriptus eſt exeipiendi Pontificem, eum in Baſilieam Vaticanam ad tantam ſolemnitatem ingrederetur. Juſſi quoque ſunt omnes Rectores, aut quovis alio nomine Eccleſiarum, & Oratoriorum omnium Urbis Cuſtodes, ut cum primum audierint bombardarum ex Arce S. Angeli ſtrepitum, aut Campanæ Capitolinæ ſonnm, ſtatim Campanas omnes pnlſarent. De his omnibus Apoſtolicus Cæremoniarius juſſu Pontificis eertiorem feeit D. Cardinalem Guadagni Sanctitatis Suæ Viearium, qui Indul-

Indulgentiæ Edictum in locis frequentioribus affigi juſſit, de aliis verò mandata ad Eccleſias omnes tranſmiſit.

2 Interim Cæremoniarum Præfectus utroſque Pontificiarum Cuſtodiarum equeſtrium Duces ſcripto edocuit, quo ordine Canonizationis die milites ſuos in platea S. Petri diſponerent. Præſulem Generalem armorum monuit, ut peditum copiis iter ſupplicationis præſcriptum tam extra, quam intra Templum cuſtodiri juberet. Helvetiæ Cuſtodiæ Duci, & Arcis S. Angeli Pro-Præfecto ſignificavit, ut ſtatim ac tubę, ac tympana concrepuiſſent, minora omnia, ac majora tormenta bellica explodi curarent. Ut Helvetici milites ferreo thorace, & galea induti partim Sanctiſſimum Patrem deſcendentem in Baſilicam cuſtodirent, partim theatri cancellos tuerentur, quibuſdam dumtaxat recludendos imperio Excellentiſſimi D. Ducis de Comitibus Magiſtri S. Hoſpitii. Actum præterea eſt cum D. Fiſcali Fori Capitolini, ut Tympaniſtæ, & Tubicines Senatus, Populique Romani ad Baſilicam Vaticanam prædicto feſto contenderent, & ad cantum Hymni *Te Deum laudamus* tubis clangerent, & tympana pulſarent ſaltem per horæ quadrantem, utque æs campanum Capitolii ad primum bombardarum ſtrepitum per integram horam quateretur.

CAPUT XV.

Eminentiſſimus Portocarrerus Canonizationis Procurator conſtituitur. Ad Cardinales inſtructio tranſmittitur, qua hora, modo, & ordine Canonizationi intereſſe deberent.

1 POſt hæc idem Cæremoniarum Præfectus D. Cardinalem Portocarrerum adivit, ut certiorem redderet, fuiſſe a Sanctiſſimo Patre Procuratorem futuræ Canonizationis deſignatum, quod munus conſuevere Romani Pontifices Nepotibus ſuis deferre, ut a Clemente XI. factum eſt. Annuit præfatus Cardinalis, ac de iis, quæ ad ipſum ſpectabant, a Cæremoniario inſtructus eſt.

2 Augebatur in dies Nobilium Advenarum, Populorumque concurſus; Poſtulatores ſatagebant, ut parata eſſent omnia; cum D. Cardinalis Columna Pontificiæ Domui Pro-Præfectus cum quibuſdam aliis ſpecialiter accitis ad Baſilicam Vaticanam triduo ante pervigilium feſti venit, & ab ipſis quæſivit, an omnia bene diſpoſita viderentur. Iis probantibus, mox ſpatium totum diviſum fuit, ac Regiis Oratoribus Gallo, & Veneto, Senatori Urbis, Magnatibus, atque Matronis ſupernę pegmatum contignationes attributæ; iis, qui Oblationes portarent, certa ſedes conſtituta; & Cantoribus odæum erectum; Abacorum ac Menſarum ſitus deſignatus; ubi Nobiles, inter quos Convictores Collegiorum Romani, & Clementini, & nonnulli etiam Religioſi commode adeſſe poſſent; Specialis verò ſuggeſtus Sereniſſimo Jacobo III. Britanniæ Regi comparatus. Tum alia loca, munera, & ſedilia diſtributa. Pridie ſolemnitatis Summus Pontifex Vaticanum adiit, & cuncta præſens inſpexit.

3 Poſt hæc inſtructio typis impreſſa ad Cardinales tranſmiſſa a Cæremoniarum Præfecto fuit de hora, qua Sanctiſſimus Pater ad Capellam eo ſolemnitatis die deſcenderet, de via, per quam ipſi ad Vaticanum Palatium convenirent, de veſtibus, quibus uterentur, de modo incipiendi, & peragendi ſolemnem Proceſſionem cum eodem SS. Patre, de comitatu, quem haberent, ac de aliis pluribus, quæ in tam ſolemni Canonizationis Actione agenda eſſent. Alia ſpecialis inſtructio data eſt Cardinalibus Congregationis ſacrorum Rituum quoad oblationes faciendas. Conſultoribus verò ejuſdem Congregationis mandatum eſt, ut Cle-

ri

ri utriuſque Proceſſionem proſequerentur.

CAPUT XVI.

Conſtitutio BENEDICTI XIV. indicatur, qua in poſterum SS. Petro, & Paulo Apoſtolorum Principibus in ipſorum annua ſolemnitate cultus augetur.

1 AD augendum verò SS. Apoſtolorum Petri, & Pauli cultum idem Summus Pontifex BENEDICTUS XIV. conſtituit, ut Romæ in poſterum ſingulis diebus infra octavam Feſti eorumdem SS. Apoſtolorum Pontificalis Miſſa in aliqua ex Eccleſiis aliquo eorum monumento celebribus mane caneretur, adſtantibus Romanæ Curiæ Prælatorum Ordinibus juxta gradum, & dignitatem, & præcipue juxta locum, quem in Pontificiis Capellis obtinent. Cumque præcedentia inter Prælatos Votantes Juſtitiæ, & Gratiæ controverteretur, idem Pontifex literis Apoſtolicis die 7. Junii ejuſdem anni 1746. datis controverſiam ſuſtulit, ſtatuens, ut ſi aliquando utriuſque Signaturæ Votantes quomodocumque ſimul reperiri contingat, ille præcedat, qui prior in ſuo reſpective Tribunali fuit adlectus. Si autem eodem die adſciti fuiſſent, tunc præcedentia illi cedat, qui in Prælatura quacumque antiquior eſt. Et hæc quidem ſervari inter eos juſſit, niſi aliter Epiſcopalis character, aut alia dignitas fortè exigeret. Sed ad ſtatutum SS. Apoſtolorum cultum quod attinet, voluit inſuper Pontifex, ut ſingulis ejus octidui diebus aliquæ Laicorum Confraternitates a Card. Vicario deligendæ Eccleſiam illam veſpere ſupplici ritu adirent, in qua mane preces habitæ fuerunt; octidui tandem ſolemnitas ad Lateranenſem Baſilicam ultimo die majori celebritate clauderetur.

2 Siquidem in memorata Conſtitutione, quæ pro hoc peculiari cultu 3. Calend. Apr. an. 1743. edita eſt, Sanctiſſimus Pater decrevit, ut recurrente eorumdem Apoſtolorum natali die, eodemque in Baſilica Vaticana, conſueta celebritate, præſente Summo Pontifice cum Cardinalibus, ceteriſque intereſſe ſolitis, peracto, ſecunda infra octavam die Miſſa in Pontificalibus in Baſilica B. Pauli Apoſtoli via Oſtienſi celebretur, præſentibus Epiſcopis Pontificio Throno Aſſiſtentibus, in qua quidem Baſilica celebris eſt utriuſque Apoſtoli memoria, & ſacræ aſſervantur Reliquiæ. Tertia die ſacrum eodem modo, adſtantibus Protonotariis Apoſtolicis de numero Participantium, fiat in Eccleſia S. Pudentianæ, ubi Pudentis Senatoris domum fuiſſe perhibent, in qua S. Petrus Romam primum adveniens Hoſpitio exceptus eſt, prædicavit, Sacrum pluries fecit, & Sacramenta adminiſtravit. Quarta die, intervenientibus cauſarum Palatii Apoſtolici Auditoribus, idem peragatur in Eccleſia S. Mariæ in Via-Lata, ubi primum Hoſpitio exceptum S. Paulum ferunt.

3 Quinta die ſolemnitas, convenientibus Cameræ Apoſtolicæ Clericis, celebretur in Eccleſia S. Petri ad Vincula, quæ prima ab eodem Romæ Deo dicata traditur, & in qua illius Vincula ſummo honore coluntur. Sexta die ad Eccleſiam S. Petri in Carcere ad ſolemnitatem accedant Referendarii Votantes Signaturæ Juſtitiæ, in qua uterque Apoſtolus dicitur per plures menſes uſque ad obitum fuiſſe in vinculis detentus, baptizaſſe Cuſtodes Proceſſum, & Martinianum, mirabili ex petra exorto fonte, & alia miracula, & opera patraſſe. Septima die Miſſa ſolemnis celebretur, adſtantibus Abbreviatoribus de Parco Majori, in Eccleſia S. Petri in Monte Aureo, ubi ex pia traditione S. Petrus dicitur Cruci capite ad terram verſo affixus fuiſſe. Octava die ſolemnitas in Baſilica Lateranenſi abſolvatur, in qua ſacra eorumdem Apoſtolorum Capita aſſervantur. Miſſarum vero ſolemniis Cardinalium Collegium aſſiſtat,

Digitized by Google

ſtat, & Veſpere Senator, & Conſervatores Urbis ſacras eorum Reliquias veneraturi, & aliis exemplo futuri, illuc accedant.

4 Pomeridiano totius deſcripti octidui tempore omnibus injunctum eſt Urbis Confraternitatibus a Cardinali Vicario in ſingulos dies debita partitione diſtribuendis, ut eam adeant Eccleſiam, in qua mane Miſſa celebrata fuit, conceſſa proceſſionaliter accedentibus ſeptem annorum, ac totidem quadragenarum, aliis vero centum dierum Indulgentia.

5 Conſtitutionem tandem ſuam claudit, omnes in Domino enixius hortans, ut tantam ſolemnitatem ea, qua par eſt, frequentia, pietate, ac reverentia celebrent, memores ſemper beneficiorum, quæ almæ huic Urbi iidem Apoſtoli contulerunt.

6 Porro Eminentiſſimus Card. Vicarius etiam hoc ipſo anno 1746. per Edictum 19. Junii datum memoratæ Conſtitutionis executionem promovit, Confraternitates juxta ejuſdem Conſtitutionis præſcriptum in ſingulos dies diſtribuens, & ad deſignatas Eccleſias dirigens.

CAPUT XVII.

Pompa, qua in Pervigilio SS. Petri, & Pauli Vectigal pro utriuſque Siciliæ Regno perſolutum eſt, ac Feſti ignes multo copioſiores ſequentis diei celebritatem prænunciant.

1 PRimæ SS. Apoſtolorum Veſpere non in Baſilica Vaticana, utpote ab Operariis impedita, ſed in Sixti IV. Sacello cantatæ fuerunt, ad quod cum Pontifex in ſella deferretur, adſtante Advocato Fiſcali, citati ſunt, qui annuo ſolvendo tributo erant obnoxii. In Aulam regiam delatus, in qua Card. Camerarius, aliique Camerales eum præſtolabantur, D. Advocato Toppi Fiſci, & Cameræ nomine pro Parmenſi & Placentino Ducatu interpellanti, ac proteſtanti reſpondit.

2 Vectigal deinde pro utriuſque Siciliæ Regno, quarum directum dominium ad Apoſtolicam Sedem pertinet, pendendum erat, quod quidem quotannis Regis Legatus extra ordinem pendit Pontifici, album equum, & certam pecuniæ ſummam exhibens. Id in SS. Apoſtolorum pervigilio, & intra Vaticanæ Baſilicæ veſtibulum poſt Veſperas fieri ſolet, quamquam ob diverſas circumſtantias alio die, & alibi fieri poſſit, uti anno 1740. factum eſt, quo BENEDICTUS XIV. 17. Auguſti in Pontificem electus illud in templo B. Mariæ de Populo 8. Sept. ab Excellentiſſimo D. Fabritio Columna Magno Comeſtabili Regni Neapolitani, & extraordinario Regis Siciliarum Legato excepit. Jam vero hoc ipſo anno cum Baſilica, ut dictum eſt, proximæ celebritatis cauſa impediretur, idem Legatus, ex Palatio Farneſiorum, unde genus ex materno ſanguine Carolus nunc utriuſque Siciliæ Rex trahit, diſcedens magno Nobilium, & Epiſcoporum, aliorumque comitatu, equo inſidens ad Vaticanum acceſſit, ac per regiam ſcalam ad Aulam aſcendens, in hac vectigal Regis nomine Summo Pontifici conſuetis cæremoniis perſolvit.

3 Sequenti nocte ignibus Feſtis, facibuſque Urbs tota, ac præcipue Vaticani Templi Tholus colluxit. Voluptatem addiderunt inſignia nitrati pulveris ope ſpectacula in Hadriani mole, quæ biduo ſpectari quotannis, recurrente Apoſtolorum Principum Natali, ſolent, ſed hoc anno in novorum honorem Sanctorum tertius additus dies eſt. Nec defuerunt Religioſi viri, qui reliquum noctis in orationibus traducerent de proxima Beatorum gloria lætantes.

CA-

Digitized by Google

CAPUT XVIII.

Series Proceſſionis ante Canonizationem peractæ.

1 SUmmo mane uterque Clerus ad conſtitutum in Vaticano locum ſupplicationi adfuturus contendit. Porro Sanctiſſimus Pater præceperat, ut non, ſicut olim, Clerus a porta palatii ferrea ad Obeliſcum, & ad primarium Baſilicæ oſtium in duas lineas diſtributus Sanctitatis Suæ adventum præſtolaretur, ſed ut compoſite incedens, hymnumque *Ave Maris ſtella* canens recta introiret in templum, & quinque Beatorum Vexilla poſtremo comportarentur, & intra Baſilicam tranſeunti Pontifici humiliter exhiberentur, quo Populi, Clerique vota publice accederent ad ultimam Canonizationis deliberationem exorandam. Viam vero a fronte ad frontem quadrigemini periſtylii apertam, per quam procedendum erat, Poſtulatores tegendam curaverant, ne ſoli eſſet expoſita. Duo ex Cæremoniarum Magiſtris, & aliquot Patres ex iis Ordinibus Regularibus, ad quos ſumptus in Canonizationem pertinebant, Cereos ſingulis ſupplicationem componentibus in diverſis locis diſtribuerunt, majores, vel minores juxta uniuſcujuſque dignitatem, & ordinem.

2 Viis deinde, & interiori Baſilicæ parte, qua ſuppliciter procedendum erat, per milites circumſeptis, cœpta eſt ſupplicatio, cujus prima acies pueros Hoſpitii S. Michaelis, & Orphanos, Patres Gallos Tertii Ordinis S. Franciſci ex Conventu S. Mariæ Miraculorum, alioſque Mendicantes complectebatur, prælata Cruce invicem diſcriminatos. Secundam aciem Monachi S. Hieronymi Longobardiæ ad D. Alexii ædem in colle Aventino, aliique Monaſticæ vitæ Profeſſores componebant. In tertia acie præeuntem Cleri Secularis Crucem ſequebantur Alumni Seminarii Romani, Parochi, ac Vicarii perpetui Urbis, quibus SS. Pater ſtolæ in publicis Proceſſionibus uſum nuper indulſerat, tùm Canonici Collegiatarum, quorum poſtremus erat Cleri Camerarius. Succedebat inſignis Collegiata S. Mariæ in Coſmedin, cui Benedictus XIII. Cappæ magnæ, & Rocchetti uſum, necnon facultatem præferendi Papilionis, & æreæ manualis Campanulæ inſtar aliarum Collegiatarum inſignium, & Baſilicarum in ſignum matricitatis conceſſerat, cujus quidem campanulæ in Proceſſionibus pulſandæ ritus antiquiſſimus eſt. Subſequebantur duæ antiquiores Collegiatæ S. Mariæ Tranſtyberim, & S. Laurentii in Damaſo, poſtremo tres Patriarchales S. Mariæ Majoris, S. Petri in Vaticano, & S. Joannis in Laterano, unaquæque ſub Cruce ſua cum Papilione, & tintinnabulo.

3 Juſdicentes Tribunalis Eccleſiaſtici, & Civilis Cardinalis Vicarii, qui præſide R. P. D. Ferdinando Maria de Rubeis Urbis Viceſgerente extra portam ferream ſub Periſtylio conſederant, Lateranenſe Capitulum proximè ſecuti ſunt, ut contentiones in via forte exorientes ſtatim compeſcerent. Deinde procedebant Conſultores Congregationis Sacrorum Rituum, Regulares juxtà admiſſionis prioritatem, reliqui juxta dignitatis gradum. Poſtremo quinque Canonizandorum vexilla comportabantur ab aliquot Confratribus diverſarum Urbis Societatum, ſingula præeuntibus octo ſingulorum reſpective Inſtitutorum Patribus ſuperpelliceo indutis, ac intortitis deferentibus, alii vero quatuor quotidiano habitu non immutato oblongos funes ex ſuperiori vexilli tranſverſa haſta pendentes ſuſtinebant. Unumquodque Vexillum Canonizandi imaginem ex una, ex altera vero parte inſigne aliquod ejus factum repræſentabat. Primum hoc modo vexillum B. Catherinæ de Ricciis deferebatur a Confratribus Archiconfraternitatis ſub titulo Nativitatis Domini, vulgo,

degli Agonizanti. Alterum B. Joſephi a Leoniſſa geſtabant Confratres Societatis Stigmatum S. Franciſci. Tertium B. Petri Regalati deferebant Confratres Archiconfraternitatis Confalonis. Confratres vero Societatis S. Spiritus quartum B. Camilli de Lellis: ultimum B. Martyris Fidelis a Sigmaringa alii ejuſdem Societatis Stigmatum gerebant.

CAPUT XVIII.

Pompa, & Comitatus, quibus Summus Pontifex in templum Vaticanum proceſſit.

1 HAC ſupplicatione procedente, SS: Pater in Aulam Apoſtolico Sacrario proximam deſcendit, ubi eum Urbis Gubernator, Vice-Camerarius, Conſervatores Romani Populi, aliique nobiles viri ex officio præſtolabantur. Deficientibus Solii Principibus, Conſervatorum anti prior ſubſtitutus eſt pro ſublevando Pontificiæ veſtis oblongo ſyrmate. Intererant eum Miniſtris Acolythis Diaconi Cardinales duo antiquiores, quorum miniſterio Pontifex amictu, alba, cingulo, & ſtola rubra indutus eſt, quæ ſicut & indumenta alia ſacra Pontificis, aliorumque in miniſterio Altaris eidem inſervientium, ad hanc ſolemnitatem Poſtulatorum ſumptibus comparata fuerant. Thus deinde in thuribulum injecit, ſumptiſque Pluviali, ac ſacra tiara, quam utpote triplici corona compoſitam Triregnum appellant, præcedente Cruce ab Auditore Rotæ Subdiacono elata inter candelabra, in proximum Sixtinum ſacellum pedes exivit. Aderant bic Cardinales ſpecioſa veſte juxta cujuſque ſacri Ordinis gradum diſtincti: item Patriarchæ, Archiepiſcopi, Epiſcopi, Abbates pluviali rubro induti: tandem Prælati Romanæ Curiæ, quorum aliqui cappam, alii ſuperpelliceum ſuper rocchettum, alii habitum in Pontificia Capella conſuetum induerant. Adveniente Pontifice aſſurrexerunt omnes, quos ipſe benedixit, & ad faldiſtorium ante Altare, depoſito regno, procubuit, & aliquantiſper oravit; mox ſurgens hymnum *Ave maris ſtella* præcinuit, mitraque redimitus, & in ſella geſtatoria compoſitus duos magnos cereos, aliumque minorem a Cardinali Portocarrero ad poſtulandam Canonizationem procuratore deſignato recepit, ſed parvum dumtaxat accenſum in hac ſupplicatione detulit.

2 Hæc breviori itinere, quam illa prima completa eſt, ſiquidem ab Aula Regia per magnam ſcalam deſcendit, & a Conſtantini ſimulacro per Vaticanum Xyſtum in templum ingreſſa eſt. Procedebant bini, ac bini incenſos cereos portantes, primi Scutiferi Papæ, deinde Procuratores Generales Ordinum locum in Capella habentium, poſt hos Cubicularii extra cameram, mox Capellani communes, & intimi, quorum ſex primi Pontificias mitras, atque tiáras geſtabant.

3 Sequebantur Advocati Conſiſtoriales, inde Cubicularii honoris, & intimi Papæ, tum Chorus, ſeu Cantores Pontificii reliquum Hymni *Ave maris ſtella* pſallentes, poſt hos RR. PP. DD. in utraque Signatura Referendarii, mox Abbreviatores de Parco Majori, Votantes in Signatura Juſtitiæ, Clerici Cameræ, & Rotæ Auditores, & cum his R. P. Magiſter ſacri palatii: ſequebantur Auditores, ac duo deinde ex Intimis Sanctitatis ſuæ capellanis regnum, & mitram leviſſimi ponderis ad frequentiores uſus Pontificis deferebant, unus Rotæ Auditor ſubdiaconalibus veſtibus indutus inter duos Oſtiarios Crucem geſtabat, antequam a præcedente Acolyto Apoſtolico thymiamaterium motabatur: alter quoque Rotæ Auditor ſimilibus veſtibus inſignitus Subdiaconi munus in Miſſa obiturus, inter Diaconum, & Subdiaconum Græcos epiſtolam, & Evangelium lingua Græca recitaturos exceptus eſt. Sequebantur Patres Societatis Jeſu in Baſilica Vaticana Pœnitentiarii: Abbates generales Canonicorum Regula-

rium

Digitized by Google

rium Lateranenſium, & S. Baſilii; Epiſcopi prius ſolio non Aſſiſtentes, tum Aſſiſtentes, neenon Archiepiſeopi, & Patriarehæ, omnes rubro pluviali, & mitra textili lino obducta ornati: ſuccedebant Cardinales, Diaconi cum Dalmaticis, Presbyteri cum caſulis, Epiſcopi cum ſuperpelliceo præter rocchettum, pluviali, & Formalio, ſinguli mitris textili damaſceno albis redimiti, addito ſupra rocchettum circa collum amictu, cujus uſum Benedictus XIII. ad Epiſcopos extendit. Progrediebantur demum Orator Bononiæ, Conſervatores Populi Romani, Gubernator Urbis, tres Diaconi Cardinales, quorum medius Diaconalibus veſtibus indutus Poſtulatorum ære comparatis miniſter in Miſſa futurus erat: aderant duo Rotæ Auditores fimbrias Pontificiæ veſtis anteriores elevatnri.

4 Tum Pontifex in ſublimi ſella ſubvectus cereum accenſum in ſiniſtra gerens ſub umbella deferebatur, cujus haſtas Referendarii ſuſtinebant, circumcuſtodientibus Procætonibus, ac Dynaſtis, ſelectaque Helvetiorum militum manu. Sequebatur inter duos Papæ Cubicularios aſſiſtentes Decanus Auditorii Rotæ cum vitta e collo pendente ad ſuſcipiendam mitram: agmen clandebant Protonotarii, ac nonnulli alii Prælati, antecedentibus Auditore, & Theſaurario Cameræ generalibus, Magiſtris vero Mendicantium Generalibus ſubſequentibus, quos omnes Helvetici milites a turba protegebant.

5 Pontifex in porticum ante Baſilicam venit, & Vaticano Capitulo occurrente, Muſiciſque antiphonam, *Tu es Petrus*, concinentibus, in templum ingreſſus ad ſacellum SS. Trinitatis de ſella deſcendit, relictiſque mitra, & candela coram auguſtiſſimo Sacramento ibi expoſito, in genna provolutus oravit; mox recepto cereo in theatri caveam ſubvectus eſt, ubi depoſito cereo e ſede deſcendit, ac ſuper faldiſtorium procumbens ante Aram principem, ſub qua SS. Apoſtolorum Corpora condita ſunt, oravit; inde aſſurgens, producto ſuper aſtantes hinc inde diſpoſitos Crucis ſigno, eminens Solium petivit, ſeditque in Petri Cathedra, ubi Cardinales primum, inde Epiſcopos, Abbates, & Pœnitentiarios ad debitam obedientiam excepit.

CAPUT XVIII.

Initium actus ſolemnis Canonizationis. Triplex Inſtantia ab Advocato Conſiſtoriali nomine Cardinalis Procuratoris facta Summo Pontifici pro Canonizatione quinque BB., & triplex reſponſum redditum a Secretario Epiſtolarum ad Principes.

1 POſt hæc omnibus conſidentibus, exceptis quibuſdam circa ſolium, Cardinalis Carafa Epiſcopus Aſſiſtens, loco Cardinalis Rufi Decani, a Cæremoniarum Magiſtro deductus eſt ſuper nudum faldiſtorium in ſumma ſolii planitie dextrorſum ſeſſurus. Alter Cæremoniarius ad anteriores ejuſdem ſolii gradus adduxit Cardinalem Portocarrero procuratorem, comitante ad lævam Advocato Conſiſtoriali. Cardinalis caput profunde inclinans, Advocatus genu flectens altare, & Papam, monente, ac paululum præeunte Cæremoniario, coluerunt, tum ante imum ſolii gradum Advocatus genuflexus, Cardinalis ſtantis nomine, Sanctiſſimum Patrem inſtanter rogavit, ut BB. Fidelem, Camillum, Petrum, Joſephum, & Catharinam inter Sanctos referret. Ad hanc inſtantiam Secretarius Brevium ad Principes, laudans prædictos Beatos, in planitie ſolii ſtans, reſpondit, Sanctitatem Suam cenſere, prius in re tanti momenti implorandum eſſe cæleſte lumen. Tunc Cardinalis Procurator, ſalutato Pontifice, ad locum ſuum iiſdem comitibus rediit. Papa vero, retenta ſemper mitra, ad faldiſtorium in ſolii aream tunc delatum procubuit, ceteriſque genuflectentibus, litaniæ Sanctorum cantatæ fuerunt.

2 Conſurgentibus deinde omnibus,

 Car-

Cardinalis Procurator ad ſolium cum iiſdem rediit, ejuſque nomine Advocatus Canonizationem iuſtantius petiit. Seeretarius reſpondit, Sanctitatem ſuam cenſere, ae præcipere, ut Spiritus Sancti gratia imploretur. Abiit ut prius Procurator; mox Diacouns Cardinalis clamavit, *orate*, tum Papæ, aliique omnes, depoſitis, mitris genua flectentes pauliſper orarunt, alioque Diacono Cardinali ſucclamante, *levate*, ſurrexerunt, & Episeopis Aſſiſtentibus librum miniſtrantibus, & Cardinali Carafa ſuſtinente; Sanctiſſimus hymnum *Veni Creator Spiritus*, præciuuit, quem Cantores, omnibus iu genua provolutis, proſecuti ſunt. Ad ultimos verſus Papa mitram accepit & ad ſedem profectus depoſuit: Cantores verſieulos cecinerunt, ipſe vero orationem. Deinde ſedit mitra redimitus, ac tertio Canonizatio inſtantiſſime poſtulata, ut antea, fuit. Secretarius Brevium reſpondit, Sanctiſſimum Patrem jam intelligere, hos quinque Beatos dignos eſſe, qui Sanctis adnumerentur.

CAPUT XXI.

Sententia a Summo Pontifice profertur, qua quinque prædictos BB. inter Sanctorum numerum refert. Ceremoniæ hanc declarationem ſubſequutæ.

1 OMnibus deinde couſurgentibus, ſummus Univerſalis Eccleſiæ Paſtor in Cathedra Petri ſedens, & conſnetam ſolemnis ſententiæ formulam ex libro per Aſſiſtentes Epiſcopos oblato legens B. Fidelem a Sigmaringa inter Sanctos Martyres, B. Camillum de Lellis, Petrum Regalatum, & Joſephum a Leoniſſa inter Sanctos Confeſſores non Pontifiees, B. Catharinam de Ricciis inter Sanctas Virgiues de plenitudine poteſtatis retulit, dies ſimul anuuncians, quibus unuſquiſque eorum colendus eſſet. Hanc ſeutentiam D. Advocatus aeeeptari a Cardinali Procuratore pronuntiavit, ab eoque gratias agi Summo Pontifici, ac ſupplicari, ut Apoſtolieæ litteræ ſuper ea decernerentur. *Decernimus*, Papa reſpondit: tunc idem Procurator genu, ac manum Sanctiſſimi deoſculatus ad Cardinalium ſubſellia rediit. Advocatus vero Protonotarios, & Notarios interpellavit, ut ſuper hoc Canonizationis actu inſtrumentum conficerent, quorum antiquior ſubdidit, *conficiemus*, in teſtes appellans ſolio aſtantes, *vobis teſtibus*.

2 Surrexit cum aliis Pontifex gratias Deo redditurus, atque ex libro, ut ſnpra admoto hymnum *Te Deum* &c. præcinuit, quem ehorus proſecntus eſt, dum interea ſigno dato, tubarum, tympanorum, tormentorum, æriſque campani ſtrepitus, tota plaudente Urbe, lætiſſimum peractæ Canonizationis nnncinm propagabat.

3 Abſoluto hymno unus Diaconus Cardinalis cantavit ℣. *Orate pro nobis Beati Fidelis* &c. ſubdidere Cantores ℟. *Ut digni* &c. & Papa Orationem de iiſdem Sanctis cantu feriali recitavit, & facta a Diacono Cardinali in Miſſa miniſtraturo confeſſione cum novorum Sanctorum commemoratione, & Cruce a Subdiacono ante ſolii gradus delata, abſolutionem fecit, eoſdem Sanctos commemorando, tandem ſolemnem benedictionem impertivit.

CAPUT XXII.

Canonizatione peracta, Miſſæ Sacrificium celebrare voluit BENEDICTUS XIV. *homiliamque inter Miſſæ ſolemnia habuit. Oblationes in hac Canonizatione in Miſſa factæ recenſentur.*

1 EXtinctis tunc cereis, actio Canonizationis abſolvitur. Solemnem vero Miſſam non eſſe de hujus actionis eſſentia, & poſſe in ſeqnentem diem transferri, aut ab alio, quam a ſummo Pontifice, aut eodem abſente peragi, ex pluribus monumentis

Digitized by Google

tis exploratum eſt. Clemens XII., peracta Canonizatione SS. Vincentii a Paulo, Julianæ de Falconeriis, & aliorum, receptiſque, dum hymnus *Te Deum* &c. caneretur, oblationibus, ceteriſque, ut ſupra, peractis, abiit ſinens, ut Miſſa a Cardinali Rufo celebraretur.

2 Verum ſæpe laudatus BENEDICTUS XIV. in hac, quam peregit, ſolemnitate ſolemne quoque Sacrum per ſe ipſum facere voluit, ideoque ab eminenti ad aliam minorem ſedem a læva altaris poſitam, Diaconis, aliiſque paucis miniſtris comitantibus, progreſſus horam tertiam inchoavit, qua abſoluta, ſacra ad Sacrificium ornamenta ſuſcepit, & ad altare, occurrentibus tribus ultimis Presbyteris Cardinalibus ad oris, pectoriſque oſculum, proceſſit, & Miſſam ſolemni ritu celebravit, in qua de quinque Beatis recenter inter Sanctos relatis facta eſt commemoratio, & poſt Evangelium Sanctitas Sua homiliam habuit. In hac expoſito ritu quo olim SS. Apoſtolorum Petri, & Pauli feſtum celebrari conſueverat, & quo impoſterum celebrandum eſſe nuper ipſe conſtituit, opportune hoc idem feſtum ad quinque prædictorum Beatorum Canonizationem ſelectum fuiſſe diſſeruit. Siquidem res ab iiſdem Apoſtolis geſtas identidem commemorans, quam ſe illis quinque Beati conformaverint, ſimul oſtendit, delibatiſque utrorumque miraculis, poſtremo eoſdem ſibi, & Eccleſiæ univerſæ propitios adprecatus eſt.

3 Abſoluta homilia, Cardinalis Diaconus Evangelii, in ſolii planitie, *Confiteor* recitavit, Epiſcopus Cardinalis Aſſiſtens Indulgentias a Sanctitate ſua petiit, obtinuit, & promulgavit, præſentibus quidem plenariam, ſeptem verò annorum, totidemque quadragenarum quotannis quinque Sanctorum ſepulcra die eorum natalitio viſitantibus. Poſtea Papa ſine mitra ſtans populo ſolemniter benedixit, ſymbolum præcinuit, & ſubmiſſa voce recitavit, & Offertorium legit, mox mitra redimitus ſedit, Poſtulatorum oblationes excepturus.

4 Tres Cardinales Congregationis rituum, quorum unus eſſet Epiſcopus, vel Epiſcopi vices gereret, alter Presbyter, tertius Diaconus, ad ſingulas oblationes intervenerunt, cumque tot non eſſent ejuſdem Congregationis Cardinales Diaconi, quot erant oblationes, alii duo ſubſtituti fuerunt.

5 Porro ſinguli Cardinales duobus nobilibus familiaribus præeuntibus utebantur ad eas comportandas: ſubſequebantur primores duo Patres ex Regulari illo Ordine, quem Sanctus incoluerat, parvum portantes cereum loco caniſtri, ab alterutro alias geſtandi cum quibuſdam avibus, cujus generis oblationem Sanctiſſimus omnino ablegaverat. Oblationes ſingulæ in totidem menſis decenter compoſitæ fuerant, quo, poſtquam Pontifici exhibitæ fuerant, rurſum deferebantur.

6 Jam vero Procurator Canonizationis Cardinalis Portocarrero, qui ad ſiniſtram Cardinalis Epiſcopi primæ oblationi aſſignati inceſſerat, in planitie ſolii dextrorſum conſiſtens ſex parvos cereos pictos, in unaquaque oblatione a Religioſis Patribus delatos Pontifici offerebat. Quilibet Cardinalis Epiſcopus duos prægrandes pictos, ac ſtemmatibus Pontificio, & Regulari inſignitos; Presbyteri Cardinales duos magnos panes auro unum, alterum argento illitos, ac Pontificiis inſignibus ornatos; Cardinales Diaconi doliola duo iiſdem ornamentis, atque auro, argentoque ſplendida afferebant, & ex Familiaribus accepta Sanctiſſimo exhibebant, ſimulque ejus genu, & manum deoſculabantur, reliquis vero pedis oſculum permittebatur. Et hoc ordine quinque factæ fuerunt oblationes, quot nempe erant Sancti Canonizati, præeunte ſingulas aliquo ex Cæremoniariis.

7 Perceptis oblationibus, Sanctiſſimus Miſſam conſueto ipſi ritu abſolvit, ac Pontificali benedictione po-

pulo

Digitized by Google

pulo impertita, pallioque ſuper aram depoſito ad ſellam geſtatoriam deſcendit, in eaque compoſitus, tiara, aliiſque ornamentis reſumptis, conſuetum presbyterium a Cardinali baſilicæ Archipresbytero, & a duobus Canonicis ſacrario præfectis accepit, quibus ipſe aureum calicem, & patenam tradidit, quibus eo die libaverat. Presbyterio inde in Clericos erogato, numiſma novum inſuper largitus fuit, quod novorum quinque Sanctorum imagines repræſentabat. Poſt hæc dimiſſis Cardinalibus, in præparatum extra theatri aream tentorium divertit, ubi ſacras veſtes exuit.

CAPUT XXIII.

Compendium literarum decretalium Canonizationis B. Fidelis a Sigmaringa.

1 INſtrumentum poſtea in ſolemni actione promiſſum Protonotarii confecerunt, relatis omnibus, quæ ab initio ſolemnis ſupplicationis ad finem integri ſolemnis actus Canonizationis geſta fuerant.

2 Acceſſerunt literæ decretales de uniuſcujuſque Beati Canonizatione, in quarum ſingulis patria, ortus, mores, virtutes, obitus, & miracula eorumdem Beatorum, necnon omnia, quæ in eorum cauſis acta ſunt, preceſque a Regibus, Principibus, Populis, & Ordinibus Regularibus pro illorum Beatificatione, & Canonizatione Summis Pontificibus exhibitæ recenſentur, ac poſtremo a Summo Pontifice BENEDICTO XIV. in Sanctorum album fuiſſe ſolemni Canonizationis ritu relatos affirmatur, & ut tales ab omnibus colendos eſſe decernitur, & Indulgentia ſuperius relata viſitantibus eorum ſepulcra recurrente eorum feſto confirmatur.

3 Et ad literas decretales Canonizationis B. Fidelis quod attinet, in his ipſe in oppido Sigmaringæ Conſtantienſis Diœceſis Catholicis, piiſque parentibus ex honeſta Rejorum ſtirpe natus dicitur, ac pueritia innocenter exacta, ſtudiorumque emenſo curriculo, nobilium adoleſcentum Italiam, Galliamque peragrantium comes primum, & gubernator, mox utriuſque juris laurea Friburgi inſignitus, Advocati munus profeſſus eſt, ſed deinde forum dimittens, ac Sacerdos factus Ordini FF. Minorum Cappuccinorum nomen dedit, relictoque Marci nomine, Fidelis appellatus eſt.

4 Exacto tirocinio, emiſſiſque paupertatis, caſtitatis, obedientiæque votis, Regularem diſciplinam ſtudioſe, humiliterque ſervavit. Conventui Veldkirchienſi præfectus Fratribus mirificè profuit, abjectaque miniſteria obivit. In meditatione aſſiduus, poſt nocturnas preces in oratione uſque ad auroram perſeverabat. Præter horas Canonicas Officia B. M. Virginis, & S. Franciſci recitabat. Utque vitam, ſicuti a Deo petierat, innocenter traduceret, voluntariis caſtigationibus corpus ſuum affligens, præter conſueta ſui Ordinis jejunia, plures alios per annum dies vel ab omni obſonio abſtinens, vel ſolo pane, & aqua contentus tranſegit.

5 Proximorum ſalutis ſollicitus in audiendis fidelium Confeſſionibus, & in verbi Dei prædicatione mirabiliter, ingentique animarum fructu ſeſe exercuit, ac præcipue eliminandis Hæreticorum impietatibus acerrime operam dedit. Caritate flagrans pupillos, viduas, alioſque indigentes ſpiritualibus, & corporalibus ſolatiis juvare ſtuduit. Milites Auſtriaci exercitus epidemico morbo correptos cibis, medicamentis, Sacramentis, aliiſque caritatis officiis alacriter adjuvit.

6 Cum itaque jamdiu flagrantiſſimæ erga Deum, & proximos Caritatis ſpecimen præbuiſſet, dignus effectus eſt, qui ad Apoſtolicum munus advocaretur. Quare cum Paulus V., & Gregorius XV. decreviſſent graſſanti per Rhætiam hæreſi per Orthodoxæ Doctrinæ prædicationem reſiſtere,

re, Capuccinis ad hoc miſſis Fidelis ipſe præfectus fuit. Ferventiſſimo ſtatim zelo impoſitum munus exequens per Eccleſias, per Domos, atque plateas concurſus nutantes in Fide confirmavit, errantes quamplures revocavit, quin fame, frigore, nuditate, vitæ diſcrimine, quam plurimiſque aliis incommodis, quibus ferme quotidie conflictabatur, ab Apoſtolico munere deterreretur, imo vero ad hujuſmodi perferendos labores, tum uberrimus animarum fructus, Hæreticorumque converſio, tum obtinendi optati, diuque expetiti Martyrii ſpes excitabant.

7 At non diu tulit humani generis hoſtis tantas a fortiſſimo Chriſti athleta prædas ſibi eripi; quamobrem incitati ab eo nonnulli pervicaciſſimi impietatis ſectatores Fidelem in oppido Luceyn commorantem ad pagum ſevienſem evocant, pietatem, & converſionem ſimulantes. Sequenti die 7. Kal. Majas an. ſ622. præſto ipſe adfuit, ac ſacro primum in Eccleſia peracto, ſuggeſtum alacer conſcendit, cumque indictam ſibi mortem per ſcripta verba, *hodie prædicabis, & non amplius*, ibi comperiſſet, impavidus tamen Catholicam veritatem annunciare non deſtitit. Cum ſubito confluentes armati homines concionem clamoribus turbant, Fidelem armis impetunt, exploſoque ignito globulo Fideli vitam eripere quidam ex illis, irrito tamen ictu, conatus eſt. Tum ipſe extremam ſibi horam adeſſe conſpiciens deſcendit, ante majorem Aram provolutus pro ſe, pro Eccleſia, pro perſecutoribus preces Deo obtulit, mox e templi foribus paululum egreſſus impiorum manibus circumſeptus, vulneribuſque ſupra viginti confoſſus, ſublatis ad cœlum oculis, glorioſam lætus mortem aſpexit, cujus in ea perferenda conſtantiæ teſtes ſicarii ipſi facti ſunt, quorum nonnulli rem admirantes ad orthodoxos redierunt.

8 Catholici eum ſtatim pro Martyre habuerunt, & ſeptimo poſt menſe conciſas ejus exuvias ad Eccleſiam Curienſem ſolemniter tranſtulerunt, ejuſque opem implorare cœperunt. Et ſane exercitus Auſtriacus, haud multo poſt rebellantes illius regionis Hæreticos, viſibili Fidelis præſidio profligavit. Cumque ejus miraculorum fama in dies augeretur, inſtante potiſſimum Congregatione de Propaganda Fide, cujus ipſe Protomartyr extitit, legitimæ inquiſitiones ſuper ejus martyrio, & miraculis fieri cœperunt.

9 Acta hæc ſub Urbano VIII. cœpta, & per integrum fere ſeculum continuata, tandem inſtantibus Carolo VI. Imperatore, prædicta Congregatione, Capuccinorum Ordine, aliiſque inſignibus viris Eccleſiaſticis, & Secularibus ſub Benedicto XIII. ad trutinam in Sacrorum rituum Congregatione revocata fuerunt. Expleto examine idem Pontifex de ejuſdem Congregationis conſilio 24. Febr. 1729. pronunciavit conſtare de Martyrio, ac de quatuor miraculis, nempe de ſubita ad Fidelis invocationem extinctione maximi incendii in arce Majenfeldenſi, de repentina Cæciliæ Munſingerin Monialis ſanatione ab horribili inflammatione mamillæ cum ſuſpicione cancri; de reintegratione oculi cujuſdam infantis Pauli Franciſci Papuſſin, poſtremo de reſtituto membrorum motu Gaſpari Stigher poſt quinquennales dorſi dolores. Dein iterato præfatæ Congregationis conſilio idem Benedictus conſuetos formalis Beatificationis honores ei indulſit, cum Officio, & Miſſa pro determinatis locis. Et Clemens XII. ejus nomen in Martyrologio deſcribi permiſit, & lectiones proprias conceſſit.

10 Quin etiam ipſe Clemens novos ſuper miraculis poſt indultam Venerationem patratis proceſſus conſtrui juſſit, quorum validitate cognita, audito ſemper Fidei Promotore, ex quatuor ibi aſſertis, & in eadem rituum Congregatione diſcuſſis duo BENEDICTUS XIV. ſolemni decreto ſ8. Ja-

Januar. 1744. approbavit, & publicavit, primum nempe momentaneæ Fr. Candidi Sacerdotis Capuccini a Mediolano ſanationis a gravi morbo epileptico per decennium tolerato, ac ſubinde pluribus ſymptomatibus cum totali virium dejectione aucto: ſecundum inſtantaneæ liberationis ab impotentia ad motum, quam puer Joſeph Kirner in cruribus, & pedibus ex dira rachitide per triennium paſſus fuerat.

11 His poſitis idem BENEDICTUS XIV., accepto Congregationis rituum conſilio, aliud die 24. Apr. 1744. decretum in Eccleſia FF. Capuccinorum, peracto Sacro, publicavit de hujus Beati Canonizatione quandocumque peragenda. Pro cujus decreti executione cum novæ in dies preces ab Imperatrice, & ab aliis exhiberentur, conſuetudini, ſtatutiſque Sedis Apoſtolicæ ipſe Pontifex inſiſtens 18. Aprilis 1746. Cardinalibus in Conſiſtorio ſecreto merita B. Fidelis expoſuit. Omnibus in ejus Canonizationem conſentientibus, complures Archiepiſcopos, & Epiſcopos accivit, & publico coacto Conſiſtorio virtutes, martyrium, & miracula Beati ab uno ex Conſiſtorialibus Advocatis perorando exponi, mox aliam de iiſdem relationem ſcriptam omnibus ſuffragium laturis tradi juſſit. Poſt hæc Cardinales iterum, Archiepiſcopos, & Epiſcopos, alioſque in Conſiſtorium ſemipublicum die 8. Jun. ejuſdem anni 1746. congregavit, ubi omnium, quibus fas erat, ſuffragia in Beati Canonizationem convenientia lætanter accepit. Quamobrem generalia primum jejunia, aliaſque publicas preces, & Indulgentias indixit, tandem in templum Vaticanum ſolemni totius Cleri ſupplicatione cum ſe contuliſſet, enixis iterum poſtulationibus Principum, Eccleſiarum, Populorumque a Cardinali Portocarrero auditis, poſt hymnos, & preces de more decantatas B. Fidelem prædictum Sanctum eſſe definivit, & Martyrum catalogo ſolemni ritu adſcripſit, conceſſa in ejus honorem Indulgentia ſuperius relata. Hæc quoad literas decretales ſuper Canonizatione S. Fidelis a Sigmaringa, quæ die 29. ejuſdem menſis Jun. an. 1746. datæ, & ab ipſo BENEDICTO XIV. Summo Pontifice, necnon a Cardinalibus Romæ præſentibus ſubſcriptæ fuerunt.

CAPUT XXIV.

Compendium literarum decretalium Canonizationis B. Camilli de Lellis.

1 SEquuntur literæ decretales Canonizationis B. Camilli de Lellis. Buclanici Theatinæ Diœceſis oppido in Marruccinis an. 1550. natus eſt, cujus futuræ Sanctitatis præſagium fuit, quod mater provectæ ætatis in utero ipſum gerens viſa ſibi in ſomnis fuerit puerum peperiſſe Crucem in pectore ferentem, quem ingens hominum chorus eodem ſigno diſtinctus comitabatur: Verum adoleſcentiam Camillus a præſagio nimis diſſonam in vitiis, præcipue in alearum luſu traduxit: quamobrem probroſa paupertate adactus abjectiſſima miniſteria in noſocomio incurabilium de Urbe, in Venetorum caſtris, ac tandem in ſipontino Capuccinorum conventu inconſtans, omnibuſque gravis obivit, a blaſphemiis tamen alienus, Divina eum protegente miſericordia, quæ etiam a perditionis via ad ſalutis tramitem ipſum tandem revocavit. Siquidem accepta quondam piarum exhortationum verba ſolus animo volutans, interiori luce ſubito perculſus, ac peccatorum conſcientia, Divinoque judicio perterritus, humique proſtratus de anteacta vita vehementiſſime doluit, ac de ſanctiori capeſſendo vitæ genere immutabiliter conſtituit: quapropter ad perfectionem contendens S. Franciſci habitum in prædicto Capuccinorum conventu ſuſcepit. At recrudeſcente identidem ulcere in tibia quondam contracto, bis dolens dimiſſus eſt.

Ro-

2 Romam reverſus incurabilium noſocomium repetiit, cujus bonorum administratioui præfectus fuit. Infirmorum vero neceſſitatibus melius ſublevandis intentus, communicato cum S. Philippo Nerio conſilio, a cujus nutu pendebat, ſodalitatem laicorum hominum inſtituit, qui pro ſolo Dei amore, & futuræ vitæ mercede, Divinis obſequiis, & ægrotantium curæ ſe in dicto noſocomio primum, mox extra manciparunt. Proprio deinde domicilio ſibi in Urbe conſtituto, pauperibus ubique ægrotis mirifice profuerunt, præcipue cum multi Eccleſiaſtici Camillo ſe adjunxerunt, & ipſe Camillus, exactis humiliter in Collegio Romano ſtudiis, ſacerdotio initiatus fuit. His permotus Sixtus V. Inſtitutum hoc voluntariæ paupertatis, caſtitatis, & obedientiæ propoſito, non tamen voto, obſtrictum, per ſuas litteras Apoſtolicas 18. Martii an. 1586. datas commendavit, & perpetuo approbavit ſub nomine *Congregationis Miniſtrantium Infirmis*, eique plura indulta, & privilegia elargitus eſt, facta inſuper poteſtate deferendæ ad latus dextrum Crucis fulvi coloris.

3 Aucta ſubinde hujuſmodi Congregatione, & ad ampliorem domum S. Mariæ Magdalenæ de Urbe translata, ejus alumnis ſub regulis a Camillo præſcriptis, ſolemnique trium votorum emiſſione in ægrotantium miniſterio, etiam in caſu peſtiferæ contagionis, religioſam vitam profiteri cupientibus Gregorius XIV. 1. Octobr. 1591. Cougregationem ipſam ſub nuncupatione *Clericorum Regularium Miniſtrantium Infirmis* in Ordinem Regularem erexit, gratiiſque, ac privilegiis ampliſſimis decoravit.

4 Mira inde in omuium ordinum homines utilitas tam ſpiritualis, quam temporalis dimanavit, ut propterea hoc charitatis inſtitutum modico temporis intervallo per Italiam, Siciliam, totamque Europam propagatum fuerit. Ipſe vero Inſtitutor traditas aliis Chriſtianæ perfectionis leges, præcipue charitatem, exactiſſime implens ex rebus omnibus amandi Creatoris incitamenta ſumebat, ideoque ad operoſa miniſteria proximis præſtanda eo ſpiritu accedebat tamquam Deo, quem in pauperibus intuebatur, obſequium aliquod exbiberet. Hoc ſane amore flagrans ſenſibilem aliquando lucem ex vultu emittebat, & mirabiles eſtaſes, corpore interdum in aera elevato paſſus, ſpiritu prophetiæ, gratia curationum, & mirabili in naturæ leges imperio claruit.

5 Tot ſupernaturalibus donis a Deo cumulatus de ſe ita demiſſe ſentiebat, ut peccatorum peſſimum ſe appellaret, & aſſiduis pœnitentiis ſuorum memor peccatorum corpus affligeret, quin etiam totius Ordinis præfecturam, per 27. annos ſapientiſſimè adminiſtratam ſponte dimiſit, pauperum, & ægrotorum ſervitio ſemper intentus, qua in re nulli in Urbe indigenti umquam defuit, omnibuſque in ſpiritualibus, & temporalibus neceſſitatibus ingenti charitate ſuccurrit, qua charitate factum eſt, ut aliqui hæretici in urbe ægrotantes ad Eccleſiam Catholicam redierint. Hæc charitatis officia, cum per totam Urbem, tum in publicis xenodochiis præſertim S. Spiritus in Saxia effuſa ſunt, ubi nullus inter ægrotos fuit, qui quocumque languore, quocumque morbo affligeretur, commodum, & ſolatium, quantum optare potuiſſet, a Camillo non obtinuerit.

6 Nondum tamen Camilli ſociorumque charitas in Fidelium peſte infectorum ſervitio ſpecimen juxta profeſſionem ſuam præbuerat, cum paucis annis poſt Apoſtolicam Ordinis confirmationem coutagioſa lues, cum extrema annonæ caritate coujuncta Urbem invaſit. At vero Camillus, cum ſociis propria vita contempta tam in publicis noſocomiis, quam in privatis domibus, quas aliquando clauſas per feneſtras adhibitis ſcalis penetravit, & in remotiſſimis, immundiſque locis contagio, aut fame languentes, ut

Digitized by Google

poterat, adjuvit, recreavit, atque refecit; quin etiam ad tantum charitatis opus in ipſa Religionis ſuæ domo xenodochium aperuit, ut propterea judicatum fuerit, clementiſſimum Dominum immiſſo huic flagello opportunum levamen per Camillum, ejuſque ſectatores oppoſuiſſe.

7 Novam ſubinde tantæ charitati materiem Tiberis ſuppeditavit, cujus alluvione cum S.Spiritus ædes occuparentur, Camillus infirmorum periculo commotus in medias aquas proſiliens ipſos eorumque grabatos alio transferens ingenti trium dierum labore in tuto repoſuit. Heroicam igitur fuiſſe ejus charitatem merito dicitur, cum vitam ſæpe ſuam in manifeſtum diſcrimen pro aliorum ſalute adduxerit.

8 Tantæ vero dilectionis amplitudo non ſolum Romæ, ſed per totam Italiam ſeſe diffudit. Siquidem inter alia multa cum Mediolanum, & Nola peſtifera contagione vexarentur, has Camillus urbes impavide ingreſſus eſt, in quibus admiranda illa virtutis exempla edidit, quibus olim Romam, illuſtraverat. Et comperta Buclanici patrii oppidi urgente inopia illuc advolans cives ſuos impenſis providentiæ & charitatis officiis recreavit. Tandem triginta trium menſium infirmitate probatus, prænunciato ſibi cælitus mortis die, charitatem ſpirans, ſociiſque commendans, Eccleſiæ Sacramentis pie ſuſceptis, in cœlos migravit 14. Jul. 1614.

9 Mox Servi ſui ſanctitatem Deus potentiæ ſuæ ſignis teſtatam voluit, cumque de illa, ac de his ſimul univerſalis fama vigeret, proceſſus ſtatim ordinaria, & Apoſtolica auctoritate conſtructi ſunt, & poſt maturum de omnibus examen Benedictus XIII. conſulente ſacrorum rituum Congregatione, decreto 24. Jul. 1728. edito, pronunciavit, conſtare de Camilli virtutibus in gradu heroico.

10 Examinatis ſubinde in eadem Congregatione novem miraculis, ejuſdem Servi Dei interceſſione poſt obitum patratis, BENEDICTUS XIV. per decretum 26. Septembr. 1741. editum duo approbavit, nempe ſanationis cujuſdam puellæ Viterbienſis ab enormi polypo; & liberationis a febri maligna, pulmonum, & pleuræ inflammatione, & gutturis ulcere, quibus morbis Catharina Dondula a ſexto menſe gravida laborabat. Tandem audito præfatæ Congregationis Conſilio ſuper Beatificatione eidem Dei Servo indulgenda idem Pontifex die 2. Februarii 1742. qua die Camillus ad meliorem frugem olim converſus dicitur, Beatificationem ipſam decrevit, quæ poſtea in Baſilica Vaticana celebrata fuit.

11 Indultam venerationem alia miracula ſubſecuta ſunt, ſuper quibus legitimis conſtructis proceſſibus, iiſque in Sacrorum Rituum Congregatione, rite diſcuſſis, BENEDICTUS XIV. Kal. Maii 1745. duo approbavit. Primum ſanationis Luciæ Thereſiæ Petti puellæ ex oppido Caprarolæ a magna reſpirandi difficultate, pluribus aliis comitantibus morbis. Secundum, ſanationis Margaritæ Caſtelli duodeviginti annorum puellæ ex oppido Marini a malignis puſtulis vexatæ, & ſuperveniente febri jamjam morituræ.

12 Poſt hæc ſacra eadem Congregatio cenſuit ad ejus Canonizationem procedi tuto poſſe, cujus ſenſui idem Pontifex per decretum 17. Auguſti editum adhæſit. Hujus decreti executionem poſtulabant enixæ præces Congregationis Clericorum Regularium a Camillo inſtitutæ, ac nonnullorum Regum, aliorumque inſignium virorum Eccleſiaſticorum, & ſæcularium Summis Pontificibus identidem porrectæ. Quamobrem, re in Conſiſtorio ſecreto cum Cardinalibus communicata, cæteriſque in Conſiſtorio publico, & ſemipublico rite peractis, tandem 29. Junii 1746. idem BENEDICTUS XIV. Camillum in Sanctorum album conſueto ſolemni ritu retulit.

CA-

CAPUT XXV.

Compendium literarum decretalium Canonizationis B. Petri Regalati.

1 ACcedunt literæ decretales Canonizationis S. Petri Regalati. Hic porrò Valliſoleti in Hiſpania nobilibus, piiſque parentibus an. 1390. natus, ac ſanctè educatus, tranſacto decimo ætatis anno, S. Franciſci Inſtitutum, fruſtra per triennium obnitente amantiſſima matre, in patriæ Civitatis cœnobio profeſſus fuit. Statimque perfectionis iter per mortificationem, orationem, & per cordis ſenſuumque cuſtodiam diligentiſſimè percurrens eo brevi devenit; ut & toti ſodalitio exemplis præluceret, & Minorum Ordinem nonnihil laxatum in priſtinum ſplendorem reſtituere contenderet.

2 Quamobrem pio ac prudenti viro Fr. Petro Villacretio in Ordinis Reformationem de Superiorum facultate intendenti aſſociatus in ſolitariam domum prope Aquileriam Oxomenſis Diœceſis extructam cum eo ſeceſſit, ubi ambo pietatem, & pœnitentiam adeo coluerunt, ut aucta mire Reformatorum familia, aliud cœnobium de Abrozo in agro Tribulano extrui opus fuerit.

3 In horum Conventuum regimine Villacretio forte in alia diſtracto Regalatus ſufficiebatur, cumque Villacretius ipſe, obtentis a Martino V. ad Reformationis firmitatem, atque dilatationem neceſſariis, obiiſſet, Petrus communi Religioſorum voto ſucceſſit, qui mox utrumque Conventum per ſe, & per Vicarios ſanctiſſime gubernavit.

4 Hinc ſociis, ſubditiſque in via mandatorum Dei dirigendis zelo, & exemplo invigilans jejunia ad mentem S. Fundatoris in uſum redacta non modo exactè ſervavit, ſed aliis voluntariis mortificationibus, & abſtinentiis cumulavit. Breviſſimo ſomno contentus ſæpe humi cubabat. Paupertatis amator laceris veſtibus libens utebatur, nudiſque plerumque pedibus incedebat.

5 Sibi igitur, ac mundo Crucifixus tanto rerum cæleſtium amore flagrabat, ut in divinis attributis, & Redemptionis myſteriis contemplandis ſplendor ex ejus corpore diffuſus ſupra cœnobii tectum emicaret, quod propterea a finitimis *Domus Dei* nomen uſque adhuc retentum obtinuit. Ex frequentibus mentis exceſſibus cœleſtium virtutum formam in ſe referens, earum exemplar aliorum quoque animis imprimere optabat. Quare zelo pro animarum ſalute ardens cum Religioſos viros curæ ſuæ commiſſos, tum cæteros omnes pauperes, ægrotos, a barbaris in captivitate detentos opera, conſilio, ſermone juvare, diſſidentes componere ſatagebat, ut cunctos tandem Chriſto lucrifaceret; Purgatorii vero animabus precibus, ſacrificiis, & mortificationibus ſubvenire impenſius nitebatur.

6 Tot virtutibus, necnon miraculis, aliiſque ſupernaturalibus donis clarus ſexageſimum ſextum ætatis annum agens, & vicinum mortis diem proſpiciens, Lupum Salazarium antiqui Inſtituti vindicem gregi ſuo Rectorem poſt ſe relinquere ſtudioſe curavit. Tum Tribulano cœnobio viſitato, ad Aquilerienſe perrexit, ubi gravi morbo per integram Quadrageſimam cruciatus, tandem in Paſchalibus ſolemniis, Sacramentis rite ſuſceptis, Fratres ad ſeverioris diſciplinæ cuſtodiam, ad paupertatem, & Chriſti imitationem adhortatus obdormivit in Domino 3. Kal. Apr. 1456.

7 Ejus corpus ut Fidelibus undique confluentibus ſatisfieret per aliquot dies inhumatum remanſit, mox in commune ſepulcrum illatum, inde poſt triginta ſex annos extractum in prænobile loculamentum ab Eliſabetha Caſtellæ Regina extructum tranſlatum fuit, ibique tum propter Sanctitatis famam,

tum propter miraculorum frequentiam, aſſiduum cultum obtinuit.

8 Porro ſuper hac ſanctitatis, & miraculorum fama antiqui extant ordinarii proceſſus, quibus ante viginti annos ad Sedem Apoſtolicam delatis, & pro legitimo cultu Hiſpaniarum Regibus, univerſoque Minorum Ordine apud eandem inſtantibus, Urbanus VIII. novos proceſſus conſtrui ad diſcutiendam in ſpecie Beatificationis, & Canonizationis cauſam juſſit. Illos ad Urbem allatos tres Rotæ Auditores examinarunt, eoſque validos, ac Servi Dei virtutes, & miracula ſatis demonſtrata eſſe cenſuerunt. Idem Pontifex cauſam Congregationi Sacrorum rituum remiſit, quæ, approbata proceſſuum validitate, dubiaque de virtutibus, ac de miraculis ſimul expendi decernens, quatuor miracula ad trutinam revocavit; Primum, quod Dei Servus in viſitatione Conventuum Aquileriæ, & Tribuli quadraginta millia paſſuum una hora pedes confecerit. Alterum, quod cum menſæ reliquias ad pauperes deferret, ob idque a Vicario objurgatus flores eſſe aſſeveraret, inſoliti revera flores reperti ſunt. Tertium, quod Durium flumen aquis redundans extenſo deſuper pallio tranſiverit. Quartum, quod pauperi ad ejus ſepulcrum de fraudata ſibi eleemoſina conquerenti exerto e ſarcophago brachio panem porrexerit. Quæ quidem miracula, ac Servi Dei virtutes eadem Congregatio per decretum 16. Novembr. 1650. approbavit.

9 Supervenerunt poſtea ejuſdem Urbani VIII. ſuper hujuſmodi cauſis decreta, utque his obedientiam præſtitam eſſe conſtaret, cultum Dei Servo per centum & amplius annos ante Decretorum editionem præſtitum fuiſſe oſtendendum erat. Quare cauſa ſiluit, donec percrebreſcentibus poſtulationibus, ſub Clemente X. anno 1675. de conſilio Congregationis rituum cauſa reaſſumpta fuit, ideoque Epiſcopus Oxomenſis proceſſum particularem conſtruxit, & ſententiam tulit ſuper cultu per centum annos & ultra exhibito, ideoque ſuper caſu excepto a dictis Urbani decretis, quam ſententiam Innocentius XI. 17. Auguſti 1684. approbavit.

10 Crevit tunc B. Petri cultus, accedentibus Sedis Apoſtolicæ conceſſionibus Officii & Miſſæ in Dei Servi honorem primo Ordini Minorum de obſervantia, mox univerſæ Franciſcanæ familiæ, omnibuſque Hiſpaniarum civitatibus, & diœceſibus etiam cum oratione, & lectionibus propriis a Congregatione rituum approbatis, demum permiſſa fuit Beati corporis tranſlatio.

11 Miraculis vero indultæ venerationi ſupervenientibus opus erat, ut B. Petri Canonizatio perficeretur. Quare, proceſſus a conſtitutis delegatis ſub Benedicto XIII. & ſub Clemente XII. ſuper aſſertis miraculis conſtructi, & approbati fuerunt. Examinata ſubinde miracula eadem fuerunt a Fidei Promotore, & de ipſis coram Cardinali Gentili cauſæ Ponente Conſultores egerunt, mox vero in generali Congregatione ſub BENEDICTO XIV. die 2. Jun. 1744. poſt novas Fidei Promotoris animadverſiones plene diſcuſſa fuerunt. In feſto tandem S. Bonaventuræ idem Pontifex celebrata in Eccleſia S. Mariæ de Ara-Cœli Miſſa duo ex dictis miraculis ſolemni decreto approbavit, nempe liberationem a cæcitate in Sacerdote Didaco Plaſentina; & ſanationem Birgittæ Orregæ ab horribili ulcere.

12 Reliquum erat, ut diſcuteretur an ad ſolemnem Canonizationem procedi tuto poſſet. Negotium faceſſebat laudati Pontificis Decretum, die 23. Aprilis 1741. editum, quo cautum fuerat, ut in cauſis per viam caſus excepti procedentibus, & in quibus virtutes ex teſtibus de auditu, & ex coævis Scriptoribus approbatæ fuerint, quatuor pro Canonizatione miracula requirerentur. Sed hanc ipſam dificultatem idem Benedictus ſuſtulerat per aliud decretum die 2. Auguſti ejuſdem anni

edi-

editum, quo hanc cauſam a dicta lege exemerat, utpote quæ ab Urbani VIII. temporibus quatuor jam miraculis una cum virtutibus heroicis approbata fuerat. Quare generalis Congregatio 22. Septembr. 1744. ſenſit, B. Petri Canonizationem quandocumque peragi poſſe, cujus ſententiæ Pontifex 6. Octobr. ſequentis per ſolenne decretum adhæſit.

13 Tandem concurrentibus Hiſpaniarum Regum, & complurium ejuſdem nationis Antiſtitum, totiuſque Ordinis Minorum pro B. Petri Canonizatione votis, & obſecrationibus, idem Pontifex, peractis, quæ juxta Prædeceſſorum Conſtitutiones agenda erant in Conſiſtoriis ſecreto, publico, & ſemipublico eumdem B. Petrum inter Sanctos ſolemniter retulit 3. Kalend. Jul. 1746.

CAPUT XXVI.

Compendium literarum decretalium Canonizationis B. Joſephi a Leoniſſa.

1 EXpoſitas litteras decretales de B. Petri Regalati Canonizatione ſtatim excipiunt illæ de B. Joſephi ſimili ſolemnitate. Hic Leoniſſæ Aprutii oppido in Spoletana Diœceſi ex Joanne de Deſideriis, & Franciſca de Paulinis natus, & in baptiſmate Euphranius dictus, ab ipſis pie liberaliterque educatus fuit, quibus defunctis, Viterbii ubi Patruus publice docebat, adoleſcentiam Sancte tranſegit, & oblatas ab illo nuptias, perpetuo virginitatis propoſito, recuſavit. Sed ut Deo tutius adhæreret Capuccinorum Ordinem, conſanguineis fruſtra reluctantibus, apud Aſſiſium profeſſus eſt.

2 Statim omnium virtutum culmen attingere aſſiduo perfectionis ſtudio contendit. Religioſam paupertatem eximie coluit. Mitis animo, & humilis corde a Superiorum arbitrio, & nutibus ſumma veneratione pendebat, de ſe vero nihil præſumens aliorum orationibus ſe humillime commendabat. In viliſſimis obeundis miniſteriis alacer, in ferendis ludibriis lætus, honores, & laudes contemnebat.

3 Se ipſum tam rigidis jejuniis, & abſtinentiis, tot voluntariis flagellationibus, tot aſperis ciliciis, aliiſque cruciantibus inſtrumentis tractabat, ut alios noviſſimis hiſce ſæculis pœnitentia, & mortificatione antecelluiſſe dici poſſit. Attamen tanta erat animi vis in adimplendo Apoſtolicæ prædicationis miniſterio, ut neque voluntarios cruciatus neque aeris intemperiem nec famem, ac ſitim pœnitus ſentire videretur animarum lucro, Deique cultui, & gloriæ ſemper intentus.

4 Siquidem aliorum ſalutem ardentiſſime ſitiens prædicandi, & evangelizandi munus incredibili labore, ac zelo animarumque fructu toto vitæ curſu geſſit, plures diverſaſque uno eodemque die ſacras conciones habere, peccatores à vitiis revocare, pueros & rudes Fidei elementis imbuere privatis exhortationibus conſuevit. Ad Infidelium terras, & ad ipſam Mahumetanæ impietatis arcem digreſſus captivos Fideles in Religione confirmavit, plures Infideles ad veram Fidem deduxit, ipſumque Imperii Tyrannum adire tentavit Evangelium ei annunciaturus, cumque id inſcrutabili Dei judicio in irritum ceſſiſſet in Italiam regreſſus Dominicæ vineæ culturæ per Aprutium potiſſimum, & Umbriam vacavit.

5 Hic doctrinæ, & miſericordiæ continuo intentus, & pro animarum ſalute per Apoſtolicum ſuum miniſterium utiliſſime adlaboravit, & afflictos omnes adjuvare indeſinenter ſtuduit. Nullum fuit calamitoſorum genus, cui Joſeph impenſis charitatis officiis non ſuccurrerit, quam quidem hoſpitia pro infirmis, & peregrinis, montes pietatis pro pauperum ſubſidio

dio ejus opera conſtituta adhuc teſtantur.

6 In aſſiduis hiſce prædicationis, & beneficentiæ exercitationibus invictum ab oratione ſpiritum non retrahebat. In rerum cœleſtium meditatione integras ſæpe noctes ante Crucifixi imaginem inſomnes ducebat, ſe laboreſque ſuos, & Eccleſiæ cauſam illi commendans; ad quem proinde divinæ amicitiæ gradum ipſe pervenerit, ſatis innuunt ſingularis dona, quibus a Deo glorificatus ſecreta cordium penetravit, abſentia tamquam videns enunciavit, futura prædixit, naturæ, & elementis imperavit. Spirituales autem ejus delicias, frequentes adſpirationes, affectuſque ardentiſſimi demonſtrabant, quibus frequenter in Deum ferebatur, intimam vero cum Deo unionem conſtans ſecum, & cum proximo pax oſtendebat.

7 Hanc porro pacem, quam Salvator noſter tamquam hæreditatem diſcipulis ſuis reliquit, Joſeph in Fidelium cordibus plantare proſpero ſucceſſu curavit. Inimicitiæ tunc inter quaſdam civitates, diſcordiæ inter familias, odia inter cives ardebant, inde rixæ, frequentes cædes, & homicidia. Huc ipſe Evangelicus nuncius accurrens tumentes iras compreſſit, odia reſtinxit, efferata corda demulſit, itaut novam pacis, & morum faciem regiones illæ brevi tempore induerint, maxima ipſi tanquam quietis inſtauratori parta apud homines gloria.

8 Verum Deus, ut Servi ſui virtus magis eluceſceret, & major adipiſcendi Cœlorum regni ſecuritas adeſſet in graves illum tentationes, & perſecutiones incidere permiſit. Nam præter immane ſupplicium, quod Conſtantinopoli, cum Turcarum tyrannum adire contendit, e trabe, igne fumoque ſuppoſito, ſuſpenſus ſuſtinuit, innumeras ab improbis Chriſtianis injurias, verbera, contumelias aliquando cum vitæ diſcrimine, paſſus eſt, manſuetus tamen, ut ea omnia ad cæleſtem gloriam ei gradus fuerint.

9 Quam ſane gloriam ipſi a juſto Iudice tributam eſſe manifeſte tum pretioſa ejus mors apud oppidum Amatricis Reatinæ Diœceſis anno 1612. ætatis ſuæ 57. tum ſubſecuta ſigna, & miracula evincunt. Siquidem defuncti corpus antea ſquallidum inuſitato colore, & venuſtate repente refloruit, & ſuaviſſimum odorem exhalavit; intima ejus viſcera diſſecta ſine ulla fæce, ſed lacteo humore redundantia reperta ſunt. Innumeras vero gratias ejus ope obtentas teſtati ſunt Fideles, qui ad ejus funus convenerunt ob præconceptam de illius Sanctitate opinionem, qua ſanè adducti ejus cives ſacrum corpus poſt aliquot annos ſublatum Leoniſſam aſportarunt.

10 Cum autem inſtituendo de ejus Beatificatione, & Canonizatione legitimo judicio locus eſſet, conſtructi fuerunt ordinaria primum, mox Apoſtolica auctoritate proceſſus, quibus tam ejus virtutes, quam miracula plene probata fuerunt, hiſque deinde in ſacrorum Rituum Congregatione ex more diſcuſſis, Clemens XII. die 15. Jul. an. 1734. de virtutibus; die vero 8. Jun. an. 1737. de duobus miraculis conſtare decrevit, nempe de facultate videndi cuidam puero reſtituta; & de ſanatione Joſephi Novelli a gravi vulnere. Poſt hæc, conſulente eadem Congregatione, idem Pontifex publicum Joſepho cultum indulſit, datiſque Apoſtolicis literis, ſolemnis ejuſdem Beatificatio in Baſilica Lateranenſi die 19. ejuſdem menſis, & anni celebrata fuit.

11 Biennio vix elapſo Miniſter generalis totius Ordinis Cappuccinorum eidem Pontifici expoſuit, novis B. Joſephum miraculis coruſcare, compluriumque Principum Eccleſiaſticorum, & ſæcularium votis expeti ejuſdem Canonizationem. Idcirco, præfata approbante Congregatione, Pontifex commiſſionem ſignavit, & quoſdam Epiſcopos ad novos proceſſus fu-

ſuper indicatis miraculis poſt indultam Joſepho venerationem ſecutis conſtruendos delegavit.

12 Approbata proceſſuum validitate, ſex miracula in ſacrorum rituum Congregatione diſcuſſa fuerunt, de quibus BENEDICTUS XIV. ad ſummum Pontificatum evectus conſueta ſuffragia in Congregatione generali die 22. Septembr. anni 1744. excepit, & dilatam tunc duorum tertii generis miraculorum approbationem Kal. Maii anni ſequentis publico decreto declaravit, primum ſcilicet conſolidationis crurium, & femorum cujuſdam pueri Joſephi Dionyſii, alterum ſanationis Antoniæ Murelle a gravi hectica, & horrenda fiſtula.

13 Actum deinde fuit in eadem Congregatione die 3. Aug. an. 1745. an ad ſolemnem B. Joſephi Canonizationem tuto procedi poſſet, omnibuſque conſentientibus idem Pontifex die 17. ejuſdem menſis decretum de eadem quandocumque peragenda edidit. Cumque pro hujus decreti executione ſupradictorum preces continuo urgerent, peractis quæ ex more in Conſiſtorio primum ſecreto, deinde publico, tandem ſemipublico geri ſolent, B. Joſephus ſæpe laudatus Sanctorum catalogo die 29. Junii 1746. ſolemni Canonizationis ritu à BENEDICTO XIV. fuit adſcriptus.

CAPUT XXVII.

Compendium Litterarum Decretalium Canonizationis B. Catharinæ de Ricciis.

1 HÆC quoad litteras Decretales ſuper Canonizatione B. Joſephi a Leoniſſa, poſtremo tandem loco ponuntur litteræ pariter decretales Canonizationis B. Catharinæ. Hæc itaque Florentiæ ex nobili familia de Ricciis anno 1522. orta, & in baptiſmo Alexandra nuncupata futuræ Sanctitatis ab ipſa pueritia non levis dedit indicia, tum ſanctæ orationis exercitio, tum aliis pietatis officiis. Cum vero clauſtralis vitæ bona in monaſterio primum S. Petri e Monticulis prope Florentiam, tum in alio S. Vincentii in civitate Pratenſi prægustaſſet, in hoc tandem ſub regula S. Dominici ſe perpetuo addicere enixe obtinuit, ac fruſtra eam pater, propoſitis nuptiis, retrahere conatus eſt.

2 Angelicam vivendi rationem a tirocinio exorſa, omnibuſque virtutibus reſplendens ad religioſam profeſſionem, a qua ne rejiceretur humilis timebat, admiſſa fuit. Tum ſtatim perfectiſſima obedientia, abſolutiſſima regularis disciplinæ cuſtodia, admirabili modeſtia, aliiſque virtutibus, & aſſidua cum Deo unione reſplenduit. Cujus proinde virtutibus permotæ Moniales vix quintum ætatis luſtrum egreſſam unanimi conſenſu totius monaſterii moderatricem elegerunt, quod inde munus, iiſdem ſuffragantibus quoad vixit ſumma prudentia, ſedulitate, & charitate adminiſtravit, obediendi tamen magis quam imperandi cupida, abjectiſſima miniſteria præ humilitate ſibi reſervans, & orationi ſemper intenta, quam proinde Sorores magiſtram & matrem experiebantur.

3 Porro per ſui contemptum in Dei amore quotidie creſcens, brevi chriſtianarum virtutum perfectionem adepta ad integram tandem ſanctitatem, quæ omnes in gradu heroico virtutes complectitur, pervenit, quas quidem ex habituali ejus in Deum charitate, in proximos miſericordia, in ſemetipſam ſeveritate collectas quiſque intelligere facile poterit.

4 Enimvero unum ſibi librum, unum exemplar propoſuit, in quod præcipue intenderet, Jeſum Chriſtum Crucifixum, quem aſſidue contemplans in eum omnes ſuas cogitationes, ſermones omnes, & actiones dirigebat. In rebus omnibus Deum agnoſcens ad ferventiſſimas adſpirationes, ad ſuſpiria, vel etiam ad animi deliquia compellebatur. Sed quanta fuerit intima ejus cum cœleſti Sponſo unio in oratione, & in myſteriorum ejus contemplatione, te-

ſtea

ſtes ſunt illi raptus, illæ ecſtaſes in quibus per integros aliquando dies perſeveravit; meditatio autem paſſionis Chriſti talis fuit, ut ſingulis hebdomadibus a meridie feriæ quintæ ad horam nonam feriæ ſextæ a ſenſibus abſtracta totam illins ſeriem ordinate ad vivum repræſentaret. In Euchariſtici panis ſumptione iia conſolationibus perfundebatur, ut clariſſime lucis radios diffunderet, & a terra elata diu in aere pendens perſiſteret. Hinc cœleſtium virtutum formam in ſe recipiens, & in ſuis moribus exhibena, ac divinæ gloriæ zelo flagrans, tam ſubjectas ſibi Virgines, quam alios Fideles ad amorem Dei, & ad virtutem excitare ſatagebat.

5 Sane Sororum curam gerens omni ſtudio intendebat, ne quid ipſis ſpiritnalis, aut corporalis ſubſidii deeſſet. Infirmis dies noctesque adſtabat, moribundas apud Deum juvare nitebatur. Monaſterii finibus ejus charitas non contenta pro cnnctis ubique terrarum hominibus aſſiduas preces, & voluntarios ſui corporis cruciatus offerebat. Et ad ſublevandas calamitoſorum ærumnas ditiorum charitatem excitans ægrotis, viduis, orphanis, virginibus, aliiſque indigentibus ſubſidia per totam Hetruriam ſubminiſtrari obtinuit. In Purgatorii animas charitas tanta effuſa preces, & carnis ſuæ afflictationes pro ipſis libenter multiplicabat.

6 Adverſns carnem ſuam perpetuum bellum ſibi gerendum eſſe rata, aſperrimis flagellia, ciliciis, inedia, omnique cruciatuum genere virginale corpuſculum aſſidue divexabat, & per quadraginta & octo Religionis annos ſolo plerumque pane & aqua victitavit. Sed patiendi adhuc cupida acerbiſſimis morbis, & doloribus ſe amplius probari a Domino precibus obtinuit, quos proinde ſupra naturam fuiſſe Medici ſæpe affirmarunt.

7 Iot tamen cruciatus, & pœnarum acerbitates celeſtis ſponſus ineffabilibus ſpiritus delectationibus voluit in hac innocentiſſima virgine penſare: Quamobrem effuſa in eam lucis, & veritatis ſuæ communicarione ad ſublimiorum veritatum cognitionem, & ad intelligenda divinorum myſteriorum areana deduxit, & beatiſſimam charitatis ſuæ flammam in ea accendit, qua ipſa deficiebat in Deum ſalutare ſuum. Tot inſignium chariſmatum largitione eam in terris adhuc viventem illuſtrare voluit, ut ex his quiſque ſatis arguere poſſet, quantam in cœlis gloriam ei conferre decreviſſet.

8 Etenim ad comprobandam ejus in proximos charitatem dedit ei Dominus poteſtatem faciendi mirabilia in inſtantaneis morborum depulſionibus, aliiſque ſignis, & prodigiis ſupra naturam, & ſpiritum tribuens prophetiæ in aliorum utilitatem futura prævidere, abſentia conſpicere, & cordium ſecreta penetrare.

9 Pro amore, quo erga Deum afficiebatur, ipſe Rex gloriæ ſæpe ei corporali ſpecie apparuit, & locutus eſt. Aliquando Jeſus ſub ſpecie pueruli a Matre Virgine in ejus ulnis reclinatus, aliquando revulſis a Cruce brachiis illam amplexatus eſt. Denique ipſam in fide, & charitate ſibi ſponſatam, ſuorum vulnerum ſtigmatibus decoravit, & omnia ferme ſuæ paſſionis veſtigia in ejus corpus impreſſit, quin etiam faciem ejua in vivam ſui vultus imaginem transformavit.

10 Tantam ſanctitatem pluribus modis Deus comprobatam voluit. Probata ſiquidem eſt contradictionibus obloquentium, & calumniantium vituperationibus, admirantium laudibus, clariſſimaque fama, quæ per uuiverſam Europam diffuſa, incredibilem hominum multitudinem ad ipſam ex omni conditione, ſexu, atque ætate traxit ad petenda conſilia, & beneficia, & ad magnificandum Deum in mirabilibus ejus. Verum Catharinæ virtus conſtanti innocentiæ, & ſanctitatis tenore, ac ſingulari bumilitate omnia æque ſuperavit. Se vero divinorum bene-

beneficiorum indignam ex animo reputans, nihil, quod ipſi glorioſum eſſet, in vulgus prodire volebat. Hinc cum librum apud Moniales de rebus a ſe geſtis aſſervari comperiſſet, repertum in ignem conjecit. Et ſolum, ut prudenti Confeſſarii judicio pareret, arcanas divinæ bonitatis communicationes, in oratione potiſſimum acceptas, cuidam e ſororibus fideliter, humiliterque narravit. Cumque ex virtutum, & ſignorum oſtenſione,& hominum ad Monaſterium frequentia', vanitatem ſibi, religioſæ vero quieti turbationem metueret, Sponſum oravit, ut divinis muneribus modum imponeret, vel ſaltem ea occultaret.

11 Ex hac humilitate plures pietate, & doctrina inſignes viri, inter quos nonnulli Eccleſiarum Præſules, & S. R. E. Cardinales, veram eſſe Catharinæ ſanctitatem, ſumptis de ejus ſpiritu etiam ſummi Pontificis juſſu experimentis, agnoverunt, & comprobarunt, & in graviſſimis negotiis monita, & conſilia ab ipſa hauſerunt. Quorum judiciis pondus addit S. Philippi Nerii tunc in humanis agentis exiſtimatio de Catharina, cujus etiam ſpiritualem amicitiam, & literarum commercium expetivit, & Romæ degens ipſam in monaſterio Pratenſi commorantem allocutus coram Deo eſt, ut in literis Apoſtolicis ſuper ejuſdem S. Philippi Canonizatione Urbanus VIII. teſtatur.

12 Tandem anno ipſius ætatis 66. religioſæ profeſſionis 48. in extremam incidit infirmitatem, quapropter Sacramentis ſumma pietate ſuſceptis, ſalutaribus monitis ſororibus relictis, morboque patientiſſime tolerato, in Crucifixi contemplatione defixa, inter Angelorum concentus, quos etiam aſtantes audiverunt, ſanctiſſime obiit die 2. Febr. an. 1589. Feſtivum ejus in Cœlum ingreſſum S. Maria Magdalena de Pazzis tunc Florentiæ vivens in mentis exceſſu ſpectavit: communis de ejus ſanctitate opinio ingentem populi frequentiam ad ejus funus adduxit; & crebra beneficia, atque miracula ejus ſepulcrum celebre reddiderunt.

13 Ejus ſanctitatem indubitatatam reddunt juridicæ probationes Epiſcopali primum, mox Apoſtolica auctoritate ſuper ejus virtutibus, & miraculis collectæ. Ac Rotæ quidem Auditores ante Urbani VIII. decreta tam proceſſuum validitatem, quam virtutes, & miracula comprobarunt: antequam vero hæc omnia in Sacrorum rituum Congregatione pertractarentur, inſtitutum fuit judicium ſuper prædictorum decretorun interim editorum obſervantia, quam deinde Epiſcopus Piſtorienſis an. 1675., mox eadem Congregatio an. 1679., tandem Innocentius XI. pleniſſime aſſeruerunt.

14 Ante hos triginta annos iterum Catharinæ virtutes in præfata Congregatione diſcuſſæ fuerunt, & Benedictus XIII. die 7. Mart. an. 1727. de iis conſtare decrevit. Clemens vero XII. die 21. Apr. 1734. de ejuſdem Congregationis conſilio duo miracula approbavit, nempe inſtantaneæ ſanationis ſororis Catharinæ de Boſiis prædicti Monaſterii Pratenſis ab aneuriſmate, & ſimilis ſanationis Sororis Eliſabeth Cherubinæ Cattani Converſæ in Pratenſi pariter Monaſterio S. Claræ ab iſchiade. Tandem idem Clemens, datis Kal. Octobr. ejuſdem anni literis Apoſtolicis, Beatificationis honores Catharinæ indulſit.

15 Cum vero poſt hoc indultum comperiſſet, nova miracula ejuſdem Beatæ interceſſione contigiſſe, novos confici ſuper iiſdem proceſſus juſſit, illius Canonizationem Catholicis Principibus, & populis, pluribuſque Epiſcopis, & univerſo FF. Prædicatorum Ordine poſtulantibus. Proceſſuum validitate approbata, miracula in Congregatione Rituum diſcuſſa ſunt, de quibus etiam in Congregatione generali die 24. Martii anno 1744. Conſultores, & Cardinales ſuffragia BENEDICTO XIV. Clementis Succeſſori exhibuerunt,

idemque die 26. Maii ſequentis duo miracula publice approbavit, quorum primum ſecundi generis eſt, nempe ſanationem Mariæ Clementinæ Staccioli puellæ Florentinæ ab inveterato cancro; alterum tertii generis, ſcilicet ſanationem Sororis Mariæ Magdalenæ Fabris Monialis Ordinis S. Dominici Auguſtæ Vindelicorum a pertinaci arthritide in inferioribus membris.

16 Tandem die 6. Octobris ejuſdem anni de conſilio præfatæ Congregationis idem Benedictus decrevit, ad B. Catharinæ Canonizationem quandocumque deveniri tuto poſſe, quam ſane die 29. Junii anni 1746., præmiſſis omnibus, quæ in Conſiſtoriis ſecreto, publico, & ſemipublico agi, quæque ex more S. R. Eccleſiæ præmitti ſolent, perfecit, ipſamque B. Catharinam una cum BB. Fideli Martyre, Camillo de Lellis, Petro Regalato; & Joſepho a Leoniſſa in Baſilica Vaticana conſueto ſolemni ritu Sanctorum numero adſcripſit, conceſſis Indulgentiis ſuperius recenſitis.

17 Et hæc ſunt, quæ habentur in quinque literis decretalibus ſuper indicata Canonizatione ſæpedictorum quinque Beatorum a BENEDICTO XIV. ut ſupra expleta.

CAPUT XXVIII.

Magnificentiſſimus Vaticanæ Baſilicæ ornatus ſuccinctè deſcribitur.

1 HUjus Canonizationis ſolemnitas in magnificentiſſima, & pulcherrima Vaticana Baſilica celebrata fuit, cui quidem Baſilicæ tantus cultus, & ornatus tunc additus fuit, ut adſcititia pulchritudo cum nativa contendere videretur.

2 Mediam templi faciem, adeoque princeps oſtium, ex quo in porticum intratur, ingens pictura ornabat quinque Beatorum imagines repræſentans SS. Trinitatem venerantes, & ab Apoſtolorũ Principibus invitari videbantur, ut ſuperius aſcenderent. Subtus gentilitium Summi Pontificis ſtemma, inferius inſignia Religionum, ex quibus Beati prodierant. Januis utrinque adjacentibus telæ ſingulis ſupereminebant aurei coloris vario ornatu conſpicuæ, in quibus lemmata quædam inſcripta erant. Interiores Xyſti parietes egregiis peripetaſmatis conveſtiebantur.

3 Ab ipſo januæ limine, ubi proſpectus in Baſilicam erat, mirificum occurrebat ſpectaculum, cum ab epiſtylio ad ſtylobatem holoſericis veſtibus diverſis columnæ, peraſtatæ, mutuli, ingenteſque arcuum fornices conveſtirentur. Interiorem Baſilicæ frontem contra aram principem peramplum ex damaſceno rubro velum obtexerat artificioſe compoſitum, aureiſque tæniolis diſcriminatum, & in medio Lambertinæ gentis teſſeram Pontificiis inſignibus glorioſam præferebat. Prægrandes frontis ejuſdem feneſtræ, ſubjectaque iis ſpatia velis ſericis, Pontificiis clavibus, & ſimilibus ornabantur. Supra trium magnarum portarum coronidem plures funales cerei impoſiti erant.

4 Sericum villoſum rubrum univerſam templi, tholique coronam ambiebat, in cujus ſupercilio machinæ quædam undique attollebantur, quæ cereos ſuſtinebant. Sexdecim tabulæ magnorum inſtar numiſmatum, & illuſtriora quinque Beatorum miracula repræſentantes, ita mutulo ſingulorum arcuum in navi media innitebantur, ut coronam templi maximam interciperent, quibus aptus undique additus erat ornatus. Ex his ternæ unicuique Beato attributæ erant; decimaſexta vero Eccleſiæ imaginem in Sanctorum ſuorum gloria, lætitiaque triumphantis præferebat. A ſummo arcu inter decidentia holoſerica Aliger pendebat, minorem geſtans tabulam cum inſcripto lemmate, quod expreſſum in ſuperiori numiſmate miraculum ſignificaret; Magnus Aligero ſubjiciebatur lychnuchus ornato fune ſuſpenſus, qui duos

& vi-

& viginti funales cereos habebat, ad cujus latera alii duo minores eadem forma, & ornatu demittebantur, qui cereos quatuordecim ſuſtollerent. Porro lychnuchi majores quatuordecim, minores quatuor,& viginti erant.

5 Singulis ſuperne inter epyſtilia loculamentis ſingula impoſita apparebant virtutum ſimulacra, in quorum ſuppoſitis baſibus earum nomen inſcriptum legebatur: fuerunt autem numero viginti. Quatuor Inferiora navis mediæ loculamenta, quæ ſtatuis Fundatorum alicujus Inſtituti Regularis adhuc carent, imagines exhibebant dextrorſus SS. Fidelis a Sigmaringa, & Petri Regalati; ſiniſtrorſum SS.Camilli de Lellis, & Joſephi a Leoniſſa: effigies S. Catharinæ in uno ex vacuis loculamentis ſub hemicyclo Sacelli SS. Proceſſi, & Martiniani ſtatuta fuerat, in altero, quod ex adverſo eſt, Divinæ gratiæ ſimulacrum prominebat.

6 Ad ſingula prædictæ navis mediæ loculamenta binæ menſulæ appoſitæ fuerunt per interjectam peltam junctæ; addebantur rami frondentes, & Religionum ſtemmata, & lychnuchi ad cereos ſuſtinendos, qui unicuique ſtatuæ prælucerent.

7 Ante æneam D. Petri ſtatuam ad decimumſextum loculamentum poſitam, quæ in tanta ſolemnitate Pontificalibus veſtibus ornari conſuevit, duo argentea candelabra prægrandia ſtatuta erant, addito lychnucho cum deargentatis ligneis brachiolis ad duodeviginti cereos ſuſtinendos.

8 Ad tranſverſæ navis ornamentum, præter deſcriptas virtutum imagines, ſupra coronam utriuſque lateralis abſidis quatuor ad columnarum perpendiculum proſpiciebantur virtutum ſtatuæ, additis plurimis ramis ad cereos ſuſtentandos. Supra epiſtylia columnarum lateralibus utriuſque dicti abſidis altaribus adjacentium aligeri aſſurgebant palmas, flagella, & ſimilia geſtantes ad oſtendendam Canonizandorum ſanctitatem, & tam has columnas, quam Incumbas altarium holoſericum eleganter compoſitum ornabat.

9 Tam ingentem apparatum par luminum copia æquabat. Quorum primus ordo iis conſtabat cereis, qui in ſuperioribus baſilicæ aris, & ante ſtatuas in inferioribus loculamentis, & circa confeſſionem B. Petri collucebant. Secundum, & tertium conſtituebant lychnuchi majores, & minores ſub arcubus pendentes. Quartum cerei, qui ſummam primariarum abſidum, & fornicum coronam ambiebant. Quintum, qui ad magni hemiſpheril projecturam, & prominentia inter illius pilas podia digeſti erant. Itant omnes mille quingenti octoginta ſex numerarentur, ſex, aut octo librarum pondere, præter eos, qui in Miſſa Summo Pontifici oblati, quique in tam frequenti ſupplicatione diſtributi fuerant.

10 Præcipua tanti apparatus pars erat nobiliſſimum theatrum. Ab ipſo baſilicæ ſolo ante aram principem ad occidentalem templi partem ampla ſenſim attollebatur lignea contignatio, ad quam quatuor ducebant gradus, qui utrinque primum directi, mox ſinuoſi, in ovalis hemicycli figuram deſinebant. Hos, & integram theatri caveam ſtragulum laneum colore viridi obtexerat, cum ſupra eos ſeſſuri ſuffragatores in ſignatura Juſtitiæ, aliique eſſent.

11 Ex eadem areæ planitie prope Veronicæ loculamentum parvum tribus gradibus laneo texto rubro opertis attollebatur tabulatum, in quo Pontificis Cathedra, ſeu parvum ſolium erat nobili ſtragulo tectum, ex quo ad Sacrificium Pontifex procederet. Extra ſolii gradus menſa fuerat inſtructa pro ſeptem candelabris ante Crucem ad ſupplicationes, & ante Cardinalem Diaconum ad Evangelii cantum deferendis. Ex adverſo prope S.Helenæ loculamentum quinque erant menſæ cum oblationibus Pontifici pro unoquoque Sancto exhibendæ. Abaci

ad ſacra miniſterii vaſa inter aram maximam, & theatri caveam diſpoſiti fuerant.

12 Non longe a parvo ſolio, & ab oblationum menſis ſcamna triplici ordine ex utraque parte ad imam theatri partem protendebantur, Babylonicis, aliiſque aulæis inſtrata, ſuper quæ Cardinales, & alii, quibus fas erat, aſſiderent. His proximum erat pro Oratore Bononiæ ſcamnum. Pro Conſultoribus verò ſacrorum rituum humiliores ſedes poſt parvum ſolium, & poſt dictas menſas ſtabant.

13 A fronte theatralis areæ ſepteni aſſurgebant gradus, ſupra quos ſuprema porrigebatur maximi throni planities, quam cum gradibus laneum peripetaſma rubeum operuerat, & in his gradibus Auditores Rotæ, aliique ſeſſuri erant. In eadem planitie per duos elata gradus ſerico villoſo rubro contectos Pontificia Cathedra in ſumma, & media totius theatri parte eminebat, in cujus poſtica parte parvum erat cubiculum ad opportunum Sanctitatis ſuæ receſſum. Ad latera pro ſacri Senatus opportunitatibus alia erant interna receptacula.

14 Porro Pontificium ſolium mira ſtructura, varioque, & eleganti columnarum, aliarumque rerum ornatu compoſitum eminebat, ad cujus latera adſtabant Religionis, & Juſtitiæ ſimulacra. Pontificia Cathedra ei ſuperextabat ſub umbella e ſerico villoſo. Ultra ſolii ſupercilium eminebat S. Fidelis vexillum; hoc autem altiori ſuberat, ſplendidiſſimaque luce circumfuſo Spiritus Sancti ſymbolo. Ab utroque vexilli latere magnum ſerici villoſi rubri paludamentum labebatur, quod ſenſim diffuſum, & poſt alternam flexuram iterum labens prædicta ſimulacra a tergo veſtiebat. Huic alterum velut ampliſſimum conopeum ſubjectum erat, & ſociatum, ex damaſceno rubro, quod demiſſum paulatim diſcurrens totum theatri proſpectum circumvelabat, & mollibus modo nexibus corrugatum ab aligeris allevabatur, altera manu polimyxum quindecim cereorum ſuſtinentibus. Hujus throni moles altitudinem centum, & decem palmorum æquabat.

15 A ſupradictis ſimulacris utrinque per latera ad finem uſque primarum tholi pilarum prope loculamenta Veronicæ, & D. Helenæ crates inauratæ, & eminentes nobili ornatu inſtructæ protendebantur, quæ ligneam interius extructam contignationem intercluderent. Similes comparatæ fuerant in loculamentis D. Andreæ, & S. Longini. Omnes congruis interpoſitis repagulis ſeparatæ, Pontificis juſſu, Poſtulatoribus quinque Beatorum, Principum Oratoribus, Columnenſium familiæ, Urbis Senatori, urbanis, exteriſque Matronis diſtributæ fuerant. Aderat præterea contignatio pro Cantoribus Capellanis, & altera Capitulum Vaticanum inter, & Poli Ducem ſacri hoſpitii Magiſtrum bipartita.

16 E ſuperioribus tandem quatuor lapideis proceſtriis, apud quæ reliquiæ Sanctorum ſervantur, alia quatuor BB. Camilli de Lellis, Petri Regalati, Ioſephi a Leoniſſa, & Catharinæ de Ricciis vexilla ſupra Veronicæ, S. Helenæ, S. Andreæ, & S. Longini ſimulacra per ordinem pendebant.

Omnia in ſuis tabulis melius repræſentantur.

FINIS LIBRI QUINTI.

LIBER SEXTUS.

SS. D. N. Benedicti XIV. Pont. Opt. Max. Acta, et Decreta in causis Beatificationum, et Canonizationum, aliisque ad Sacrorum Rituum materiam pertinentibus, ad annum Pontificatus sui decimum.

CAPUT I.

Decreta Generalia.

SUmmus Pontifex BENEDICTUS XIV. optimam cauſarum Beatificationum, & Canonizationum methodum diligenter intendens, Conſultoribus Sacræ Rituum Congregationis mandavit; ut octiduo antequam aliqua ejuſmodi cauſa coram ipſo proponeretur, ſuffragia ſua ſcripta ad ipſum tranſmitterent, ut & is rem ſcrutaretur, & cauſæ ſtatum, Conſultorumque difficultates Cardinalibus ejuſdem Congregationis proponens, horum conſilia facilius exciperet. Cum vero plura in hac, & in aliis materiis ad eamdem Congregationem ſpectantibus ediderit Decreta, congruum viſum eſt omnia in unum collecta, & compendiaria ſerie diſpoſita exhibere.

Ac primo quidem, cum dubium vigeret, an in cauſis Beatificationum, & Canonizationum per viam non cultus procedentibus, virtutes, aut Martyrium alicujus Servi Dei per teſtes de auditu, aliaſque ſubſidiarias probationes admitti, deficientibus abſque dolo, ac Poſtulatorum culpa teſtibus de viſu, poſſent; idque Conſultorum ſententia, & prædictæ Congregationis praxis affirmate viderentur; uti ſane in ſimili cauſa Ven. Servi Dei Franciſci Caraccioli in Congregatione generali *die* 21. *Martii* 1741. coram eodem eBnedicto XIX. propoſita affirmarunt: uSmmus Pontifex duo ſubinde Decreta die 23. Aprilis ejuſdem anni ſuper hac re edidit.

Primum Decretum ſolam reſpicit prædicti Servi Dei Franciſci Caraccioli cauſam, in qua attentis Conſultorum, & Cardinalium laudatæ Congregationis ſuffragiis, declaravit, virtutes ejuſdem Servi Dei, licet per ſolos teſtes de auditu aſſertas, *ita probari, ut tuto deveniri poſſit ad ulteriora, nimirum ad diſcuſſionem miraculorum &c.*. Sed attenta ejus generis probatione, ulterius ſtatuit, ne ad illius Servi Dei Beatificationem procedatur, niſi quatuor ex teſtibus de viſu probata miracula prius approbentur.

Decretum alterum eſt generale, ad illam tollendam controverſiam editum. In hoc autem primo decernitur, ut in cauſis per viam cultus, ſive a Sede Apoſtolica indulti, ſive per tempus immemorabile exhibiti procedentibus admittatur ex veteri more ſubſidiaria, ſeu ex teſtibus de auditu, probatio virtutum, aut Martyrii, variis tamen adminiculis roborata; nec tamen, ſi adſint, teſtes de viſu omittantur.

Id ipſum admittendum eſſe dicitur in cauſis per viam non cultus procedentibus, dummodo nec dolus, neque culpabilis negligentia tamdiu primos auctoritate ordinaria proceſſus diſtulerit, donec teſtes de viſu deficerent, & quando, comperto horum teſtium defectu, commiſſio ſignata, & litteræ remiſſoriales expeditæ fuerint ad proceſſus Auctoritate Apoſtolica conſtruendos.

In hujuſmodi autem cauſis ii, qui ſuffragium laturi ſunt, ſi ex ſubſidiaria

Digitized by Google

ria probatione moralem Martyrii, aut virtutum certitudinem compererint, reſcribant, *virtutes in gradu heroico, aut Martyrium ita probari, ut tuto procedi poſſit ad ulteriora*.

Miracula vero in quacumque cauſa ex ſolis teſtibus de viſu quoad ſubſtantiam approbentur, neque attendantur ſiquæ in proceſſu ex teſtibus de auditu depoſita ſint. In cauſis autem per viam cultus immemorabilis, aut indulti procedentibus, approbatis virtutibus, aut Martyrio ex teſtibus de auditu, quatuor omnino miracula, ut dictum eſt, probata, ad Canonizationem peragendam requirantur. In cauſis vero per viam non cultus procedentibus, & in quibus virtutes, aut Martyrium ſimili modo approbentur, quatuor miracula pro Beatificatione, duo autem poſt illam ſecuta pro Canonizatione neceſſaria ſint.

Secundum Decretum generale in eo verſatur, quod cum in cauſis non Martyrum in diſcutiendis virtutibus Conſultores difficultatibus quibuſdam preſſi, quid ſentiendum ſit, proferre non audeant, idcirco Poſtulatores inſtare conſueverunt vel ut, ſuſpenſa ſuper virtutibus deliberatione, miracula interim diſcutiantur, ut petierunt in cauſa tunc Servæ Dei Hyacinthæ de Mareſcottis, vel ut utraque ſimul examinentur, ut in cauſa Servæ Dei Joannæ Franciſcæ Fremiot de Chantal. Utrumque ſacra rituum Congregatio rejecit.

Cum vero illud ultimum BENEDICTO XIV. in cauſa Servi Dei Pauli Buralis Cardinalis de Aretio inſinuatum fuiſſet, idem Pontifex inhærens ſententiæ ejuſdem Congregationis abſolute die 10. April. an. 1742. ſtatuit, ne umquam dubia virtutum, & miraculorum miſceantur, aut tranſponantur, ſed ſeparatim, ac ſucceſſive examinentur.

Aliæ olim vigebant controverſiæ in cauſis per viam caſus excepti procedentibus, an ſcilicet miracula poſt primam cultus conceſſionem patrata, poſt quam conceſſionem alia amplior facta ſit; aut patrata poſt completum centum annorum cultum, nondum tamen prolata ſuper eodem ſententia, ſatis eſſe poſſint ad Canonizationem obtinendam juxtà id, quod a Clemente IX. die 10. Septembr. an. 1668. ſtatutum videbatur. Negativam Fidei Promotor, affirmativam Poſtulatores partem tuebantur, & his non ſemel ſacra rituum Congregatio ſavit. Cum vero difficultas eadem coram BENEDICTO XIV. invaluiſſet in cauſa B. Petri Regalati, duplex decretum idem Pontifex die 14. Jul. an. 1744. edidit.

Primum ſpeciale eſt quoad dictam B. Petri cauſam, in qua cum per viam caſus excepti procederet, difficultas urgebat, an duo miracula indultam venerationem conſecuta ſufficerent ad Canonizationem obtinendam, cum quatuor in bujuſmodi cauſis requiri laudatus Pontifex in ſuo decreto 23. Apr. 1741. ſtatuiſſet. Sed hanc cauſam idem Pontifex per aliud decretum 2. Aug. ejuſdem anni exceptam a ſupradicto decreto eſſe declaraverat, utpote in qua olim quatuor miracula approbata fuerant ante virtutum approbationem, ideoque duo ſatis eſſe pro Canonizatione edixit. Declaravit inſuper attendendum eſſe quoddam, ſi approbari mereretur, miraculum ſecutum poſt centenarium cultum, ſed ante quam de hoc ſententia lata fuiſſet, quod tamen ex probationum defectu approbatum non fuit.

Conſultores vero, & Cardinales ſacræ Congregationis duo alia miracula poſt ejuſmodi ſententiam patrata approbari poſſe cenſuerunt, nempe liberationem Sacerdotis Didaci de Plaſentia a cæcitate; & ſanationem Birgittæ Ottegæ a gravi fiſtula in ſiniſtra lumborum regione ex periculoſo ulcere relicta. Quæ quidem miracula ſummus Pontifex ſupradicta die 14. Jul. an. 1744. approbavit, de quibus eorum-

Digitized by Google

rumdem Conſultorum, & Cardinalium ſuffragia in præcedenti, cui interfuit, generali Congregatione exceperat.

Aliud deinde generale Decretum in hac materia editum eſt. Etenim Urbanus VIII. die 13. Mart. 1625. publicum cultum Servis Dei nondum beatificatis, neque canonizatis prohibuit, exceptis iis, qui vel ex ſummorum Pontificum, aut ſacræ Congregationis indultis, vel ex longiſſimo tempore, vel per Eccleſiæ conſenſum, vel per Patrum, Virorumque Sanctorum ſcripta colerentur; idemque Pontifex in alio Brevi die 5. Jul. 1634. pro horum Decretorum confirmatione expedito, declaravit, in cauſis procedentibus per viam alicujus ex dictis caſibus exceptis ante omnia ſuper cultu ferendam eſſe a Judice ordinario, vel delegato ſententiam, longiſſimum vero tempus intelligendum eſſe, quod metam centum annorum excederet.

Jam vero ſacra rituum Congregatio die 23. Mart. 1652. declaravit, pro ejuſmodi centenariæ complemento non eſſe attendenda, quæ poſt dictum annum 1634. geſta eſſent, itaut centenaria eadem completa eſſe debeat anno 1633.

Decreverat præterea Clemens XI. ut in cauſis tam per viam non cultus, quam per viam caſus excepti procedentibus, miracula poſt indultam venerationem ſecuta attenderentur pro Canonizatione obtinenda. Hinc graves inter Fidei Promotores, & cauſarum Poſtulatores controverſiæ extortæ ſunt, ſuperius indicatæ, quas omnes laudatus Pontifex Decreto ſuo generali dicta die 14. Jul. 1744. edito ſuſtulit, ſtatuens, ut in cauſis per viam caſus excepti ſive ex Apoſtolicis indultis, ſive ex longiſſimo tempore procedentibus, miracula poſt primam cultus conceſſionem patrata dici debeant, ad effectum obtinendæ Canonizationis, ſecuta poſt indultam venerationem, etiamſi amplior poſtea cultus conceſſio facta ſit; & ad eumdem effectum ſufficiant miracula, quæ poſt complementum centenarii cultus contigerint, quamvis nondum ſuper eodem cultu emanaverit ſententia in Decretis Urbani VIII. demandata.

Quartum generale Decretum plura continet ad rectam cauſarum Beatificationis, & Canonizationis diſcuſſionem neceſſaria. Etenim cum die 13. Maji 1749. in Congregatione generali coram ſummo Pontifice in cauſa Beatificationis Ven. Servi Dei Andreæ Bobola Soc. Jeſu propoſitum fuiſſet dubium ſuper Martyrio, necnon ſignis & miraculis ejuſdem Servi Dei, ac plura occurriſſent, circa Martyrii probationem, & quoad alias circumſtantias, quæ cauſæ curſum retardarunt, idem Pontifex die 22. ejuſdem menſis, & anni Decretum edidit, in quo nonn ulla explicuit, & ſtatuit ad eamdem cauſam pertinentia. Inde occaſione accepta quædam alia declaravit, atque ſancivit, quæ in aliis hujuſmodi cauſis deſervire poſſunt: nempe, quoad Factum quod dicitur Concordatum; quoad id, quod præſtare Promotor Fidei debet, dum ſcribentes in his cauſis utuntur exemplia præteritarum cauſarum reſolutarum deſumptis ex animadverſionibus Promotorum Fidei; quoad teſtes ſingularem Martyrium afferentes; demum declaratur, an in cauſis Martyrum, cum dubium Martyrii proponitur una cum dubio de ſignis, & miraculis, defectus probationum Martyrii ſuppleatur ex miraculis.

Et quod ad dictam cauſam Ven. Andreæ Bobolæ attinet, cum in omnibus his cauſis ante proceſſus Apoſtolicos in ſpecie neceſſarius ſit alter proceſſus Apoſtolicus in genere in Congregatione Rituum diſcutiendus, niſi Summus Pontifex ab hoc diſpenſet, prout in cauſis Martyrum, etiam poſt Urbani VIII. Decreta, aliquando fit; in hac vero cauſa nulla fiat mentio hujus proceſſus, in Decreto edicitur opus eſſe ad cauſæ progreſſum, ut vel oſtendatur completum fuiſſe Judicium illud in genere, vel ſuper hoc obtentam fuiſ-

Digitized by Google

fuiſſe Pontificiam diſpenſationem.

Præterea, eum ex archivo Domus Profeſſæ Romanæ Societ. Jeſu deſumpta fuerit epiſtola P. tunc Præpoſiti Generalis, in qua hic à P. Provinciali certior factus de morte Ven. Andreæ, eumdem monet, ut accuratam de ejuſdem Ven. Servi Dei, ac de P. Simeonis Maſſon morte relationem ad ſe transmittat; mandat Summus Pontifex, ut, ſervatis iis, quæ in ſimili caſu ſervata fuerunt pro cauſa S. Joannis Franciſci Regis, diligentius in Archivo indicata relatio, quæ tranſmiſſa præſumitur, perquiratur, cum exhibenda ſit.

Declaravit inſuper, inhærens ſuffragiis Cardinalium, & quorumdam Conſultorum, non conſtare in hac cauſa de Martyrio, & cauſa Martyrii per directas probationes, per teſtes videlicet de viſu conteſtes idoneos, & aptos. Indulſit tamen, ut eadem cauſa progredi poſſit, & iterum proponi dependenter a probationibus ſubſidiariis, dummodo pro Beatificatione perficienda quatuor approbentur miracula juxta Decretum die 23. April. 1741. editum.

Decernit præterea, ut in his cauſis Factum Concordatum ex more a Cardinali cauſæ Relatore edatur, ſed non niſi extractis authentice ex regeſtis Congregationis rituum omnibus Decretis in cauſa, de qua agendum eſt, editis, neque editio fiat, niſi Factum idem a Fidei Promotore approbetur.

Cum vero ſcribentes in his cauſis ſæpe in ſui aſſumpti comprobationem exempla aſſumant præteritarum cauſarum reſolutarum deſumpta ex animadverſionibus Promotorum Fidei, omittentes Poſtulatorum reſponſiones a ſacra Congregatione approbatas, jubetur Fidei Promotor, Conſultores, & Cardinales admonere de abuſu, qui in hoc forte ſubeſſet.

Item cum in diſcuſſione dubii ſuper Martyrio Conſultores ſæpe diſputent, an factum, quod ex ſeparatis, licet continuatis actibus convaleſcit, ſatis probetur per teſtes de viſu non conteſtes, ſed ſingulares ſingularitate adminiculativa, quorum unus e. g. deponat de captura, alter de vulneribus inflictis &c. decernitur, hujuſmodi probationem non eſſe plenam, ac ſufficientem, ut aſſeri poſſit, conſtare de Martyrio, ut conſtat etiam ex cauſis criminalibus, quibus quantum ad probationem aſſimilantur cauſæ Beatificationis, & Canonizationis.

Rurſum cum in cauſis Martyrum aliquando concedatur, ut una cum Martyrio, & cauſa Martyrii proponatur dubium de ſignis, & miraculis, quod tamen in Confeſſorum cauſis vetitum eſt quoad virtutes, & miracula, & ex ea conceſſione nonnuli judicium ferant ſuper Martyrio non ſatis probato, ſupplendo defectum probationum Martyrii ope ſignorum, & miraculorum; idcirco Summus Pontifex in hoc ſuo generali decreto declarat, ejuſmodi conceſſionem ex duplici capite fieri, primo quia cauſæ Martyrum minus operoſæ ſunt, quam cauſæ Confeſſorum; ſecundo, quia cum eædem citius expediendæ ſint, ad hoc confert utriuſque dubii conjunctio. Attamen dubium de Martyrio in cauſis Martyrum æquivalet dubio de virtutibus in cauſis Confeſſorum; & utræque cauſæ quantum ad miracula, eorumque numerum, & examen æquiparantur. Quapropter ſtatuitur, ut ſi quando in cauſis Martyrum facta ſit prædicta conceſſio, ii, qui ſuffragium ferre debent, ſi Martyrium independenter a ſignis probatum cenſeat, judicium ſuper utrumque ferat; ſi vero Martyrium non ſatis, aut non niſi dependenter a miraculis probatum agnoſcat, omiſſo judicio de miraculis reſpondeat, non conſtare de Martyrio.

Poſtremo jubet Pontifex, hoc Decretum, ejus manu ſubſcriptum, inter Congregationis rituum regeſta aſſervari, ejuſque exemplar typis impreſſum Cardinalibus, & Conſultoribus ſacrorum rituum conſignari.

CA-

CAPUT II.

Decreta ſuper ſignatura Commiſſionis, & remotione obſtativorum.

1 QUamquam ex more Sacræ RituumCongregationis operum a Servis Dei conſcriptorum reviſio fiat, priuſquam ſignetur commiſſio, tamen ſi periculum adſit, ne, dum hujuſmodi ſcripta aut perquiruntur aut perpenduntur, teſtes vita decedant, aliquando Summis PP: placuit commiſſionem ſignare ante operum reviſionem.

2 Id factum eſt in Canſa V. Servi Dei Franciſei de Caſtillo Societatis JESU; Propoſito enim dubio ex Apoſtolica diſpenſatione in tribus Congregationibus ordinariis Sacr.Ritnum abſque interventu Conſultorum die 3. Octobris 1699., & 26.Auguſti 1702., & 12. Julii 1704. An ſit ſignanda commiſſio introductionis Cauſæ, editoque in primis duabus reſcripto *Dilata*; juſſit opuſcula,de qnibus agebatur,omnino exhiberi; aliiſque peractis, tandem inſtantibus Poſtulatoribus die 6. Septembris 1713. expeditæ fuerunt literæ R. P. D. Fidei Promotoris ad R. Archiepiſcopum Limanum pro aliqnot opuſculis Servi Dei perquirendis. Poſt aliquot annos conſtitit literas ob diſtantiam locorum fuiſſe deperditas, & ne perirent probationes, rogarunt Poſtulatores literas Remiſſoriales pro conſtruendo proceſſu Apoſtolico cum quibuſdam clauſulis, quod Sanctiſſimus Dominus N. benigne conceſſit, miſſis aliis ſimul literis ad prædicta opuſcula perqnirenda. Quod decretum prodiit 20. Februarii 1741.

3 Cum autem a Clemente XII. cauſa U. S. D. Joannis de Britto ad S.R.U. Inquiſitionem fuiſſet delata: illud enim maxime videbatur obſtare, quod idem Servus Dei uſus fuiſſet ritibus auctoritate Sedis Apoſtolicæ prohibitis, ipſe Summus Pontifex BENEDICTUS XIV. præter morem peculiari Cardinalium congregationi die 22. Aprilis 1741. intereſſe voluit, in qua cum varia eſſent Cardinalium ſuffragia, aliis opinantibus eos ritus obſtare, & quatenus non obſtarent, timentibus, ne ex favorabili cauſæ ſucceſſu via aperiretur inobſervantiæ decretorum; Aliis vero cenſentibus prædictos ritus obſtare non debere, utpote adhibitos non utcunque, ſed prout a Sancta Sede ad eam diem fuerant permiſſi: & poſito etiam quod modo vetito fuiſſent adhibiti, quod tamen non probatur, quemcunqne reatum cenſeri debere procul dubio deletum per ſnbſequens martyrium; Summus Pontifex in hac cauſa,cum in minoribus eſſet verſatiſſimns,injuncta prædictorum decretorum obſervantia, decrevit die 2. Julii 1741. objectos ritus nihil obſtare, quo minns ad ulteriora procedatur: cum facultate, ut proponatnr dubium de ſignis, & miraculis una cum dubio de Martyrio & cauſa Martyrii.

4 Etiam in cauſa Ven. Servæ Dei Jo:Franciſcæ Fremiot de Chantal, cum amicitia a Serva Dei cum Abbatiſſa Portus Regii, atque Abbate Sancirano contracta, & ſuſpicio Quietiſmi impedimento eſſe videretur,quo minus ad ulteriora procedi poſſet, hanc controverſiam antea a Clemente XII. ad Congregationem Sacræ inquiſitionis remiſſam, ad Congregationem Sacrorum Rituum coram ſe habendam revocavit BENEDICTUS XIV.,ſtatuitque nihil hujuſmodi oppoſitiones obſtare, decreto die 10. Septembris 1741. hac: de re edito.

5 Cum autem promotor fidei ſignandam non eſſe exiſtimaret commiſſionem introductionis cauſæ Servi Dei Joannis de Avila, niſi prius proceſſus a Sacra inquiſitione adverſus ipſum formatus Hiſpali,exhiberetnr,cognita hac promotoris fidei petitione, ab Hiſpalenſis inquiſitionis Tribunali quæſitus proceſſusRomam ad Sanctiſſimnm tranſmiſſus eſt: cum autem a Sanctitate ſua proceſſus ille diligentiſſime perlectus ſit, & ex proceſſu quidem offenſivo ni-

bil crueretur contra Servum Dei, ex defenſivo vero plura colligerentur, quæ ipſius Sanctitatem mirifice illuſtrarent, pro ut in ipſo decreto fuſe, ac diſtincte recenſetur; Sanctitas ſua eoſdem proceſſus iterum clauſos in Hiſpaniam remiſit, neque aliud quidpiam impoſterum hac ſuper re a Promotoribus fidei requiri mandavit. Quod decretum prodiit die 3. Aprilis 1742.

6 Sequitur decretum aliud in cauſa Ven. Servi Dei Innocentii XI. Cum enim nonnullas oppoſitiones a Promotore fidei factas Clemens XII. peculiari congregationi examinandas commiſiſſet, ad ordinariam rituum congregationem coram ſe habendam die 1. Auguſti 1744. eas revocavit BENEDICTUS XIV., cumque nemine diſcrepante reſponſum ab omnibus fuiſſet eas oppoſitiones nihil obſtare, quominus ad ulteriora in Cauſa procedi poſſet, Sanctiſſimus ad magis, magiſque eaſdem oppoſitiones diluendas plurima, validiſſimaque monumenta in medium protulit quæ a poſtulatoribus aut neglecta, aut ignorata fuerant, & ſilentio ſuper prædictis oppoſitionibus Promotori fidei impoſito, ad ulteriora procedi tuto poſſe affirmavit.

7 Denique cum in cauſa Ven. Servi Dei Cæſaris de Bus Fidei Promotor obſtativum deſumpſiſſet ab unico 27. teſte, quod removeri oportebat, ut commiſſio introductionis cauſæ ſignaretur, habita coram ſe Sacrorum Rituum congregatione die 28. Martii 1747. ipſe BENEDICTUS XIV. dubium hoc in ea propoſuit, eloquentiſſimeque pertractavit, auditiſque Cardinalium ſuffragiis remotioni hujus obſtaculi faventibus, adhuc ad aliam diem ſententiam ferre diſtulit. Denique die 6. Aprilis 1747. decrevit ſignandam eſſe commiſſionem introductionis cauſæ, atque obſtativum omnino removit.

CAPUT III.

Decreta ſuper caſu excepto.

QUindecim ad hanc uſque diem a BENEDICTO XIV. hac ſuper re prodierunt decreta, quorum decem hæc ſunt, quæ ſuperius babentur libro 2. caput 24. a numero 186.

1 B. Coletæ Virginis Reformatricis Ordinis Sanctæ Claræ. Cauſa propoſita fuit, & reſoluta die 23. Januarii 1740.; deinde ob mortem Clementis XII. BENEDICTUS XIV. ejus ſucceſſor annuit attenta Secretarii relatione die 20. Auguſti ejuſdem anni.

2 B. Stephanæ de Quinzanis Monialis Ordinis Prædic. 10. Decembris 1740.

3 B. Alvari de Corduba Sacerdotis Profeſſi Ordinis Prædicatorum, die 26. Septembris 1741.

4 V. Petri Gonzalez Sacerdotis Profeſſi ejuſdem Ordinis, *San Telmi*, & B. nuncupati die 9. Decembris 1741.

5 B. Joannæ Valeſiæ Reginæ Franciæ, & Fundatricis Ordinis B. M. V. ſub regula S. Franciſci die 14. Aprilis 1742.

6 B. Gerii Patroni Montis Sancti 28. Julii 1742.

7 B. Benedicti a S. Philadelphio Laici Profeſſi Ordinis Minorum Obſervantium Reformatorum S. Franciſci die 11. Maii 1743.

8 B. Franciſci Patritii Ordinis Servorum B. Mariæ 31. Auguſti 1743.

9 B. Nicolai Albergati S. R. E. Cardinalis, & Epiſcopi Bononiæ 25. Septembris 1744.

10 B. Pacifici a Ceredano Ordinis Minorum S. Franciſci de Obſervantia 3. Julii 1745.

Reliqua vero quinque, quæ ſuperius libro 2. capite 24. non referuntur, hoc Ordine ſunt exponenda.

11. B. Alberti a Bergamo Tertii Ordinis Prædicatorum, in cujus cauſa ab Emo Cardinali Guadagni Ponente ad inſtantiam R. P. Vincentii Mariæ Ferretti Vicarii, & Procuratoris Generalis

ralis prædicti Ordinis propoſita, & a Sacra Congregatione audito R. P. D. Ludovico de Valentibus fidei Promotore, qui ſcripto, & voce ſuam expoſuerat ſententiam, decretum edidit affirmativum die 4. Maii 1748.

Et die 9. ejuſdem Menſis, & anni habita relatione Secretarii Sanctitas ſua benigne annuit.

12 B. Gillii, ſeu Egidii Sacerdotis profeſſi Ordinis Prædicatorum.

Supplicante ſupradicto R.P. Vincentio Ferretti per Sac. Rit. Congregationem decerni, & declarari conſtare B. Egidio cultum exhibitum fuiſſe, & exhiberi ex Apoſtolicis Indultis, ideoque cauſam hujuſmodi comprehendi inter caſus exceptos a decretis juſſu fel. rec. Urbani VIII. in Congregatione Sanctiſſimæ Inquiſitionis ſuper non cultu editis, nec non iſtis fuiſſe ſufficienter ſatisfactum, Relatore Eminentiſſimo D. Card. Portocarrero, & audito ut ſupra R. P. D. Promotore Sac. Congregatio die 4. Maii 1748. conſtare de caſu excepto declaravit.

Die vero 9. ejuſdem Menſis, & anni, audita Secretarii relatione, Sanctitas ſua benigne annuit.

13 B. Ladiſlai de Gielniovv Sacerdotis Profeſſi Ordinis Minorum Obſervantium S. Franciſci.

Signata fuit præſens cauſa manu ſan. mem. Clementis XII. uſque ab anno 1730. pro reaſſumptione; anno 1747. Varſaviæ conſtructua fuit Proceſſus particularis auctoritate Apoſtolica ſuper caſu excepto; inde ad inſtantiam cauſæ Poſtulatoris propoſita cauſa in Sac. Rituum Congregatione ordinaria, eadem Sacra Congregatio, dubio mature diſcuſſo, ac de more R.P.D. Promotore voce, ac ſcripto audito, reſpondit affirmative die 31. Januarii 1750.

Idemque Sanctiſſimus Dominus noſter præſtitit, audito Secretario, die 11. Februarii ejuſdem anni.

14 B. Marcolini a Forolivio Sacerdotis Profeſſi Ordinis Prædicatorum. Admiſſa a Sacra Rituum Congregatione die 16. Septembris 1747. Commiſſione prædictæ cauſæ, & a BENEDICTO XIV. ſignata; poſtea ad tenorem præfatæ Commiſſionis ex Apoſtolica diſpenſatione, propoſito dubio, an conſtet de caſu excepto; Sacra Congregatio adhibitis ſolitis cautelis; affirmative reſcripſit die 2. Maii 1750.

Idemque Sanctiſſimus Dominus noſter reſcripſit, facta eidem per Secretarium de prædictis relatione die 9. Maii 1750.

15 B. Henrici de Bolzano. Ad inſtantiam D. Abbatis Gaſparis Roggiæ cauſæ Poſtulatoris per Eminentiſſimum, & Reverendiſſimum D. Cardinalem Beſutium Ponentem propoſita prædicta cauſa Canonizationis B. Henrici in Congregatione ordinaria, ſuper dubio, an conſtet de cultu ab immemorabili eidem B. præſtito; Sacra eadem Congregatio penſatis omnibus affirmative reſcribendum cenſuit, die 18. Julii 1750.

Quod reſcriptum Sanctitas ſua confirmavit poſt relationem Secretarii eidem factam die 23. ejuſdem Menſis, & anni.

CAPUT IV.

Decreta ſuper Martyrio, & cauſa Martyrii.

DUO tantum in hoc genere habentur BENEDICTI XIV. decreta.

1 Alterum eſt in cauſa quinque Martyrum Salſet. qui die 15. Julii 1583. Martyrio Coronati ſunt; hi ſunt V. D. S. Rodulphus Aquaviva, & Socii, nempe Alphonſus Pacechus, Antonius Franciſcus, Petrus Bernus, & Franciſcus Aranha Societatis JESU; In hoc decreto principia, progreſſuſque cauſæ primum enarrantur, deinde dubium propoſitum, in Congreg. Gen. Sac. Rit. coram ſe die 8. Auguſti 1741. habita, an ſcilicet conſtet de Martyrio, & cauſa Martyrii; quamquam autem omnes conſtare reſpondiſſent, nihil tunc cenſuit decernendum Sanctiſſimus, ul-

terius lumen a Deo petiturus: denique poſt celebratum ad hunc etiam finem Miſſæ Sacrificium unanimem Congregationis ſententiam approbavit, declaravitque conſtare de Martyrio, & cauſa Martyrii in caſu, & ad effectum de quo agitur, die 20. Auguſti 1741.

2 Alterum vero in cauſa quadraginta Martyrum Braſilienſium Societatis JESU, quorum dux, & caput V. P. Ignatius de Azevedo, expoſitis ſupra principiis, progreſſibuſque cauſæ, propoſitoque coram Sanctitate ſua in Congregatione Generali Sacr. Rit. dubio, an conſtet de Martyrio, & cauſa Martyrii, quamquam omnibus conſtare videretur, tamen Sanctiſſimus reſponſum diſtulit, a die 4. ad diem 22. Septembris, ut Dei opem, conſiliumque magis, magiſque imploraret, denique, poſt Miſſæ Sacrificium in æde Sancti Andreæ in Quirinali celebratum ad majorem aram ante S. Franciſci Borgiæ imaginem, declaravit Præfatorum Servorum Dei Martyrium, & cauſam Martyrii ita probari, ut tuto procedi poſſit ad ulteriora.

3 Plura eum ad hoc favorabile reſponſum edendum impulerunt. Primo. Perfecta ſubſidiaria Martyrii probatio. Secundo. Cauſæ antiquitas, & publicus cultus a die obitus ad Urbani VIII. Decreta; quæ duo 8. Aprilis 1704. Clemens XI. Suffragaturis attendenda præſcripſit. Tertio. Reſponſio S. Franciſci Borgiæ, qui conſultus in obitu Servorum Dei, an eſſet pro illis orandum, ac ſuffragia perſolvenda, reſpondit, pro iis, ut Martyribus, orandum non videri. Dixit Pontifex nihil interim differere de Revelatione S. Thereſiæ circa martyrium Servorum Dei. His conſideratis ſubdit ſe ad incitamentum eorum, qui ad defendendam inter noſtræ Religionis inimicos fidem verſantur, tum ad Nationis Religioniſque decus quam fortitus, ac profeſſus fuerat V. D. S. de Sede Apoſtolica, & Fide Catholica optime meritæ, Decretum in lucem edere die 21. Septembris 1742.

CAPUT V.

Decreta ſuper Virtutibus.

1 ETſi primo loco de decreto V. S. D. Franciſci Caraccioli eſſet agendum, nihilominus cum de ipſo lib. 6. cap. 1. agatur, illud omittitur.

2 Decretum de virtutibus V. S. D., nunc B. Joannæ Franciſcæ Fremiot de Chantal, quod Decretum adbibitis omnibus prærequiſitis die 31. Martii editum eſt addita clauſula, quod ob defectum teſtium de auditu, quatuor ad Beatificationem probentur Miracula.

3 Decretum V. S. D. Nicolai Factor, cujus cauſa cum tuliſſet favorabile judicium a Sac. Rotæ Auditoribus ante Urbani VIII. decreta, poſt eadem reſumpta cauſa, & eiſdem obedientia præſtita, propoſitum dubium de Virtutibus, feliciter abſolutum fuit, poſt ſolitas diſcuſſiones, ac decretum editum die 8. Decembris 1743.

4 B.B. Septem Fundatorum Ordinis Servorum B. M. Virginis, de quibus cum in Ordinaria Congregatione coram Sanctiſſimo dubium propoſitum fuerit circa Miracula, Sanctiſſimus ſuſpenſo dubio de Miraculis, reſcripſit, quod fieret relatio de Virtutibus, quo præſtito Sac. Congregatio reſcripſit procedi poſſe ad ulteriora, & Sanctitas ſua confirmavit die 5. Februarii 1744.

5 Decretum V. S. D. Petri Claver Sacerdotis Profeſſi Societatis Jeſu. Relatis iis omnibus, quæ ſervanda ſunt in diſcuſſione dubii Virtutum, commendat Pontifex ſtatum, ac merita cauſæ, uniformem Conſultorum ſententiam approbationi faventem, nec non conſona Cardinalium ſuffragia ibique cum lætitia repetit, quæ Promotoratus ſui tempore in Calce animadverſionum edixerat, videlicet inter præcipuas Cauſas hanc eſſe recenſendam. Inde quæ ab aliquibus ſcrupuloſioribus oppoſitæ fuerant difficultates proponit, & repetito

novo

Digitized by Google

novo ſtudio, repetitis precibus, deſcendit ad prædictas difficultates, quarum una eſt, quod S.D. noctis tempore orans clauſo oſtio, flexis genibus &c. ingrediens Collegii Rector Cubiculum ad confitendum; converſus ad eum ait. Quid a me quæris? recedas quæſo; hoc adſcribi irreverentiæ erga ſuum Superiorem videbatur, cui reſpondit: conſideratis circumſtantiis omnibus, & ejus obſervantia erga Superiores, levitate materiæ, ac emendatione perpenſis, ſcrupulum tolli. Altera vero quod erga converſos Mauros ad fidem ſæpe nimio rigore ſe geſſerit, eos flagello percutiens, ob choreas ac alearum ludos. Reſpondit, quod conſiderata pervicaci Maurorum indole, ac S. D. ſuavitate cum charitate, ac benevolentia erga Mauros ipſum quaſi Patrem, ac benefactorem venerantes reſolvit cum Apoſtolo ad Galatas 6. ad Corinthios 4., & ad Titum 1. quod pro diverſitate perſonarum modo ſevere, modo ſuaviter agendum; His ablatis, ac attentis ſuperius dictis conſtare de virtutibus &c. decrevit die 24. Septembris 1747.

CAPUT VI.

Decreta ſuper Miraculis.

1 DEcretum B. Alexandri Sauli ex Clericis Regularibus S. Pauli, Barnabitis nuncupatis, Epiſcopi Alerien., & Papien. editum fuit die 26. Januarii 1741. habita Congregatione Generali, ac perpenſis omnibus duo in 3. genere Miracula approbavit, videlicet 6. Fratris Laurentii Mariæ Obez Laici Profeſſi dictæ Congregationis Septuagenarii, qui febri maligna, ac puſtulis jam animam agens ex impoſitione Rochetti B. Epiſcopi ſtatim ſanatus eſt die 31. Auguſti 1673. & Decimum Militis Caroli Bertol ſexagenarii, qui ut lethali pro febre rocheti ejuſdem impoſitione depulſa gratias ageret, ad Ven. Epiſ. Sepulchrum in ſella delatus, ac ſuper lapidem ſtratus, a ſexennali etiam Crurium debilitate liberatus, repente ſurgens, domum ſuis pedibus rediit die 22. Decembris 1678.

2 Decretum tunc B., nunc S. Camilli de Lellis Fundatoris Clericorum Regularium Miniſtrantium infirmis reſultavit ex approbatione ſexti, ac noni Miraculi utrinſque 3. generis ex novem propoſitis; ſextum, Catherinæ Marciohæ undennis Puellæ a Septimeſtri polipo ulceroſo, ac fætido, ſimul ac ſubuculæ olim a SS.D. geſtatæ fila duo ægris naribus admota ſunt, dolore omni protinus ceſſante, & nullo relicto morbo ſanatæ exeunte Novembri 1728. 9. Catharinæ Dondolæ annorum circiter 30., quæ 6. graviditatis menſe, maligna febri, non pleuram modo, ſed & pulmones inflammante, totumque guttur ulcerante, in mortis agone conſtituta ad ſimplicem hauſtum aquæ commiſtæ pulveri Cubilis S. D. ac dum illi commendaretur anima, porrectæ, abjecto prorſus omni morbo, viribuſque receptis, ſurgere ſtatim potuit, ſanam ſe clamitans, & probans; Romæ die 28. Januarii 1736. Quibus attentis decretum SS. D. N. publicari juſſit die 13. Novembris 1741.

3 Decreto in Cauſa B. nunc S. Fidelis a Simaringa die 18. Jan. 1744. Ex quatuor miraculis propoſitis approbantur duo relata lib. 5. cap. 13. n. 10.

4 In Decreto edito 26. Maii 1744. die S. Philippi Nerii, cum quo intimam ſpiritualem amicitiam foverat S. Catharina de Ricciis, approbata ſunt duo miracula pro hujus Sanctæ Canonizatione. V. lib. 5. cap. 17. n. 15.

5 B. Petri Regalati approbata ſunt miracula jam indicata lib. 6. cap. 1. circa medium, & lib. 5. cap. 25. n. 11. edito Decreto die Seraphici Doctoris 24. Julii 1744.

6 In Cauſa BB. ſeptem Fund. Ord. Servorum B. M. V. decretum eſt die 8. Aug. 1744. non eſſe habendam rationem miraculorum a Deo patratorum ad collectivam invocationem ſeptem Beatorum in Cauſa Canonizationis eorum.

rumdem, niſi ſupra numerum. Unde requiruntur miraeula intereeſſione uniuſeujuſque ipſorum patrata, eum eirea Sanctos Confeſſores nullum ſimile extet exemplum.

7 In Cauſa S. Camilli de Lellia approbata ſunt 1. Maii 1745. duo miracula expoſita lib. 5. cap. 24. n. 11.

8 Dun pariter B. Joſepbi a Leoniſſa eodem die miraeula ſunt approbata, quæ referuntur in Bulla Canonizationia. lib. 5. c. 26. n. 12.

9 In decreto B. Hieronymi Emiliani legitur unanime fuiſſe tum Conſultorum tum Cardinalium ſuffragium: additur vero, quod Sanctiſſimus Noſter Literas ſeripſerit Patriarcbæ Venetiarum, ut duos ſanatos, primum a ſeorbutico morbo, ſecundum ab incurabili malo antiquato oppreſſos, ac Teſtes de ipſorum ſanatione bene inſtructos de ſtatu valetudinis utriuſque examinaret, ae de ſanitatis continuatione. Obtemperavit Antiſtes, ac Sanctiſſimum de ſtatu valetudinis utriuſque, ſanitatiſque continuatione certiorem fecit. Quibus attentis idem Sanctiſſimua favorabile decretum edidit die 23. Aprilis 1747.

10 Verum vigilantia Pontifieis ulterius in bae eauſa proceſſit, eum enim Cauſa per viam ordinariam procederet, & decretum approbativum virtutum exiſteret editum a Clem. XII. ſubſidiariis probationibus innixum, non obſtante decreto edito 23. Aprilis 1741. quo ſtatuitur probanda eſſe quatuor miraeula, ubi ſoli eſſent Teſtes de auditu in cauſis non enleua, quia tamen ſtudio, perquiſitione, ae diligentia invenit Pontifex in Proceſſu Teſtea de viſu, ideirco die 5. Auguſti 1747. deerevit Cauſam prædicti Beati ſub ſua nova lege non eſſe comprehenſam.

11 In Cauſa Beatificationis B. Joſephi a Matre Dei Sanctiſſimus D. N., conſideratis concordibus Conſultorum, nec non Cardinalium ſuffragiis, ut Religioſi Seholarum Piarum Alumni, expleto Generali Capitulo in Urbe, ad ſuas jamjam reverſuri regiones eerto favorabilis Deereti monumento ſpiritualem lætitiam ſociis abſentibus afferre poſſent, duo approbavit miracula; ſanationis nimirum Chriſtinæ Ceeeherinæ ex complicatione quamplurium internorum morborum contractæ ſpatio deeem, & ſeptem menſium, quæ ejus ſanitate a Medieis proclamata, Dei Servo invocato, ineontinenter & perfecte ab omni ineommodo liberata eſt: ae ſanationis Margaritæ Tanteri aneuriſmate ſenſibus obvio, ae inſanabili, nec non decem annis graviſſimis ſymptomatibus laborantis, quæ invocato Dei Servo, momento ſanitatem omnino reeuperavit. Utrumque miraculum in 3. genere approbavit, ac decretum edidit die 14. Maii 1748.

CAPUT VII.

Bulla Canonizationis, & Brevia Beatificationis.

UNiea ſub Pontificatu BENEDICTI XIV. Canonizationis Solemnitas pro quinque Sanctis peracta eſt, quæ toto lib. 5. fuſe deſcribitur; Beatificationes vero VV. SS. Dei Alexandri Sauli, Camilli de Lellis, Hieronymi Æmiliani, & Joſephi a Matre Dei hoc loco recenſeri deberent. Sed cum poſt editum tomum ſextum operum Summi Pontificis Beatificationis honor delatus fuerit B. de Chantal, occaſione illius, quatuor etiam ſupradictas Beatificationes referimus in prima hujus tomi appendice.

CAPUT VIII.

De Sanctorum electione in Patronos; & de Patroni titulo.

SIngulæ conſueverunt Eccleſiæ aliquos Sanctos ſibi Patronos eligere, eoſque illuſtri Patronorum titulo ſuis Calendariis inſcribere. Cumque BENEDICTUS XIV. decreta aliqua ſuper

per hae materia ediderit, ea hic ſubnectuutur.

Decretum, quo SS. Apoſtolos Petrum, & Paulum, Romæ Patronos principales nuncupari ſtatuitur.

Romauam Eccleſiam Principum Apoſtolorum Petri, & Pauli Martyrio conſecratam, eoſdem apud Deum a fidei primordiis Patrouos habuiſſe, & uti tales agnoviſſe, ex S. Leone, aliiſque monumeutis exploratum eſt. Sed cum in Ordiue Divini Officii iuſigni Patronorum Principalium ejuſdem AlmæUrbis titulo appellari iidem non conſueverint, fortaſſia quia tamquam generalea Catholicæ Eccleſiæ Patroni ubique invocentur, BENEDICTUS XIV. advertens, per hoc non effici, quominus ipſi quamplurium Eccleſiarum peculiares, ac Principalea Patroni habeantur, die 16. Octobris 1743. præcepit, ut impoſterum iu Kalendario Romano, ſive in Ordine Divini Officii pro Cleri Romani directione quotannia imprimendo, principalium Urbis Patrouonorum titulo iuſcribantur, & quando poſt Laudea, & Veſperaa commemorationes, ſeu ſuffragia Sauctorum recitantur, commemorationi de Patrono, ubicumque laudati SS. Apoſtoli tamquam principales coluntur, ſatisfactum cenſeatur per ordinariam commemorationem, quæ de iis iu univerſa Eccleſia fir poſt illam B. V. Mariæ.

Per alias literas Apoſtolicas l.5.c.15. inſertaa natalem eorumdem SS. Apoſtolorum per octiduum Romæ quotannia celebrari, Beatificationes, & Canonizationes, & proceſſionem Corporia Chriſti, etiam Sede Vacante, ad eorumdem Baſilicam Vaticanam peragi juſſit.

Indultum ejuſdem Pontificis, quo S. Franciſcum Xaverium tamquam Patronum principaliorem Indiarum Orientalium colere dec[...]

Sauctua Franci[...] dia-rum gentium [...] ap-pellatus eiſdem novo honore, novoque titulo colendus propouitur. Joannes Portugalliæ Rex jam Sanctitati ſuæ ſupplicaverat, ut tanti Apoſtoli cultum augere ſatageret, ſed mota in Sinarum maxime regno in Chriſtifideles perſecutio ad hoc ipſum vehementer extimulavit. Sanctiſſimus itaque die 24. Februarii 1748. ſtatuit, ut laudatus Apoſtolus impoſterum principalior Patronus ac Protector Indiarum, quæ a Capite Bonæ Spei ad regna Sinarum, & Japouiæ numerantur, eiſque adjunctarum provinciarum, & adjacentium inſularum habeatur, atque colatur cum omuibus prærogativis, quæ Sanctis Patronis principalioribus competunt, utque annua ejus dies ſub ritu duplici primæ claſſis cum octava peragatur.

Indultum aliud, quo S. Joachimum, Genitricis Jeſu Chriſti Patrem, Patronum principalem, ac Protectorem Regni Poloniæ, magnique Ducatus Lituaniæ haberi decernitur.

Catholica Eccleſia B. Joachimum quotaunis recolere, ejuſque feſtum diem ſolemui ritu Officio, & Miſſa celebrare ſtuduit. Inter ceteraa vero Catholicas nationes inclyta Polonorum natio, ut eumdem ſibi benevolum Patronum apud Deum magis conciliaret, ſolemniori ritu illum venerari exoptavit. Auguſto itaque Poloniæ Rege publicum Procerum Poloniæ, & Lituaniæ, Populique deſiderium Summo Pontifici commendante, & Adam Archiepiſcopo Gneſnenſi nomine totius Collegii Epiſcoporum ejuſdem Regni, & Ducatus ſupplicante, Sanctitas ſua die 29. Januarii 1751. juſſit, & declaravit, eumdem S. Joachimum habendum, & iuvocandum eſſe Patronum principalem, & protectorem ſupradictorum Regni Poloniæ, & Ducatus Lituan[...] cum omnibus prærogativis Pat[...] ejuſmodi competentibus. ej[...] verſariam diem Dominic[...] poſt Octavam Aſſumptio-

ptionis B.M. Virginis in Cœlum ritu duplici primæ claſſis cum octava in perpetuum celebrari.

CAPUT IX.

De Feſtis de Præcepto.

Plurima circa hoc argumentum prodiere Apoſtolicæ Literæ, & Decreta; cum vero Epiſcopus Lamecenſis ad Sacra Apoſtolorum Limina viſitationem miſiſſet; Feſtorumque dierum imminutionem pro Sua Diœceſi poſtulaſſet, Epiſtola ad ipſum ſcripta eſt, in qua omnia quæ in hoc capite continentur in Appendice 2. Infra referimus.

CAPUT X.

De Martyrologio Romano.

CUM Epiſcopus Conimbricenſis eo tempore, quo prodiit nova Martyrologii editio, hujuſmodi operis abunde inſtructus eſſet, placet in obſequium tanti Præſulis eam Epiſtolam in Appendice 3. Collocare, ubi omnia, quæ in hoc Capite indicantur, diſtincte continentur.

CAPUT XI.

De Sacris Reliquiis.

QUamquam ſacræ Rituum Congregationis decreta a Summo Pontifice BENEDICTO XIV. in ſuo opere de Beatificat. & Canoniz. *lib.4. par.2. cap.*28. relata prohibeant conceſſionem Officii, & Miſſæ ratione inſignis reliquiæ, aut integri Corporis alicujus Sancti baptizati, aut in Martyrologio Romano non deſcripti, aliquando tamen eadem Congregatio ex peculiaribus circumſtantiis ab hac regula receſſit, ut in laudato opere loc. cit. innuitur. Ab eadem laudatus Pontifex ſemel recedendum eſſe cenſuit. Ideoque ad enixas Cardinalis de Lambergh Epiſcopi Paſſavienſis preces, nomine etiam Abbatis, & Religioſorum Monaſterii, ſeu Conventus S. Nicolai Congregationis Lateranenſis Canonicorum Regularium Ordinis S. Auguſtini prope civitatem Paſſavienſem ſiti porrectas, die 21. Jul. 1741, indulſit, ut a dictis Religioſis ejuſdem dumtaxat Conventus in honorem S. Amantii Martyris, cujus corpus ſub proprio nomine ex Urbis cœmeteriis olim extractum illique Conventui dono datum in eadem aſſervatur, Officium, & Miſſa de communi unius Martyris, die a laudato Cardinali aſſignanda, quotannis celebrentur.

Sequitur Breve *pro elevatione Corporis Ven. Servi Dei* Camilli de Lellis *Fundatoris Congregationis Miniſtrantium Infirmis.*

Imminente hujus Servi Dei Beatificatione, preces Summo Pontifici BENEDICTO XIV. exhibitæ fuerunt, ut ejuſdem Servi Dei corpus in Eccleſia S. Mariæ Magdalenæ de Urbe prædictæ Congregationis conditum elevaretur, & in decentiorem locum transferretur publicæ venerationi exponendum. Hinc Summus Pontifex die 5. Martii 1742. literas Apoſtolicas in forma Brevis Ludovico de Valentibus Fidei Promotori dedit, eique commiſit, atque mandavit, ut ſe ipſum ad dictam Eccleſiam conferret, & januis clauſis, omnibuſque cujuſque conditionis, ſtatus, dignitatis, & auctoritatis perſonis (præter publicum Notarium Acta rogaturum, Præpoſitum generalem, & Aſſiſtentes prædictæ Congregationis, necnon cauſæ præfati Servi Dei Poſtulatorem, & foſſores ad miniſterium neceſſarios) ſub multiplici graviſſima, etiam excommunicationis, pœna excluſis, tumulum, quo Ven. corpus continebatur, per dictos foſſores reſerari juberet, & omnia ad authenticitatem pertinentia accuratiſſime ſcrutaretur, omnibuſque ſuperius enumeratis, ſub graviſſimis pœnis, prohi-

prohiberet, ne minimam Corporis partem, inconſulto Pontifice, detraherent, & ſecum aſportarent. Tum corpus in aliquo loculo reconderet, ſuoque ſigno muniret in decentiori loco tutiſſime cuſtodiendum, donec opportuno tempore in alio loco, ubi poſtea ſervandum, colendumque foret, collocaretur.

Aliæ ſimiles literæ datæ ſunt die 17. Jul. 1748. pro elevatione Corporis Ven. Servi Dei Joſephi a Matre Dei Scholarum Piarum.

Decretum pro identitate Corporis S. Joannis de Matha Fundatoris Ordinis SS. Trinitatis Redemptionis Captivorum.

Sacrum bujus Sancti corpus in arca marmorea in Eccleſia S. Thomæ in Formis de Urbe, quæ Eccleſia ad Capitulum Baſilicæ Vaticanæ ſpectat, ab initio conditum, inde an. 1655. in Hiſpanias translatum, & apud Nuntium Apoſtolicum depoſitum, ab alio Nuntio poſtea traditum Miniſtro Generali, & Diffinitorio laudati Ordinis fuit, ut ſub altari Capellæ in Cella Ven. Fr. Thomæ de Virgine Matriti erectæ collocaretur. Actum deinde fuit in ſacra Rituum Congregatione de ejuſdem Corporis identitate, ſed de hac tunc eadem Congregatio *non conſtare* reſpondit. Inſtaurata ſub Clemente XI. eadem quæſtione, BENEDICTUS XIV. tunc in minoribus conſtitutus, ac Fidei Promotorem agens, amplam ſuper hoc diſſertationem elucubravit, quæ in ſuo Opere de Canoniz. lib. 4. par. 2. cap. 25. n. 8. impreſſa eſt, unde die 6. Septembr. an. 1721. reſolutio prodiit, *conſtare de identitate*, quam reſolutionem, mortuo præfato Clemente, Innocentius XIII. confirmavit. Cumque idem Benedictus tunc ſimul Canonicatum in dicta baſilica obtineret, & Sacræ Congregationi Concilii Tridentini Interpreti a ſecretis eſſet, aliis Canonicis enixe ſuaſit, ut prædictum Ordinem liberarent ab obligatione ſacrum Corpus Romam remittendi, mox habitum Canonicorum conſenſum ab eadem Congregatione confirmari obtinuit. Ad Summum Pontificatum evectus ſupradictam arcam cum inſculpta epigraphe hoc indicante, a laudato Capitulo accepit, & in benevolentiæ erga dictum Ordinem, ac in venerationis erga S. Joannem de Matha argumentum, F. Michaeli a S. Joſepho Miniſtro Generali Fratrum excalceatorum ejuſdem Ordinis tradidit Matritum in Hiſpanias tranſmittendam. In quorum omnium confirmationem litteras Apoſtolicas in forma Brevis die 3. Febr. 1749. edidit laudato Miniſtro Generali inſcriptas.

CAPUT XII.

Nonnulla miſcellanea ad materiam ſacrorum Rituum aliquo modo pertinentia.

1 PLura BENEDICTUS XIV. decreta edidit ad Sacros Ritus aliquo modo pertinentia. Omiſſis illis, quæ ſuperius indicata ſunt, præſertim tomo 4. & 5. & infra tomo 7. iterum recurrent, ea modo referemus, quæ ad hoc caput peculiariter ſpectant.

De cautelis præſtandis in conficiendis proceſſibus ſuper fama ſanctitatis Servorum Dei. De prohibendis Imaginibus Spiritus Sancti ſub humana ſpecie depicti. De aliis ſuperſtitionibus non tolerandis.

2 Cum in Civitate Imperiali Kauffbura ſanctimonialis quædam, Creſcentia nomine, magna ſanctitatis opinione celebris viveret, Summus Pontifex BENEDICTUS XIV. Apoſtolicas literas die 17. Maii 1744. dedit Epiſcopo Auguſtano, ut is in ejus vitam, & mores inquireret, ac de omnibus Sanctitatem ſuam certiorem redderet. Obierat dicta Soror, antequam literæ ad Epiſcopum perveniret, qui nihilominus inquiſitionem per Subde-

legatos perfecit, & acta una cum ſpeciali epiſtola ad eumdem Pontificem miſit. Hic omnibus expenſis, probam quidem fuiſſe ſanctimonialis vitam, nullam tamen virtntem heroicam, aut miraculum deprehendit.

3 Alias ſubinde literas ſub die 1.Oct. 1745. eidem Epiſcopo dedit, in quibus primo juxta ſacræ Rituum Congregationis regulas in ſuo opere *de Canoniz. Sanctor.* expoſitas, monuit, cauſas Beatificationis, & Canonizationis ab Ordinariorum proceſſibus initium ſumere. Ordinarios autem non ſtatim, ſed poſt veram, ac legitimam ſanctitatis, aut miraculorum famam debere proceſſus conſtruere, & in his extremum mortis articulum præcipue conſiderandum, imo ſiquæ Servi, vel Servæ Dei ſcripta reperiantur, ante omnia eſſe expendenda. Hæc autem, & alia ad rem pertinentia ſignificavit Pontifex, non quod Epiſcopus per indicatum ſuum proceſſum voluerit cauſam Beatificationis præfatæ ſanctimonialis inchoare, cum nec teſtes recte examinati eſſent, ſed ut ſiquando ad hoc deveniendum eſſet, quid facto opus ſit, perſpectum haberet.

4 Significavit præterea Epiſcopus, Imagines quaſdam diffuſas fuiſſe Spiritum Sanctum ſub ſpecioſi juvenis forma referentes, ſubſcriptis verbis. *Veni Sancte Spiritus*. De quibus Imaginibus inquiri primo poteſt, an Soror Creſcentia eas invenerit, vulgaverit, approbaverit, ſecundo, an earum uſus admitti poſſit.

5 Omiſſa tamen prima quæſtione, ad ſecundam quod attinet, Summus Pontifex in primis Epiſcopi zelum laudat, qno hnjuſmodi Icones diligenter auferri juſſerit, enixeque hortatur, ut idipſum impoſterum perficiat. Pergit, & ſacrilegum fore errorem affirmat, ſiquis ſe putaret, Deum, ſicuti in ſe eſt, poſſe coloribus exprimere. Verum, qnidquid Heterodoxi, paucique Catholici Scriptores dixerint, juxta commnnem Catholicorum ſententiam repræſentatur ipſe Deus eo modo, & forma, quibus aliquando apparuiſſe in ſcripturis ſanctis legimus. Neque id reprobat Tridentina Synodus, imo contrarium damnavit Alexander VIII. Hinc cum ex Evangelio exploratum ſit, Spiritum Sanctum in columbæ ſpecie viſibiliter apparuiſſe, profecto illius Imago ſub eadem ſpecie pingi debet. Et hoc ſane modo in Eccleſia repræſentari conſuevit, qua in re conſonat vetus Eccleſiæ diſciplina, uti ex pluribus monumentis conſtat. Præterea cum ex Actis Apoſtolorum habeatur, ſolemni Pentecoſtes die poſt Chriſti Aſcenſionem ſuper Apoſtolos, alioſque cum iis in Cœnaculo congregatos apparuiſſe diſpertitas linguas tamquam ignem, licet utique pictoribus hoc myſterium, atque adeo Spiritum Sanctum repreſentare, ſicuti apparitio hæc facta legitur. Sed extra hanc occaſionem non aliter, quam ſub Columbæ forma ipſe repræſentandus eſt.

6 Neqne ex his quiſquam inferat, poſſe eumdem Spiritum etiam ſub ſpecioſi juvenis, aut viri forma repræſentari. Nam nuſquam hoc modo illum hominibus apparuiſſe in ſacris paginis legitur. Uterque vero ſupradictus pingendi modus in earumdem paginarum hiſtoria, & auctoritate fundantur. Et Tridentina Synodus prohibet quaſcumque inſolitas, & *falſi dogmatis* Imagines. Imago autem Spiritus Sancti ſub viri ſpecie inſolita eſt, & poſſet damnatum eorum errorem revocare, qui dixerunt Spiritum Sanctum humanam aſſumpſiſſe naturam.

7 Contra hujus argumenti vim repoſuerunt nonnulli, qni apud laudatum Epiſcopum de hac quæſtione egerunt, quaſdam reperiri SS. Trinitatis Imagines, quibus eadem ſub figura trium hominum undequaque ſimilium repræſentatur. Id, quod aliis diſquiſitionibus aditum aperit.

8 Conſentiunt itaque Theologi communiter, licere SS. Trinitatem coloribus exprimere, quamquam incertum eſt, quando harum Imaginum conſuetudo cœperit. Non tamen permiſſum

eſt

Digitized by Google

eſt pictoribus eam ad libitum effingere. Quapropter reprobatæ ſunt Imagines, quibus Deipara Virgo repræſentatur Trinitatem ipſam in utero gerens. Quemadmodum & aliæ, quæ Trinitatem exhibebant ſub humani corporis figura tribus capitibus inſtructa; immo poſteriores has Imagines ferunt ab Urbano VIII. fuiſſe damnatas. Valdenſis, & alii illam approbant, quæ Trinitatem exhibet in tribus Perſonis omnino æqualibus. Et hæc ſententia innititur apparirioni Abrahamo factæ in Convalle Mambre *Geneſ.* 16. ubi dicitur, quod *apparuerunt ei tres Viri ſtantes prope eum*, per quos tres viros S. Aug., quem alii ſequuntur, agnoſcit SS. Trinitatis Imaginem. Plures vero exiſtimant duos ex his tribus viris Angelos, tertium vero fuiſſe Filium Dei, ſecundam nempe Trinitatis Perſonam.

9 Jam vero SS. Trinitatis Imagines approbatæ, & permittendæ illæ ſunt, quæ vel Patrem exhibent in forma Viri ſenis, in cujus ſinu Chriſtus Deus & homo, & inter utroſque Spiritus Sanctus in Columbæ ſpecie ſit, vel duas Perſonas modico intervallo ſejunctas repræſentant, unam ſenioris viri, ſcilicet Patris, alteram Chriſti, medium autem inter ipſos Spiritum Sanctum in Columba expreſſum. Poteſt tamen Chriſtus in ſinu Patris pingi velut mortuus, nam quamvis nemini ut mortuus apparuerit, certum tamen eſt eorum innumerabili multitudine expiraſſe.

10 Jam vero cum fundamentum pingendi Spiritum Sanctum ſub humani juvenis ſpecie conſiſtat in uſu Tabularum SS. Trinitatem in tribus perſonis omnino æqualibus repræſentantium, & hic uſus ex ſupradicta apparitione Abrahamo facta deſumatur, advertendum eſt, quod ſi talis uſus non ſit in Eccleſia pacifice receptus, nec ſatis tuta ſit ſententia, quod per tres Viros, qui Abrahamo apparuerunt, myſterium ſignificetur SS. Trinitatis, profecto non eſt permittenda Spiritus Sancti Imago ſub juvenis ſpecie. Si vero idem uſus ſit receptus, eademque ſententia tuta ſit, ad ſummum inferri poſſet, modum repræſentandi Trinitatem ſub trium Virorum æqualium ſpecie tolerandum eſſe; non autem pingendi ſolum Spiritum Sanctum in forma juvenis, cum hoc modo idem Spiritus ſeorſim ab aliis Perſonis numquam apparuerit. Immo hujuſmodi Imago inuſitata eſt, & conſequenter juxta Tridentinam Synodum nullo modo admittenda.

11 Quod ſi pingitur SS. Trinitas vel repræſentando Patrem juxta Filium, vel Filium in ſinu Patris, & Spiritum Sanctum in Columbæ forma; Si pingitur ſolus Pater inſtar ſenis, ſi ſolus Filius vel Cruci affixus, vel in forma Agni; Si ſolus Spiritus vel in figura linguarum ignis die Pentecoſtes e cœlo deſcendentium, vel in Columbæ ſpecie; His omnibus pingendi modis fundamentum ſuppeditant apparitiones, & viſiones in ſacris ſcripturis expreſſæ. At nullibi invenitur, Spiritum Sanctum in forma juvenis ſeorſim ab aliis Perſonis apparuiſſe, ideoque nec hujuſmodi ejus Imagines admittendæ.

12 Atque hæc ſunt, quæ quoad dictas Spiritus Sancti Imagines ſummus Pontifex laudato Epiſcopo ſignificanda duxit, affirmans, ſe Apoſtolicam ſuam auctoritatem interpoſiturum adverſus eos, qui prohibitioni ab eodem Epiſcopo factæ de iiſdem Imaginibus refragari auſus fuerit. Cum vero idem Epiſcopus in ſua epiſtola addiderit, ſpargi plures præfatæ Sororis Creſcentiæ effigies, coronas precatorias, earumque grana, Cruces, ſcapularia, oleum, pulverem, aquam, & manus vel pictas, vel ſigno effictas cum pollice inter indicem, & medium inſerto, quas quidem coronas, & Cruces a Deo benedictas, & indulgentiis ditatas fuiſſe; earum vero manuum ſimulacra ad fugandos dæmones plurimum valere nonnulli venditabant; Pontifex eumdem Epiſcopum in hoc quoque laudat, quod nempe ea omnia reprobaverit, affirmans ejus judicium fuiſſe ſenſui Sedis Apoſtolicæ conſentaneum. Nam cum de Serva Dei Joanna a Cruce

olim vulgatum eſſet, quædam coronarum precatoriarum grana fuiſſe ipſius interceſſione a Jeſu Chriſto benedicta, & Indulgentiis aucta, eadem S. Sedes hujuſmodi Indulgentias declaravit apocryphas. Cumque introducta eſſet illius cauſa Beatificationis, & poſt Urbani VIII. Decreta reſumi deberet, ob difficultates ex dictis granis, & Indulgentiis excitatis, ſtatim conſepulta remanſit, ut idem Pontifex narrat in ſuo *Opere de Canon. Sanctor. l.2. cap.36. num.18.* ubi etiam *cap.8. num.3.* Decretum refert Urbani V., quo numiſmata in eorum honorem prohibentur, qui a Sede Apoſtolica cultum tamquam Beati, aut Sancti nondum obtinuerint.

13 Demum quod attinet ad Dæmonum expulſionem a corporibus obſeſſis, plura habentur in cit. *Opere l.4. par.1. cap.29.* Præterea S. Carolus Borromæus rectam exorcizandi rationem in libro a ſe probato tradidit, & in ſua quarta Diœceſana Synodo prohibuit, ne quis aliis exorciſmis, aut precationibus ad hoc uteretur. Poſtea Paulus V. Rituale Romanum publicavit, in quo peculiaris adeſt Titulus de exorcizandis obſeſſis: & Clemens XI. in quadam ſua Epiſtola Encyclica edixit, ne quis exorcizans a norma in eodem Rituali præſcripta diſcederet.

14 Literas tandem ſuas ſummus Pontifex concludit Epiſcopi propoſitum ſummopere commendans conſervandi, immo augendi ſacrarum literarum, aliarumque ſcientiarum ſtudia, & Apoſtolicam Benedictionem ipſi, & univerſo ejus Gregi impertitur.

Quidquid ſuper cultu S. Lucæ Caſalii hoc loco dicendum erat. Et de publico cultu quem quidam vellent aſſerere Nicolao PP. IV., in Appendice IV. legi poſſunt: & in Appendice V. agitur de operibus V. S. D. Mariæ de Agreda.

Super Bacchanalibus Epiſtola BENEDICTI XIV. *ad Archiepiſcopos, & Epiſcopos ditionis temporalis Pontificiæ, data Kal. Januarii 1748.*

15 Duo præſertim ſunt, quæ Summum Pontificem in hac materia vehementer commoverunt, & de quibus religioſiores Epiſcopi ſupradictæ ditionis apud ipſum conqueſti fuerunt. Primum, quod ultima Bacchanaliorum nocte ludi aliquando uſque ad primum Quadrageſimæ diluculum protrahantur, & nonnulli, larva dumtaxat depoſita, iiſdem tamen, quibus perſonati inceſſerant, veſtibus induti Eccleſiam ſubeant, ſacros Cineres recipiant, divinisque interſint myſteriis, Epiſcopum vero in id animadvertentem nimiæ ſeveritatis redarguant, allegantes, alios Sanctitate inſignes Epiſcopos ſuper his tacuiſſe.

16 Peſſimum hoc ſcandalum nullo fulciri argumento, nulla juvari tolerantia oſtendit Pontifex, atque adeo ſupradictis Epiſcopis, & Archiepiſcopis inculcat, ut illud, ubi invaluit, extirpare, ubi non viget, impedire pro viribus conentur, contravenientes vero acerrime puniant.

17 Alterum eſt, quod diebus feſtis in quibuſdam Eccleſiaſtici ſtatus civitatibus perſonati homines pervagentur, Circulatores, & id generis blaterones Populum majori frequentia ludifaciant; & choreæ publice celebrentur.

18 Ad hæc fatetur Pontifex, Bacchanalia ab Eccleſia, ægre tamen, tolerari. Summos vero Pontifices Prædeceſſores in Urbe ſtatuiſſe, ne, quamvis perpauci dies Bacchanalibus permittantur, diebus tamen feſtis, ac ſexta feria quiſquam larvam ſumat, ac publice debacchetur. Hoc ipſum in toto Eccleſiaſtico ſtatu obſervari jubet, idque etiam quoad circulatores obſervari diebus feſtis vellet. Sed quoniam non omnia, quamquam juſta, facile ab hominibus impetrantur, ideo S. Caroli Borromæi, & Clementis XI. veſtigiis inſiſtendo pro regula ſtatuit, ut iidem Circulatores nec mane, nec veſpere diei feſti, ſi fieri poteſt, adſint; ſed ubi hujuſmodi abuſus tolerari conſuevit, mane ſaltem nullo modo permittatur, nec poſt meridiem, niſi poſt expleta veſpertina Officia, & Doctrinam Chri-

Chriſtianam. Monet tamen, ſe integras relinquere omnes ſuper Bacchanalibus prohibitiones in Sacris Canonibus, Conſtitutionibus Apoſtolicis, & Conciliis aut provincialibus, aut Diœceſanis factas, præſertim quoad Eccleſiaſticos viros.

19 Notæ ſunt ſuperſtitiones, quas olim Ethnici Kal. Januar. in honorem Jani, & Deæ ſtreniæ inſtituebant. His aliquando Chriſtiani fœde intererant, quem pravum morem tam SS. Patres in ſuis ſermonibus, quam Eccleſia in ſuis Conciliis damnarunt, graviſſimis etiam pœnis in reos indictis. Hac extirpata conſuetudine, Bacchanaliorum fœditas, & corruptela invecta eſt in hebdomadas plerumque Septuageſimæ, Sexageſimæ, & Quinquageſimæ, quibus Eccleſia nobis præcipua Redemptionis noſtræ myſteria meditanda proponit, ut alacriores ad Quadrageſimalem ſeveritatem reddat. Corruptelam deſcribit, & arguit Epiſcopus Gratianus in ſua Synodo Ameriæ habita an. 1595. Ac de illa quidem Turcarum Legatus, qui inter Chriſtianos fuerat, Conſtantinopolim reverſus retulit, Chriſtianos certis diebus inſanire, donec genere quodam Cineris in templo reſperſi convaleſcunt.

20 Huic perverſitati Eccleſia preces, & pia opera opponere ſtuduit, ut Deus pœnas impiis debitas differret, & huic malo remedia præberet; & quædam Religioſorum familiæ a Dominica aut Septuageſimæ, aut Sexageſimæ, aut Quinquageſimæ ad diem Cinerum abſtinere a carnibus conſueverunt. S. Philippus Nerius morem induxit inviſendi ſolemniter ſeptem Urbis Eccleſias tempore Bacchanaliorum, & Summi Pontifices plurimas indulgentias iis impertiverunt, qui Sacramenta ſuſciperent. Quamobrem ipſe BENEDICTUS XIV. præfatos Archiepiſcopos, & Epiſcopos monet, ut eo tempore Divinis Officiis interſint, Miſſam coram Populo celebrent, Eccleſias, & Xenodochia viſitent, & ad hoc alios etiam invitent, curentque ut in aliqua ex ſupradictis hebdomadis, aut in omnibus Euchariſtiæ Sacramentum per triduum publicæ venerationi exponatur, & ad veſperam populo benedicatur, conceſſa Indulgentia Plenaria iis, qui pœnitentiæ, & Euchariſtiæ Sacramentis muniti Auguſtiſſimum Chriſti Corpus ſingulis diebus viſitaverint, Deum juxta Eccleſiæ mentem ſupra indicatam orantes, dummodo alia in eadem Eccleſia non adſit Plenaria indulgentia impediens.

Compendium Literarum Apoſtolicarum S. D. N. BENEDICTI XIV. *Cardinali Danieli Delphino Patriarchæ Aquilejenſi die 19. Januar. 1748., per quas plurima Capitulo Eccleſiæ Veronenſis conceduntur privilegia, & providetur, ut aſſiſtentes in Choro una cum aliis canant, & pſallant.*

21 Inter alia ornamenta, & privilegia, quibus Capitulum Cathedralis Eccleſiæ Veronenſis a Romanis Pontificibus, ab Imperatoribus, & ab aliis Principibus cumulatum fuit, illud quoque memoratur, quod Rotaldus Epiſcopus Veronenſis anno 813. abdicata in ipſum Capitulum omni juriſdictione, illud ſub Patriarchæ Aquilejenſis tutela ita repoſuit, ut ab omni Epiſcopi Veronenſis, qui illius Patriarchæ ſuffraganeus eſt, juriſdictione ſit prorſus immune.

22 Nuper vero præfatus BENEDICTUS XIV. prædicto Cardinali Delphino Patriarcha Aquilejenſi poſtulante, Canonicis laudati Capituli Veronenſis conceſſit uſum Scotulæ, vulgo *Buggia* ubicumque Miſſas tam privatas, quam ſolemniter celebraverint: & ut quodcumque altare, in quo pro animabus Purgatorii ſacrum fecerint, bis in hebdomada illis privilegiatum ſit. Indulſit præterea, ut eorumdem Canonicorum quilibet ad ejuſdem Capituli Villam *Angiari* dictam pergens, ibique commorans, poſſit in Oratoriis ædium ejuſdem Villæ decenter inſtructis, & a Capituli Archipresbytero viſitandis, & approbandis, Miſſam celebrare,

aut

aut celebrari facere, itaut ipſi, eorumque famuli per hoc diebus feſtis de præcepto obligationi audiendi Miſſam ſatisfaciant, ſalvis tamen juribus Parochialibus.

23 Cum vero compertum eſſet, eoſdem Canonicos ab antiqua traditione contra ſacrorum Canonum ſanctiones contendere, ſibi ſatis eſſe, ut choro cum ceteris Manſionariis, Capellanis, Acolytis, & Clericis canentibus, pſallentibuſque aſſiſtant, non autem canant, & pſallant, laudatus ſummus Pontifex ſuæ Conſtitutioni, quæ incipit: *cum ſemper oblatas*; inhærens, eidem Patriarchæ enixe ſuadet, ut abuſus ejuſmodi, & corruptelam omnino eradicare adnitatur, Canoniciſque prædictis inculcet, ut dum Choro interſunt, cum aliis canant, & pſallant: admoneatque, eos, niſi hoc præſtent, ex præbendis, & diſtributionibus non facere fructus ſuos, ſed ad reſtitutionem teneri.

24 Cumque nonnulli ex iiſdem ſuper hoc conſcientiæ ſtimulis angerentur, ſummus Pontifex eidem Patriarchæ facultatem conceſſit, ut ii, qui ad ipſum confugerint, ab omni culpa, & reſtitutionis obligatione per ipſum, ſive per alios ab eodem deputandos, abſolvantur, dummodo reſipiſcientiam promittant. Ceterum nulli eorum ſuffragari prædicta indulta & privilegia mandat, niſi choro aſſiſtentes canant, & pſallant.

Literæ Apoſtolicæ ejuſdem BENEDICTI XIV. *datæ 4. Kalend. April. 1751. per quas Presbyteris Latini ritus in Ruſſia Polonica degentibus permittitur in Ruthenorum Unitorum Eccleſiis, deficientibus lapideis tabulis de more conſecratis, & calicibus aureis, vel argenteis, Miſſam ſuper eorumdem Ruthenorum antimenſiis, & cum calicibus ex ſtanno celebrare.*

25 Presbyteri Latini ritus Apoſtolicas Miſſiones in Ruſſia Polonica exercentes ſacræ Congregationi de propaganda Fide expoſuerant, quod, cum in vaſtiſſimis illis regionibus frequentes eſſent Ruthenorum Unitorum Eccleſiæ, rariſſimæ vero ritus Latini, neque pro Miſſis celebrandis lapideas ſacratas Tabulas, & calices aureos, vel argenteos per longa, & difficilia itinera ſine gravi incommodo, & periculo ſecum deferre poſſent, plerumque a Miſſarum celebratione ipſi abſtinere, alii vero Fideles Latini ritus ſacrorum myſteriorum participatione fraudari, graviſſimo cum animarum detrimento, cogebantur. Quamobrem enixe poſtularunt, ut facultas ſibi concederetur Miſſas, ſine lapidea ſacra Tabula, ſuper Ruthenorum Antimenſiis celebrandi, eorumque ſtanneos calices adhibendi. BENEDICTUS XIV. enarrata hujus negotii ſerie, & materiam erudite exponens, prædictam facultatem concedit, cum ad unitatem ſtabiliendam valde expediat; Græci enim uniti oportunitate exigente ſuper lapideis Latinorum tabulis ſacra faciunt. Jubet ut Latinus Ritus ſemper ſervetur, innovando ſuper hoc S. Pii V. Conſtitutionem, quæ incipit *Providentia Romani Pontificis*, ac dummodo in eorumdem Ruthenorum Eccleſiis celebrandum ſit, non autem in aliqua Latina Eccleſia, aut in domeſticis Latinorum Oratoriis, ſi forte ibi inveniantur.

CAPUT XIII.

De conceſſione Officii, & Miſſæ.

HOC fixum animo habuit BENEDICTUS XIV. nullum ad Eccleſiam univerſalem officium extendere; benigne tamen particularium locorum, aut Provinciarum pietati ſatisfacit conceſſione proprii officii, & Miſſæ. Ex plurimis referuntur tomo 6. epiſtola S. Pont. circa officium S. Branlionis, Literæ Apoſtolicæ pro Officio S. Barbaræ. Tres Miſſæ quæ in Hiſpaniæ, & Luſitaniæ dominiis die Com. omnium Fidelium defunctorum celebrantur. Pro dominiis Luſitaniæ officia Maternitatis, & Puritatis B. V. M. Quinque SS. Protomartyrum Ordinis Seraphici, S. Jo: Damaſceni, & S. Theotonii C., & aliis. De his in Appendice. 6

CA-

Digitized by Google

CAPUT XIV.

Appendix, *in qua Romanorum Pontificum, Regum, atque illuſtrium Virorum teſtimonia de* B. Nicolao Albergato *Cardinali S. Crucis, & Epiſcopo Bononienſi, juſſu* BENEDICTI XIV. *Pontificis Maximi collecta, & in ſex claſſes diſtributa recenſentur. Præmittitur ejuſdem vita ſcripta a Jacobo Zeno Epiſcopo Feltrenſi ad fidem Codicis Vaticani recognita, notiſque illuſtrata, ſtudio, & labore Conſtantini Ruggerii.*

1 PRimo loco ponitur *Præfatio*, in qua totius indicatæ collectionis ratio, & ſeries explicatur. Inde duorum extant Theologorum teſtimonia, qui collectionem ipſam examinarunt, & approbarunt.

2 Vitæ vero B. Nicolai a Jacobo Zeno ſcriptæ præmittitur ejuſdem *Præfatio*, in qua Cardinalem Petrum Barbo alloquitur, cui opuſculum hoc ſuum inſcribit, cauſas memorans, ob quas hoc opus aggreſſus eſt. Tum in opuſculo ejuſdem Beati vita deſcribitur. Ac primo quidem Albergatorum ſtirps inter alias Bononiæ nobiles familias laudatur, ex qua ipſe prodiit. Memorantur illius parentes, ſtudia, ingreſſus in Carthuſienſem Ordinem, & quæ in eo ſanctiſſime geſſit.

3 Epiſcopus Bononienſis a civibus ſuis ſponte electus, munus hoc non niſi a ſuperioribus compulſus acceptavit. Ab iiſdem civibus non ſemel ad Martinum V. ſummum Pontificem in Bononienſibus viciſſitudinibus, & ab eodem Martino in Gallias, ut Gallos & Anglos diuturno, ac teterrimo bello decertantes ad concordiam revocaret, legatus miſſus omnia ſapientiſſime, & piiſſime adminiſtravit. Mox Cardinalis S. Crucis in Hieruſalem creatus aliis pluribus, gravibuſque legationibus ſub laudato Pontifice, & poſtea ſub Eugenio IV. tum pro pace inter Chriſtianos Principes intra, & extra Italiam componenda, tum in Concilio Baſileenſi, cui aliquandiu præfuit, mira prudentia, animique conſtantia functus eſt. Ferrariam, ubi idem Eugenius Concilium pro Græcorum unione indixerat, venit; ſed cum in Germania adverſus Pontificem novi motus exardeſcerent, illuc miſſus labentibus jam apud Germanos Pontificis rebus non levi adjumento fuit.

4 Inde Florentiam, quo Concilium Ferraria translatum fuerat, ſe contulit, ibique inſignia conſilii, & virtutis exempla edidit. Simpliciſſima humilitas, præcipua clementia, charitas in omnes, pietaſque paterna, ardens Fidei, ac religionis zelus in eo ſemper eluxerunt. Lectioni ſacrorum librorum deditus, doctos viros, & virtutibus addictos dilexit, ingenuam familiam aluit, affines vero ſuos ſecum domi eſſe noluit; aſperam vitam duxit, Carthuſianamque regulam ad extremum inviolate ſervavit. Tandem præfatum Eugenium Florentia Romam proficiſcentem ſecutus, Senis graviſſimo calculi morbo correptus, acerbiſſimiſque doloribus patientiſſime toleratis, Eccleſiaſticis Sacramentis rite munitus, piiſſime in Domino obiit, non ſine gravi Pontificis, aliorumque omnium mœrore; ſed ſimul cum magna ſanctitatis fama. Ejus funeri Pontifex ipſe intereſſe voluit, corpus vero Florentiam delatum, in Monaſterio Carthuſienſi, ut ipſe vivens mandaverat, religioſiſſime tumulatum fuit. Hæc ex Jacobo Zeno.

5 Sequuntur alia teſtimonia a Viris illuſtribus de B. Nicolao Albergato in ſex claſſes diſtributa. Prima ſummorum Pontificum. In hac duodecim exhibentur Martini V. Epiſtolæ, in quarum prima Pontifex ipſi utpote Epiſcopo Bononienſi mandat, ut Fidelitatis Sacramentum a Magiſtratibus Bononienſibus, Romanæ Eccleſiæ nomine, recipiat. In altera eumdem conſtituit Apoſtolicæ Sedis Nuntium in Galliis ad pacem inter Reges, & Principes ſanciendam. In tertia illum Legationis onus modeſte recuſantem, excitat. Quarta ad Henricum V. Angliæ Regem,

quem

quem ad pacem cum Gallis hortatur, & B. Nicolaum miſſum a ſe Nuntium eximiis ornat encomiis. In duobus aliis laudatum Nuntium commendat. In ſeptima Ludovicum Epiſcopum Portuenſem S.R.E. Cardinalem Galliæ Legatum ad prædictum pacis negotium monet, ut B. Nicolai conſilio & opera utatur, cujus etiam egregiæ animi dotes recenſentur. Octava, & nona ad ipſum B.Nicolaum, cui idem pacis negotium commendat. Decima ad Joannem Bethfordiæ Ducem, cui Pontifex B. commendat, ſuadetque, ut eum in procuranda pace juvet. Undecima ad Carolum Francorum Regem eſt, cui inſinuat, ut, rebus in Gallia fere compoſitis, B. Nicolaum Bononiam reverti ſinat. Duodecima eidem Beato inſcribitur, eique Pontifex gratulatur, quod ipſius ſtudio, ac ſapientia Dux Mediolani, Veneti, ac Florentini in pacem convenerint.

6 Succedunt undecim Eugenii IV. Pontificis Maximi epiſtolæ tam ad ipſum B., quam ad Henricum, & Carolum Reges Chriſtianiſſimos; una vero ad Joannem Archiep. Tarentinum, alia ad Philippum Burgundiæ Ducem. In his omnibus perſpicuæ B. Nicolai laudes continentur: mittitur in Gallias ampliſſima Legatione; Prioratus S.Firmini eidem confertur; Sedis Apoſtolicæ Legatus in Conventu Arebatenſi pro ſtabilienda pace, & iterum Legatus in Gallias pro pace cum Anglia, demum Legatus Concilii Ferrarienſis conſtituitur.

7 His accedunt alia teſtimonia Summorum Pontificum Pii V. & BENEDICTI XIV. quorum primus in Reſponſione ad Orationem Oratorum Gallicorum in Convetu Mantuæ publice habita, alter in Opere de Canoniz. SS. *lib.*1. *cap.*13. §.18. *lib.*2. *cap.*18. §.16. *lib.*3. *cap.*33. §.22. *lib.*4. *part.*2. *cap.*14. §.3. & in ſuis monitis Paſtoralibus, B.Nicolaum ob eximias virtutes, & merita miris laudibus extollunt, & ſanctitate inſignem prædicant.

8 Claſſis ſecunda continet Regum teſtimonia, nempe epiſtolam Caroli VII. Francorum Regis ad Synodum Baſileenſem, & duas pariter epiſtolas Henrici VI. Anglorum Regis unam ad Eugenium IV. alteram ad omnes Regni ſui incolas. Uterque vero Rex B. Nicolaum congruis laudibus exornant.

9 Tertia Claſſis exhibet teſtimonia Veſpaſiani Florentini, S. Antonini, Poggii pariter Florentini, & aliorum triginta trium Scriptorum Italorum, qui unanimiter B. Nicolai virtutes, & Sanctitatem conteſtantur.

10. In quarta Claſſe vigintinovem Galli Scriptores recenſentur, qui vernaculo fere omnes idiomate res a B. Nicolao geſtas maximis laudibus data occaſione proſecuti ſunt.

11 Quintam Claſſem teſtimonia conſtituunt ſexdecim Scriptorum Belgarum, qui non ſecus, aut alii paulo ante indicati, merita, virtutes, & ſanctitatem B. Nicolai extulerunt.

12 Sextam claſſem novem diverſi complent Scriptores, Germani, Poloni, Hiſpani, Britanni, Hiberni, & Græci, qui & ipſi de legationibus a B. Nicolao in communem Reipublicæ Chriſtianæ utilitatem peractis, ac de aliis ipſius rebus præclare, & ſanctiſſime geſtis teſtimonium reddiderunt.

13 Subſequitur Synopſis Chronologica rerum ejuſdem Beati geſtarum.

Tandem pro coronide adnectuntur Literæ Apoſtolicæ in forma Brevis a BENEDICTO XIV. die 6. Octobris 1744. expeditæ, in quibus omnia deſcribuntur, quæ Pontifex pro toties laudati B. Nicolai cultu geſſit, & videri poſſunt libro 2. cap.24. numero 117.

CAPUT XV.

Appendix II. *Decreta ſuper miraculis.*

ANtequam ſextus tomus operum BENEDICTI XIV. vulgaretur, duo decreta prodierunt ſuper miraculis interceſſione B. Joannæ de Chantal patratis, quæ ad calcem tomi 6. inſerta ſunt. Cum vero de iiſdem in Appendice primo hujus voluminis ſermo erit, ea hic repetere ſupervacaneum exiſtimamus.

FINIS LIBRI SEXTI.

LIBER SEPTIMUS.

Appendices ad Præcedentes Libros.

CAPUT I.

De diverſis hujus Operis editionibus.

UNiverſum BENEDICTI XIV. opus de Servorum Dei Beatificatione, & BeatorumCanonizatione in quatuor tomos diſtributum jam bis editum fuerat, quorum ſingulis Appendices, & alia quædam addita erant, prout uniuſcujuſque materies poſcebat: hæc vero omnia in tertia editione in unum diſtinctum tomum collecta, & hic in compendium redacta congruenter exhibentur.

Primus tomus ptimæ editionis anno 1734. Clementi XII. tunc regnanti dicatus fuerat, præfixa ei nuncupatoria epiſtola, in quà expoſitis rationibus; quæ Auctorem ad hanc pertractandam materiem, & ad primum dictum tomum ei dicandum allexerant, eumdem tum a Familiæ ſplendore, tum a rebus ab ipſo, & a Majoribus ſuis præclare geſtis, Anctor ipſe laudat; tandem beneficiorum in ſe collatotum memor hanc grati animi ſignificationem ut libenter excipiat, enixe obſecrat.

Secundo ejuſdem primæ editionis tomo an. 1735. Clementi XI. dicato epiſtola præmittitur, in qua primum ob innumera ab eo accepta beneficia hunc librum, ei licet diu ante vita functo, dicaſſe Auctor profitetur, ſimul commemorans, eum ſuper his libris edendis conſultum Autboris conſilium mirifice probaſſe; ab eo que plurima hauſiſſe. Tum ejus doctrinam & eruditionem præſertim in hujuſmodi cauſis pertractandis, nec minorem in ipſis ſedulitatem commendans, ipſum, quem ob ante actam laudabilem vitam immortali gloria donatum putat, hoc grati animi teſtimonium ut excipiat, ſibique propitius ſit, exorat.

Epiſtola alia tertium primæ pariter editionis an. 1737. tomum Benedicto XIII. inſcriptum præcedit, in qua ſe Cardinalitia dignitate, aliiſque cumulatum beneficiis ab illo Pontifice fuiſſe, & idcirco hanc ſui operis partem ejus nomini inſcripſiſſe Auctor gloriatur. Pergit, & nobiliſſimam ejus Familiam laudans, ipſius præcipue Benedicti tum ſanctum, firmumque in amplectendo Regulari S. Dominici Inſtituto propoſitum, tum in ſuſcipienda Cardinalitia dignitate ultto, ac nolenti oblata moderationem, tum in adminiſtando Epiſcopatu Siponti, & Cæſenæ primum, mox Beneventi vigilantiam, & ſolicitudinem, tum ejus caritatem, abſtinentiam, regularem etiam in iis muneribus obſervantiam, & erga Deiparam Virginem, & S. Philippum Nerium pietatem, cujus ope ab evidenti vitæ periculo in horribili terræ motu incolumis evaſerat, miris laudibus extollit. Hæc vero omnia cum in ceteris antea, tum maxime in regenda ſumma Romani Pontificis dignitate, ad quam tandem elatus, retento ſemper Beneventano Archiepiſcopatu, fuerat, mirum in modum refulſiſſe, & poſt ejus obitum in tranſlatione ejus corporis a Vaticana Baſilica ad Dominicani Ordinis templum totius civitatis grati animi ſignificatione comprobata fuiſſe, luculenter demonſtrat. Concludit deprecans, ut quem in perennis gloriæ ſedem deductum putat, auxilium a Patre luminum ſibi impetrare dignetur.

Sequitur epiſtola, quæ quarto ejuſdem primæ editionis an. 1738. tomo præfigebatur, Cardinalibus, & Conſultoribus Congregationis rituum inſcripto [illegible] hac ſacram eamdem Congregationem Auctor ſummopere commen-

Digitized by Google

dat, munera ad ipſam delata, & operam, quam ipſe tum Advocati Conſiſtorialis, tum Fidei Promotoris, & Conſultoris muneribus olim fungens, tum inter Cardinales ſacris ritibus præpoſitos cooptatus ſedulo præſtitit, diſerte commemorat. Multa ad hoc concinnandum opus ab hac Congregatione didiciſſe, & in illud inſeruiſſe profitetur, ſuæque erga ipſam obſervantiæ ſignificatione concludit.

Hactenus Prima editio; Secunda vero ab epiſtola Cardinalis Rezzonico Epiſcopi Patavini ad BENEDICTUM XIV. exordium ducit; in ea, quæ præmiſſa eſt volumini primo editionis ſecundæ an. 1743., idem Eminentiſſimus Cardinalis inſigne hoc opus typis ſui Seminarii edi aliorum diligentia cœptum, ſua demum cura abſolutum eſſe gloriatur, illudque ſuo Auctori offert, ſe, & Seminarium ſimul ipſi commendans.

Subeſt alia Jacobi Facciolati V.C. epiſtola ad eumdem BENEDICTUM XIV. ſupradicto volumini primo præfixa, qua literis Apoſtolicis ad eumdem datis, ibidem poſitis, & in hac tertia editione prope initium tomi primi recuſis reſpondetur. Totum opus gemino indice tunc illuſtratum, ejuſque Auctor condignis laudibus exornatur, ac debita obſequii, & gratitudinis ſignificatione clauditur.

Epiſtolis hucuſque recenſitis Judicia quædam ſubnectuntur. Vix enim opus hoc de Servorum Dei Beatificatione, & Beatorum Canonizatione typis Bononienſibus in lucem primo prodiit, ſtatim diverſarum eruditi Nationum judicia ſua interpoſuerunt, quorum primum eſt Germanicum ex actis eruditorum publicatis Lipſiæ Kal. Octobr. an. 1740. Kal. Januar. & Aug. an. 1741. & Kal. Januar. an. 1742. Nempe ſingulis totius operis libris ſingula judicia acceſſerunt, quæ unum illud Germanicum conſtituunt.

Porro actorum, adeoque judiciorum Scriptores primum de iis, quæ in epiſtolis dedicatoriis unicuique libro præfixis continentur, ſermonem faciunt, mox Auctoris laudes ſubtexunt, quem ſemper ſummo honore, ac debita reverentia nominant. Tum ſingula libri, quem verſant, capita, & Appendices percurrentes cuncta in iis fuſe digeſta ſummatim, ingenueque exponunt, & condigna Auctoris laude concludunt.

Nonnulla tamen in his exarandis judiciis irrepſerant, quæ Auctoris menti, & calamo non ſatis convenientia reputata ſunt. Opportunum idcirco viſum eſt ea perſpicuis animadverſionibus adnotare; & has ſane in ſecunda operis editione Patavina accuratiſſimus Editor adamuſſim appoſuit.

Secundum locum judicium Gallicum occupat ex actis Trevoltianis menſis Jul. an. 1735. Gallico pariter idiomate conſcriptum. Totum ſupra primum tomum verſatur, cum is ſolus ad judicii Scriptorem pervenerit. Et initio quidem Auctorem honorificis laudibus, ut par eſt, proſequitur, tum integram materiem per ſumma capita digerens totam ejus rationem per epitomen nitide exhibet, ſimul oſtendens, quam recte omnia, & accomodate ponantur. Ultimo loco de expenſis in Beatificatione, & Canonizatione neceſſariis agit, ut libri ordo exigit, earumque juſtitiam, & æquitatem, ſummorumque Pontificum in iis minuendis ſtudium, & attentionem demonſtrat.

Tertio loco Judicium Italicum ponitur ex obſervationibus literariis Veronæ editis deſumptum, & lingua vernacula traditum. Totum opus, ideſt quatuor tomos reſpicit, nec minus, quam duo alia præmiſſa Judicia, tum Auctorem, tum opus ipſum collaudat, & compendiario ſermone in propatulo ponit.

His tria alia acceſſerunt judicia, & in tertia omnium BENEDICTI XIV. operum editione apponuntur. Horum primum eſt Hiſpanum ex Bibliographia Critica, ſacra, & profana Matriti edita an. 1740. Auctore Reverendiſſimo P. Fr. Michaele a S. Joſeph Ordinis PP. Excalceatorum in tota Hiſpania

SS.Tri-

SS. Trinitatis Redemptionis Captivorum Generali, &c. Hoc judicium non diſſimili a paulo ante indicatis ratione in Auctoris, operiſque laudibus procedit, fuſius tamen ſingula, quæ ibi verſantur, accurato ſtudio veſtigat, breviter enucleat, & dilncide, ac recta methodo juxta ordinem librorum, & capitum totius operis exponit, comprobat, atque defendit. Quamquam non integrum eſt hoc de toto opere judicium; tota cuim ſecunds pars, & nonnihil ex prima parte libri quarti prætermittitur; ſolum qnoad ſecundam partem notitia ſubnectitur cujuſdam diſſertationis a D. Didaco del Corro Hiſpali vulgatæ *de argumenti ex Brev. Rom. in rebus hiſtoricis petiti valore*. Subdit judicii Scriptor, alius rationis fortaſſe futuram fuiſſe diſſertationem illam, ſi ejus Auctor caput 13. *de Breviario Romano* &c. prædictæ ſecundæ partis percurriſſet.

Succedit judicinm ſecundum Romanum de ſæpedictis operibus nunc in duodecim tomos diſtributis editionis tertiæ ad uſum Academiæ liturgicæ Conimbricenſis; quam quidem editionem, ut initio dicitur, inſtantibus PP. Canonicis Regularibus in Luſitania Reformatis, & ejuſdem Academiæ Moderatoribus, auctiorem, caſtigatioremque Romæ perfici P. Emanuel de Azevedo Societatis Jeſu Sacrorum Rituum Conſultor, & in Collegio Romano Profeſſor enixe contendit. Hoc judicinm lingua vernacula ornate compoſitum in Operum, eorumque parentis laudes totum, ut ſane decebat, effunditur. Sub initium ex pluribus, tum ex hoc capite valde commendatur Auctor, quod heterodoxos Scriptores noluerit aſperis dictis proſcindere, at potius eorum opiniones Catholicæ veritati oppoſitas docte, moderateque profligaverit, aliaſque juſtas prudenter ſuſceperit. Paululum ſubinde ii caſtigantur Catholici, qui in Hæreticorum opera incidenter, parumque in hæc, qualiacumque ſint, intendentes vel acrius perſtringunt, vel imprudenter ſub ſilentio prætermittunt. Ceterum quanti facienda ſint laudati Benedicti opera, inde ſtis colligi in hoc judicio oſtenditur, quod Eruditi Lipſienſes, aliique de literaria rep. benemeriti, quamvis heterodoxi, illa, eorumque Auctorem ſummis laudibus prædicarunt. Ex Catholicis viris doctis in diverſis Europæ regionibus conſtitutis tam in ſacra, quam in profana ſtudia incumbentibus nullus ferme extitiſſe dicitur, qui non eadem admirabundus, ſummaque reverentia confiteretur, & commendaret. Concluditur adducto judicio laudatorum Eruditorum Lipſienſium ſuper prædicta tertia editione, quam ipſi magno plauſu excipiunt, & de Præfatione, ac de aliis, quæ operi præmittuntur, accnratam ſpeciem exhibent.

Judicium tertium Luſitanum inſcribitur; & ex epiſtola Antiſtitis Conimbricenſis excerptum eſt, quæ habetur in Præfatione operis cui titulus: *Cœlum novum* &c. In hac epiſtola clariſſimus Antiſtes ſtudia Conimbricenſia in tota Europa celebratiſſima primum commemorat; tum magnum, quod ea, & tota Luſitania Summi Pontificis beneficio, ſuſcepere augmentum, & commodum tam per Liturgicæ Academiæ auctis reditibus erectionem, quam per laudatorum operum exhibitionem ſummopere gratulatur, quorum ſubinde excellentiam, & utilitatem condignis laudibus proſequitur.

Hæc inter alia ſunt, quæ diverſarum nationum Eruditi de BENEDICTI XIV. operibus tulere judicia, eoque avidius inter eruditos, tertia editio expetitur, quod præterquam quod multa addita, & emendata contineat, quintum, & ſextum tomum non prius editos ad perfectum operis complementum adjunxerit. Appendices vero ad præcedentes libros in hoc ultimo colligere opportunum judicavimus.

CAPUT II.

Prima Appendix ad primum librum.

APpendices quindecim ad librum primum pertinent, quarum prima eſt Relatio in Conſiſtorio ſecreto coram Urbano VIII. facta a Card. a Monte die 13. Januar. 1625. ſuper Actis B. Eliſabethæ Luſitaniæ Reginæ (*de qua in cap.9. tom.1.*) cujus hæc ſumma eſt.

Sanctitate, quæ in ceteris raro admodum invenitur, ſi regiæ dignitatis fœmina fulgeat, cæleſte appellari prodigium merito poteſt. Hujuſmodi profecto fuit Eliſabeth Luſitaniæ Regina, quæ regiis clara natalibus ea virtutum gloria ſplenduit, ut cuilibet Chriſtiano regno exemplar a Cœlo datum exiſtimari jure poſſit, a qua proinde qui ſceptra moderantur, optimum cum dominatu, & gubernio ſanctitatem componendi modum addiſcent. Digna ſane, quæ ad regia, & popularia vota in Principum utilitatem, & in Chriſtiani nominis gloriam inter Sanctos referatur. Omnia ſiquidem in ejus cauſa de more acta, & diſcuſſa legitime ſunt, quæ ut clarius pateant, primo de ejus vita, & morte, mox de virtutibus, tandem de miraculis ante, & poſt obitum illius interceſſione patratis dicendum videtur.

PARS PRIMA

De Vita.

EX Petro Aragoniæ Rege, & Conſtantia Siciliæ Regis filia B. Eliſabetha an. 1272. orta, Chriſtianis moribus ad ſextum annum ab avo Jacobo Rege imbuta fuit, præmonente ſæpius, neptem optimam omnium ex regia Aragonia ſtirpe feminarum futuram. Ad patrem, defuncto avo, revocata acceptam vitæ rationem retinuit. Pueriles ludos, corporis ornatum, & voluptates fugiens, precibus, abſtinentiæ, & caritati impenſe vacabat: ut proinde pater affirmaverit regni felicitatem Eliſabethæ meritis eſſe referendam. Adulta a multis Principibus in matrimonium expetita, Dionyſio Luſitaniæ Regi an. 1282. nupſit, dolente patre, rem ſibi clariſſimam diſtrahi. Anno ætatis 17. Conſtantiam peperit, vigeſimo Alphonſum regni hæredem. Interim non minus excolendis virtutibus, quam liberis educandis intenta, in rebus ſacris aſſidue verſabatur, humanitatis, manſuetudinis, ac providentiæ laude omnibus accepta. Aliquot annos Dionyſius integre cum ipſa vixit, donec immodicis voluptatibus captus ſeptem mulierculis aſſuevit, a quibus ſingulis ſingulos filios ſuſcepit. Patienter id Eliſabetha tulit, immo pueros ipſos bene educari curavit, qua virtute victus, mutatuſque vir reliquam vitam cum ipſa caſte, ſancteque tranſegit.

Diſſenſionum inter affines Principes ſedula ſimul, & glorioſa pacatrix diſſidium, immo bellum inter Dionyſium Regem, ejuſque fratrem Alphonſum, fuſis ad Deum precibus, crebriſque ad diſſidentes adhortationibus interpoſitis ſedavit. Mox ejuſdem Regis arma in Ferdinandum Caſtellæ Regem mota retraxit, aliorumque affinium Principum diſſenſiones compoſuit. Inter hæc illud inprimis eluxit, quod Alphonſus filius Dionyſio patri ab ipſa reconciliatus fuit. Siquidem filius facinoroſis hominibus ſtipatus, patrem a regno deturbare nixus, a patre proxime opprimendus erat, niſi a pia matre monitus evaſiſſet. Qamquam nihilo melior factus ab incepto non deſtitit. Interim ſuſpecta Regi Eliſabetha in liberam cuſtodiam amandatur, ipſa vero piis feminis convocatis Divinam opem adverſus impendentem ruinam precibus, jejuniis, aliiſque piis operibus enixius implorabat; cumque bellum acrius exar-

exardeſceret, pia Regina e cuſtodia ad caſtra convolans, filium tandem patri reconciliari obtinuit. Mox ſedata diſcordia atrocius recruduit, jamque ad Urbem Scalabin (vulgo *Sanctarenum*) acies utrinque inſtructæ, dato pugnæ ſigno, concurrebant, cum Eliſabetha raptim accurrit, nulloque deterrita periculo filium inter, & virum ſeſe interponens utriuſque iram fregit, filiumque morigerum patri, patrem filio placatum reddidit, ac toti pene Luſitaniæ impendens excidium avertit.

Filiam Conſtantiam ſolaturi Dionyſius, & Eliſabetha ob viri Ferdinandi Caſtellæ Regis mortem adiverunt, quo in itinere Urracam Vaſchiam familiarem ſuam ab acerrimis doloribus Regina precibus liberavit. Cumque, defuncta Conſtantia, Olyſſiponem reverterentur, ignotus Anachorita a Conſtantia in ſomnis monitus matri inſinuavit, ut ſacrum quotidie per annum fieri pro anima filiæ curaret, quod & præſtitit, exactoque anno videndam ſe matri filia e Purgatorio in cœlum advolans per quietem exhibuit.

Dionyſius tandem in morbum incidit, & omnibus, quæ ipſum decebant, rite peractis anno 1325. obiit, cui infirmo pia uxor ſumma caritate, & diligentia miniſtravit. Statim ipſa veſtem Religioſarum Virginum propriam ſumpſit, rudique ſuniculo præcincta, candido velo capite obducto, regio ſuneri conſtanter interſuit; preceſque, & ſpontaneas afflictationes pro ejus anima ſubinde obtulit, & Sacrificia offerri juſſit. Quin etiam Compoſtellanum D. Jacobi templum adiit, quo procul aſpecto, reliquum itineris pedibus confecit. Pretioſiſſima munera ei obtulit, Ingentemque pecuniam in templi ſumptus, & in egenorum levamen erogavit. Inde proficiſcens ſcipionem, & peram piæ peregrinationis inſignia ab Archiepiſcopo Compoſtellano libenter ſuſcepit, & ſub anni finem ad anniverſarias viri exequias Alphonſum filium comitata eſt.

Poſt hæc in ſacros uſus domeſticas opes convertit, ac ſolitudini, & orationi intenta ſacrarum Virginum domum prope Conimbricam ædificari, ſibique ædes illi proximas poni curavit, obtenta a Summo Pontifice facultate in eam domum pro voluntate ingrediendi, ubi frequentes adhortationes ad Virgines habebat. Ex his quinque cum ipſa religioſe extra clauſtra vivebant; non enim inter ipſas, ut optaverat, Deo ſe conſecrare potuerat, prudentibus id in aliorum utilitatem conſulentibus. Omnes igitur juvare ſatagebat. Quindecim pauperes viros, totidemque feminas in ædiculis prope dictam domum ali juſſit, & Sacerdotem conſtituit, qui coram ipſis res ſacras perageret. Alphonſum nepotem ſuum Caſtellæ Regem ab adulterio revocavit. Inde illud D. Claræ Cœnobium auxit, & cœnantibus ibi prima vice Monialibus ipſa cum ſua nuru Regina miniſtravit.

Anno 1333. cum fames Conimbricam vexaret, omnium calamitati liberaliſſima B. Reginæ caritas ſuccurrit. Annum vero ætatis quartum, & ſexageſimum agens D. Jacobi templum pedes, & mendicans iterum inviſit. Mox *ſtremotium* nobile oppidum petiit Alphonſi filii cum nepote Caſtellæ Rege diſcordias ſedatura. Ibi in ſupremum morbum incidit, mox a Deipara Virgine viſitata, Eccleſiæ Sacramentis ritæ ſuſceptis, in hymnis, & precibus ad Cœlum tranſivit anno ſalutis 1336. ætatis 65.

PARS SECUNDA

De Virtutibus.

QUÆ in B. Regina fulſerunt virtutes, eas Rotæ Auditores confirmarunt, & Congregatio Rituum approbavit. Sunt autem.

Fides.

Chriſtianis, & Catholicis Regibus toties Fidei noſtræ adversùs Infideles defen-

defenſoribus orta B. Regina Fidem in Baptiſmo ſuſceptam ad extremam uſque vitæ periodum retinuit, & jam jam moritura Fidei ſymbolum ab Apoſtolis traditum recitavit, ut proinde ab omnibus nedum ejusdem Fidei cultrix, ſed etiam invicta propugnatrix crederetur.

Hunc ſplendorem operibus Fidem in mente præcipuè ſitam confirmantibus comprobavit. Ter enim per diem Miſſæ intererat. Dies, noctesque in Divino cultu, & Divinis concinendis laudibus, in Sacrorum librorum lectione, in precibus, & contemplatione cum incredibili voluptatis ſenſu, & lacrymarum copia tranſigebat. Et ab his quidem ne graviſſimis quidem, diverſisque vexata calamitatibus umquam ceſſavit, immo invicta ſane Fidei conſtantia rectum ſemper pietatis curſum retinuit.

Spes.

Illum ſolum votorum ſuorum ſcopum B. Regina ſibi propoſuit, qui ſperantes in ſe non derelinquit. Quare in tot viciſſitudinibus ad Divinam opem piis operibus confugiebat. Regio faſtigio eminens, omnibusque terrenis rebus affluens, in eo tamen ſpem omnem repoſuit, a quo vitam ſperabat ſempiternam.

Caritas in Deum.

Univerſa ejus vita virtutem hanc ſupra ceteras excellentem præſeferebat. Parentes, virum, filios ob unius Dei amorem diligebat. Hinc caducas res contempſit, vitia odit, Divinam offenſam etiam in aliis ſummopere deteſtabatur. Voluntarii corporis cruciatus, vigiliæ, & peregrinationes illi ſuaves erant. Eamdem caritatem teſtabatur ille religionis ſenſus erga SS. Sacramentum, & omnia ad ipſum pertinentia. Altare ſecum, ubicumque eſſet, rebus omnibus ad rem Divinam faciendam inſtructum habere conſuevit. Sacerdotes adeo venerabatur, ut in Miſſa poſt Apoſtolorum ſymbolum ad altare accedens manus eis genuflexa oſcularetur, & pecuniam juxta diei exigentiam offerret. Inde etiam ternis quotidie ſacris lætiſſime intereſſe ſolebat.

Caritas in Proximum.

Eximium hunc ſuperioris caritatis partum illud imprimis in B. Eliſabetha teſtatur, quod vitam ſuam in diſcrimen adduxerit, ut viri, filiique vitam inter ſe pugnantium, totiuſque Luſitaniæ ſalutem tueretur. Eumdem inter alia declarant ingens ejus liberalitas in Conimbricenſi penuria, illud D. Claræ cœnobium, & aliæ domus, quas in aliorum utilitatem, vel ædificavit, vel perfecit, & reditibus auxit. Religioſis familiis plura impertivit ſubſidia, pauperum neminem a ſe vacuum abire permiſit, etſi quos pudor a petenda ſtipe retrahebat, ipſa opportune aluit, ut propterea communis omnium parens cenſeretur.

Prudentia, Juſtitia, Fortitudo, Temperantia &c.

Cardinalibus etiam his virtutibus B. Eliſabetham cumulare Deus voluit. Et ea quidem B. Reginæ prudentia fuit, ut acerrimas inter viros Principes diſſenſiones ipſa componere ſciverit, & quas ipſi lites ferro, & ſanguine terminare decreverant, ipſa una imbellis conſilio, & allocutionibus feliciter diremerit, & res ſuas mirabiliter adminiſtraverit.

Juſtitiam ſemper protexit, unicuique jus ſuum integerrime reddidit, adeout in ſemetipſa juſtitiæ ſpecimen præberet.

Fortitudo ejus in tot, quæ ipſi contigerunt, rebus adverſis, & aſperis mirabiliter enituit, præcipue cum vir a conjugali fide defecit, & filius in patrem rebellavit.

Temperantiam adeo coluit, ut quadra-

druplex Quadrageſimale jejunium per annum cuſtodierit: in cibo valde parca, a vino abſtinebat, & in reliquis ſibi ſummopere temperavit.

Humilitatem a regia majeſtate ceteroquin diſſitam ipſa tamen adeo exercuit, ut non ſemel ancillam ſeſe exhibuerit. Præfatis D. Claræ Virginibus miniſtravit; pauperibus ſæpè famulata pedes ipſis quamquam lepra contaminatis lavit, oſculata fuit, & ſtipem tribuit. Manſueta omnibus, fide in virum conſtans, pietate, ac religione conſpicua, in piis, ac juſtis rebus omnibus perſeveravit.

Hinc præclara illa ſanctitatis fama, & exiſtimatio. Præter illud enim, quod ejus mater ſecundinas, quibus involuta Eliſabetha prodiit, in argentea capſula diligenter aſſervari juſſit, quodque avus, pater, vir, aliique ceteris Aragonia regia ſtirpe feminis ipſam prætulerunt, multi ad ejus preces, tamquam ad ſalutis aram, ſumma fiducia confugiebant. Defunctæ patrocinium complures imploravere; & continuò auctam tota Luſitania de ejus ſanctimonia, & meritis apud Deum publicam famam multis prodigiis Deus ipſe comprobavit.

PARS TERTIA

De Miraculis.

CLariſſimam B. Reginæ ſanctitatem miraculorum tam in vita, quam poſt obitum ſplendore Deus cumulare voluit, quæ tum certiſſimis hiſtoriis deprompta, tum juratis teſtibus confirmata ſunt.

Et ad miracula in vita quod attinet, primo, B. Reginæ in Urbem Portum eunti ruſticana mulier filiolam cæcam ſupplex obtulit, ut ejus oculos tangeret. Supplicem exaudit, illico cæca viſum obtinuit, & poſt paucos dies mater, & filia acceſſerunt gratias agentes, quibus humilis Regina imperavit, ne quidquam dicerent, quoad ipſa viveret, veſtemque idcirco utrique dedit.

Secundo: nobilis, & religioſa mulier Margarita Freila ex tubere ſuper ſtomachum macie confecta Reginam adiit, quæ ſigno Crucis illud ſtatim expulit. Sanata rem gaudens vulgavit, quam propterea Eliſabetha graviter accuſavit, ſilere juſſit, affirmans, id Deo unice tribuendum.

Tertio: cum aliquando in oppido *Scalabi* unus ex leproſis, quibus B. Eliſabetha tam grande caritatis officium feria ſexta ſanctioris hebdomadæ præſtare conſueverat, ob morbi vim in Regia parumper ſubſtitiſſet, janitor quidam caput illi fuſte percuſſum graviter vulneravit; quod ubi Regina ex Urraca Vaſchia reſcivit, vulnerato in ſuum cubiculum deferri juſſo, ovi albumen ſtuppa exceptum ſuis manibus impoſuit, ac poſtridie comperit, eum poſt factam medicinam fuiſſe ſanatum.

Quarto: cum ſimilem caritatem leproſis mulieribus Eliſabetha exhiberet, ex his una pedem cancro deformatum in pelvim immittere lavandum recuſabat, eumque per Urracam Vaſchiam immitti Beata juſſiſſet, tam gravis prorupit odor, ut omnes regiæ miniſtræ aufugerent. Sola perſtitit humaniſſima Regina, ulcus leniter expurgat, oſculatur, & ſigno Crucis munit, ac ſtatim inſanabilis morbus evanuit.

Quinto: Stomachi morbo in oppido Alenquerio laboranti Reginæ vinum Medici præſcripſere; Recuſavit ipſa vino abſtinere ſolita, ſed aqua bis allata bis in vinum converſa eſt.

Sexto; opes pauperibus diſtribuendas in ſinu ſæpe ipſa ferebat. Rem vir ejus forte ſuſpicatus, quid ea in ſinu gereret, aliquando interrogavit. Roſas liberalis Regina reſpondit, explicatoque ſinu recentes roſæ in media hyeme prodigioſe apparuerunt. Hinc ejus imaginem cum roſis in ſinu pictores paſſim effinxerunt.

Mira-

Miracula poſt mortem.

In oppido Stremotio menſe Julii moriens B. Regina filio Alphonſo Regi teſtamento mandavit, ut inde corpus ſuum Conimbricam in ædem Monialium S. Claræ deferri curaret. Loci diſtantia, & vehementiſſimus calor cadaveris putredinem, fœtoremque, & hinc intolerabilem delationem prænunciare poterant, ideo corpus alibi interim humandum plerique cenſebant. At filius voluntatem matris impleri juſſit. Igitur Conimbricam corpus deductum poſt ſeptem dierum iter circumfuſæ venerabundæ multitudini gratum inſpiravit odorem. Quin etiam cum anno 1612. Judices hujus cauſæ Commiſſarii cum Medicis, Theologis, ac Religioſis viris ad ejus ſepulcrum acceſſiſſent ſacrum inſpecturi corpus, hoc penitus incorruptum, ſuavemque ſpirans odorem, integris circumdatum veſtibus repererunt.

Secundo: Cum in quadam parte monaſterii D. Claræ Dominicus Machadus faber lignarius tecto ligna componeret, repente ipſe cum aliquot lignis præceps rui cœpit. Confugit miſer ad B. Eliſabethæ opem, & ſtatim una cum lignis in priſtinum locum ſalvus reſtitutus eſt.

Tertio: Anna Azpilcueta monialis in cœnobio *Cellis* prope Conimbricam diu cruribus infirma nullo modo per ſe incedere poterat. Suadetur, ut B. Eliſabethæ præſidium, imminente ejus feſto, imploraret, ut fecit; mox per quietem admonetur de valetudine obtenta: ſurrexit ſana, & in Chorum; lætantibus, & ſtupentibus aliis ibi matutinas laudes canentibus, venit, ut refert Martinus Azpilcueta.

Quarto: Quinquagenaria mulier Maria Antonia ex oppido Sarnacenſi a duobus, & viginti annis infœcunda, cum lacte in ſiniſtro ubere diu ex morbo careret, & pauperem nepotem educandum ſuſcepiſſet, venit Conimbricam, ac ſuadentibus D. Claræ monialibus vinum cum croco a B. Eliſabetha olim præſcriptum hauſit: inde ad ejus ſepulcrum ſupplex acceſſit, & illico lac uberibus largiter affuſum ſenſit.

Quinto. Agnes Dalmeida cujuſdam medici uxor non diu poſt filii partum angina vehementer cruciata lac amiſit. Deſperata ſalute poſt medicamenta a viro inutiliter adhibita, idem vir nutricem filio quæſiturus domo abſens B. Reginæ opem imploravit, & eadem hora uxor convaluit, ut ipſa mox indicavit. Gratiis actis, medicus ad templum, ubi Beatæ corpus manet, ſupplex pro lacte uxori obtinendo acceſſit, domumque reverſus id quoque obtentum agnovit.

Sexto: Peſtiferum, & inveteratum ulcus labia, gingivaſque Conſtantiæ Aniæ in D. Claræ cœnobio corrodebat cum maximo cruciatu, fruſtra medicis nbnitentibus. Cum vero B. Reginæ cadaver illuc adferretur, acceſſit infirma, & feretrum, in quo illud jacebat, oſculata perfectam conſecuta eſt ſanitatem, ſociis interim Reginæ ſanctiiatem extollentibus tanto miraculo comprobatam.

De actis cauſæ legitimis.

Cum fama ſanctitatis B. Eliſabethæ, miraculorum frequentia magis increbreſceret, Emanuel Luſitaniæ Rex anno 1516. per Legatum ſuum a Leone X. obtinuit, ut ipſa in tota Conimbricenſi diœceſi cum Beatæ titulo coleretur, ejuſque imagines dedicarentur. Anno 1551. Officium in ejus honorem a viro docto compoſitum fuit, mox Joannes Luſitaniæ Rex impetravit, ut eamdem in regia venerari ſibi liceret: Anno autem 1553. Legatus Apoſtolicus Indulgentias non modicas in Beatæ honorem conceſſit. Sebaſtianus ſubinde Luſitaniæ Rex ſuperiorum conceſſionum amplificationem apud Paulum IV. obtinuit, præterea ut ejus cultus in tota Luſitana ditione cele-

bra-

Digitized by Google

braretur, cujus feſtum 4. non. Jul. conſignatum fuit, quo die Beata obierat.

Anno 1611. Philippus III. Rex Catholicus, & Regina Margarita Auſtriaca Beatæ Canonizationem a Paulo V. poſtularunt. Pontifex tribus Rotæ Auditoribus cauſam demandavit, hi vero datis literis remiſſorialibus, & Compulſorialibus Judices delegarunt, a quibus conſtructi proceſſus Romam miſſi ſunt, quos cum Auditores expenderent, Paulus V., & Gregorius XV. obierunt, ideoque opus abſolvi non potuit.

Urbano VIII. ad Summum Pontificatum evecto, Philippus Rex poſtulationes repetiit. Quare Auditoribus Rotæ cauſa iterum delata eſt, qui ipſam ſubinde ad Sacrorum Rituum Congregationem tranſmitti poſſe cenſuerunt. Congregatio autem pluribus ſuper ea ſeſſionibus habitis, proceſſus validos, & legitimas ſuper ſanctitate, & miraculis probationes Judicavit, ideoque poſſe ad B. Eliſabethæ Canonizationem procedi.

CAPUT III.

APPENDIX II.

Ad Primum Librum

Conſtitutio BENEDICTI XIV. *de Beatificationibus, & Canonizationibus in Baſilica Vaticana celebrandis, (de qua cap. 56. §. 2. lib. 1.)*

OMnes in Urbe Canonizationes in Baſilica Vaticana celebratas fuiſſe ex antiquis, & fide dignis monumentis exploratum eſt. Quamquam Benedictus XIII. poſtquam BB. Turribium ex Majorga, Jacobum de Marchia, alioſque in eadem Baſilica inter Sanctos retulit, B. ſubinde Joannem Nepomucenum in Lateranenſi Baſilica canonizavit, fruſtra per literas ab eodem BENEDICTO XIV. tunc Anconæ Epiſcopo monitus de antiquo more Canonizationes in Vaticana celebrandi, cum literæ ſerius ad Urbem perveniſſent.

Poſt hæc edito jam primo tomo operis ejuſdem BENEDICTI XIV. de Servorum Dei Beatificatione, & Beatorum Canonizatione, in quo prædictus antiquus mos abunde demonſtratus fuerat, Clemens XII. B. Vincentium de Paulis, & alios ſimul in eadem Lateranenſi Baſilica canonizavit.

Jamvero Alexander VII. Beatificationes omnes in Vaticana Baſilica celebrari decrevit, idque ſubſecutis temporibus obſervatum eſt, una, vel altera excepta Beatificatione, quæ in Lateranenſi ſub præfatis Benedicto XIII. & Clemente XII. peracta fuit. Tandem BENEDICTUS XIV. prædicto Alexandri VII. decreto confirmato, 9. Kal. Decembr. an. 1741. conſtituit, ut inpoſterum Beatificationes, & Canonizationes omnes in ſæpe dicta Vaticana Baſilica celebrarentur, & ſimul aliud laudati Alexandri decretum confirmavit de contributione Sacrario ejuſdem Baſilicæ præſtanda in ſingulis Beatificationibus, & Canonizationibus.

CAPUT IV.

APPENDIX III.

Ad Primum Librum.

Publica inſtrumenta Canonizationum SS. Vincentii a Paulo, Joannis Franciſci Regis, Julianæ Falconeriæ, Catharinæ Fliſcæ Adurnæ, & Eliſabethæ Luſitanorum Reginæ, (de quibus cap. 36. lib. 1. &c.)

CANONIZATIO

B. VINCENTII A PAULO.

IN humili pago, *Ranquines* dicto, Aquenſis Diœceſis pauperrimis, ſed piis natus parentibus Vincentius a

Paulo paſcendis gregibus a pueritia addictus, mira tamen innocentia vivens, & caritate flagrans, tenuem victum ſibi a parentibus traditum, & quidquid ex parſimonia, & induſtria minutatim collegerat, pauperibus erogabat.

Aquas deinde ſtudiorum cauſa miſſus, mox Toloſæ, inde Cæſateæ Auguſtæ mira pietate Theologiæ operam dedit. Sacerdos factus ad pinguem beneficii præbendam inſcius nominatus eſt, quam cum ſine lite obtineri non poſſe cognoviſſet, ſponte dimiſit. Verum ut ſibi, & pauperi matri victum honeſte quæreret, humaniores litteras in caſtro *Buſſeto*, mox Toloſæ docuit, cujus pietate commoti nobiles viri filios ſuos certatim ejus curæ committebant.

Profectus Maſſiliam, inde Narbonam navigans in Turcas incidit, & captivus in Africam abductus, multa, & gravia ab ipſis paſſus eſt, ne legem Domini ſui deſereret. Se ipſum vinculis ſubdidiſſe ferunt, ut conſervum iis afflictum ſublevaret. Agrorum culturæ ab immiti hero addictus, & ab una ex herilibus concubinis juſſus nonnulla de Chriſtiana religione eloqui, & canere, pſalmum, *ſuper flumina Babylonis* &c. cecinit, ex quo Mahumetana mulier tantam hauſit dulcedinem, ut maritum Chriſtianæ Fidei deſertorem graviter objurgaverit, quod optimam religionem abdicaſſet. His, & Vincentii monitis, atque orationibus vir commotus in Gallias cum eodem aufugit, & ab Avenionenſi Pro-Legato Apoſtolico Eccleſiæ reconciliatus eſt.

Romam acceſſit Dei Servus ſacras Martyrum exuvias, Apoſtolorum ſepulcra, & Petri Cathedram veneraturus. Reverſus in Gallias, ſuadente Petro Berullo Cardinali, parœcias adminiſtravit, tumque in Eccleſiæ ædificationem Juniores Clericos educandos, & inſtruendos excepit. Mox a S. Franciſco Saleſio ſanctimonialibus a Viſitatione nuncupatis præfectus opere comprobavit, quod palam idem S. Franciſcus affirmabat, nullum ſcilicet Sacerdotem Vincentio digniorem agnoſcere.

Interim magis flagrans Vincentii caritas, & in proximorum ſalutem curam ſedulo intendens, Congregationem Presbyterorum ſecularium Miſſionis inſtituit, qui caſtiſſime, & ſanctiſſime conviventes, & Clericos ſeculares in ſcientia Domini, & in Eccleſiaſticis ritibus erudirent, & laicos præſertim ruſticos in viam mandatorum Dei dirigerent, perpetuo adſtricti voto Apoſtolicas peragendi Miſſiones. Calamitatibus ſubinde corporalibus compatiens Societatem Puellarum caritatis fundavit; aliaſque Matronarum, & Puellarum Societates in ſingulis urbium, pagorumque parœciis, vel erexit, vel erectas promovit, quæ ſenibus, debilibus, aliiſque indigentibus opportune ſpirituali, & temporali ſubſidio ſuccurrerent. Hoſpitium pro amentibus, & alias pias domos pro cujuſcumque generis calamitoſis, etiam pro remigibus ædificavit, vel ipſo procurante Regia conſtruxit, & dotavit liberalitas.

Etenim Ludovicus III. Galliarum Rex, probitate ejus comperta, in diſtribuendis occultis eleemoſynis, & in nominandis Clericis ad Epiſcopatus & Beneficia utebatur; & moriens adjuvari ab eo voluit. Tum illius uxor Anna Auſtriaca Regina ipſum in ſuæ conſcientiæ auxilium adſcivit, qui tamen in omnes cujuſcumque generis perſonas caritatis ſuæ flammas effundens, & ſeculi vanitate contempta, in Deum ſemper converſus permanſit; ſpretiſque nobilium promiſſis, & minis, enixe curavit, ut Eccleſiaſticæ præbendæ, & dignitates dignioribus ſemper attribuerentur.

Inter ſuos Miſſionum ſocios fidelem, indefeſſumque vineæ Domini cultorem per omnia caritatis opera ſe ſemper exhibuit; eorumque ſubinde regimen, licet invite ſuſceptum, ſanctiſſime, ac prudentiſſime adminiſtravit.

Digitized by Google

vit. Cumque illud in generali conventu dimittere ex animi demiſſione contenderet, coactus eſt retinere. Continua itaque humilitate ſibi conſtans, licet apud omnes magno in honore haberetur, nil tamen umquam in opere, aut ſermone admiſit, quod non humilitatem, & rectitudinem præſeferret.

Cleri Gallicani ſanctitatem injuria temporum labefactatam, & collapſam Eccleſiaſticam diſciplinam reparare nitens, religioſas domos recipiendis Clericis ad Sacros Ordines aſcenſuris aperuit, & auctor fuit, ut priuſquam promoverentur, per aliquot dies divinis rebus in ſolitudine vacarent. Sacerdotum quoque cœtus adunavit, qui ſtatis diebus de Eccleſiaſticis inter ſe, diviniſque rebus conferrent,

In egenos, & miſeros adeo liberalis, ut pauperum pater nuncuparetur. In ſacras Miſſiones, quamvis ætate provectus, alacer incumbens omnibus, præſertim pauperrimis ruricolis evangelizabat. Miſſis in diverſas remotiſſimas regiones ſociis, plures ad Evangelicam veritatem adduxit. Provincias plures, & urbes peſte, fame, belloque vaſtatas, aut annonæ penuria vexatas large refecit, atque adjuvit. Et quamvis gravibus diſtentus negotiis, omnes tamen caritatis officiis complectebatur, neque ullum a ſe mæſtum, aut vacuum abire ſinebat. Injurias admirabili patientia ſuſtinuit: miſerum artificem a furentibus militibus quæſitum ad necem, proprio objecto corpore, a præſenti diſcrimine ſubduxit.

Jeſuniis, aliiſque pœnitentiæ operibus corpus ſuum in communibus præcipue calamitatibus conterebat. Et ſi quid grave, arduumque dicendum, vel agendum occurreret, Deum ſupplex prius conſulebat. E cubiculo in publicum proditurus, Divinam opem implorabat, reverſus quidquid incaute dixiſſet, aut egiſſet, ſollicite inquirebat, & emendabat. Orationi aſſidue deditus, in omnibus Deum agnoſcens, ex omnibus contemplandæ cæleſtis pulchritudinis materiem hauriebat: ſemper modeſtus, & mitis, in proſperis, & adverſis ſemper immotus. Miſſam quotidie celebravit, niſi quod aliquot ante obitum menſibus morbo præpeditus, ſacrificio intererat, & Euchariſtia refectus, gratiis actis, preces pro agonizantibus præſcriptas veluti proxime moriturus recitabat.

Strenuus Fidei propugnator, exorta in Galliis Janſeniana hæreſi, Præſules excitavit, ut vigilanter reſiſterent, iidemque mox, ipſo ſuadente, ad Apoſtolicam Sedem miſerunt, ut pullulantes infringeret errores. Decretum inde allatum reverenter ſuſcepit, Regemque, & Regios Miniſtros commonuit, ut contumaces ad obedientiam inducerent, pertinaces e regno expellerent.

Tandem octogeſimum quintum ætatis annum agens, Eccleſiæ Sacramentis munitus Pariſiis in domo S. Lazari Congregationis Miſſionum ſanctiſſime obiit 5. Kal. Octobr. 1661. Famam ejus Sanctitatis longe, lateque diffuſam miraculis Deus illuſtrare dignatus eſt. Quare conſtructis de more auctoritate ordinaria proceſſibus, inde ſignata commiſſione introductionis cauſæ, virtutes, & miracula in Congregatione rituum diſcuſſa fuerunt, & Benedictus XIII. die 21. Septembr. virtutes in gradu heroico, & paulo poſt quatuor miracula approbavit; tandem eidem Congregationi annuens die 13. Auguſti an. 1729. Vincentium inter Beatos ſolemniter adſcripſit, Miſſamque, & Officium, aliaque in ejus honorem indulſit.

Novis ſupervenientibus miraculis, & proceſſu Apoſtolico ſuper bis conſtructo, duo ex iis, poſt quam diſcuſſa in ſacrorum rituum Congregatione fuerant, Clemens XII. die 24. Jun. an. 1736. approbavit. Inde Congregationis Cardinalibus in B. Vincentii Canoniaztionem conſentientibus, decretum de illa peragenda editum eſt.

Poſt hæc, accedentibus Galliarum Regis, aliorumque plurium poſtulationibus, omnibuſque ex Romanæ Eccleſiæ more expletis in Conſiſtoriis ſecreto, publico, & ſemipublico, tandem laudatus Clemens XII. in Baſilica Lateranenſi 16.Kal.Jul. an.1737. ipſum B. Vincentium a Paulo inter ſanctos per ultimam definitivam ſententiam retulit, conceſſis in ejus honorem conſuetis Indulgentiis. Tum Pontifex ſenio, & infirmitate præpeditus Miſſam in hac ſolemni Canonizatione haud celebravit, ſed a Cardinali Thoma Rufo inter Cardinales antiquiori celebrari in ara maxima conceſſit.

Canonizatio

B. JOANNIS FRANCISCI REGIS.

IN oppido Galliæ Narbonenſis; cui nomen *Fons coopertus*, prid.Kal.Febr. an. 1597. natus Joannes Franciſcus, ibique pueritia innocenter exacta, & primis linguæ Latinæ elementis eruditus, Biterras mittitur, ut in gymnaſio Societatis Jeſu ſtudiorum curſum abſolveret. Ibi otium, improborum conſuetudinem, & juveniles ludos fugiens, quod a literarum ſtudio ſupererat temporis, in oratione, aliiſque piis operibus impendebat.

Deiparam Virginem, & Angelum ſui cuſtodem ſingulari devotionis affectu proſecutus, alios quoque ad pietatem, & virtutem ſectandam excitavit, & cum ſex electis certam ſervans vivendi formam Apoſtolicis Miſſionibus jam tum proluſit.

Decimum nonum ætatis annum agens Societatem Jeſu ingreſſus, per omnium virtutum, & Chriſtianæ perfectionis ſemitas ad Deum contendens, omnibus admirationi, & exemplo fuit. Humanis ſubinde literis edocendis addictus, adoleſcentes pietate in Deum adeo imbuit, ut a ceteris vitæ innocentia diſcernerentur.

Sacerdos ex obedientia factus, admirabili caritate reſplenduit. Pauperibus, infirmis etiam contagioſo morbo correptis, in carcere incluſis, viduis, pupillis, puellis, & mulieribus periclitantibus, omnibus demum quomodocumque indigentibus promptè ſuccurrit, ter etiam ad alendos pauperes multiplicato per miraculum frumento, & cœnobio pœnitentibus mulierculis ædificato, ut proinde miſerorum perfugium, pupillorum tutor, viduarum defenſor, eſurientium cibus, calamitoſorum ſpes, ægrorum ſolatium, communis denique omnium parens eſſet, & appellaretur. Sui tamen contemptor graviſſimas injurias, contumelias, irriſiones, verbera, vulnerà, & ſimilia in iis omnibus peragendis invicta patientia, & mirabili manſuetudine ſuſtinuit. Amore erga Deum flagrans, pro ipſo, ejuſque Fide pati, & vitam ipſam perfundere ardentiſſime cupiebat. Corpus aſperrimo cilicio, cruentis flagellationibus, abſtinentia, jejuniis, vigiliis in ſervitutem redactum, ut Spiritum ad Deum anhelantem ſequeretur, ſevere coegit. Suam condolentes vicem corripiebat tanquam ignorantes voluptatem in tolerandis pro Chriſto injuriis poſitam. Honoribus, laudibuſque affectus triſtabatur, ea ſoli Deo deberi, ſe vero conculcandum eſſe dictitans.

De animarum ſalute præcipue ſollicitus omnes in viam Domini dirigere ſatagebat. Ultimos decem vitæ annos in ſacris Miſſionibus impendit, quorum ſex primos in inferiori Occitania, in Vivarienſi, Valentinaque Diœceſi, reliquos quatuor apud Velaunos traduxit.

In hoc miniſterio perpetua hæc fuit ejus vitæ ratio: duas, vel ternas horas ſomno, reliquum noctis orationi, & parandis concionibus dabat. Ad deſtinatum locum perveniens, recta ſe ad Eccleſiam conferebat. Poſtridie Eccleſiam ſummo mane ingreſſus doctrinam Chriſtianam explicabat, inde pœnitentium confeſſiones audiebat, mox concionabatur, rurſus ad conſeſ-

feſſiones redibat, tandem ſacrum faciebat. Poſt meridiem pueros erudiebat, ægros & pauperes ſublevabat, componebat lites, concionabatur, & confeſſiones diu audiebat.

Nullis deterritus laboribus, periculis, aut cujuſvis generis incommodis non viarum, locorumque aſperitate deterritus ſacrum hoc munus continuo, & alacer obivit. Ruſticos in ſilvis, & montibus, in ſuis mapalibus, ac veluti latibulis pedes ſemper ſtudioſiſſime quærebat, erudiebat, & ſolabatur. Proſpero ſane ſucceſſu, nam ingentem Chriſtianorum, & Hæreticorum multitudinem ad ipſum confluentium, a vitiis ad virtutem, ab erroribus ad veritatem revocavit.

Miſſionem tandem Laloveſci, ignobili Viennenſis Diœceſis pago in horridis Helviorum montibus ſito, ultimis adventus Dominici diebus indicit, poſtremam ſibi fore, Deo docente, prædicens. Difficillimum iter per aſperos, inacceſſoſque montes nivibus, & glacie coopertos ingreſſus, & recta deerrans via in derelicto tugurio pernoctare compulſus, ſudore madidus, urgente frigore, graviſſimo lateris dolore cum acuta febri correptus fuit. Amore nihilominus in Deum fervens Laloveſcum pervenit, & diſſimulata infirmitate, conſuetum docendi, concionandi, & confeſſiones audiendi opus prompte exercuit, donec exhauſtis prorſus viribus, & deficiente ſpiritu concidit. Paupertatis, & humilitatis Domini naſcentis imitandæ cupidus in ſtabulum deferri poſtulavit, ſed ne citius deficeret, in lecto ſubſiſtere juſſus, Sacramentis ritè munitus, Chriſti, & Virginis Matris præſentia recreatus, & ad Cœlum invitatus, Crucifixi imaginem dextera tenens inter pauperum, & ruſticorum turbas, hilari vultu ſanctiſſime obiit circa mediam noctem ultimæ diei exeuntis anni 1640.

Statim conclamaverunt omnes, Sanctum obiiſſe, & ecce duo, & viginti Parochi cum denſis montanorum agminibus accurrerunt. Percrebreſcente vero ſanctitatis, & miraculorum fama, Laloveſcus exiguus antea vicus cœpit incolis frequentari, convenientibus undique advenis ad Beatos Apoſtolici viri cineres venerandos, & opem ejus implorandam.

Anno poſtmodum 1676. Epiſcopus Anicienſis proceſſum ordinarium ſuper vita, & miraculis Servi Dei conſtruxit. Duobus ſupra viginti annis elapſis die 25. Januar. ſignata eſt commiſſio introductionis cauſæ, datiſque literis remiſſorialibus, proceſſus Apoſtolicus ſuper non cultu conſtructus eſt, eoque ad Urbem delato, tandem die 31. Julii an. 1700. approbata fuit ſententia Archiepiſcopi Viennenſis ſuper cultu non exhibito.

Datis ſubinde aliis literis remiſſorialibus, & compulſorialibus ad tres Epiſcopos, novi Apoſtolica auctoritate proceſſus ſuper Servi Dei virtutibus, & miraculis conſtructi ſunt, quibus Romam deductis, & in Sacrorum Rituum Congregatione rite diſcuſſis, Clemens XI. die 27. Martii an. 1712. eadem Congregatione ſuffragante, pronuntiavit conſtare de virtutibus in gradu heroico.

Miraculorum ſubinde examen aſſumptum eſt, de quibus plures viri Principes tam Eccleſiaſtici, quam ſeculares teſtimonium dixerant, iiſque mature in eadem Congregatione diſcuſſis, tandem laudatus Pontifex anno 1715. duo approbavit; ſequenti vero anno Joannem Franciſcum in Beatorum numerum retulit.

Nova ſubinde miracula ſupervenerunt, novique ſuper his proceſſus Apoſtolica auctoritate in Galliis conſtructi ſunt; ex iis verò in Congregatione Rituum examinatis, Clemens XII. die 19. Martii anno 1737. duo approbavit, ac die 5. Aprilis ſequentis, Cardinalibus ejuſdem Congregationis ſuffragantibus, decrevit ad Beati Canonizationem tuto deveniri poſſe.

Mox omnibus, quæ in Conſiſtoriis ſecreto, publico, & ſemipublico, & reliquis, quæ ex S. R. Eccleſiæ inſti-

tuto

Digitized by Google

tuto ad tantam ſolemnitatem fieri ſolent, rite peractis, tandem 16. Kal. Jul. anno 1736. in Baſilica Lateranenſi idem Clemens XII. B. Joannem Franciſcum Regis Sanctorum catalogo ſolemniter adſcripſit. In hac vero ſolemnitate, Pontifice ſenio, & infirmitatibus impedito, Cardinalis Thomas Rufus ejus loco Miſſam celebravit.

Canonizatio

B. JULIANÆ FALCONERIÆ.

FLorentiæ ex perilluſtri Falconeria gente, patre Clariſſimo, matre Reguardata, ambobus ſterilibus, & jam ſeneſcentibus orta B. Juliana in ipſo nutricis ſinu, dum faſciis involvitur, infantiles manus in cælum tendens dulciſſima Jeſu, & Mariæ nomina protulit. Paulatim creſcens, omniaque fugiens puerilia ſpiritualibus exercitationibus adeo ſtudebat, ut B. Alexius ejus patruus genitrici affirmaverit, eam non puellam, ſed Angelum peperiſſe. Virginitatis vigilentiſſima cuſtos oculos numquam in hominis faciem intendit, omnia vero muliebris vanitatis ornamenta ſemper exhorruit.

Decimum quartum ætatis annum, agens nullis conſanguineorum blanditiis, aut minis ad nuptias adduci potuit. Quare obtento ſacrarum Virginum, quas *Mantellatas* vocant, habitu, emiſſis tribus ſolemnibus votis, ſacrum velamen a B. Philippo Benitio accepit, qui etiam prædixit, ipſam totius Societatis Virginum tertii Ordinis Servorum B. Mariæ Virginis inſtitutricem futuram. Solitudinem optans, in ſeculo tamen viduam matrem ſolatura remanere cogitur, tam ſancte vivens, ut complures Virgines, & Matronæ, ipſam ſecutæ idem religioſum Inſtitutum capeſſerint, & mater ipſa ſe filiæ inſtituendam tradiderit.

Eis numero auctis, & in unum cœtum adunatis certam vivendi formam præſcribi opus fuit, idque mox B. Juliana juxta S. Philippi Benitii prædictionem præſtitit, & regulas ab ipſa conditas S. Sedes approbavit. Defuncta matre, ad Sanctimonialium domum, quas inſtituerat, convolans, fune ad collum alligato, inter ipſas tamquam ſerva admitti humillime poſtulavit; at illæ tantam admiratæ virtutem, Monaſterii regimen ei ſolum ex obedientia acceptanti detulere, quod munus mira ſubinde humanitate, prudentia, caritate, omniumque virtutum exemplo adminiſtravit, filias in pietate erga Deiparam Virginem, in vanitatis, & mundi contemptu, in caſtitate, & in reliquis virtutibus ſanctiſſime inſtituens, ad quas ipſa admirabili patientia, manſuetudine, paupertate, modeſtia, Integritate, & omni boni operis forma omnes inflammabat.

Penitentiæ addicta ab adoleſcentia ad obitum rudi panno induta, nudis pedibus inceſſit, nodoſis funibus, ferrea aculeata zona, cilicio, flagellationibus, rigidis jejuniis, aliiſque aſperitatibus corpus ſuum cruciabat, & quibuſdam quidem diebus pro animabus Purgatorii, quibuſdam in Paſſionis Chriſti memoriam, & in B. M. Virginis honorem, cujus etiam dolores experiri aliquando obtinuit. His vero munita præſidiis horrendas Dæmonis inſidias, & tentationes fortiter ſuperavit.

Amorem in Deum primum, tum in proximos flagrans offenſam Dei adeo odit, ut audita ſceleris narratione prope exanimis corruerit, & omnes a diſcordiis, a vanitate, & a peccatis cunctis revocare, infirmos, pauperes, & reliquos calamitoſos juvare ſollicita ſtuduerit, & ſui juris facta hæreditatem in pauperes, & in Mariæ Servos diſtribuerit. Ægrotos tangens ſæpe ſanavit, virgines ex odore agnoſcebat, in oratione ſæpe in mirabiles extaſes rapiebatur, aliiſque gratiæ donis illuſtrata fuit, ſemper tamen humilis, & manſueta de ſe demiſſius ſentiebat.

Demum auſteritatibus, ac ætate, nempe ſeptuagenaria major, attrita,

ſtoma

ſtomachi morbo graviter affecta, eoque ingraveſcente patientiſſime tolerato, ad ultimum ſpiritum redacta eſt. Pœnitentiæ, & Extremæ Unctionis Sacramentis rite ſuſceptis, vehementer dolebat, Euchariſtiam ſibi ob ſtomachi debilitatem denegari. Quare Confeſſarium ſuum enixe rogat, ut ſaltem auguſtiſſimum Sacramentum ad ſe deferret, cujus aſpectu ſolaretur. Morem geſſit ſacerdos, eoque allato ſtatim ejus facies morbo ſquallida Angelico decore refloruit, mox Panis cæleſtis ejus pectori, ut ipſa petierat, admotus illico diſparuit, & Serva Dei ſanctiſſime obiit 13. Kal. Jul. an. 1331. Cum vero ejus corpus de more curaretur, inventa eſt circa ſiniſtrum pectoris latus carni veluti ſigillo impreſſa Hoſtiæ forma, quæ Crucifixi imaginem repræſentabat.

Hoc prodigio, & ejus fama ſanctitatis excitatus Florentinus populus undique confluxit ad ſacrum ejus corpus venerandum, moxque plures infirmi ad ejus feretri, aut veſtium contactum convaluerunt. Inde miraculis illuſtris, & Beatæ, Sanctæque nomine nuncupata in multis provinciis continuò colitur, ubi plura ejus Inſtituti monaſteria reperiuntur, cujus Regulam Innocentius VIII. & Martinus V. approbarunt, & Paulus V. in ſuo quodam Brevi, Beatæ, atque ejuſdem Inſtituti Patronæ titulo Julianam condecoravit.

Sanctitatis, & miraculorum fama percrebreſcente, Clemens IX. commiſſionem introductionis cauſæ Canonizationis anno 1667. ſignavit; anno autem 1673., proceſſu Florentiæ conſtructo, Judex delegatus ſententiam ſuper cultu immemorabili, & caſu excepto tulit, quam Sedes Apoſtolica an. 1678. confirmavit. Poſt hæc Innocentius XII. an. 1693. univerſo Servorum B. M. Virginis Ordini, & Florentinæ civitati Miſſam, & Officium de communi Virginum in ejus honorem recitari conceſſit ſub ritu ſemiduplici, quem Clemens XI. an. 1718. ad duplicem elevavit, eo quod B. Juliana prædictum tertium Ordinem fundaverit.

Anno 1728. Benedictus XIII. lectiones proprias cum hymno, & oratione approbavit, & B. Julianæ nomen in Martyrologio Romano inſcriptum fuit. Interim cauſa Canonizationis in ſacra rituum Congregatione diſcuſſa idem Pontifex die 5. Febr. an. 1725. decretum edidit, ita de ejus virtutibus conſtare, ut miracula diſcuti poſſent. Qua ſubinde diſcuſſione in eadem Congregatione peracta, quatuor miracula die 8. Septembr. an. 1729. approbavit. Die vero 5. Octobr. ſequentis, Congregatione rituum ſuffragante, decretum edidit de Canonizatione peragenda.

Obiit interea laudatus Benedictus XIII. quamobrem Clemens XII. ſucceſſor incepta ejus perficienda eſſe ratus, omnia, quæ in cauſa acta fuerant, coram ſe, & Cardinalibus in Conſiſtorio ſecreto referri juſſit, mox reliquis, quæ in Conſiſtoriis publico, & ſemipublico, & ex ſacris Conſtitutionibus, Romanæque Eccleſiæ conſuetudine fieri ſolent, abſolutis, adeoque Cardinalium, aliorumque ſuffragiis in ſemipublico Conſiſtorio auditis, tandem idem Clemens XII. B. Julianam 16. Kal. Jul. an. 1737. in Baſilica Lateranenſi Sanctorum faſtis adſcripſit, Miſſam tamen in hac ſolemnitate, non ipſe utpote impeditus, ſed loco ſui a Cardinali Thoma Ruffo inter Cardinales antiquiori celebrari permiſit.

Canonizatio

B. CATHERINÆ FLISCÆ ADURNÆ.

GEnuæ celebri urbe an. 1447. nata Catharina ex Patre Jacobo Fliſco Prorege Regni Neapolis, & matre Franciſca de Nigro ſanguinis vetuſtate nobilibus, ſed ex prole ipſa nobilioribus, vix rationis uſu potita, amore erga Deum, aliiſque eximiis virtutum argumentis futuræ ſanctitati proluſit.

Digitized by Google

luſit. Nam ex frequenti Crucifixi imaginis obtutu patiendi deſiderio accenſa, & paleis pro culcitra, ligno pro cervicali utens, breviſſimum ſomnum capiebat, & puerilia oblectamenta contemnens ſilentio, & oratione delectabatur.

Annum agens decimumtertium, conſulto Confeſſario ſuo, ſe totam Deo in Sanctimonialium dicare monaſterio decrevit. Sed ob teneros annos, & imbecillam valetudinem repulſa eſt, poſtmodum parentum voluntati, atque imperio obſecuta nobili, ac diviti viro Juliano Adurno nupſit.

Sed ne mundanis voluptatibus caperetur, tribulationes Dominus, & preſſuras immiſit. Siquidem vir luxui, & ſimilibus intentus ipſam ab iis abhorrentem averſatus durius tractavit. Quinquennium in hoc mœrore tranſegit, donec aliis ſuadentibus feminis ad levandam triſtitiam, nobilium feminarum cœtus, ac domos frequentare, & vivendi rationem ſequi inſtituit.

Sed in his omnibus amaritudinem potius, Deo diſponente, experta, ingraveſcentibus anguſtiis, ſororem ſuam Sanctimonialem conſulvit, ejuſque hortatu Monaſterii Confeſſarium adivit, ad cujus pedes dum ſe proſternit, mentis oculis Divinum ſtatim lumen affulſit, & doloris, atque amoris vulnere percuſſa, parum abfuit, quin prolaberetur in terram. Domum reverſa miſeriam ſuam, irradiante Divinæ gratiæ lumine, profunde perſpexit, projectiſque muliebribus ornamentis numquam reſumendis, & amariſſima cordis contritione culpas anteactæ vitæ deteſtata ingentem lacrymarum imbrem, & gravia ſuſpiria emiſit.

Statim mentis oculis apparuit imago Salvatoris crucem bajulantis, toto corpore ſanguine diffluentis, quæ animo tam alte infixa remanſit, ut ſemper inpoſterum Salvatoris patientis imaginem in omnibus rebus intueri ſibi videretur. Hinc patiendi ardore ſuccenſa carnem ſuam ciliciis, flagellis, aliiſque aſperitatibus continuo edomuit. Uno, vel altero ab admirabili ejus converſione anno elapſo, interiore Chriſti voce ad Quadrageſimale cum eo jejunium peragendum invitata, quo tres illas, quas ipſe volens pertulit, tentationes ſuperare diſceret, ideoque concupiſcentiam carnis, concupiſcentiam oculorum, & ambitionem ſeculi infringeret, ſtatim paruit fortis Dei mulier, & non ſolum primam illam quadrageſimam, ſed per plures annos tam quadrageſimæ, quam Adventus ferias ſolo orationis cibo, & Euchariſtico pane ſuſtentata tranſegiſſe fertur, amariſſimo tantum aquæ liquati ſalis, atque aceti potu ſitim quandoque eludens, laborioſis tamen caritatis muneribus vividior perfungebatur.

Divino interim humilitatis magiſterio edocta, altitudinem perfectionis menſuram eſſe debere humilitatis, aliis ſe nobilibus matronis comitem addidit, quarum cura erat infirmis, & miſeris opere, & pecunia ſuccurrere. Quare modeſta, & manſueta per urbem incedens pauperibus, & infirmis omni caritatis officio humillime ſubveniebat in privatis domibus, & in publico noſocomio, cujus regimen ſibi demandatum propriis expenſis integerrime adminiſtravit.

Æternæ majeſtatis pulcritudinem alte contemplans, de ſe, & de terrenis rebus demiſſiſſime ſentiens, omnibus monita ſalutis ſollicita caritate impertiuit, cujus etiam ſpatia dilatans, dialogum inter animam, & corpus conſcripſit. Amore erga Deum adeo exarſit, ut corporis partes cor ambientes ignem ſpirare viderentur. Dulciſſimum Jeſu nomen ſemper in corde habebat, nullum majus præſentiens gaudium, quam ſi illud ab aliis pronuntiari audiret; cumque a muliere contagioſa febri laborante illud pronunciaretur, ſtatim peſtilens ejus os oſculata, eumdem morbum non ſine vitæ diſcrimine contraxit. Sed

a Deo

a Deo ſanata priſtina caritatis officia, alacris repetiit.

Hinc contumelias, ægritudines, & alias hujus generis calamitates invicta patientia, & conſtanti animo pertulit. Præcipue ejus cura erat Dei honor, & gloria, vitiorum deſtructio, animarum ſalus. Quare orationibus, & ſuaſionibus plures peccatores ad viam Domini revocavit, inter quos virum ſuum Julianum Adurnum. Ab hoc primum impetravit, ut ſibi in caſtitate vivere liceret, mox ipſe cum ea collatis conſiliis, habitu Tertii Ordinis S. Franciſci induto, piam vivendi rationem inſtituit. Cum vero poſtremæ ægritudinis moleſtias impatienter ferret, ideoque indignatione correptus in periculo æternæ ſalutis verſari videretur, ſancta uxor ad orationem pro eo confugit, qua tranquillitatem illi a Deo obtinuit, adeoque Divinæ voluntati ſubmiſſus, doloribuſque patienter toleratis, mortuus eſt.

Catharina interim Dei amore magis ſuccenſa, orationi intenta, ubi proximi caritas aliter non exigeret, contemplatione delectabatur, cujus cæleſtibus fruens deliciis alienabatur a ſenſibus, ejuſque animæ a terrenarum rerum tumultu liberæ cæleſtia revelabantur myſteria. Hinc admirabilis ille caritatis ardor adeo excrevit, ut purgato, & ſanctificato ſpiritu, infirmam quoque carnem fere conſumpſerit.

Vehementer itaque cupiebat diſſolvi, & eſſe cum Chriſto. Verum Divinæ exequendæ voluntati ſemper intenta vitam ſibi produci non recuſabat, ut per diuturna dolorum tormenta conformior fieret imagini filii Dei. In hoc ſuaviter adverſantium deſideriorum conflictu inuſitata quadam, & gravi ægritudine decubuit, cui cum nulla remedia proficerent, re mature perpenſa, convenere medici, ægritudinem illam non humanam, ſed divinitus immiſſam eſſe, ideoque cæleſti medico relinquendam. Itaque ſexageſimumtertium ætatis annum agens, oculis, & manibus in cælum intentis, illis verbis *In manus tuas Domine commendo ſpiritum meum* ſuaviſſime pronunciatis, placidiſſime obdormivit in Domino 17. Kal. Octobr. an. 1510.

Ubi vero Servæ Dei mortis rumor Genuenſem urbem pervaſit, ad ſacrum ejus corpus in magno noſocomio, ubi deceſſerat, venerandum ex omni ordine, atque ætate viri, & mulieres confluxere, ibique plurimi in moleſtiis ſolatium, in ægritudinibus medicinam invenerunt. Illudque interea flexile, incorruptum, rubroque colore circa cor, & vivo omnino ſimili decorum in novo ſepulchro intra ejuſdem noſocomii Eccleſiam ſumma veneratione collocatum fuit. Poſt duodeviginti menſes extractum, & per octo continuos dies expoſitum, ut confluentium multitudini ſatisfieret, Deo circa illud operante miracula, tandem ad decentiorem marmoreum tumulum in ſublime erectum in eadem Eccleſia delatum eſt, ubi miraculis clarum publicæ venerationi expoſitum, devotionis fervore erga B. Catharinæ reliquias numquam imminuto, ad hæc uſque tempora permanſit.

Poſt hæc nedum Genuenſes, ſed etiam alii populi ad ſacrum ejus corpus venerandum accurrerunt. Quare cultu erga illam perſeverante, & poſt centum annos percrebreſcente, conſtructiſque auctoritate ordinaria proceſſibus ſuper ejus Sanctitate, ac miraculis, & in ſacra rituum Congregationis exhibitis, die tandem 24. Maii an. 1636. expedita fuit commiſſio ad Apoſtolicum proceſſum ſuper cultu immemorabili, & caſu excepto a decretis Urbani VIII. conſtruendum. Inde Clemens X. ſententiam ab Epiſcopo Genuenſi Judice delegato ſuper iiſdem cultu, & caſu latam approbavit die 5. Apr. 1675. Die vero 17. Aug. an. 1683. facultas obtenta eſt conficiendi proceſſum ſuper ſanctitate vitæ, virtutibus, & miraculis ad Beatæ Canonizationem peragendam. Interim ſacra rituum Congregatio, approbante Clemen-

te XI. Officium, & Miſſam de communi viduarum in ejus honorem pro civitate Genuenſi die 13. Septembr. anni 1710. conceſſit, mox ad totum Genuenſe dominium extendit: tandem Officium, & Miſſam propria de eadem Beata approbavit cum elogio in Romano Martyrologio apponendo.

Completis proceſſibus, & in ſupradicta Congregatione expenſis, virtutes heroicæ die 30. Maii an. 1732. ac tria miracula die 2. Apr. an. 1737. ſub Clemente XII. approbata fuerunt, idemque Pontifex die 30. ejuſdem menſis, & anni, ſuffragantibus ejuſdem Congregationis Cardinalibus, Canonizationem peragi poſſe declaravit. Omnibus ſubinde abſolutis, quæ in Conſiſtoriis ſecreto, publico, & ſemipublico, quæque ex Sanctorum Patrum auctoritate, ſacrorum canonum ſtatutis, & Sanctæ Romanæ Eccleſiæ conſuetudine peragi ſolent, tandem laudatus Clemens XII. in baſilica Lateranenſi 16. Kal. Jul. an. 1737. quæ dies erat Dominica Sanctiſſimæ Trinitatis, B. Catharinam una cum BB. Vincentio a Paulo, Joanne Franciſco Regis, & Juliana de Falconeriis in Sanctorum album ſolemni Canonizationis ritu retulit.

Canonizatio

B. ELISABETHÆ LUSITANROUM REGINÆ.

INter Luſitaniæ Reges, qui adverſus Chriſtiani nominis hoſtes tot, ac tanta non minus pietate, quam bello terra, marique geſſerunt, & in remotiſſimis etiam regionibus Evangelium diſſeminare ſtuduerunt, feminæ quoque pietate, ac ſanctitate celebres floruerunt, ſed præ omnibus una ſanctarum virtutum, & miraculorum magnitudine emicat B. Eliſabeth Regina.

Hæc Aragoniæ Regibus orta an. 1271. virtutibus ab ipſa adoleſcentia adeo floruit, ut ejus avus affirmare non dubitaverit, Eliſabetham reliquis Aragoniorum Regum ſangnine natis feminis præſtantiorem futuram. Pater vero cæleſtem ejus vitam admiratus, rerum ſuarum, regnique felicitatem unius filiæ meritis referebat acceptam. Nubilis facta, & honeſtis moribus ſuis longe clareſcens, a pluribus Chriſtianorum Principum filiis in matrimonium expetita, Dionyſio Alphonſi III. filio Luſitaniæ Regi Chriſtianis, regiiſque ritibus nupſit, eique Conſtantiam filiam, & Alphonſum regni hæredem peperit, quos ſubinde ſancte educare ſummopere ſtuduit.

In precibus aſſidua, vanitates averſata, decenti induta cultu, modeſta ſemper inceſſit. Amore Dei flagrans vitia, & peccata vehementi odio proſequebatur. Hinc corpus aſperitate ſubiicere nitens, quadruplex longum jejunium per annum ſolemne habuit. A vino abſtinere conſuevit, eumque a medicis ob ſtomachi infirmitatem præſcriptum ſumere aliquando recuſaſſet, allata bis ejus juſſu aqua in vinum bis converſa fuit.

Hinc ſumma erga proximum caritate prædita, indigentibus omnibus abunde ſuccurrit, monaſteria, xenodochia, & ſimilia vel erexit, vel perfecit, vel auxit. Pauperibus, & infirmis deſervire non horruit, quorum graviſſimos morbos manibus ſuis contrectans non ſemel prodigioſe ſanavit, & opes egenis ab ipſa diſtribuendæ in roſas aliquando medio hyeme converſæ fuerunt.

In adverſis conſtans, maximas ærumnas patientiſſime toleravit. Conſtantiæ filiæ, aliorumque cariſſimorum jacturam fortiter ſuſtinuit. Dionyſium virum a ſe alienatum, aliiſque mulieribus adhærentem mira humilitate, & manſuetudine paſſa eſt, cujus ille tandem virtute fractus reliquam vitam caſte, ſancteque traduxit. Mœrore affecta ex diſſidiis inter ſumma, & cariſſima ſibi capita exortis, in illa ſedanda, & extinguenda totis viribus incubuit, felici ſane ſucceſſu, cum diſſidentes Principes ad concordiam pre-

precibus, & laboribus ſnis revocaverit. Atque in his illud inprimis eluxit, quod immane bellum inter Alphonſum filium, & Dionyſium parentem compeſcuit, & toti pene Luſitaniæ impendentem ruinam excuſſit.

Obiit tandem ipſe Dionyſius ejus vir, cujus morte ſui juris facta veſtem Religioſarum Virginum propriam ſumpſit, & in ædibus ſecus earumdem domum, quam prope Conimbricam B. Claræ nomine ædificaverat, cum quibnſdam ex iis religioſam vitam extra clauſtra ducebat, hnmilitate, manſuetudine, caritate, miſericordia, ceteriſque virtutibus, quas Apoſtolns Paulus in viduis exigit, conſpicua. Alphonſum nepotem ſuum Caſtellæ Regem alteri ab uxore feminæ adhærentem ad honeſtiorem vitam revocavit. Poſt hæc cum in oppidum Stremotium ad ſedandas inter eumdem nepotem, & filinm diſcordias ſe contuliſſet, in ſupremum morbum incidit, ibique Eccleſiæ Sacramentis piiſſime ſuſceptis, ſanctiſſime obiit die 4. Jul. an. 1336. ætatis ſuæ 65.

Fama ſanctitatis, quam vivens acquiſierat, maxime poſt ejus obitum percrebuit, & facto ad ejus fnnus ingenti hominum concurſu, multi ſingularia a Deo beneficia ejus interceſſione obtinuerunt. Ejus corpus Conimbricam delatum incorruptum, & ſuavem ſpirans odorem permanſit, & in eodem ſtatu an. 1612. repertum eſt. Magnis deinde, pluribusque miraculis claruit, ob quorum frequentiam cum ſanctitatis fama magis increbreſceret, Leo X., aliique poſt ipſum ſummi Pontifices nonnullas cultus ſpecies in B. Reginæ honorem, inſtantibus Luſitaniæ Regibus, conceſſerunt.

Paulus V. cauſæ cognitionem Auditoribus Rotæ demandavit, iique Judices delegatos conſtituerunt, qui proceſſus Apoſtolica auctoritate conſtructos eiſdem Anditoribus tranſmiſerunt. Poſtmodum Urbanus VIII. acceptam ab his cauſæ relationem, rem ad ſacram rituum Congregationem remiſit. Hac vero in Beatæ Canonizationem conſentiente, omnibuſqne peractis, que in Conſiſtoriis ſecreto, publico, & ſemipublico, necnon ex ſacris Conſtitutionibus, ac Romanæ Eccleſiæ conſnetudine, peragenda erant, tandem in ſacroſancta Principis Apoſtolorum Baſilica an. 1626. 8. Kal. Jul. B. Reginam Eliſabetham Sanctarum Viduarum catalogo adſcripſit, & in tanta ſolemnitate Miſſam cum ejuſdem ſancte commemoratione celebravit. Cum vero hujus Canonizationis bulla neque ab ipſo, neque ab aliis Succeſſoribus expedita fuiſſet, illam tandem BENEDICTUS XIV. anno 1742. 4. Kal. Maji expedivit.

CAPUT V.

APPENDIX IV.

Ad Primum Librum.

Publica Inſtrumenta ſolemnium Beatiſicationum S. Roſæ Limanæ, & S. Turibii, (de quibus in cap. 24.)

MOnumenta publica ſolemnis Beatificationis Servæ Dei Roſæ de S. Maria a civitate Limæ tertii Ordinis S. Dominici ex actis ſacrorum rituum Congregationis ſub die 15. Apr. anno 1668. eruuntur. In his primo omnia, quæ in ejns cauſa Beatificationis, & Canonizationis geſta fuerant, commemorantur; tum indicatis, quæ a Summo Pontifice Clemente IX. in ejus honorem concedebantur, apparatus Baſilicæ Vaticanæ ad Beatificationem peragendam deſcribitur. Inde edictum ſuper Indulgentia plenaria conceſſa pro illa ſolemnitate memoratur, & Notarius ſupradictæ Congregationis rituum ad ſolemnia Beatificationis adnotanda advocatus teſtatur, poſt ingentem populi multitudinem, acceſſiſſe ad locum in dicta Baſilica pro ſolemnitate deſtinatum Cardinales, & Conſnltores ejuſdem Congregationis, alioſque Prælatos, necnon dictæ cauſæ Procuratores; mox a ſacrario pro-

ceſſiſſe totum Baſilicæ Capitulum una cum Cardinali Archipresbytero, & cum Canonico Epiſcopo ſolemnia celebraturo pretioſis veſtibus induto. Cauſæ Procuratores habentes literas Apoſtolicas in forma Brevis ſuper Beatificatione Servæ Dei Roſæ prædictæ apud Cardinales prædictos inſtiterunt, ut literæ eædem publicarentur. Cardinalis Congregationis præfectus illas accepit, & ad Cardinalem Archipresbyterum per Congregationis Secretarium tranſmiſit, Archipresbyter vero illas uni ex cæremoniarum magiſtris conſignatas per Manſionarium Archiviſtam publicari juſſit, iſque mox eas e ſuggeſtu perlegit.

Hoc Breve Beatificationis apud S. Sabinam datum fuerat die 12. Febr. an. 1668. Summus Pontifex Clemens IX. indulgebat, ut eadem Dei Serva Roſa inpoſterum Beata nuncuparetur, ejuſque reliquiæ publice colerentur, non tamen in proceſſionibus circumferrentur, utque ejus imagines radiis, & ſplendoribus exornarentur, Officiumque, & Miſſa de Virgine non Martyre ſub ritu duplici in univerſo Prædicatorum Ordine, & in aliis determinatis locis in ejus honorem celebrarentur, & ſolemnia Beatificationis peragerentur.

Abſoluta Brevis lectione Epiſcopus celebrans canticum *Te Deum laudamus* inchoavit, & ſtatim Servæ Dei imagines detectæ fuerunt, quas in genua provoluti adſtantes omnes devotiſſime venerati ſunt, & alia lætitiæ ſigna edita fuerunt. Abſoluto cantico, Diaconus ℣. *Ora pro nobis B. Roſa*: Chorus ℟. *Ut digni efficiamur* &c. protulerunt: Celebrans vero orationem propriam de dicta Beata recitavit, imaginemque incenſo thure veneratus eſt, & Miſſam de Virgine non Martyre ſolemniter celebravit, cum interim imagines, & compendia vitæ Beatæ diſtribuerentur. Ad veſperas Summus Pontifex ad eamdem Baſilicam magno comitatu ſe contulit ſacras Beatæ imagines veneraturus. Adfuerunt multi viri Principes Eccleſiaſtici, & ſeculares, quibus pariter imagines, compendia vitæ Beatæ, & alia diſtributa fuerunt.

Poſt hæc in iiſdem monumentis alia ejuſdem Beatificationis ſolemnitas in Eccleſia S. Mariæ ſupra Minervam peracta die 13. Maji ejuſdem anni per eumdem ſacræ Congregationis rituum Notarium apponitur. Primo igitur inſignis apparatus illius Eccleſiæ deſcribitur, in qua Capella Cardinalitia habenda erat in eadem ſolemnitate: complures idcirco Cardinales in eamdem Eccleſiam conveniſſe recenſentur, ubi Epiſcopus Urbevetanus ſolemnem Miſſam celebravit, in quà poſt Evangelium Reverendiſſ. Paulus Oliva Societatis Jeſu Generalis Præpoſitus, & Apoſtolicus magni nominis Concionator luculentiſſimam orationem panegyricam Italice contextam ſuper vita, & miraculis Beatæ habuit. Imagines quoque, & compendia ut ſupra diſtributa fuerunt. Hæc ſolemnitas per integram hebdomadam continuata fuit, & ſingulis diebus ſolemnis Miſſa celebrabatur, poſt veſperas orationes italico idiomate de ejuſdem Beatæ rebus geſtis per diverſos concionatores habebantur, innumera populi multitudine illuc confluente ad plenariam lucrandam indulgentiam in hac ſolemnitate conceſſam.

Die 23. ejuſdem menſis Maji aliqua de eadem Beatificatione ſolemnitas celebrata fuit in Eccleſia S. Ignatii Societatis Jeſu; in quam cum Cardinalis Vicarius, aliique Prælati, & nobiles viri, & Religioſi conveniſſent, nonnulli *Convictores* Seminarii Romani partim ſoluto, partim verſibus compoſito ſermone Beatæ laudes prædicarunt.

Die 10. menſis Junii proxime ſequentis ſolemnia eadem in Eccleſia SS. Jacobi, & Idephonſi nationis Hiſpanæ de Urbe celebrata fuerunt. Siquidem Summus Pontifex in ſupradictis literis Apoſtolicis permiſerat, ut poſtquam in Baſilica Vaticana peracta fuiſſent, celebrari etiam in dicta Eccleſia intra bimeſtre poſſent. Elegans igitur hujus Ec-

Digitized by Google

Eccleſiæ ornatus primo deſcribitur, mox, accedente adeam Catbolici Regis apud Summum Pontificem Oratore, Archiepiſcopus Tarentinus Miſſarum ſolemnia celebravit, inter quæ R. P. Nicolaus Martinea Societ. Jeſu amplam Hiſpanico idiomate orationem de Beatæ virtutibus, & miraculis babuit, & alia lætitiæ ſigna tam præcedentibus Veſperis, quam per totam illam diem edita ibi fuerunt.

Porro de prædictis omnibus Horatius de Abbatibus ſacræ rituum Congregationis Notarius, Cancellarius, & Archiviſta Inſtrumenta confecit, atque ſubſcripſit. Et de horum Inſtrumentorum ſubſcriptione, & publicatione ſubditur atteſtario Cardinalis Ginetti ſac. rit. Congregationis Præfecti, & Urbis Vicarii.

Sequuntur monumenta publica ſolemnium Beatificationis ſervi Dei Turribii Arcbiepiſcopi Limani. Ac primo quidem Inſtrumentum exhibetur de iiſdem ſolemniis die 2. Jul. an. 1679. in baſilica Vaticana ſub Innocentio XI. celebratis. In hoc ea, quæ in Congregatione rituum in hac cauſa geſta ſunt, & quæ in ſervi Dei honorem Summus Pontifex conceſſit, nec non baſilicæ apparatus memorantur. Mox omnia, quæ pro recta ſolemnium celebratione in eadem Baſilica, ſicut in Beatificatione S. Roſæ Limanæ per acta ſunt, recenſentur. Poſtremo apponuntur literæ Apoſtolicæ in forma Brevis a laudato Pontifice Innocentio XI. expeditæ die 28. Jun. ejuſdem anni, in quibus omnia, quæ in Beati honorem concedebantur, & loca, in quibus ſolemnia eadem, poſtquam abſoluta in baſilica Vaticana fuiſſent, celebrari poſſent, referuntur.

Additur in eodem Inſtrumento eamdem poſtea ſolemnitatem die 19. Novembr. celebratam fuiſſe in Eccleſia S. Mariæ Montis Serrati nationis Hiſpanorum de Urbe. Siquidem præfatus ſummus Pontifex Innocentius XI., Hiſpaniarum Rege, aliiſque poſtulantibus, per alias literas Apoſtolicas in forma Brevis die 27. Septembr. ſupradicti anni 1679., eorumdem ſolemnium celebritatem in aliud tempus prorogavit, & ad alia loca extendit ultra deſignata in primo Brevi Beatificationis.

Atque de bis omnibus Inſtrumentum ſubſcripſit, & publicavit Jacobus Saſſus Notarius, Cancellarius, & Archiviſta Congregationis ſacrorum rituum. Et authenticum redditur per atteſtationem Cardinalis Vicarii.

Subditur aliud publicum Inſtrumentum ſuper eorumdem ſolemnium celebratione in Eccleſia S. Anaſtaſiæ de Urbe. Poſtulatore enim hujus cauſæ ſupplicante, idem Pontifex per alias literas in forma Brevis die 9. Martii an. 1680. expeditas ejuſmodi celebritatem in dicta Eccleſia peragi benigne indulſit: uti ſane die 5. Maii ejuſdem an. 1680. magnifice peracta fuit, cujus tota ſeries in eodem Inſtrumento deſcribitur, quod ſubſcripſit, & publicavit Jeremias de Rubeis curiæ Cardinalis Vicarii Notarius, cui accedit ejuſdem Cardinalis Vicarii atteſtatio.

CAPUT VI.

APPENDIX V.

A Primum librum.

Brevia Beatificationum Servorum Dei Petri Forerii, Catharinæ de Ricciis, Alexandri Saulii, & Camilli de Lellis, de quibus in cap. 24. lib. 1.

BEatificatio Servi Dei Petri Forerii Præpoſiti Generalis, & Reformatoris Congregationis Salvatoris Ordinis Canonicorum Regularium S. Auguſtini &c. Sub Benedicto XIII. peracta eſt; qui per ſuas literas Apoſtolicas in forma Brevis expeditas die 10. Januar. an. 1730. auditis Cardinalium, & Conſultorum ſacræ Congregationis rituum ſuffragiis, acceptiſque complurium Principum tam Eccleſiaſti-

ſiaſticorum, quam Secularium poſtulationibus, eidem Servo Dei Petro Forerio *Beati* nomen, ejuſque Reliquias publicæ venerationi exponi, imagineſque radiis exornari indulſit. Dummodo tamen in publicis proceſſionibus non circumferrentur. Officium quoque, & Miſſam, & ſolemnia Beatificationis in determinatis locis, & a deſignatis cœtibus, necnon ſtatuto tempore in ejus honorem celebrari conceſſit.

Similia huic ſunt, quæ ſequuntur, Brevia Beatificationum Servæ Dei Catharinæ de Ricciis Monialis Ordinis S. Dominici, ſub Clemente XII. die prima Octobr. an. 1732. Servi Dei Alexandri Sanlii ex Clericis Regularibus S. Pauli vulgo Barnabitis, primum Aleriæ, deinde Papiæ Epiſcopi ſub BENEDICTO XIV. die 23. Apr. an. 1741. B. Camilli de Lellis Fundatoris Clericorum Regularium Miniſtrantium Infirmis ſub eodem BENEDICTO XIV. die 7. Apr. 1742.

CAPUT VII.

APPENDIX VI.

Ad Primum librum.

Breve ſolemnis Beatificationis BB. Martyrum Goreomienſium undecim ex Ordine Fratrum Minorum S. Franciſci de Obſervantia, & aliorum octo, qui in odium Orthodoxæ Fidei 9. Jul. 1572. ſimul Brilæ perempti ſunt. De quo in cap. 27. lib. 1.

IN hoc Brevi die 14. Novembris an. 1675. expedito relatis ſacræ Rituum Congregationis ſuffragiis, quæ Martyrio, ac ſignis, prodigiſque diligenter expenſis cenſuit ad horum Martyrum Canonizationem deveniri tuto poſſe, atque interim honores Beatificationis decernendos illis eſſe: Clemens X. illos *Beatos* nominari, eorumdem Reliquias coli (non tamen in proceſſionibus), imagines radiis ornari, Miſſamque, & Officium in eorum honorem, ac Beatificationis ſolennia in determinatis locis, & ſtatuto tempore celebrari permiſit, poſtquam in Baſilica Vaticana peracta fuiſſent.

Subditur Breve Beatificationis B. Joſephi a Leoniſſa Ordinis Capuccinorum ſub Clemente XII. die 19. Jun. an. 1737. expeditum, in quo idem Pontifex eoſdem Beatifiationis honores huic Beato indulget, ſed prima hujuſmodi ſolemnia in Baſilica Lateranenſi de Urbe celebrari jubet.

CAPUT VIII.

APPENDIX VII.

Ad Primum librum.

Compendia vitæ, virtutum, & miraculorum, necnon Actorum in cauſis Canonizationis BB. Pii V., Andreæ Avellini, Felicis a Cantalicio, & Catharinæ de Bononia, compoſita ab hujus operis Auctore tunc Fidei Promotore; de quibus in cap. 34. lib. 1.

PRimum Compendium eſt Actorum B. Pii V., in quo ejus ortus, 14. Kal. Febr. an. 1504. in oppido Boſchi Derthonenſis diœceſis ex nobili Ghiſleria gente e Bononia oriunda primo refertur. Michael in baptiſmate appellatus, decimoquarto ætatis anno Ordinem Prædicatorum ingreſſus, ac Sacerdotio initiatus, nonnulla in eo munia laudabiliter obiviſſe dicitur, ac præcipue illud Fidei Quæſitoris. Nepeſinus Epiſcopus, mox Cardinalis a Paulo IV. creatus, inde ad regendam Eccleſiam Montis Regalis in Subalpinis a Pio IV. tranſlatus, tandem an. 1566. ad Summum Pontificatum evectus, aſſumpto Pii V. nomine, omnia hæc numera admirabili prudentia, ac ſanctitate adminiſtraſſe perhibetur, tum caritate, humilitate, ceteriſque virtutibus floruiſſe, invicta præſertim conſtantia intuenda adverſus Hæreticos, Turcas, & impios quoſcumque

que Catholica Fide . Sanctiſſime demum obiiſſe, poſtquam annos ſex, menſes tres, dies vigintiquatuor Eccleſiam rexiſſet : ſanctitate vero, ac miraculis in Rotæ Auditorio, & in ſacrorum rituum Congregatione probatis, a Clemente X. per Breve Apoſtolicum die 27. Apr. 1672. inter Beatos relatus eſt. Poſt hæc aliis ſupervenientibus miraculis, & approbatis, a Clemente XII. decretum emanavit de peragenda ejus Canonizatione.

Sequitur Compendium Actorum B. Andreæ Avellini. Hic apud Caſtrum Novum Lucaniæ oppidum an. 1591. natus, ac pie educatus dicitur. Lancellottus appellatus fuit, & paterna e domo, ſtudiorum cauſa, egreſſus, pietatem tamen rebus omnibus antetulit, ac pudicitiam adverſus iniquiſſimas inſidias ſtrenue cuſtodivit. Sacerdos factus, ac legalibus diſciplinis eruditus; cauſarum patrocinia in foro dumtaxat Eccleſiaſtico, & pro privatis quibuſdam perſonis Neapoli ſuſcepit. Sed ab his, ſuadente Confeſſario, diſtractus, Sanctimonialium regimini præficitur, quod exacte adminiſtrans pravorum hominum odia ſubiit, a quibus immiſſi ſicarii tribus eum in facie vulneribus percuſſerunt. Injuriam hanc, & poſtea interfecti cujuſdam nepotis ſui necem æquo animo pertulit, & pro percuſſoribus veniam apud Judices imploravit. Perfectioris vitæ deſiderio flagrans, ubi convaluit, inter Clericos Regulares Theatinos adſcribi an. 1556. obtinuit.

In hoc ſtatu humilitate, caritate; aliiſque virtutibus clarus Neapolitanæ domus Theatinorum regimini præficitur, quod ſubinde ſumma prudentia, & attentione adminiſtravit. Orationi, & Sacramentis miniſtrandis addictus, animarum totius Neapolitanæ civitatis moderator extitit, unde & quamplurimos e peccatorum barathro, idque poſtea Mediolani, & Placentiæ præſtitit, ubi etiam ſui Ordinis domicilia inſtituit. Illius operam S. Carolus Borromæus, & Paulus de Aretio in paſtoralis muneris negotiis adhibuerunt. Provinciarum Lombardiæ, Romanæ, & Neapolitanæ Viſitator deſignatus maximas Ordini ſuo utilitates afferre curavit. Ad regendam Neapolitanam S. Pauli Domum interim adſcitus ingentem populi tumultum in ea urbe exortum ſedavit. Duplici arduo voto ſeſe obſtrinxit, altero ſuæ voluntati ſemper obſiſtendi, altero in via chriſtianæ perfectionis ſemper ulterius progrediendi; quæ ſane quam exacte cuſtodierit, ſatis probant aſperrimæ ſui corporis afflictationes, & reliquæ virtutes, quibus floruit, & inſignia charismatum, præſertim prophetiæ, dona, quibus Deus Servi ſui Sanctitatem illuſtravit.

Tandem anno ætatis ſuæ 88., reparatæ ſalutis 1608. cum ad Altare Miſſam celebraturus acceſſiſſet, ad illa verba, *Introibo ad Altare Dei*, apoplexia repente perculſus, ideoque in cubiculum reductus, & Euchariſtia, ac extrema Unctione munitus ſanctiſſime obiit. Statim ejus Sanctitatis fama percrebuit, & nonnulli tam ordinaria, quam Apoſtolica auctoritate proceſſus efformati ſuper ipſius virtutibus, & miraculis fuerunt. Quibus omnibus primum a Rotæ Auditoribus, inde in ſacrorum rituum Congregatione approbatis, Urbanus VIII. die 10. Jun. an. 1625. Andream inter Beatos retulit, Miſſamque, & Officium apud Theatinos celebrari in ejus honorem conceſſit, & in aliis civitatibus, quæ Beatum ſibi in patronum, nondum tunc lata lege id vetante, cooptarunt. Quibus aliæ ſubinde in ejuſdem honorem conceſſiones acceſſerunt.

Poſt edita laudati Urbani generalia decreta, literæ remiſſoriales, & compulſoriales expeditæ fuerunt ad conſtruendos proceſſus ſuper iis, quæ poſt Beatificationem contigerant, demum tria ſub Clemente XI. approbata fuere miracula, & Congregatio generalis cenſuit, hujus Beati Canonizationem perfici tuto poſſe, de qua

re

Digitized by Google

re decretum idem Clemens die 12. Maii an. 1707. edidit.

Subditur compendium Actorum B. Felicis a Cantalicio. Porro in hoc caſtro diœceſis Civitatis Ducalis, pauperibus, ſed piis parentibus an. 1513. natus, poſtmodum agriculturam exercens aliquandiu piiſſime vixiſſe dicitur, donec an. 1543. Capuccinorum Religionem ingreſſus, in eaque muneri quærendi oſtiatim per Urbem eleemoſynas addictus, ſumma caſtitate, paupertate, obedientia, humilitate, abſtinentia, caritate, Sacramentorum frequentia, ceteriſque Chriſtianis virtutibus clarus, Fratribus, aliiſque quampluribus, præcipue S. Philippo Nerio acceptiſſimus, uſque ad annum 1587. ſanctiſſime vixit, quo ſane anno, morte ſua præcognita, & prænunciata, Felix B. M. Virginis præſentia recreatus die 18. Maii plenus dierum, & meritorum ſanctiſſime obiit.

Ingens ſtatim populi concurſus ad ejus cadaver venerandum factus eſt, quod ſubinde in arca plumbea conditum in communi primum Fratrum cœmeterio, mox in templi ſacello, duobus præſentibus Cardinalibus, ſepultum fuit. Crevit populorum concurſus, miraculis Deo Servi ſui ſanctitatem illuſtrante, & paulo poſt ipſe Sixtus V. ante illius ſepulcrum oravit, & alii poſtea Pontifices quædam in ejus honorem conceſſerunt. Proceſſus quoque ſuper illius virtutibus, & miraculis ordinaria, & Apoſtolica auctoritate conſtructi fuerunt. Prodierunt interim Urbani VIII. decreta a quibus tamen B. Felicis cultus fuit exceptus, utpote Pontificia auctoritate conceſſus. Quamobrem Actis, virtutibus, & miraculis primum a Rotæ Auditoribus, mox a ſacrorum rituum Congregatione approbatis, idem Urbanus per Apoſtolicum diploma Kal. Octobr. an. 1625. datum, Felicem Beatum nuncupari, Officiumque, & Miſſam in ejus honorem in quibuſdam locis celebrari permiſit.

Aliis poſt hoc indultum patratis miraculis, conſueti auctoritate Apoſtolica efformati ſunt proceſſus, inde duo miracula, unum ſub Innocentio X. alterum ſub Clemente XI. approbata ſunt. Demum laudata Congregatione in B. Felicis Canonizationem conſentiente, idem Clemens die 8. Maii an. 1709. Decretum de illa peragenda edidit.

Ultimo loco ponitur Compendium Actorum B. Catharinæ de Bononia, in quo, ut in reliquis ſupradictis compendiis, ejus ortus, & res ſanctiſſime geſtæ primum in ſecularibus, mox in Religioſis ſub S. Claræ Inſtituto Domibus tam Ferrariæ, quam Bononiæ, nec non ejus obedientia, humilitas, auſteritas, & reliquæ admirabiles virtutes deſcribuntur. Hiſque omnibus, ac prophetia, aliiſque chariſmatibus conſpicua an. Domini 1463. ætatis 50. Bononiæ ſanctiſſime obiiſſe dicitur.

Pretioſum ejus cadaver in cœmeterio primum ſepultum, inde ad nobiliorem locum translatum, piæ confluentium undique multitudini venerandum patuit, & incorruptum permanſit, Deo varia conferente poſtulantibus beneficia ad Servæ ſuæ interceſſionem. Actum fuit de ipſius Canonizatione ſub Clemente VII., ſed acerbæ illius temporis viciſſitudines rem perfici prohibuerunt. Plures tamen cultus ſpecies laudatus Pontifex, & alii Succeſſores in ejus honorem conceſſerunt.

Anno tandem 1645. introducta fuit Canonizationis cauſa, & approbato ob ſupradictas conceſſiones caſu excepto a Decretis Urbani VIII., conſtructiſque proceſſibus ſuper fama ſanctitatis in genere, & ſuper reliquis, & in Congregatione rituum perpenſis, virtutes heroicæ, ſub Innocentio XI. an. 1680., duo vero miracula, poſt indultam venerationem patrata, ſub Clemente XI. an. 1703. approbata fuerunt. Demum cum ſacra eadem Congregatio cenſuiſſet poſſe ad ejus Canonizationem deveniri, idem Clemens

menſis die 17. Maii an. 1707. Decretum de illa peragenda publicari juſſit.

CAPUT IX.

APPENDIX VIII.

Ad Primum librum.

Reſponſiones Præſulum a Secretis Brevium ad Principes, latæ in publicis Conſiſtoriis nomine Summorum Pontificum &c. de quibus cap. 34. lib. 1.

PRima eſt pro Clemente VIII. in Canonizatione S. Hyacinthi. In qua Præſul Secretarius Brevium nomine ejuſdem ſummi Pontificis reſpondet, accepta Sanctitati ſuæ fuiſſe, quæ in copioſa oratione tunc habita de eodem Sancto explicati fuerunt. Laudat B. Hyacinthi merita, & poſtulationes memorat a Principibus pro illius Canonizatione impetranda porrectas. Sed de re tanti momenti cum Cardinalibus, Archiepiſcopis, & Epiſcopis maturius eſſe agendum, quos idcirco hortatur, ut quæ in hac cauſa acta ſunt, diligenter expendant, & Divinæ gratiæ lumen ad tantum negotium juſtius perficiendum humillimis precibus a Deo indeſinenter expoſcant.

Secunda reſponſio eſt pro Sixto V. in Canonizatione S. Didaci, qua quidem in re cum ſuperiori convenit.

Tertia pro Gregorio XV. lata perhibetur in Canonizatione S. Tereſiæ, quæ eodem fere modo, ac duæ antecedentes, procedit.

CAPUT X.

APPENDIX IX.

Ad Primum librum.

Summorum Pontificum Allocutiones habitæ in ſemipublicis Conſiſtoriis &c. de quibus cap. 34, lib. 1.

PRima ponitur allocutio Pauli V. ſuper Canonizatione B. Franciſcæ Romanæ. In qua ipſe enarratis ſummatim rebus geſtis, & virtutibus heroicis ejuſdem Sanctæ, hanc Canonizationis honore dignam exiſtimat, ſuper quo tamen prius venerabilium Fratrum præſentium ſententias audire exoptat.

Altera eſt allocutio Urbani VIII. pro Canonizatione B. Andreæ Corſini, quæ eodem ferme modo, ac ſuperior procedit.

CAPUT XI.

APPENDIX X.

Ad Primum librum.

In qua nonnulla exhibentur ſuffragia in ſemipublicis lata Conſiſtoriis occaſione Canonizationis quorumdam Sanctorum, de quibus cap. 34. lib. 1.

PRimo loco duo referuntur ſuffragia Cardinalis Bellarmini, alterum Clementi VIII. exhibitum pro Canonizatione S. Raymundi, alterum Paulo V. pro Canonizatione S. Franciſcæ Romanæ. In ambobus laudatus Cardinalis utriuſque Sancti merita paucıſſimis perſtringens, cenſet non eſſe diutius eorum Canonizationem differendam.

Octo ſubinde adduntur ſuffragia in ſemipublicis Conſiſtoriis ſub Benedicto XIII. lata ab hujus Operis Auctore, non jam tamquam Fidei Promotore, qualis tunc erat, ſed ut Archiepiſcopo Theodoſiæ. Primum ſuffragium B. Peregrini Canonizationem, alterum B. Aloyſii, tertium B. Stanislai, quartum B. Jacobi de Marchis, quintum B. Joannis a Cruce, ſextum Beatæ Agnetis Virginis Politianæ, ſeptimum B. Franciſci Solani, octavum B. Turribii Canonizationes reſpiciunt. Et in his pariter ſuffragiis Auctor, attentis eorumdem Beatorum meritis, eorum Canonizationes peragendas eſſe inſinuat.

CAPUT XII.

APPENDIX XI.

Ad Primum librum.

Reſponſiones nomine ſummorum Pontificum in quibuſdam ſolemnibus Canonizationibus a Præſulibus Secretariis Brevium ad Principes datæ Poſtulatorum petitionibus. Accedit brevis relatio cæremoniarum, quæ habitæ fuerunt in Canonizatione BB. Iſidori, Ignatii, Franciſci Xaverii, Tereſiæ a Jeſu, & Philippi Nerii, qui a Gregorio XV. die 12. Mart. an. 1622. Canonizati fuerunt. De quibus omnibus cap. 36. lib. 1.

PRimo loco referuntur reſponſiones pro Clemente VIII. datæ in Canonizatione S. Raymundi. Tres ſunt hujuſmodi reſponſiones totidem petitionibus pro obtinenda Canonizatione porrectis correſpondentes. Et in duabus primis Præſul Secretarius nomine ſummi Pontificis reſpondit, orandum eſſe Deum, ut in re tam difficili, ipſe quid agendum lumine ſuæ veritatis oſtenderet. Poſt primam verò reſponſionem litaniæ decantatæ fuerunt, poſt ſecundam hymnus *Veni Creator Spiritus*. In tertia reſponſione idem Præſul ſubdidit, ſummum Pontificem exiſtimare, æquum eſſe, ut B. Raymundus inter Sanctos adſcriberetur, moxque Pontifex per definitivam ſententiam illum Sanctum eſſe, pronuntiavit.

Secundo loco aliæ exhibentur reſponſiones pro Sixto V. in Canonizatione S. Didaci datæ, quarum tota ſeries eadem ferme, ac paulo ante indicata, dignoſcitur.

Tertio loco ponuntur reſponſiones pro Benedicto XIII. datæ in Canonizatione SS. Turribii, Jacobi de Marchia, & Agnetis Politianæ. Poſtremo aliæ in Canonizatione SS. Aloyſii Gonzagæ, & Stanislai Koſtkæ; quæ quidem omnes in re cum ſuperioribus cohærent, ſed præter ipſas reſponſiones nil aliud hic refertur.

Succedit relatio cæremoniarum, in Canonizatione BB. Iſidori, Ignatii, Franciſci Xaverii, Tereſiæ, & Philippi Nerii, ſervatarum. Brevi hic præmiſſa notitia ortus, & obitus, ac patriæ uniuſcujuſque ex dictis Beatis, ad Baſilicam Vaticanam, quæ ad hanc peragendam ſolemnitatem magnificentiſſime ornata fuerat, e Palatio ſummum Pontificem ſolemni pompa, & comitatu deſcendiſſe deſcribitur, eique in Pontificali Sede aſſidenti conſuetam Cardinales obedientiæ ſignificationem exhibuiſſe. Tum Cardinalis Canonizationis Procurator acceſſit, ejuſque nomine Advocatus ternas inſtantias pro eadem Canonizatione obtinenda expoſuit, ad quarum ſingulas Pontificis Secretarius ejus nomine, & juſſu reſpondit. Et ad primam quidem & ſecundam, rei attenta magnitudine, preces ad Deum fundendas eſſe dixit, ideoque poſt primam, litaniæ Sanctorum, poſt ſecundam, hymnus *Veni Creator Spiritus*, & aliæ preces decantatæ fuerunt. Ad tertiam demum inſtantiam idem Secretarius reſpondit, Sanctitatem ſuam decernere, recenſitos quinque Beatos inter Sanctos eſſe referendos. Poſt hæc Advocatus nomine Cardinalis Procuratoris, gratiis actis, literas Apoſtolicas ſuper Canonizatione facta petiiſſe dicitur, eaſque Sanctiſſimus decrevit.

CAPUT XIII.

Incipiunt taxationes expenſarum, quæ fiunt in promovendis cauſis Servorum Dei.

APPENDIX XII.

Ad Primum librum.

Taxatio Notarii Congregationis ſacrorum rituum, de qua in cap. 46. lib. 1.

OMnia hic italico idiomate exprimuntur, & vigintiocto numeris omnia comprehenduntur, quæ

a ſuo

a ſuo Notario obſervari ſacra rituum Congregatio juſſit. Notario itaque præſcribitur quid in Acta referre, & quid pro his accipere debeat. Quomodo inſtantias pro cauſis Beatificationum, & Canonizationum recipere, cuſtodire, & petentibus communicare: Quid pro exemplaribus Actorum, & proceſſuum exigere, quomodo eadem conficere, quas iis rubricas addere, & quid pro his accipere poſſit. Quid pro auſcultatione, & collatione proceſſuum, pro remiſſoriis, compulſoriis, & compulſationibus, pro examine, pro ſubrogationibus Judicum, & novorum terminorum in cauſis Beatificationis, & Canonizationis, pro citationibus, aliiſque ſcripturis, aut harum duplicatu recipere debeat. Emolumentum vero pro quibuſdam præter hæc occurentibus, a Cardinali Præfecto decernatur. Statuitur ſubinde quid obſervandum ſit in conſtruendis proceſſibus Beatificationum, & Canonizationum: ut Notarius librum *receptorum* conficiat: ut duo comparentur Manualia, alterum Actorum cauſarum Beatificationis, & Canonizationis, alterum cauſarum controverſarum, & legenda *gratis* exhibeantur: ne Notarius ſcripturas originales extrahere ab Officio poſſit, ſed exemplaria; originalia vero *gratis* exhibere legenda debeat: quid exigere poſſit, dum ſcripturæ productæ reſtituuntur: nil ipſi debetur de iis, quæ ex Congregationis Secretaria expediuntur; neque ſi pergat ad legendas citationes. Jubetur idem peculiari formula jurare hujus taxationis obſervantiam: tandem omnia hæc excudi, & palam in Officio retineri decernitur, quæ quidem ſub die 6. Aug. an. 1678. ſtatuta exhibentur, & ab Innocentio XI. die 15. Octobr. ſequentis approbata dicuntur.

CAPUT XIV.

APPENDIX XIII.

Ad primum Librum.

Taxatio mercedis Procuratorum, & Advocatorum, qui Beatificationum, & Canonizationum cauſas patrocinantur, à Sacra Rituum Congregatione ſtatuta; de qua cap. 46. lib. 1.

HÆC quoque Italico idiomate exprimitur, & ſeptendecim numeris omnia traduntur, quæ pro quibuſcumque ſcripturis, ſummariis, reſponſionibus, ſupplicibus libellis, exemplaribus, informationibus in voce, citationibus, & aliis hujuſmodi ad ſupradictas cauſas pertinentibus, iiſdem Procuratoribus, & Advocatis tribuenda ſunt; & ubi aliquid obtingat in hac taxatione non expreſſum, ad arbitrium Cardinalium, Præfecti ſacræ Congregationis, & cauſæ Ponentis remittitur. Poſtremo ſtatuitur, ut hæc in ejuſdem Congregationis Acta referantur, excudantur, publicentur, & adamuſſim ſub gravibus pœnis obſerventur. Die vero 15. Octobr. an. 1678. ab Innocentio XI. approbata dicuntur.

CAPUT XV.

APPENDIX XIV.

Ad primum Librum.

Taxatio pro mercede Scripturarum Excuſoris, necnon Fidei Subpromotoris pro earum reviſione, & Correctorum pro correctione; de qua cap. 46. lib. 1.

EXibetur hic decretum ab Alexandro VII. die 19. Jul. 1661. expeditum. Ac primo quidem, de conſilio ſacræ rituum Congregationis, permittit ſummus Pontifex, ut omnes ſcripturæ ad Beatificationum, & Canonizationum cauſas pertinentes typis

mandari poſſint, quamquam id Urbanus VIII. olim prohibuerit. Tum hanc imprimendi facultatem Typographo Camerali concedit, dummodo ipſe pro uno quoque folio quatuor paginarum linearum, & litterarum numerum continentium cum apoſtillis julios quindecim dumtaxat accipiat, ſuiſque ſumptibus omnia in hoc comparet.

Sexaginta dumtaxat exemplaria imprimantur, quod ſi plura Secretarius Congregationis rituum deſideret, pro unoquoque horum folio tres julii ſolum ſolvantur. Impreſſa ſubſcribantur, & ſigillo Congregationis muniantur ab eodem Secretario, & præter hæc nullum exemplar quiſquam ſub gravibus pœnis retineat. Ante impreſſionem ſubpromotor illa revideat, & ſubſcribat, cui pro quocumque folio unus carolenus ſolvatur, neque alia pro impreſſione opus ſit licentia. *Pro ſcripturis Fidei Promotoriis* imprimendis ejus ſubſcriptio ſufficiat. Correctoribus duo caroleni pro quolibet folio tribuantur, a ſupradictis quindecim juliis detrahendi. Quodſi Typographus Cameralis id recuſet, harum impreſſio ſcripturarum cuicumque Urbis Typographo permittitur. Scripturæ vero quomodocumque impreſſæ majorem probationem non conſtituunt, quam ſi impreſſæ non fuiſſent.

Subpromotori autem nonnulla mandantur quoad proceſſuum expoliationem, & examen, nec non quoad ſummariorum, quæ a Procuratoribus conficiuntur, reviſionem, & ſubſcriptionem ante, & poſtquam impreſſa fuerint. Summaria vero, & informationes ante has ſubſcriptiones ſub gravibus pœnis non publicentur. Tenetur quoque aliud, ſi Promotori videbitur, ſummarium objectionale conficere, quod ſacra Congregatio valde expedire cognoſcit, ut veritas magis eluceſcat. Pro quolibet autem proceſſu examinando decem ducati auri in quolibet dubio ei perſolvantur. Sed quoad proceſſus Apoſtolicos in ſpecie tribus dumtaxat vicibus, nempe cum de validitate, cum de virtutibus, cum de miraculis diſputatur, ſtipendium illud tribuatur, etiamſi pluries de recenſitis dubiis diſputari contingat.

Statuit inſuper ſacra Congregatio, ut Interpres proceſſuum extero idiomate confectorum, nec non interpretationis Reviſor a Cardinali Ponente eligatur, citato, & audito Fidei Promotore. Si error ſubſtantialis adſit, Interpres arbitrio Congregationis puniatur. Utrique autem ab eodem Cardinali Juramentum deferatur de munere fideliter adimplendo, & unum carolenum pro quocumque folio reducto, cujus facies lineas 24., linea ſyllabas 16. habeat, perſolvatur.

CAPUT XVI.

APPENDIX XV.

Ad Librum Primum.

Nova taxatio expenſarum pro Cauſis, & ſolemnitatibus Beatificationum, & Canonizationum a BENEDICTO XIV. *ſtatuta.*

AD controverſias in antiquis expenſarum taxationibus interpretandis exortas, & abuſus, qui ſenſim irrepſerant, tollendos, ac in poſterum præcavendos, hanc taxationem, deinceps omnino ſervandam, ſtatuit BENEDICTUS XIV., quam Italico vulgatam idiomate, hic Latinitate donatam ſubdimus.

De Fidei Promotore.

1 Fidei Promotori pro autographa, ideſt propria manu ſubſignata deſcriptione animadverſionum ſuper commiſſione introductionis, aut reſumptionis cauſæ, aut ſuper cultu, aut non cultu, aut ſuper validitate proceſſuum, aut ſuper fama virtutum, vel miraculorum in genere, quinque argentei nummi, quorum ſinguli ſint julio-

julíorum decem, tribuantur, & nihil ultrà.

2 Pro autographa deſcriptione animadverſionum ſuper virtutibus in ſpecie, aut ſuper miraculis decem argentei nummi, & nihil ultra. Pro ſecundis, & tertiis animadverſionibus ſuper iiſdem dubiis, ſi poſt Congregationem antepræparatoriam, aut præparatoriam faciendæ ſint, quinque argentei nummi, & nihil ultra.

3 Pro autographa deſcriptione animadverſionum, aut notarum, quæ ab ipſo Sacræ Congregationis juſſu faciendæ ſint, ſuper conceſſione Officii, deſcriptione in Martyrologio, reviſione ſcriptorum, ordinatoriis judicii, expeditione litterarum remiſſorialium &c. aut etiam ſuper ultimo dubio, an tuto deveniri poſſit ad Beatificationem, vel Canonizationem, tres argentei nummi, & nihil ultra.

4 Pro autographa deſcriptione inſtructionum juſſu Sacræ Congregationis facienda ad inveſtigationem ſcriptorum, quæ ſervorum Dei eſſe perhibentur, aut alia ſimili de cauſa, unus nummus aureus. Pro aliis vero deſcriptionibus inſtructionum hujuſmodi ad plura, ac diverſa loca mittendarum, duo dumtaxat julii.

5 Pro autographa deſcriptione interrogatoriorum, ſuper quibus examinandi ſunt teſtes in proceſſibus ſuper non cultu, aut cultu, aut fama ſanctitatis in genere, duo tantum argentei nummi, & ſuper virtutibus in ſpecie, aut miraculis, tres dumtaxat argentei nummi.

6 Nullum autem emolumentum, aut munus impertiendum eidem eſt pro alia quacumque opera, aut labore, quem ſubeat ratione officii ſui, cujuſmodi eſſet acceſſus ad archiva, bibliothecas, altaria, ſacella, ſepulchra, vel ut ſcripta, aut inſcriptiones recognoſcat, vel ut de cultu, aut non cultu certior fiat, vel ut cadaverum incorruptionem deprehendat, aut ea alio transferat &c. Hi enim labores ſatis compenſantur reditibus, quibus fruitur ut Fiſci Advocatus; aut ſi hoc munus a Promotoris Fidei munere ſejunctum ſit, annua trecentorum argenteorum nummorum penſione, quæ ex Advocati Fiſcalis reditibus eidem traditur, & quotidiana portione panis, & vini Pontificii Palatii, quæ ab Advocato Fiſcali ad Promotorem Fidei tunc transfertur.

7 Illud animadvertat Promotor, ut animadverſiones ſuas ea majori brevitate exaret, quam patitur materies, de qua agitur, neque oppoſitiones repetat, in ſimilibus cauſis ut inanes, nulliuſque ponderis rejectas. Præterea ſecundas, ac tertias animadverſiones ad ea difficultatum capita coarctet, quas in præcedentibus Congregationibus Conſultores excitaverint, eas vero etiam indicet, quibus jam antea excitatis non fuiſſe plene ſatisfactum Conſultoribus videatur.

De Fidei Promotore.

1 PRO examine, & ſpolio proceſſuum, ſive ſint Ordinarii, ſive Apoſtolici, ſive remiſſoriales, ſive compulſoriales, ſive remiſſoriales ſimul, & compulſoriales, quod ter, vel quater a ſubpromotore faciendum eſt, ut quæ opponenda ſunt, adnotet, videlicet nunc pro ſignatura commiſſionis ad introducendam, vel reſumendam cauſam, nunc pro dubio ſuper proceſſuum validitate, nunc pro dubio ſuper virtutibus in ſpecie, aut ſuper martyrio, nunc pro dubio ſuper miraculis, quindecim dumtaxat eidem ſolvantur julii pro ſingulis centenariis chartarum, quæ duas habeant frontes, & quælibet frons lineas vigintiquatuor, quælibet autem linea ſyllabas ſexdecim complectatur.

2 Pro ſpolio, & examine proceſſuum ſuper fama ſanctitatis, & miraculorum in genere, & ſuper non cultu, quod ſemel tantum faciendum eſt, pro ſingulis centenariis chartarum, ut ſupra, tria dumtaxat dentur ſcuta Romana.

3 Tria

3 Tria pariter ſcuta Romana eidem tribuantur pro ſpolio, & examine proceſſus particularis ſuper cultu. At ſi proceſſus exaratus ſit ſuper fama &c., & ſimul ſuper cultu, tunc quia pro hoc proceſſu julios quindecim pro ſingulis centenariis chartarum ſubpromotor accepir, cum de ſignanda commiſſione actum fuit, idcirco alios quindecim dumtaxat julios pro ſingulis centenariis chartarum ejuſdem proceſſus accipiet, cum de cultu approbando agetur.

4 Pro proceſſibus ſuper miraculis, qui ſeorſim a proceſſu ſuper virtutibus exarentur, cum eorum ſpolium, & examen bis fiat, ſemel videlicet, quando de validitate, & iterum, quando de relevantia diſputatur, duo dumtaxat ſcuta Romana pro ſingulis centenariis chartarum in quolibet examine tribuantur.

5 Pro notis, aut autographo exemplari notarum, ſeu difficultatum, quas in proceſſus examine collegit ad parandas animadverſiones (quæ tamen a Promotore, non a Subpromotore ſunt exarandæ) ſuper fama Sanctitatis in genere, aut ſuper non cultu, julii dumtaxat quindecim; ſuper commiſſione introductionis, aut reſumptionis cauſæ, aut ſuper cultu, aut ſuper plurium proceſſuum validitate, duo tantum ſcuta Romana: ſuper virtutibus in ſpecie, aut ſuper martyrio aut ſuper miraculis, quotquot ſint, tria ſolum ſcuta Romana. Neque ultra taxatum emolumentum poſtulare is quidquam aliud quovis pretextu, aut cujuſvis cauſæ obtentu poſſit. Quod ſi prædictis notis ſummarium objectionale adiungatur, quod Promotoris juſſu Subpromotor exaraverit, pro ejus deſcriptione novum emolumentum accipiat, videlicet ſex aſſes pro qualibet charta, ut ſupra.

6 Pro recognitione Scripturarum typis editarum, & pro reviſione, aut collatione ſummariorum, aut documentorum ad cauſam pertinentium cum proceſſibus, aut aliis autographis ſoluatur unus tantummodo carolenus pro quolibet folio typis edito, quod quatuor paginas, ſeu frontes contineat.

7 Pro correctione ſummariorum, quæ typis eduntur, ſubpromotori a Typograpbo duo tantum caroleni ſolvantur pro quolibet folio typis edito, ut ſupra.

8 Si forte inveniantur poſitiones typis editæ cum *Reviſa* Subpromotoris anterioris, & a ſubpromotore, qui in illius locum ſucceſſerit, quæratur, ut illas ſuo nomine ſignet, neque hic novum emolumentum petere, neque illi Poſtulator cauſæ tribuere poteſt, cum jam ſolutum fuerit pretium Anteceſſori, dum illæ imprimerentur.

9 Si tamen dictæ poſitiones, aut ſummaria imprimenda iterum ſint, pro recognitione, & collatione novæ editionis cum vetere, Poſtulator det ipſi unum dumtaxat carolenum pro ſingulis foliis editis, ut ſupra. Pro correctione vero Typographus Cameralis duos tantum carolenos ſolvat pro ſingulis foliis impreſſis, ut ſupra.

10 Pro ſeſſionibus, & aſſiſtentia, dum Romæ Apoſtolici proceſſus fiunt, tribuantur eidem aſſes duodecim cum dimidio pro ſingulis chartis teſtificationum, & aſſes quinque pro ſingulis chartis Actorum, & nihil ultra, cum hac tamen lege, ut charta quælibet duas paginas, ſeu frontes, quælibet pagina vigintiquatuor lineas, quælibet linea ſexdecim syllabas complectatur; & ut in dictarum chartarum calculo non comprehendatur tenor documentorum productorum, aut compulſatorum, aut regeſtorum in proceſſu, mandati procurationis, privilegii Tabellionum, articulorum, interrogatoriorum, decretorum Sacræ Congregationis, ſubrogationis Judicum, prorogationis terminorum, aliorumque hujuſmodi. At præter dictum emolumentum nihil ultra petere ſub quocumque prætextu Subpromotor poſſit.

Digitized by Google

11 In dictis ſeſſionibus, & in earum qualibet impedire nequit, ne Procurator cauſæ eodem tempore inducat, & curet, ut jurent, quotquot teſtes ipſe voluerit. Caveat præterea, ne multiplicentur acta ſuperflua, eorum enim nulla habebitur ratio, ſed merces pro iis dumtaxat Actis ſolvetur, quæ ad proceſſus validitatem ſunt neceſſaria.

12 Pro ſeſſionibus, aut aſſiſtentia in audiendis, aut conferendis deſcriptionibus documentorum inſertorum, aut compulſatorum in proceſſu cum autographis; necnon in audienda, aut conferenda deſcriptione proceſſus (quæ Sacræ Congregationi mox exhibetur) cum ſuo autographo, dentur Subpromotori decem tantum julii pro ſingulis centenariis chartarum, ut ſupra.

13 Pro nulla alia opera, aut labore hic non expreſſo mercedem ullam quocumque obtentu ſubpromotor exigere, aut Partes ei tribuere valeant.

14 Hæc taxatio, quæ pro Fidei Subpromotore ſtatuta eſt, conſtituta etiam intelligatur pro Fiſcali Promotore Cardinalis Vicarii in Urbe, aut Epiſcoporum extra Urbem in conſtruendis proceſſibus, aut alio labore ſubeundo, quem cum ſubpromotore communem habeat; niſi forte aliorum extra Urbem Tribunalium taxatio minor ſit, quæ ſane tunc ſervanda omnino eſt.

15 Poſtquam hæc regula vulgata typis fuerit, Subpromotor in Sacra Congregatione ad ejus obſervantiam Jure jurando ſe adſtringet juxta formulam pro Tabellione præſcriptam, quæ tradetur inferius.

De Tabellione.

1 OMnia regeſta, exemplaria, & Scripturas in papyro, quæ ſit ſcribendo utilis, & characteribus, qui intelligi poſſint, exaret juxta reformationem, & præſcriptum Pauli V. ſecus ſuis curabit impenſis, & abſque novo Partium impendio, ut iterum exſcribantur.

2 Duos habeat ad manus codices, quorum unus acta in cauſis beatificationis, aut canonizationis, alter cauſas controverſas, & contentioſas complectatur. In eorum quolibet deſcribantur omnes comparitiones, proteſtationes, citationes, ac denunciationes cum ſuis inſcriptionibus, & numquam a Tabellario removeantur, neque pro iis quidquam ſolvatur, imo gratis inſpici, ac legi poſſint ab omnibus intereſſe habentibus, ac Tabellio dictos codices iis ſemper oſtendere teneatur.

3 In qualibet cauſa regeſtum omnino faciat, ſed Actorum dumtaxat judicialium, non vero examinis teſtium, aut aliarum rerum, ſine extenſione terminorum, aut repetitione titulorum, præterquam in primo ex dictis Actis.

4 In Actis non deſcribat per extenſum inſtantias Principum, Religionum, Univerſitatum, aliorumque, quas eidem Rituum Secretarius ratione ſui muneris tradet, ſed innuens dumtaxat titulum Beatificationis, aut Canonizationis, aut alium magis particularem introductionis, aut reſumptionis, aut ulterioris progreſſus cauſæ, ob quem productæ ſunt, ſub eo titulo eorum recenſeat nomina, qui inſtantias propoſuerunt: harum vero autographa in Rituum Archivo conſervabuntur. Præterea earum exemplar tranſcriptum de verbo ad verbum nemini, licet rogatus, dabit, ſed compendiolum dumtaxat, quod a dicto regeſto, aut codice ad manus eruet. Pro hujus compendioli exemplaribus, quæ Poſtulatores exhibere debent Cardinali cauſæ Ponenti, Secretario, & Promotori, illud ſolvatur pretium, quod dicetur inferius. Pro authentica vero atteſtatione cuilibet exemplari ſubnexa duo tantum ſolvantur julii.

5 Deſcribi pariter non debent, neque in acta referri proceſſus, qui mittuntur de partibus, ſive ſint Ordinarii, ſive Apoſtolici, etiamſi numerum viginti chartarum non tranſcen-

Digitized by Google

ſcenderent, ſed ipſorum dumtaxat indices, aut tituli deſcribi poſſunt, ſi id nulla ratione factum ſit. Quod ſi ſolum ex parte id factum eſſet, deſcribantur indices, ac tituli ſolum illius partis, quæ deeſt.

6 Pro titulis, & indicibus cujuſcumque rei, quæ illis indigeat, juxta dictam reformationem pro qualibet charta continente duas paginas, quarum quælibet vigintiquatuor lineas complectatur, quælibet vero linea ſexdecim ſyllabas, ſolvatur carolenus unus, ac præterea pro ſingulis centenariis chartarum *rubricaturæ* julii decem, & nihil ultra. Rubricæ vero compendiarie continere debent, quidquid per extenſum continetur in ipſis proceſſibus, & longioribus ſcriptis.

7 Pro ſingulis centenariis chartarum regeſti diligenter exarati juxta reformationem Pauli V. quatnor ſcuta Romana ſolvantur, nec quidquam ultra detur ſive pro collatione, ſive pro rubricis, ſive alio quocumque prætextu.

8 Pro qualibet ſimplici citatione expedienda ſolum, ut ſupra, & exequenda extra Urbem, ſolvantur tres tantum julii; pro iis vero, quæ expediuntur cum inhibitionibus vigore commiſſionum, julii dumtaxat decem. Quod ſi ipſe pergat ad legendas citationes, nibil pro viatico poſſit expoſcere.

9 Pro quolibet examine in loco Officii ſui, ſi unica ſeſſione abſolvatur, tres tantnm julios accipiat, ſi vero plures ad illud explendum ſeſſiones requirantur, duos tantum julios in poſterum accipiat.

10 Pro remiſſoriis in genere, & (ubi opus ſit) ſuper cultu, aut non cultn, aliiſque hujuſmodi ſex tantum ſcuta Romana, & pro remiſſoriis in ſpecie decem tantum ſcuta, penſatis omnibus, ſolvantur, itaut eo pretio comprehenſa intelligatur etiam ſcriptura, & qnidquid ad talem expeditionem ſpectabit. Quod ſi forte duplicandæ ſint remiſſoriæ, tunc merces dimidietur. Pro ſcriptione autem interrogatoriorum, quæ clauſa mittuntur, Tabellio nihil accipiat: at pro articulis pro qualibet charta, quæ ſit ſupra quindecim chartas, carolenus unus, & in duplicata deſcriptione quinque aſſes, ut ſupra, ſolvantur. In cauſis controverſis pro qualibet expeditione remiſſorialium, & compulſoriarum, prorogationis terminorum, ſubrogationis Judicum, (quæ nonniſi juſſu Cardinalium Præfecti Congregationis, & Ponentis cauſæ fieri poſſunt) nibil ſolvatur, præter id, quod prædicta reformatio pro Tribunali A. C. præſcribit.

11 Pro Judicum ſubrogatione, aut novis terminis in Cauſis Beatificationis, & Canonizationis ſolvantur julii dumtaxat quindecim.

12 Pro compulſoriis ſolvantur duodecim tantum julii, uti præſcribit reformatio Pauli V. Tribunali A. C.

13 Si compulſandæ ſint Scripturæ extra tabellarium, pro actis dictæ compulſationis ſolvantur aſſes tantum quinque pro qualibet charta redacta, ut ſupra; & pro exemplari tranſcripto earumdem Scripturarum compulſatarum aſſes dumtaxat ſeptem cum dimidio; neque pro acceſſu, aut alia qualibet re ullum eidem detur emolumentum. Pro collatione autem dictarum Scripturarum cum ſuo autographo ſolvatur unus dumtaxat aſſis pro qualibet charta redacta, ut ſupra.

14 In compulſatione librorum typis editorum, cum a Partibus detur tranſumptum, idem a Tabellione inſeratur proceſſui in fine, quin ejuſdem exemplar tranſcribat, aut regeſtum faciat.

15 Pro audiendis, aut conferendis proceſſibus, Tabellioni ſolvatur unus dumtaxat aſſis pro qualibet charta redacta, ut ſupra, & Adiutores deputentur a Partibus, & iis pretium ſolvatur, in quo cum iis convenerint. Pro atteſtatione autem, & collatione totius proceſſus cum ſuo autographo, quinque tantum julii pro

primo

primo ſolum exemplo. Quod ſi Partes alias etiam authenticas deſcriptiones requirant, aſſes dumtaxat quinque petere poterit Tabellio pro qualibet charta redacta, ut ſupra, una cum tota rubricæ deſcriptione. Præterea ſolvatur eidem merces collationis, & auditionis, ut ſupra, & pro ejus atteſtatione aſſes viginti quinque pro qualibet ex iis duplicatis deſcriptionibus.

16 Educere è ſuo Tabellario nequit autographos proceſſus Tabellio, ſed dare debebit eorum deſcriptionem vel authenticam, vel ſimplicem, prout partes poſtulabunt.

17 Pro deſcriptione Actorum exaratorum in Curia, aut extra Curiam; ſi fiat ad formam boni autographi, aſſes tantum quinque ſolvantur pro qualibet charta, quæ duas paginas complectatur, pagina vero lineas vigintiquatuor, & linea ſyllabas ſexdecim: ſi vero fiat ad formam regeſti, illud ſolvatur pretium, quod pro regeſto ſolvitur, ut ſupra.

18 Pro publica deſcriptione cujuſlibet proceſſus ordinarii, aut Apoſtolici unus dumtaxat carolenus ſolvatur pro qualibet charta redacta, ut ſupra, neque aliud emolumentum, aut merces tribuatur pro eadem deſcriptione.

19 Si Poſtulator ad Tabellionem deferat deſcriptionem alicujus proceſſus autographi in ejuſdem Actis exhibiti, recipere illam debeat, eaque uti loco illius deſcriptionis, quam ipſe exarare deberet, ac Poſtulatori compenſabit aſſes quinque pro qualibet charta redacta, ut ſupra.

20 Pro duplicatione cujuslibet ſcripturæ ſive publicæ, ſive privatæ, cum ſubſcriptione, ſigillo &c., aſſes tantum quinque ſolvantur pro qualibet charta redacta, ut ſupra.

21 Si qua forte alia danda ſit ſcriptura, aut alius ſubeundus labor, cujus hic mentio facta non ſit, emolumentum ſtatuatur a Cardinali Præfecto Sacræ Congregationis, ultra quod recipere Tabellio nihil aliud poſſit, quamquam eadem, aut etiam major militet ratio aliarum mercedum, quas hic expreſſimus.

22 Pro reddenda qualibet ſcriptura in Actis producta, dimiſſa copia, tres dumtaxat julii Tabellioni ſolvantur, qui pro duabus chartis nihil accipiet, pro reliquarum vero ſingulis redactis, ut ſupra, carolenum unum habebit. Quod ſi eodem tempore plures reddantur Scripturæ in unico Acto productæ, tres itidem julii pro iis omnibus ſolvantur, & duabus exceptis chartis, pro reliquarum ſingulis redactis, ut ſupra, carolenum unum accipiet.

23 Si partes videre velint proceſſus, aut aliam autographam Scripturam in tabellario, permittat Tabellio, ut videant, neque ullam proinde mercedem requirat.

24 Partibus notum ſit, in Secretaria Sacræ Congregationis Rituum omnia gratis expediri, adeoque mercedem nullam, aut emolumentum ſolvi debere Tabellioni pro ſigillo, ſubſcriptione, aut alia quacumque re, quæ in dicta Secretaria facienda ſit.

25 Habeat apud ſe Tabellio librum receptorum, ac in eo fideliter adnotet omnia, & ſingula emolumenta, quæ recipit, ſub pœna privationis officii.

26 Tabellionibus Tribunalis Cardinalis Vicarii, qui deputantur in Actuarios proceſſuum, tam ordinariorum, quam Apoſtolicorum, qui Romæ conficiuntur, pro qualibet charta redacta, ut ſupra, examinis Teſtium ſolvatur unius dumtaxat julii emolumentum, & pro qualibet charta Actorum dictorum proceſſuum, quæ pro eorumdem validitate ſint omnino neceſſaria, quinque tantum aſſes. Pro tota authentica deſcriptione dictorum proceſſuum, quæ complectatur tam depoſitiones Teſtium, quam documenta producta, aut compulſata, & Acta eorumdem proceſſuum, & quæ Sacræ Rituum Congregationi eſt exhibenda, pro qualibet

Digitized by Google

charta redacta, ut ſupra, decem dumtaxat aſſes ſolvantur. Pro auſcultatione vero, aut collatione dictæ deſcriptionis cum proceſſibus, & documentis autographis, unus dumtaxat pro qualibet charta redacta, ut ſupra, ſolvatur aſſis.

27 Quoad Tabelliones vero Curiarum Eccleſiaſticarum in aliis Diœceſibus, ſervetur localis earumdem taxatio, ſi hac minor fuerit, at ſi fuerit major, præſens ſervanda erit taxatio.

28 Poſtquam juſſiones hæ noſtræ, ac taxatio editæ typis fuerint, Sacræ Congregationis Tabellio earum exemplar in patenti loco ſui Tabellarii affixum ſemper habebit, ut videri facile a quopiam poſſit.

29 Omnia vero, & ſingula a Nobis præſcripta executioni mandare Tabellio teneatur tam in cauſis Beatificationis, aut Canonizationis, quam in aliis ad eamdem Congregationem ſpectantibus, ſub pœnis in jurejurando contentis, quod in eadem Congregatione juxta hanc formulam emittere debebit: Ego N. Notarius ab hac Sacra Congregatione in Cauſis ad eam pertinentibus ſpecialiter deputatus, tactis ſacroſanctis Evangeliis, juro, & promitto, me fideliter exequuturum officium mihi commiſſum, ac taxam auctoritate Sedis Apoſtolicæ mihi conſtitutam omnino ſervaturum, ſub pœna perjurii, privationis officii ipſo facto incurrendæ, ac reſtitutionis omnium contra, vel ultra dictam taxam habitorum, aut acceptorum, aliiſque pœnis ipſius Sacræ Congregationis arbitrio imponendis.

30 Omnibus vero, & ſingulis, qui ob non obſervantiam rerum ſuperius præſcriptarum ſe gravatos ſentirent, recurrere liceat ad Sacram Rituum Congregationem, quæ opportunum adhibebit remedium.

Pro Traductore & Reviſore.

TRaductori Proceſſuum ex idiomate peregrino in Italicum, aut Latinum, & Reviſori traductionis jam exaratæ, qui a Cardinali Ponente cauſæ ſunt deputandi, pro qualibet charta, quæ ſit paginarum duarum, pagina vero linearum vigintiquatuor, & linea ſyllabarum ſexdecim, unus dumtaxat ſolvatur carolenus.

Pro Typographo Camerali.

PRO quolibet folio typis edito, quod ſit paginarum quatuor, pagina vero linearum quinquaginta & linea litterarum circiter ſexagintaquinque, characteris ſylvii una cum charactere currente proportionato, ſed minori in notis marginalibus, dummodo charta ſit optima, & numerus exemplarium ſit ſexaginta, julii quindecim ad ſummum ſolvantur, ſi adſint notæ, quatuordecim vero, ſi notæ deſint, ita tamen ut ad Typographum etiam pertineat expenſa facienda pro editionis correctione. Quod ſi Sacræ Congregationis Secretarius pro cauſæ expeditione neceſſarium eſſe duxerit, ut major numerus typis edatur, tunc pro quolibet ſimili folio aliorum quinquaginta exemplarium tres tantum julii Typographo ſolvantur, uti fuſius edicitur in decreto Alexandri VII. edito die 19. Julii 1661. Si vero Typographus adamuſſim, ut debet, taxationem pro editione factam non ſervet, ne Poſtulatores quidem eamdem taxationem pro ſolutione factam ſervare teneantur, ſed pro ratione inobſervantiæ minorem ſolvant ſummam.

Pro Subſtituto Secretariæ.

1 SUbſtituto Secretariæ Rituum, ejuſque Socio nullum emolumentum detur pro decretis, aut alia quacumque re, cum omnia gratis expediri debeant.

2 Si tamen Poſtulatores duplicatum alicujus decreti requirant, tres tantum julios ſubſtituto ſolvant. At ſi plura ſint ſimul decreta, occaſione videlicet efformandi ſtatum cauſæ, quindecim tantum aſſes eidem pro quolibet decreto ſolvantur, exceptis decretis prorogationum terminorum, pro quibus uihil eſt ſolvendum.

3 Quando epiſtolis, quæ a Sacra Congregatione ſuper aliquo puncto ſcribuntur, inſeruntur inſtructiones, pro earum deſcriptione regeſtis inſerenda, quinque aſſes ſolvantur pro qualibet charta.

Pro Judicibus.

JUxta decretum editum a Sacra Rituum Congregatione die 15. Septembris 1678. & approbatum a Ven. Innocentio XI. qui ſe quoque in eo comprehendi volnit, nemini liceat dare, aut recipere propinas, aut ſportulas pro decretis latis, aut ferendis in Cauſis Beatificationis, & Canonizationis. Neque ab hoc decreto eximuntur Secretarius ejuſdem Congregationis, aut Fidei Promotor, aut Subpromotor (qui tamen non proinde fraudantur, uti dicetur inferius, debito præmio) multoque minus eximuntur Judices ordinarii, aut adjuncti, aut delegati, quando decretum edunt, aut ſententiam ferunt ſnper cultu, aut non cultu. Neque præfati Judices exigere, aut conſequi poſſunt emolumentum ullum pro aſſiſtentia, quam præſtant efformandis proceſſibus tam ordinariis, quam Apoſtolicis, tam in Urbe, quam extra: ſed ſolum iis diebus, quibus aſſiſtunt, ſi Choro intereſſe teneantur, ab eodem diſpenſantur, & lucrantur diſtributiones, tanquam ſi intereſſent. Quod ſi locum a proprio domicilio diverſum adire debeant, tunc ſuppeditandæ erunt a Poſtulatoribus expenſæ neceſſariæ pro acceſſu, & receſſu, ac pro victualibus (moderatis tamen, ac frugalibus) toto eo tempore, quo proceſſus efformandi neceſſitas eorum abſentiam poſtulabit.

Pro Advocatis, & Procuratoribus.

1 PRO inſtructione ad proceſſum efformandum dari dumtaxat poſſunt ſcuta quatuor Romana, pro ejus vero deſcriptione ſex aſſes ſolvantur pro qualibet charta, quæ duas paginas complectatur, pagina vero lineas vigintiquatuor, & linea ſyllabas ſexdecim.

2 Pro ſpolio documentorum ad articulos efformandos, qui in proceſſibus producendi ſunt, pro ſingulis centenariis chartarum ſcuta dumtaxat quatuor, pro quolibet autem articulo unus tantum julius.

3 Pro quolibet libello ſnpplici ſeu magno, ſeu parvo, ejuſque deſcriptione julii ſolum duodecim.

4 Pro informatione, quæ vulgo dicitur *Minuta*, cujuslibet Commiſſionis ſignandæ a Papa quindecim dumtaxat julii, ac pro duplici ejus deſcriptione ad hunc effectum tradenda Congregationis Secretario ſex tantum aſſes pro qualibet charta redacta, ut ſupra.

5 Pro citationibus, ſi hæ fiant a Procuratore, & a Pragmatico, vulgo *Sollecitatore*, nibil ſolvatur; pro earum vero executione merces ſolvatur juxta taxationem Curſorum.

6 Pro univerſali proceſſus ſpolio. quod a Procuratore totum ſimul fit, pro ſingulis centenariis chartarum reductarum, ut ſupra, quatuor dumtaxat ſcuta Romana:

7 Pro ſcriptura, quæ fit ſuper ſolis principalibus dubiis de virtutibus, aut de martyrio, aut de miraculis in ſpecie, viginti tantum ſcuta Romana tribuantur.

8 Pro ſcripturis, quæ fiunt ſuper Canſæ introductione, aut reſumptione, aut ſuper validitate proceſſuum, aut ſuper cultu, ſeu non cultu, aut ſuper fama Sanctitatis, & Virtutum in genere, aliiſque ſimilibus dubiis,

quindecim dumtaxat ſcuta Romana ſolvantur.

9 Pro reſponſione ad animadverſiones Promotoris in dubiis majoribus ſuper virtutibus, aut martyrio, aut miraculis, aut cenſuris ſcriptorum &c. ſcuta ſolum decem. Verum ubi in his, aut aliis ſcripturis controverſia, de qua agitur, ſtudium requirat, & laborem gravem, ad arbitrium Cardinalis Ponentis Cauſæ merces augeatur. Decem etiam ſcuta Romana dumtaxat ſolvantur pro reſponſione ad animadverſiones in dubiis ſuper introductione, aut reſumptione cauſæ, validitate proceſſuum, cultuque immemorabili: pro reſponſione vero ad animadverſiones ſuper fama Sanctitatis in genere, aut ſuper non cultu, quinque tantum ſcuta.

10 Pro ſcriptura ſuper conceſſione Officii, & Miſſæ, deſcriptione in Martyrologio, ac ſimilibus ſcuta tria, & pro reſponſione ad Promotoris animadverſiones, quando hæ Sacræ Congregationis juſſu fiunt, ſcuta tria.

11 Pro deſcriptione autographa omnium ſcripturarum, ac reſponſionum ſuperius enunciatarum, quæ a Procuratore, aut Advocato ſubſcriptæ ſint, pro qualibet charta redacta, ut ſupra, caroleni duo.

12 Pro ſummario documentorum, atque atteſtationum Teſtium ſuper quolibet dubio, pro qualibet charta redacta, ut ſupra, aſſes quinque, & pro deſcriptione autographa ejuſdem ſummarii, pro qualibet charta redacta, ut ſupra, ſex tantum aſſes.

13 Pro notis marginalibus ejuſdem ſummarii, aut ſcripturarum, pro quolibet earum centenario duo tantum ſcuta.

14 Pro compendio Actorum, quando de proceſſuum validitate diſputatur, ſcuta tria, pro autographa vero ejus deſcriptione ſolvatur, ut ſupra ſtatutum eſt de autographa deſcriptione ſummarii.

15 Pro Teſtium tabella, aut catalogo, qui in eodem dubio exhibetur, unus tantum julius pro quolibet Teſte.

16 Pro verbali informatione apud Congregationem, in qua Conſultores adſunt, ſcuta triginta ſolvantur inter Procuratorem, & Advocatum dividenda, ſi tamen etiam Advocatus informationem habeat: ſecus omnia ſolus Procurator accipiat. Pro informatione vero apud ſolam Congregationem ordinariam quindecim ſolvantur ſcuta, & quando informatio fit pro conceſſione Officii, & Miſſæ, dentur ſolum ſcuta ſeptem cum dimidio.

17 Pro verbali informatione apud Romanum Pontificem, ejuſque Auditorem, ſcuta tria ſolvantur Procuratori, & totidem Advocato, ſi is quoque informationem habeat.

18 Pro acceſſu Procuratoris ad Cardinalem Ponentem, & ad Fidei Promotorem, & pro exemplari, ac deſcriptione autographa facti concordati julii dumtaxat duodecim.

19 Julii item duodecim ſolvantur pro acceſſu, & informatione ad Cardinalem Præfectum, aut ad Cardinalem Ponentem, aut ad Fidei Promotorem, aut ad Secretarium pro ſupplicibus libellis, & inſtantiis, quæ proponantur extra folium, atque etiam pro celeri decretorum expeditione procuranda.

20 Pro congreſſu cum Peritis, & Poſtulatore quoad ordinatoria judicii, aut aliud conducens ad cauſam recte ordinandam, julii vigintiquatuor dentur Procuratori, & totidem Advocato, ſi etiam is congreſſui interſit.

21 Pro alio quolibet labore, aut ſcriptura ſuperius non expreſſa merces erit ſtatuenda arbitrio ſolum Cardinalis Præfecti, aut Cardinalis Ponentis Cauſæ.

22 Qui has leges non ſervaverit, patrocinio privetur Cauſarum ad Sacram Rituum Congregationem pertinentium, aliiſque pœnis ſubjaceat

ejuſ-

ejuſdem Congregationis arbitrio ſtatuendis.

De Medicis.

MEdici, qui ad ſcribendum deputantur ſeu ad opportunitatem, ſeu pro veritate ſuper miraculis, diſtinctas, ac prolixas ſcripturas exarare non debent, ſed unica ſcriptura ſtrictim complecti rationes ſuper quolibet ex propoſitis miraculis. Neque ſingulis Fidei Promotoris animadverſionibus reſpondere debent, ſed iis ſolum, quæ ad eorum munus ſpectant. Pro hujuſmodi vero ſcripturis, ac reſponſionibus triginta omnino ſcuta tribuantur, ſive plura, ſive pauciora ſint miracula propoſita.

De Strenis.

1 LIberum omnino ſit, ac penes arbitrium Agentium, Poſtulatorum, ac Procuratorum Cauſarum dare, vel non dare Strenas famulis Cardinalis Præfecti, Cardinalis Ponentis, Secretarii, ac Promotoris pro favorabilibus reſcriptis, quæ ab iiſdem feruntur. Sed ſi ſponte ſtrenam aliquam iiſdem dare velint, permittitur, ut occaſione ſolum reſcripti favorabilis ſuper operum reviſione, ſignatura Commiſſionis, cultu, & non cultu, fama Sanctitatis, validitate proceſſuum, & conceſſione Officii, ac Miſſæ pro Beatis poſt editam cultus declarationem, non vero aliorum reſcriptorum, cuilibet familiæ ſupradictorum, non vero aliorum, dari valeant tres julii; occaſione vero reſcripti, aut decreti, quo virtutes, aut martyrium, aut miracula approbentur, & ultimi decreti Beatificationis, aut Canonizationis julii tantum ſex. Non tamen proinde interdicitur, ne Secretariæ ſubſtituto dari etiam poſſint ab iis, qui velint, pro prioribus reſcriptis julii ſex, pro poſterioribus vero julii duntaxat duodecim.

2 Item permittitur, ut julii duodecim tantum dari poſſint Secretarii famulis, in laboris mercedem, quem ſubeunt in Urbe percurrenda, ut Cardinalibus, & Conſultoribus Congregationem quamlibet extraordinariam indicant, videlicet antepræparatoriam, aut præparatoriam, aut generalem ſuper virtutibus, aut martyrio, aut miraculis, & julii ſex pro labore, quem ſubeunt, cum poſitionibus ſigillum apponunt.

3 Promotoris vero famulis julii dumtaxat tres dari poterunt, cum Poſtulatoris, aut Cauſæ Procuratoris domum proceſſus ferunt una cum animadverſionibus.

De Muneribus.

IIS, qui ſtudent, aut votum ferunt in his Cauſis, Poſtulatores, earumque Procuratores ſub pœna privationis officii, aliiſque gravioribus pœnis arbitrio Sacræ Congregationis Rituum infligendis nullum dare poſſint munuſculum, imo ne comeſtibilia quidem, tum antequam Cauſæ in Congregationibus proponantur, tum poſtquam propoſitæ, ac definitæ fuerint. Imo iiſdem ne permittitur quidem dare aliquid, ut celerius aut a Subpromotore notas, aut a Fidei Promotore animadverſiones accipiant, ſed ſolum liceat modicam comeſtibilium quantitatem menſibus Decembris, & Auguſti iis donare, quibus ex conſuetudine dictis temporibus munus aliquod mitti ſolet, videlicet Secretario, Promotori, Advocato, Procuratori, Subpromotori, & Subſtituto Secretariæ, & id quidem eo tantum tempore liceat, quo Cauſa agitatur, non vero cum per plures annos ſuſpenſa quieſcit, vel quia proceſſus conficiuntur, vel alia de cauſa.

De pictis tabulis, ſeu imaginibus.

1 PRO Signatura Commiſſionis donari de more poteſt picta tabula Servum Dei repræſentans, Cardinali

dinali

dinali Ponenti, ejuſque Auditori, Secretario Congregationis, ejuſque Subſtituto, Fidei Promotori, ac Subpromotori, Advocato, & Procuratori, & pro formali Beatificatione, præter enumeratos, etiam Romano Pontifici, & Cardinali Præfecto Sacræ Rituum Congregationis.

2 Pro ſolemni vero Canonizatione dari poteſt Romano Pontifici, Cardinalibus, & Conſultoribus Congregationis, Sacri Palatii Apoſtolici Præfecto, Cubiculi Præfecto, Cæremoniarum Magiſtris, Advocato Conſiſtoriali, qui orationem habet, Cardinalis Ponentis Auditori, Subſtituto Secretariæ, Cauſæ Advocato, & Procuratori, Fidei Subpromotori, Sacræ Congregationis Tabellioni, & non aliis: neque eiuſdem menſuræ, ac pretii omnibus detur, ſed ratio ſervetur perſonæ, cui donatur.

De Beatificatione.

1 PRO Beatificationis decreto ſolvantur juxta ſtatutum Alexandri VII. Sacrario S. Petri pro ſacra ſupellectili in ejuſdem Baſilicæ uſum comparanda nummi aurei quingenti, ſeu, quod idem eſt, ſcuta Romana octingenta, & vigintiquinque.

2 Pro Brevi Beatificationis ſolvantur Secretariæ Brevium ſcuta Romana quadraginta, & tria, & aſſes ſeptuagintaquinque, & pro ſtrena, quæ danda eſt Aulæ, aut Familiæ Cardinalis Secretarii tria dumtaxat ſcuta.

3 Magiſtris Cœremoniarum Baſilicæ Vaticanæ duodecim tantum ſcuta inter eos dividenda.

4 Æditius minoribus, aliiſque Miniſtris ejuſdem Baſilicæ ſcuta viginti, & unum, & aſſes quinquaginta, quam ſummam inter eos diſtribuent de more æditui majores.

5 Legenti ex pulpito Breve Beatificationis julii dumtaxat quindecim.

6 Expenſæ pro Baſilicæ apparatu, cera pro ſolemnitate, tabula picta pro altari, Muſica pro Miſſa cantata, Imago ſerica, & papyracea, Compendium Vitæ Beati, & reliqua quæ ad ſolemnitatis decua requiruntur, a Poſtulatoribus parari poterunt juxta conſuetudinem.

7 Tabellioni Sacræ Congregationis Rituum pro aſſiſtentia, & rogitu Acti ſcuta tantum tria.

8 Helvetiis, qui fuerunt in cuſtodia, ſcuta duodecim.

9 Balliſtariis Helvetiorum, qui majora tormenta bellica explodunt, ſcuta quatuor.

10 Balliſtariis Arcis S. Angeli, qui prope Baſilicam minora tormenta explodunt, ſcuta quatuor.

11 Tibicinibus Populi Romani ſcuta tria.

12 Pro ſtrena Subſtituto Secretariæ Rituum, ejuſque Socio ſcuta tantum quinque. Famulis Aulæ Romani Pontificis, Cardinalis Præfecti, Cardinalis Ponentis, Secretarii Rituum, & Promotoris Fidei, ſcuta tantum tria pro qualibet Aula. Famulis vero Præſulis, qui Miſſam celebrat, julii ſex, & totidem famulis Aulæ Auditoris Romani Pontificis.

De Canonizatione.

1 PRO decreto Canonizationis cujuslibet Beati dentur Sacrario S. Petri, ut ſupra, mille nummi aurei, ſeu quod idem eſt, ſcuta Romana mille ſexcenta quinquaginta.

2 Sex millia ſcutorum Romanorum pro cujuſcumque Beati Canonizatione, quæ a Poſtulatoribus ſolui conſueverunt Romano Pontifici, & ab Alexandro VII. deſtinata fuerant ad æs alienum extinguendum contractum ob aulæa Baſilicæ Vaticanæ, eoque extincto a Succeſſoribus Pontificibus in alios pios uſus derivata, & modo ad quatuor, modo ad tria millia reducta fuere, in poſterum reducantur ad ſola tria millia, & in perpetuum applicata intelligantur Sacræ Congregationi de propaganda Fide, a qua eroganda erunt in uſus Sacrarum Miſ-

ſionum,

ſionum, & in ſuſtentationem Miſſionariorum verſantium in partibus Infidelium; ſperatur autem futurum, ut etiam alii Pontifices Succeſſores hunc tam pium uſum approbent, pro Fidei Catholicæ propagatione, & populorum inter erroris tenebras viventium converſione.

3 Remunerationes, quæ titulo calicum, veſtium, ac largitionum hac occaſione a Poſtulatoribus dabantur iis, qui Familiæ, & Capellæ Pontificiæ erant adſcripti, aliiſque, & quæ etiam pro Beatorum numero multiplicabantur, ſi forte plures ſimul Beati canonizarentur, deinceps ad numerum, normam, & quantitatem reducantur, quæ in infraſcripto indice deſcripta, ac taxata reperietur,

4 Quoad veſtes, aut calices, juxta decretum editum die 27. Septembris 1712. a Congregatione tredecim Cardinalium, qui ſuper hoc a Clemente XI. fuerunt ſpecialiter deputati, deinceps non multiplicentur, ſed una tantum veſtis, aut unus calix detur, licet plures ſimul Beati canonizentur, & licet plura quis officia ſimul adminiſtret, ob quæ veſtis, aut calix dari ſoleat.

5 Idem ſervetur quoad largitiones, quæ ſi plures ſimul canonizentur, multiplicari pro quolibet Beato non debebunt quoad omnes univerſim, ſed ſolum quoad illos, qui aut in præcedenti Cauſa illius Beati, aut in præviis Conſiſtoriis, aut in ipſa Canonizatione particulare aliquid geſſerint, quemadmodum etiam quoad illos, qui titulo oneroſo funguntur aliquo munere, ratione cujus participes dictarum largitionum fieri conſueverunt, cujuſmodi ſunt Secretarius Rituum, ejuſque Subſtitutus, Secretarius epiſtolarum in forma Brevium ad Principes, Fidei Promotor, ejuſque Subpromotor, Advocatus Conſiſtorialis, qui orationem habet, & Inſtantias facit, Procurator Generalis Fiſci, Secretarius Sacri Collegii, Advocatus, & Procurator Cauſæ, Clavarii, & Curſores Papæ, Oſtiarii, Cuſtodes Gubernatoris Urbis, Cuſtodes catenarum, & Portæ ferreæ, Mandatarii Cardinalis Vicarii, & ii, qui Papæ aulam conſtituunt.

6 Nemo, qui in infraſcripto indice nominatus, aut deſcriptus non ſit, remunerationem ullam præſumere poſſit titulo veſtium, ac largitionum, etiamſi ratione muneris, aut officii, quo in Apoſtolico Palatio, & apud Romanum Pontificem fungatur, exemplum aliquod ſibi favorabile proferre valeat, cum ex hoc tempore quæcumque contraria conſuetudo ſublata declaretur, etiam quoad quantitatem remunerationis cuilibet ex deſcriptis in dicto indice attributæ, ea enim major eſſe non debet, quam taxata in eodem Indice. Penes ſolius Romani Pontificis arbitrium ſit diſtribuere aliquibus familiæ ſuæ in dicto indice non deſcriptis, ſed aliunde ob aliquam rationem aliquo præmio dignis; aut in alium uſum, quem decentiorem arbitrabitur, convertere ducenta ſcuta Romana pro quolibet Beato, quæ Poſtulatores in manibus Præfecti Palatii Apoſtolici deponent, ut iis ad hunc effectum Romanus Pontifex uti quandocumque poſſit. Quod ſi, variatis lapſu temporis circumſtantiis, opportunum non videretur, ut ea ſerventur, quæ hic quoad hujuſmodi remunerationes ſtatuta ſunt; tunc etiam ad hujuſmodi contributionem, ac depoſitum Poſtulatores non teneantur.

7 Miniſtri Veſtiarii Palatii Apoſtolici commodare debent pannos rubros, & virides, quibus tegenda ſunt ſcamna, pavimentum, & gradus magni Solii Pontificii, imo etiam ſcabella, quæ ſunt neceſſaria: pro dictis autem pannis, aliiſque rebus, ut ſupra, & pro iis ſternendis dentur iiſdem, præter conſuetam largitionem, ſcuta tantum quadringenta.

8 Pro Bulla Canonizationis cujuſlibet Sancti, ut cito (quemadmodum fieri debet) expediatur, neque per ſeculum, & ultra, uti aliquando accidit,

dit, expeditio differatur, ante ipſam Canonizationem a Poſtulatore quolibet deponantur in Monte Pietatis, aut in æde nummularia S. Spiritus ſcuta Romana ſexcenta, & quadragintanovem (non vero major ſumma, ut olim fieri ſolebat) quæ hoc pacto dividentur. Præſuli videlicet Bullæ Canonizationis expoſitori, dentur ſcuta centum, & quinquaginta: Scriptori Secreto, extraordinario, & pro majuſcolis ſcuta centum ſeptuagintaquinque. Officialibus plumbi ſcuta octoginta ſeptem, & aſſes quinquaginta: Secretariæ Brevium, & pro Regeſto ſcuta centum ſeptuagintaſex, & aſſes quinquaginta: expeditori Litterarum Apoſtolicarum ſcuta ſexaginta, cum hoc onere tamen, ut quamcumque aliam expenſam, ac laborem ſubeat pro omnimoda bullæ expeditione, cujus deſcriptionem cum marginalibus notis Poſtulatori dare debebit, ut typis edi valeat.

9 Aliæ expenſæ faciendæ pro Baſilicæ Apparatu in tanta ſolemnitate, cerea funalia, & candelæ pro Baſilicæ illuminatione, & pro ſolemni ſupplicatione, ſacræ ſupellectiles tum pro altari, tum pro Romano Pontifice celebrante, ejuſque Miniſtris aſſiſtentibus Miſſæ ſolemni, Imagines Sancti tum oloſericæ, tum papyraceæ, Compendia ejus vitæ diſtribuenda, & reliqua ad tantam ſolemnitatem neceſſaria, ac decentia parari poterunt juxta conſuetudinem in aliis Canonizationibus ſervatam.

10 Ut autem quæ præſcripta ſunt quoad ſolemnis Canonizationis expenſas, executioni diligenter mandentur, Sacra Rituum Congregatio Virum deputabit, qui auctoritate polleat, & pro hujuſmodi gerendo negotio idoneitate inſtructus ſit, & facultatibus ſimul neceſſariis, atque opportunis.

11 Animadvertendum poſtremo eſt, quod licet Poſtulatoribus, & Agentibus Cauſarum, qui pecuniam adminiſtrant eorum, a quibus Cauſæ promoventur, nihil hic novi nunc præcipiatur, ſed res in eo ſtatu relinquantur, in quo ſunt, & eſſe debent ad tramites Juſtitiæ; Hæc tamen nova taxatio, ac reformatio eſſe poterit iis, qui pecuniam in eaſdem Cauſas erogandam ſubminiſtrant, veluti quædam norma, & quædam veluti fax, ut dignoſcere valeant, quam recte ab Agentibus, & Poſtulatoribus eadem pecunia adminiſtretur, comparando videlicet eorum ſolutiones cum hac nova taxatione, ac reformatione.

Index remunerationum titulo veſtium, vel conſuetarum largitionum, vel alio quocumque titulo, quæ infraſcriptis dandæ ſunt, earumque taxatio.

PRæfecto Palatii Apoſtolici dentur pro calice ſcuta Romana ſexaginta.

Præfecto Pontificii Cubiculi pro calice ſcuta ſexaginta.

Secretario Congregationis Sacrorum Rituum pro veſte ſcuta quinquaginta, & pro conſueta largitione, quæ vulgo dicitur *regaglia*, ſcuta centum quinquaginta.

Fidei Promotori pro veſte ſcuta quinquaginta, & pro largitione ſcuta centum quinquaginta.

Secretario Brevium ad Principes pro veſte ſcuta quinquaginta, & pro largitione ſcuta centum quinquaginta.

Advocato Conſiſtoriali, qui proponit inſtantias in ſolemni Canonizationis celebritate, pro veſte ſcuta quinquaginta, & pro largitione ſcuta trigintaſeptem, & aſſes quinquaginta.

Eidem pro oratione, ſeu narratione, qua in Conſiſtorio res geſtas, virtutes, ac miracula Beati exponit, ſcuta centum quinquaginta.

Primo Pontificio Cæremoniarum Magiſtro pro veſte ſcuta quinquaginta, & pro largitione ſcuta centum quinquaginta.

Secundo Cæremoniarum Magiſtro pro veſte ſcuta quinquaginta, &

pro

pro largitione ſcuta centum quinquaginta.

Cœremoniarum Magiſtris non participantibus ſcuta ducenta, & duo, & aſſes quinquaginta, videlicet ſcuta nonaginta pro veſtibus, & ſcuta centum, & duodecim, & aſſes quinquaginta pro largitione.

Aliis Cœremoniarum Magiſtris ſupra numerum ſcuta quinquaginta inter eoſdem dividenda.

Æditno Pontificio pro veſte ſcuta octodecim, & pro largitione ſcuta quadragintaquinque:

Tribus Præſulibus Aſſiſtentibus ſcuta centum nonaginta ſex inter ipſos partienda, videlicet pro veſtibus ſcuta centum quinquaginta, & pro largitione ſcuta triginta ſex.

Intimis Papæ Cubiculariis ſcuta nongenta inter ipſos de more partienda, videlicet pro veſtibus ſcuta quadringenta, & quinquaginta, & pro ~~largitione alia ſcuta quadringenta,~~ & quinquaginta.

Sacri Palatii Magiſtro pro largitione ſcuta trigintaſeptem, & aſſes quinquaginta.

Sacri Collegii Secretario pro largitione ſcuta octodecim.

Fiſci Procuratori Generali pro largitione ſcuta trigintaſeptem, & aſſes quinquaginta.

Commiſſario Cameræ Apoſtolicæ pro veſte ſcuta quinquaginta.

Palatii Apoſtolici Præcurſori primario, vulgo *Foriere maggiore* pro veſte ſcuta quinquaginta.

Sacerdotibus intimis Sacelli Pontificii, vulgo *Cappellani Segreti*, ſcuta ducenta quadragintaquinque inter eos de more partienda, ideſt pro veſtibus ducenta, & pro largitione quadragintaquinque.

Cubiculariis Papæ ſcuta centum quinquagintaquinque inter ipſos de more diſtribuenda, videlicet pro veſtibus ſcuta centum vigintiquinque, & pro largitione ſcuta triginta.

Sacerdotibus a Miſſæ Sacro non intimis, vulgo *Cappellani communi*, pro largitione ſcuta octodecim inter eos de more partienda.

Acolytis ceroferariis pro largitione ſcuta quindecim inter eos de more dividenda.

Cuſtodibus interioris aditus ad Summum Pontificem, vulgo *Buſſolanti*, pro largitione ſcuta triginta inter ipſos de more partienda.

Æditno inferiori, vulgo *Sotto-Sagriſta* pro veſte ſcuta quatuordecim, & pro largitione ſcuta trigintaquinque.

Clericis Pontificii Sacelli pro largitione ſcuta duodecim inter ipſos de more dividenda.

Clericis in ſuperiorum Clericorum ſupplementum deſtinatis, vulgo *Sotto-cherici* pro largitione ſcuta ſex inter ipſos de more dividenda.

Clericis intimis pro largitione ſcuta duodecim inter eoſdem de more partienda.

Diacono, & Subdiacono Græcis pro largitione ſcuta ſex.

Muſicis Pontificiæ Capellæ ſcuta ſeptuagintaquinque inter ipſos de more dividenda.

Muſicis ſupra numerum adauctis ſcuta ſex inter ipſos de more partienda.

Cuſtodibus librorum Sacelli Pontificii ſcuta ſex.

Cubiculariis extra muros pro largitione ſcuta triginta inter eos de more diſtribuenda.

Scutiferis pro largitione ſcuta item triginta inter ipſos de more dividenda.

Militibus ſemihaſtatis, vulgo *Lancie Spezzate* pro largitione ſcuta duodecim inter eos de more partienda.

Miniſtris Veſtiarii ſcuta quinquagintaduo, & aſſes quinquaginta, videlicet pro veſtibus ſcuta triginta, & pro largitione ſcuta vigintiduo, & aſſes quinquaginta, inter ipſos de more dividenda.

Oblationum Cuſtodi pro largitione ſcuta decem.

Miniſtris, & inſervientibus Baſilicæ S. Petri pro largitione ſcuta ſexagintanovem, & aſſes quadraginta, quæ

ils dividenda de more ſunt ab Æditu.is primariis dictæ Baſilicæ.

Secretario Tribunalis Cardinalis Vicarii pro largitione ſcuta duodecim.

Cauſæ Advocato pro largitione ſcuta triginta.

Cauſæ Procuratori pro largitione ſcuta triginta.

Subpromotori Fidei pro largitione ſcuta triginta.

Subſtituto Secretariæ Congregationis Sacrorum Rituum pro largitione ſcuta triginta.

Tabellioni Congregationis Sacrorum Rituum pro largitione ſcuta octodecim.

Cuſtodi dictæ Congregationis pro largitione ſcuta tria.

Singulis ex duobus Ducibus Velitantium Equitum ſcuta quinquaginta.

Aciei Velitantium Equitum excubias agentium ſcuta vigintiduo cum aſſibus quinquaginta inter eoſdem de more dividenda.

Tibicinibus ejuſdem aciei ſcuta tria.

Duci Helvetiorum ſcuta quinquaginta.

Eorumdem Helvetiorum aciei, Tympaniſtis, tibiaque buxea canentibus ſcuta quadragintatria, & aſſes quinquaginta inter ipſos de more dividenda.

Eorumdem Bombardariis ſcuta tria.

Bombardariis Sancti Angeli ſcuta tria.

Choro canentium grandioribus tubis in Arce S. Angeli ſcuta quinque.

Tibicinibus, & Tympaniſtis Populi Romani ſcuta tria, & aſſes 20. inter ipſos de more partienda.

Clavatoribus Pontificiis pro largitione ſcuta vigintiduo, & aſſes quinquaginta inter eos de more partienda.

Curſoribus Pontificiis pro largitione ſcuta vigintiduo cum aſſibus quinquaginta inter eos de more partienda.

Oſtiariis pro largitione ſcuta quindecim inter ipſos de more dividenda.

Cuſtodiis Gubernatoris Urbis pro largitione ſcuta viginti inter eos de more diſtribuenda.

Cuſtodi catenarum pro largitione ſcuta quindecim.

Cuſtodi portæ ferreæ pro largitione ſcuta quindecim.

Miniſtris, vulgo *Mandatarj* Cardinalis Vicarii pro largitione ſcuta decem inter eos de more partienda.

Scopariis intimis, & Familiæ infimæ Pontificiæ pro veſtibus, & largitione ſcuta centum quadraginta, & octo inter eos de more dividenda juxta notam tradendam a Præfecto Pontificii Palatii.

Decano Pontificio, & Servis a pedibus, vulgo *Palafrenieri* ſcuta ſexaginta, videlicet Decano pro veſte ſcuta quindecim, & eidem, aliiſque Servis pro largitione ſcuta quadragintaquinque.

Aulicis infimi ſervitii cujuſcumque Cardinalis Sacræ Congregationis Rituum ſcuta duo, & aſſes quadraginta.

Aulicis infimi ſervitii Secretarii dictæ Congregationis julii octodecim, eademque ſumma Aulicis infimi ſervitii tum Promotoris Fidei, tum Æditui Pontificii, tum duorum Magiſtrorum cæremoniarum participantium.

Ut autem hæc nova taxatio, ac reformatio omnibus innoteſcat, ac præcipue iis, qui eam ſervare tenentur ſub pænis in eadem expreſſis; Sanctitas Sua vivæ vocis oraculo eam deſcribi juſſit in libris Secretariæ Sacræ Congregationis, & ſubſcriptam, ac ſigillo munitam typis etiam vulgari.

Hac die 14. Aprilis 1741.

Loco ✱ Sigilli.

T. Patriarcha Hieroſolymitanus Secretarius.

AP-

Digitized by Google

APPENDICES IX.

MONUMENTA COMPLECTENTES AD SECUNDUM TOMUM PERTINENTIA.

CAPUT XVII.

APPANDIX I.

Ad Secundum librum.

Decreta SS. Inquiſitionis edita ſub diebus 13. Martii, & 2. Octobris 1625. de quibus paſſim in hoc Opere, præcipue lib. 2.

AD tollendos abuſus, qui in colendis quibuſdam cum ſanctitatis, aut martyrii fama defunctis, nondum ~~tamen ab Apoſtolica Sede Beatificatis~~, aut Canonizatis, invaluerant, ſummus Pontifex Urbanus VIII. re cum Cardinalibus generalibus Inquiſitoribus communicata, ſtatuit, & decrevit, ne cujuſvis ut ſupra defuncti Imagines cum laureolis, & ſplendoribus, neque aliud, quod cultum, & venerationem erga dictum defunctum præſeferat, in Oratoriis, aut Eccleſiis, aut locis publicis, ſeu privatis quibuſcumque apponantur, antequam a Sede Apoſtolica canonizetur, vel Beatificetur; appoſita autem ſtatim amoveantur. Item ne libri geſta, miracula, revelationes, & ſimilia alicujus continentes imprimantur ſine recognitione, & approbatione Ordinarii, qui in hoc Theologos, alioſque pios, ac doctos viros conſulat, remque ad S. Sedem tranſmittat, ejuſque reſponſum expectet. Impreſſa autem ſine hac recognitione, approbata non cenſeantur. Vetuit quoque, ne ad ſepulcra eorum, qui cum prædicta fama obierunt, votivæ tabellæ, qualeſcumque fuerint, affigantur, nec lumina accendantur, ſine ſupradicta recognitione.

Declaravit tamen, ſe nolle per hæc iis præjudicare, qui aut per communem Eccleſiæ conſenſum, vel immemorabilem temporis curſum, aut per Patrum, virorumque ſanctorum ſcripta, vel longiſſimi temporis ſcientia, ac tolerantia Sedis Apoſtolicæ, vel Ordinarii coluntur. Ordinariis vero, & Inquiſitoribus mandavit, ut ſuper ea omnia ſedulo invigilent: Tranſgreſſores vero ſive Eccleſiaſtici, ſive Seculares gravibus pœnis puniantur. Voluitque, ut hujuſmodi decretum ad valvas Baſilicæ Vaticanæ, ac in acie Campi Floræ affixum omnes afficiat, ac ſi perſonaliter intimatum fuiſſet.

Subdit idem Pontifex, ſe non intendere ſupradictas votivas tabellas prohibere, ſtatuit vero, ut qui prædictis locis præpoſiti ſunt, eas cum deferentis, aliorumque conſciorum atteſtationibus recipiant, atque approbantibus Ordinariis, in ſecreto loco ab Eccleſia ſeparato cuſtodiant.

Subduntur alia ejuſdem Pontificis Decreta expedita per Breve 5. Julii 1634.

IN his Decretis primo repetuntur omnia, quæ in ſuperiori Decreto ſtatuta, & declarata fuerunt. Additur vero, decreviſſe eumdem Pontificem, ne ullus Judex ſive Ordinarius, ſive ab Apoſtolica Sede delegatus ſuper cujuſcumque cum Sanctitatis, aut Martyrii fama defuncti miraculis, revelationibus, & ſimilibus ſanctitatem redolentibus informationes reciperet, aut proceſſum inſtrueret, neque receptas, aut inſtructum proſequeretur,

Digitized by Google

niſi prius Poſtulator juridice probaverit, præfatum Decretum fuiſſe obſervatum, & Judex ſententiam de hoc ipſo tulerit. Neque ejuſmodi proceſſus ad Urbem tranſmiſſi aperiantur a Secretario Congregationis rituum, aut a Fidei Promotore, niſi per alium authenticum proceſſum de prædictis obſervantia, & ſententia in eadem Congregatione plene conſtiterit, & a ſummo Pontifice aperiendi facultas judicialiter indulta fuerit. Longiſſimum vero tempus, ejuſque immemorabilem curſum in præfato Decreto ſtatutum declaravit debere centum annorum metam excedere: & adempta Ordinariis, & Delegatis omni de his interpretandi facultate, conſulendam eſſe, ſi difficultas oriatur, Sedem Apoſtolicam.

Tum omnia hæc Decreta auctoritate Apoſtolica confirmat, & ab omnibus obſervari præcipit, itaut informationes, proceſſus, & ſimilia pro nullis habeantur, niſi, quæ in iiſdem Decretis continentur, obſervata fuerint. Quæ quidem Decreta ampliſſimis, & graviſſimis clauſulis deinde ſtabilit, atque communit: & Patriarchis, Primatibus, Archiepiſcopis, Epiſcopis, aliiſque Ordinariis, Nuntiis Apoſtolicis, & Inquiſitoribus mandat, ut in eorum obſervantiam ſedulo intendant, gravibus in tranſgreſſores indictis pœnis; qui ſi Regulares fuerint, officiis, ac voce activa, & paſſiva priventur, & a Divinis ſuſpendantur: Si Clerici Seculares, præter officiorum privationem, ſuſpenſione a Divinis, & a Sacramentorum adminiſtratione, Ordinumque executione, aliiſque pœnis ad prædictorum arbitrium puniantur. Qui contra ſuperius ſtatuta libros impreſſerint, aut Imagines formaverint, hæc omnia amittant, aliiſque corporalibus, & pecuniariis pœnis ad arbitrium afficiantur: Contradictores vero per cenſuras, & pœnas Eccleſiaſticas, aliaque remedia coerceantur. His demum literis ad Eccleſiæ Lateranenſis, & Baſilicæ Vaticanæ, necnon Cancellariæ Apoſtolicæ valvas, ac in acie Campi Floræ, affixis, & publicatis, omnes poſt duos menſes perinde affici voluit, ac ſi unicuique perſonaliter notificatæ fuiſſent.

Cum vero nonnulli adhuc ſuper illis hæſitarent, idem Pontifex alias declarationes, & decreta edi mandavit.

Imagines itaque eorum, qui cum ſanctitatis, ſeu martyrii fama obierunt, prohibuit, ne in ullo altari, cum radiis vero, aut alio publici cultus, & venerationis ſigno, ne ullibi ante Canonizationem, aut Beatificationem collocentur. Supradictum Sedis Apoſtolicæ reſponſum pro prædictorum librorum impreſſione non detur, niſi in his libris debitæ adſint proteſtationes, ut ſcilicet initio libri auctor, his Decretis inſiſtendo, profiteatur, ſe, quæcumque refert, ita accipere, ut humana auctoritate, non Divina Catholicæ Romanæ Eccleſiæ niti intelligantur. In fine vero proteſtetur, ſe omnia, quæ quoad ſanctitatis elogia, quoad miracula, prophetias, & ſimilia retulit, non tamquam a Sede Apoſtolica examinata, & approbata proponere, ſed tamquam humanam hiſtoriam; itaut nulli cultum, aut famam ſanctitatis, vel martyrii conciliare, aut gradum ad futuram Beatificationem, vel Canonizationem, aut miraculi comprobationem facere intendat. Et integrum iiſdem Decretis obſequium, & obedientiam proteſtetur. Declaravit vero Pontifex, ne hi libri, utcumque approbati, majus quoad Beatificationem, aut Canonizationem probationis pondus habeant, quam quod abſque approbatione haberent.

Statuit præterea, ut particularis proceſſus cum Ordinarii, vel Delegati ſententia præcedat ſuper caſu excepto, ſi in hoc cauſa verſetur; ſicuti præcedere ſuper non cultu debet. Supradictæ votivæ tabellæ etiam in ſacrario cuſtodiri permittuntur, dummodo cultum non præſeferant. Proceſſus ad

Curiam

Digitized by Google

Curiam tranſmiſſi neque a Protonotario Apoſtolico aperiantur niſi ſub forma ſuperius indicata.

Cauſas eaſdem Beatificationum, & Canonizationum idem Pontifex pertractari vetuit, niſi in tribus Congregationibus, quas coram ſe menſibus Januarii, Maji, & Septembris haberi juſſit, hiſque præter Cardinales Congregationis Rituum, Prptonotarium, Sacriſtam Sanctiſſimi, Promotorem Fidei, & Secretarium, illi interſint Rotæ Auditores, quibus cauſa commiſſa fuiſſet. Præter vero Secretarium, & Promotorem alii non admittantur, priuſquam cauſæ fuerint per Cardinales propoſitæ, ſuiſque votis patefactis, a Congregatione recedant. Conſultores præ aulæ foribus adſint, ut Pontifici vocanti præſto eſſe poſſint.

In unaquaque ex dictis Congregationibus tres, aut quatuor tantum cauſæ proponantur, & ſaltem per quindecim antecedentes dies una, vel plures Congregationes particulares cogantur apud Cardinalem Congregationis Præpoſitum, & Cardinales Ponentes, facto cum Promotore Fidei concordato, & Pontifici præſentato, & ad Cardinales Congregationis, Protonotarium, Rotæ Auditores, Sacriſtam, & Conſultores tranſmiſſo, cauſas referant, pro faciliori reſolutione coram Pontifice, qui ſi alicui ex dictis tribus Congregationibus intereſſe nequiverit, eaſdem cauſas coram ſe menſe immediatè ſequenti, die ab ipſo ſtatuenda, proponi juſſit. Aut ſi in aliqua ex iiſdem Congregationibus non potuerit de aliqua cauſa agi, poterit expediri in prima Congregatione ordinaria immediate ſequenti, idque permittitur etiam quoad examen miraculorum. Sicuti & in Congregationibus ordinariis terminari ea omnia permittitur, quæ obedientiam dictis decretis, proceſſuum aperitionem, Judicum deputationem, & ſubrogationem, & ſimilia, concernunt, dummodo Secretarius quamcumque reſolutionem ſummo Pontifici referat.

Mandavit præterea Sanctiſſimus, ut ſicut in Congregatione Inquiſitionis, ita in Congregatione rituum Cardinales, ac duo familiares a ſingulis eorum deputandi, & Rotæ Auditores, & unus familiaris ab his pariter deputandus pro harum cauſarum ſtudio, necnon Protonotarius, Sacriſta, Promotor Fidei, & Conſultores juramentum, ſub ſpeciali forma in iiſdem Decretis expreſſa, præſtent, de non revelandis, ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ ſummo Pontifici reſervatæ, iis, quæ in dictis Congregationibus tractabuntur, ac de literis commendatitiis, ſupplicibus libellis, aut aliis ſimilibus officiis etiam ore tenus receptis, ſuper dictis cauſis, Secretario Congregationis manifeſtandis, ut ſummus Pontifex certior fiat.

Poſt hæc Congregationi rituum interdicitur, ne in cauſis Canonizationis, ſeu Beatificationis, etiam in quibus expeditæ ſunt literæ remiſſoriales, & compulſoriales, aut in aliis adhuc pendentibus, procedat, niſi lapſis quinquaginta annis ab obitu illius, de cujus cauſa agitur. Et poſt hunc lapſum requiratur ulterius ſummi Pontificis facultas. Ne ullum memoriale cum Pontificis reſcripto in Congregatione ad effectum procedendi admittatur, niſi huic decreto expreſſe derogatum ſit.

Sed ne interim probationes pereant, permittitur, ut ante dictum lapſum de proceſſibus agatur, ut appareat, an concedi debeant literæ remiſſoriales in genere: hiſque obtentis, & proceſſibus conſtructis, ac ſacræ Congregationi præſentatis, permittitur, ut diſcutiatur eorum validitas, & relevantia, ut confici proceſſus in ſpecie poſſint: quibus completis, & Congregationi delatis, eorum validitas perpendatur, inde per Secretarium clauſi, & obſignati cuſtodiantur, donec quinquaginta anni, ut ſupra, tranſeant.

Proceſſus conſtrui ſolent juxta diſ- poſita

poſita in Rituali Romano ſub Leone X. impreſſo, ac tradita per Doctores *in cap. 1. de Reliq. & vener. Sanct.* Sedes autem Apoſtolica non movetur, niſi Principes, & aliæ perſonæ authenticæ inſtent. Inſtantiis vero, præſertim ſpontaneis, & miraculis perſeverantibus, ſummus Pontifex per Commiſſionem manu ſua ſignatam, citato Fidei Promotore, cauſam committit Congregationi rituum, in qua primo expendendum eſt, an dicta decreta obſervata fuerint.

Adnectitur ſubinde *Forma Commiſſionis generalis*, in qua, attentis fama ſanctitatis, & miraculis Servi Dei, de quo agendum eſt, ac populorum devotione erga eumdem, Principes, & aliæ perſonæ authenticæ dicuntur petere a ſummo Pontifice illius Servi Dei Beatificationem, & Canonizationem. Idcirco pro parte Procuratoris in ſimili cauſa conſtituti eidem Pontifici ſupplicatur, ut cauſam, & cognitionem virtutum ejuſdem Servi Dei, necnon miraculorum, famæ ſanctitatis, populorumque devotionis dignetur committere Congregationi rituum cum facultate diſcutiendi proceſſus ſuper obedientia dictis decretis præſtita, & alios auctoritate ordinaria conſtructos, ac deputandi Judices, qui auctoritate apoſtolica in vitæ ſanctitatem, in virtutes, & miracula prius in genere, inde in ſpecie inquirant, adeoque expediendi literas remiſſoriales, & compulſoriales, & alia peragendi, quæ ad rectam hujuſmodi cauſæ directionem, & complementum conducunt.

Hæc Commiſſio augeri, vel minui juxta varias contingentias, vel particulares fieri in unoquoque articulo Commiſſiones poſſunt, ſi Papæ videbitur. In omnibus Actis citandus eſt in Urbe Fidei Promotor, extra Urbem Subpromotor ab eodem deputandus, ut conſtat ex Brevi a ſummo Pontifice eidem Promotori conceſſo, quod pariter inter hæc decreta, & declarationes refertur, & per quod idem Promotor eligitur, eique omnes facultates ad ſuum munus pertinentes tribuuntur.

Declarata obedientia dictis decretis præſtita, ſi Sacra Congregatio coram Pontifice habenda expedire cenſuerit, literas remiſſorialea, & compulſoriales, pro inquiſitione de fama ſanctitatis, de miraculis, ac de aliis in genere tantum facienda dirigit Epiſcopis, ac tribus quidem, ſi fieri poſſit, ut duo ſaltem procedant: & pro forma tradi debet, ut teſtes primo juxta interrogatoria a Fidei Promotore danda, poſtea ſuper articulis examinentur. Articuli vero, & interrogatoria in iiſdem literis includuntur, quarum formula inter eadem decreta exponitur, & in quibus omnia traduntur, quæ pro recta ejuſmodi inquiſitione, ſeu proceſſibus in genere perficiendis obſervari ab illis Epiſcopis debent.

Literis ſubduntur poſitiones, & articuli, quos Procurator ſub pluribus cautelis exhibet, & per quos probare in genere tantum intendit, Dei Servum in vita, & poſt obitum, tam ubi vixit, & obiit, quam alibi, magnam habuiſſe famam ſanctitatis, & venerationem a populis, multa edidiſſe miracula, ejuſque ſepulcrum fuiſſe venerationis cauſa frequentatum, ac de his omnibus publicam, & conſtantem viguiſſe, & vigere vocem, & famam.

Adduntur interrogatoria a Fidei Promotore, ſub ſpeciali formula, exhibenda, ſuper quibus idem Promotor petit, teſtes examinari, atque adeo interrogari de vi juramenti, & gravitate perjurii; de proprio teſtis nomine, patria, & ſimilibus. Item interrogetur teſtis, an ſacramenta ſuſceperit, an fuerit unquam inquiſitus, proceſſatus, excommunicatus, aut ab aliquo ſuper depoſitione facienda inſtructus.] An notitiam habeat talis Civitatis, & talis Servi Dei, an, & quomodo ipſum allocutus fuerit; an ſciat, ubi vixerit, & quam ſanctitatis famam habuerit; an ſciat ejus obitus locum, tempus, & modum, an ejus ſepulcrum,

Digitized by Google

crum, & quam, & cur venerationem obtinuerit. An audiverit, Dei Servum exacte Dei, & Eeclefiæ mandata ſervaſſe, animarum ſalutis, & Dei gloriæ zelatorem, ac virtutum amatorem fuiſſe. An ſciat quid ſit miraculum, & an a Dei Servo patrata miraeula fuiſſe audiverit. Demum generaliter interrogetur de fama, ac de omuibns qualitatibus illius famæ, quæ de Servo Dei invaluiſſe dicitur.

Hæc remiſſoria pro inqniſitione generali magni eſt momenti, cum ab ea pendeat inquiſitio in ſpecie, quæ non permittitur, niſi illa prius omninò abſoluta ſit. Tunc vero, ſi debitis concurrentibus requiſitis, locus ſit inquiſitioni in ſpecie, vel eiſdem Epiſcopis, vel aliis committitnr, ut diligenter veritatem de fama, de vita, ac de miraculis inquirant ſecundnm articulos, & interrogatoria tranſmittenda.

Formula literarum remiſſorialium, & compulſorialium in ſpecie eadem eſt, paucis mutatis, ac altera in genere, & ulterius in fine additur ſpecialis facultas viſitandi ſepulcrum. Non additur vero artieulorum forma, cum hi a Procuratore exhibendi ſint, ut Promotor interrogatoria efformet.

In utriuſque Remiſſoriæ executione juramentum a Cardinalibus & Epiſcopis, tacto pectore, præſtari, ab alils debet, tactis ſacris Scripturis. In Commiſſionibns a Summo Pontifice Congregationi Rituum directis apponenda eſt elanſula, ut ad proceſſns conficiendos, & teſtes examinandos in Curia, ſubdelegetur Cardinalis Vicarius, qui per ſe, vel per Epiſcopos ab eo deputandos informationes eapiat.

Si Proceſſus ad ſaeram Rituum Congregationem tranſmiſſi, Dei Servnm ſpectent infra quinquaginta annos defunctum, de eorum tantnm validitate agendum erit; ſi Dei Servum ſupra dictos annos mortuum, & ſi Congregatio opportunum cenſuerit, tranſmittantur ad Rotam, ut validitas, virtutes, & miracula diſcutiantnr. Rotæ Auditores, niſi congregatio ſuper prædictis pronnntiaverit, relationem debent Pontifiei facere. Rubrieas de contentis in proceſſibus formare, vota autem conſultiva reſervare debent in Congregationibus aperienda.

In proceſſibus conſtruendis, atque adeo in formandis articulis, obſervandum præcipue eſt, qualis fuerit Servi Dei obitus; & quam ubi obiit, vel requieſcit, obtineat ſanctitatis famam: & an aliquid ſcripſerit, cum ſeripta ante quemcumque inquiſitionis actum expendenda ſint.

Statuit præterea ſummus Pontifex, ne impoſterum procedatur ad alicujus Canonizationem, qui Beati titulo potitur, niſi in Congregatione per Cardinalem Ponentem referantur tam ea acta, quæ illius venerationem præceſſerunt, quam alia, quæ poſtea ſupervenerunt. Quoad proceſſus ante hæc deereta conſtructos, cum oſtendenda ſit obedientia iiſdem decretis præſtita, obſervandum erit, an per æquipollens fuerint ſuffieienter inſtructi, ideoque formandum erit dubinm, an procedendum ſit ad ulteriora. Proceſſus vero omnes in Congregatione præſentati, debent per Seeretarium conſignari Notario, deferendi ad Protonotarium per quem, ſervatis ſervandis, aperiantur.

Ut autem abuſibus obvlaretur, addita eſt peeuliaris epiſtola ſub die 12. Martii 1631. ad Nuntios Apoſtolicos, inter hæc decreta expreſſa, qua admonentur, ne in hujuſmodi cauſis ſe ingerant, niſi ſacra rituum Congregatio id eis ſignificaverit. Et certiores redduntur de Decreto die, & anno prædictis edito, & inter eadem decreta pariter relato, quo omnibns interdicitur, ne informationes, aut teſtificationes ullas ſuper alicujus defuncti ſanctitate, & miraculis ulln mndo excipiant. Superioribus autem & Sacriſtis Eccleſiarum permittitur, ut miracula, & prophetiæ dona ipſis revelata recipiant ſub ſigillo ſecreti ab iis tantum, in quorum gratiam contigiſſe narrabitur. Quamprimum vero Epiſcopo deferant,

vel

vel obſignata tranſmittant, dummodo hæc nullum conſtituant probationis gradum, etiam longiſſimi temporis curſu.

Alia epiſtola iiſdem die, & anno data refertur pro Patriarchis, Archiepiſcopis, & Epiſcopis quibuſcumque, qua & iſti de dicto decreto, ac de procuranda illius obſervantia certiores fiunt; & admonentur, ne in alicujus ſanctitatem, & miracula inquirant, niſi ſpecialem alicujus virtutis gradum, aut peculiare miraculum compererint. Inquiſitionem autem per ſe perficiant, ſi vero impediti ſint, Vicarium generalem, aut alium in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutum delegent, delegatus vero, & duo ſaltem cum eo docti viri, alter in Theologia Magiſter, alter in jure canonico graduatus, vel licentiatus teſtes examinent, eorumque ſubſcriptioni nomina ſua ſubdant. Teſtes explanate, & per extenſum deponant. Acta ſecreto cuſtodiantur; etiam ſub juramento a Notario, & teſtibus præſtando. Tum ſummus Pontifex certior reddatur, eademque Acta tranſcripta ad Congregationem rituum caute tranſmittantur, Originalia vero in eorum Archivio cuſtodiantur. Declaratur tandem, per hanc epiſtolam non tribui, aut augeri Epiſcopis juriſdictionem.

Declaratur ſubinde per hujuſmodi decreta, & ordinationes non tribui Ordinariis novam facultatem. Neque poſſe eos in his cauſis ullo modo ſe ingerere poſtquam S. Sedes manum appoſuerit. Relationes auditorum Rotæ, aliæque ſcripturæ ad eaſdem cauſas Beatificationum, & Canonizationum pertinentes, imprimi ante cauſæ terminationem prohibentur. Decreta in hac materia per Secretarium Congregationis nomine ejuſdem concipiantur per verbum (videtur) vel ſimile, ſuprema Pontificí reſervata determinatione. Abſente Cardinali Ponente, Decreta in iiſdem cauſis a Cardinali Præfecto Congregationis interponi poterunt. Fidei Promotor difficultates in ſcriptis proponere tenetur. Ejus ſubſtituto ſtipendium decem ducatorum a Procuratoribus pro quolibet proceſſu examinando perſolvendum eſt.

Protonotarius Sacræ Congregationis in conſtruendis proceſſibus, præcipue in teſtibus ſuper alicujus martyrio examinandis in Curia, intervenire debet, ac examini pro validitate ſubſcribere, eidemque Notarius in hoc actu ſubordinatus eſt.

Demum abrogantur declamationes, quæ olim de rebus profanis, & plerumque de fictis criminibus in Conſiſtorio publico ab Advocatis Conſiſtorialibus fieri ſolebant, earumque loco cauſæ Servorum Dei proponantur.

Omnia hæc a Summo Pontifice approbata dicuntur die 12. Martii 1642.

CAPUT XVIII.

APPENDIX II.

Ad Secundum librum.

Decreta noviſſima Sacræ rituum Congregationis ſervanda in cauſis Beatificationum, & Canonizationum, juſſu Innocentii XI. edita, & ab eo approbata. De quibus paſſim in hoc Opere, præcipue lib. 2.

HÆc decreta, re primum in Congregationibus particularibus, inde in generalibus diſcuſſa, prodierunt ſub diebus 9. Jul. & 6. Aug. 1678.

Ac primo quidem jubentur Ordinarii locorum, ut in ſuis proceſſibus conſtruendis in his cauſis, præter teſtes a Poſtulatoribus inductos, alios ex officio examinent; ſi aliquid obſtans repererint, ſuperſedeant, donec ſacra Congregatio certior facta mandet, quid agendum ſit.

2 Eædem diligentiæ adhibeantur in proceſſibus auctoritate Apoſtolica conſtruendis.

3 In literis remiſſorialibus præſcribatur, ut ne dum interrogatoria, ſed etiam teſtium depoſitiones, ubicumque proceſſus fiant, in fine cujuſlibet

libet ſeſſionis claudantur , & obſignentur , ac ſolum initio ſeſſionis aperiantur . Judices vero , Subpromotores , Notarii , teſtes , & Protonotarius ante inchoationem proceſſus juramentum præſtent de ſecreto ſervando ſub pœna excommunicationis .

4 Proceſſuum extero idiomate conſtructorum Interpres , & interpretationis Reviſor a Cardinali Ponente eligantur , citato , & audito Fidei Promotore . Si interpretatio errorem ſubſtantialem contineat , Interpres puniatur . Utrique juramentum deferatur de munere fideliter adimplendo, & merces nnius caroleni pro quolibet folio reducto tribuatur .

5 Proceſſus originales in archivo ſacræ Congregationis in loco ſeparato cuſtodiantur , neque amoveantur , niſi juſſu Cardinalis Ponentis , aut ad inſtantiam Promotoris , cujus loci clavis ſtet apud Protonotarium ejuſdem Congregationis , altera aliarum ſcripturarum apud Secretarium .

6 Protonotarius inventarium proceſſuum conficiat cum quatuor copiis , quarum unam ipſe , alteram Promomor , aliam Secretarius retineant , quarta in archivo maneat , iidemque in fine anni inventarium revideant , & cum proceſſibus conferant .

7 Commiſſio non ſignetur , niſi poſt decem annos a die præſentationis proceſſus auctoritate ordinaria conſtructi , & poſt maturam ejuſdem proceſſus diſcuſſionem cum ſcriptura , & ſummario , ac poſtquam Epiſcopi novas litteras miſerint de incremento famæ Sanctitatis , & miraculorum , ac devotionis populi pro Beatificatione , & Canonizatione ſupplicantis . Niſi ex peculiaribus circumſtantiis ſacra Congregatio cenſuerit , anticipandum eſſe tempus in dicta diſcuſſione .

8 In cauſis ante Urbani VIII. decreta introductis non ſignentur Commiſſiones reaſſumptionis , niſi poſt diſcuſſos proceſſus ordinarios , & Apoſtolicos , ſi adſint .

9 Inhærendo decretis ejuſdem Urbani VIII. unicuique ſub gravibus pœnis prohibetur extrajudiciales atteſtationes in his cauſis recipere , receptæ vero , aut recipiendæ nullum probationis gradum conſtituant , nec in ullum proceſſum inſerantur .

19 Fidei Subpromotor proceſſus diligenter ſpoliet , & examinet . Summaria vero Procuratorum , antequam typis mandentur , cum proceſſibus conferat , ſuamque reviſionem teſtetur , & in quolibet folio ſe ſubſcribat . Poſt impreſſionem repetat collationem eum ſubſeriptione in fine , eui addantur ſubſcriptio , & ſigillum Secretarii . Neque ante has cautelas ſummaria , & informationes publicentur ſub gravibus pœnis Procuratoribus , & impreſſori infligendis . Idem Subpromotor aliud (ſi Promotori videbitur) ſummarium obiectionale conficiat in oppoſitionum comprobationem . Pro examine cujuslibet proceſſus ſtipendium decem ducatorum auri ipſi in quolibet dubio perſolvatur . Quoad proceſſus autem Apoſtolicos id tribus tantum vicibus , nempe pro tribus dubiis , de validitate , de virtutibus, ſeu de martyrio,& cauſa martirii , ac de miraculis tribuatur .

11 Poſtulatores in his cauſis unum ex collegio palatii Apoſtolici Procuratorem ad libitum eligant , qui tamen quatuor dumtaxat cauſas eodem tempore , ſub pœna inhabilitatis , patrocinari poſſit . Eumque poterunt mutare , rationabiliter tamen , ac de licentia Cardinalis Ponentis .

12 Advocati in iiſdem cauſis aſſumantur ex Conſiſtorialibus , aut ex aliis duodecim a Congregatione approbatis , & ſex tantum cauſas patrocinari poterunt .

13 Prædictorum , & Notarii merces ſit juxta taxas a ſacra Congregatione reviſas .

14 Cardinalis Ponens ſecreto , ac prævio juramento Medicum,& Chirurgum eligat,qui Medicorum,& Chirurgorum ſcripturis a Poſtulatoribus quoad miracula exhibitis reſpondeant .

Omnia hæc decreta ſummo Pontifici relata, & ab eodem approbata dicuntur die 15. Octobr. 1678.

Subditur forma juramenti a Judicibus, Subpromotore, Notario, & Protonotario præſtandi. Ultimo ponitur alia forma juramenti Teſtium.

CAPUT XIX.

APPENDIX III.

Ad Librum ſecundum.

Antiqua Vita B. ARCHANGELI CANETI Canonici Regularis Congregationis Salvatoris &c. de qua lib.2. cap.18. num.19.

HÆC vita ſtylo valde ſimplici, & lingua vernacula conſcripta eſt. Porro B. Archangelus e Bononia fuiſſe dicitur, cujus parens, & fratres cum interfecti fuiſſent, Ordinem Canonicorum Regularium Congregationis S. Salvatoris anno 1484. ſuſcepit. Venetias miſſus cum patris interfectorem hoſpitio excepiſſet, & facile vindicari poſſet, a vindicta mira dexteritate, & patientia abſtinuit. Solitudinis amator ad monaſterium S. Ambroſii prope Eugubium evocari obtinuit, ubi diu auſteram vitam, ſed meditationibus, piiſque operibus ſuavem duxit. Inde Venetias revocatus Vicarii munus in quibuſdam Monaſteriis, obedientia, non jam deſiderio impellente, laudabiliter obivit. Mox priſtinam Monaſterii S. Ambroſii ſolitudinem impenſe expoſcens, illuc remeare tandem obtinuit, ubi meditationibus, auſteritatibus, aliiſque piis operibus intentus non levem ſanctitatis famam, licet ſemper humilis, adeptus fuit. Multi propterea ad eum in ſuis neceſſitatibus convolabant, quos ipſe in Domino conſolabatur. Prophetiæ dono inſignis futura non ſemel præcognovit, atque prædixit. Florentiam accerſitus Archiepiſcopatum illius Civitatis ſponte oblatum invicta ſententia recuſavit. Eugubium rediens morbum in itinere contraxit, quo paulatim conſumptus, Sacramentis munitus, hora, quam præcognoverat, piiſſime in Domino obiit. Ejus corpus Eugubium translatum in prædicto Monaſterio S. Ambroſii honorifice collocatum fuit, multiſque impoſterum miraculis claruiſſe dicitur, quorum plura recenſentur. In fine quorumdam ſubſcriptiones apponuntur.

CAPUT XX.

APPENDIX IV.

Ad Librum ſecundum.

Vita S. BOLONII, ſeu BONONII Abbatis, extracta ex Archivo Capituli Cathedralis S. Euſebii Vercellenſis &c. de qua lib.2. c.18. num.20.

BEatus Bononius, Bononiæ oriundus fuiſſe dicitur, ibique a pueritia monaſticam vitam profeſſus aliquandiu in Monaſterio S. Stephani ſancte vixiſſe. Mox ad altiora contendens ſolitudinem trans mare juxta Babylonem elegit, ubi corpus ſuum dura preſſit auſteritate. Ejus ſanctitatis fama per totum Egyptum pervagante, Egyptii Principes, & populi facultatem ei dederunt faciendi, quod vellet. Ipſe autem Eccleſias a Barbaris dirutas inſtaurare, & alia chriſtianæ pietatis opera edere. Monaſterium ibi ſub regula S. Benedicti inſtituit, & miraculis fulgens quoſdam ad Fidem adduxit. Alexandriam profecturus navem conſcendit, cumque oborta repente procella ſæviret, omnes ad Beati preces confugerunt, voventes baptiſmum ſuſcipere, ſi evaderent, oravit ipſe, & mare quievit, mox Alexandriam appulſi votum ſolverunt. Cum vero ejus fama ibi increſceret, ipſe nominis celebritatem fugiens priſtinam Babylonis ſolitudinem, & pias exercitationes repetiit. Con-

Digitized by Google

Contigit tunc, ut Babyloniis, ac Romanis bello confligentibus, multi ex Chriſtianis in miſeram captivitatem abducerentur, quos inter Petrus Vercellenſis Antiſtes, qui ut, revelante Deo, S. Bolonium ibidem eſſe cognovit, ejus adjutorium imploravit, quo mox intercedente, omnes a vinculis abſoluti in patriam remearunt, S. vero Bolonius in montem Sinai digreſſus ſanctiſſimam ibi vitam, & virtutum ſignis claram agebat, donec Vercellen. diœceſeos Locedienſi Abbati defuncto ſuccedere, præfato impellente Petro, coactus eſt. Perſecutionibus tamen agitatus in Tuſciam ſeceſſit, , ubi monaſterium ſub S. Benedicti regula reparavit. Tandem ad Locedienſe Monaſterium revocatus, poſt vitam ſanctiſſime exactam feliciter in Domino obiit anno 1026. Cumque in dies miraculis clareſceret, Ardericus Vercellenſis Eccleſiæ Epiſcopus, conſentiente Joanne ſummo Pontifice, altare ſuper illius corpus erexit.

Poſt hæc in eadem Appendice alia vita ejuſdem S. Bolonii ex alio Codice apponitur, in qua plura miracula ejus meritis, & interceſſione dum viveret, & poſt obitum patrata recenſentur.

In fine adnectitur authentica atteſtatio Cardinalis Ferrerii Epiſcopi Vercellenſis de fideli ſupradictorum omnium extractione ex dictis vetuſtis codicibus.

CAPUT XXI.

APPENDIX V.

Ad Librum ſecundum.

Officium proprium S. BONONII &c. de quo lib.2. cap.18. num.20.

HÆC pariter *ex archivo Cathedralis Euſebianæ Vercellenſis de* S. Bolonio, *ſeu* Bononio *extracta* dicuntur. Et initio quidem refertur Antiphona ejuſdem Sancti ex antiquo Antiphonario, in quo leguntur geſta S. Euſebii. Inde habentur *Oratio*, *Secreta*, & *Poſtcommunio* ex *Miſſali antiquo ſecundum ritum Euſebianum ſub die 30. Auguſti*. Mox ex libro antiquo inſcripto: *Liber Orationum, ſeu precum* ponitur oratio propria ejuſdem Sancti. Demum ex vetuſtiſſimo Codice ſignato, *Breviarium ſecundum uſum Eccleſiæ Vercellenſis* adnectitur Officium S. Bononii, nempe ſupradicta Antiphona, oratio, & tres breves lectiones propriæ; quæ quidem lectiones ex *Breviario Euſebiano typis impreſſo Venetiis an.*1504. paululum immutatæ, & adauctæ repetuntur. Identidem vero apponuntur convenientes rubricæ.

CAPUT XXII.

APPENDIX VI.

Ad Librum ſecundum.

IN qua tres propriæ recenſentur lectiones Officii S. Petri Epiſcopi Vercellenſis, quarum mentio facta eſt *lib.2. cap.*18. num.20. In bis porro vita ejuſdem S. Petri ſummatim deſcribitur, & plura de rebus geſtis S. Bononii attinguntur.

CAPUT XXIII.

APPENDIX VII.

Ad Librum ſecundum.

CUM *lib.2. cap.*24. hujus operis de iis tantum Dei Servis agatur, in quorum cauſis declaratus eſt caſus exceptus, nondum vero abſoluta Canonizatio, & BB. Catharina Fliſca Adurna, & Petrus Regalatus, poſtquam in prioribus hujus ejuſdem operis editionibus mentio de iis loc. ſupracit. fiebat, canonizati ſint, idcirco in tertia editione ad Appendices amandantur, quæ de iis ſupradicto *cap.*24. aliarum editionum dicebantur.

De Beata igitur Catharina primo

decretum ponitur, quo ſub diebus 30. *Mart.* & 6. *Apr.* 1675. declaratur ejus caſus exceptus a decretis Urbani VIII. Mox nonnulla de heroicis ejus rebus geſtis referuntur, de quibus graves Auctores egerunt.

De Beato quoque Petro Regalato integrum apponitur decretum, quo ejus caſus exceptus a Decretis Urbani VIII. ſub diebus ai *Jul.* & 17. *Aug. an.* 1683. approbatus eſt. Inde nonnulla de iis, quæ in ejus cauſa acta fuerant, & alia, quæ de ejus vita leguntur apud Auctores fide dignos, adnectuntur.

Poſt hæc integra apponitur relatio in ejuſdem Beati cauſa a tribus Rotæ Auditoribus facta ad Urbanum VIII. ſub anno 1630. In qua primo de virtutibus in genere, inde de virtutibus in ſpecie, nempe de Fide, Spe, Charitate in Deum & in proximum, de virtutibus cardinalibus Prudentia, Juſtitia, Fortitudine, & Temperantia, per diſtinctos titulos agitur. Mox ſub uno titulo aliæ virtutes, ac dona ſupernaturalia, & ſub alio fama, & communis opinio ſanctitatis expenduntur, in quo quidem titulo plura congeruntur Scriptorum teſtimonia, & monumenta de eadem illius ſanctitate, ac de cultu, quem a populis obtinuit. Alius ſubinde titulus ſequitur de miraculis, & poſt hunc per ſeptem diſtinctos titulos ſeptem miracula eodem Beato vivente patrata, ſex vero, quæ poſt illius mortem contigerunt, per ſex pariter titulos referuntur, & expenduntur. Porro omnia hæc ex proceſſibus in Canonizationis cauſa conſtructis, & ex autbenticis monumentis deſumi dicuntur, & ad trutinam exacte revocantur. Ultimo loco agitur de validitate proceſſus, ac legitimo teſtium examine. Concludunt vero iidem Auditores, cauſam in eo ſtatu eſſe, ut poſſit ad ulteriora procedi.

CAPUT XXIV.

APPENDIX VIII.

Ad Librum ſecundum.

Relatio Rotæ Auditorum facta Urbano VIII. in Cauſa B. Gregorii X., in qua approbatis Virtutibus ante Decreta Urbani VIII. poſt eadem pronuntiatum fuit ſuper caſu ab iiſdem excepto &c. De quibus omnibus lib. 2. cap. 24. num. 131. & ſeqq.

HÆC relatio in quatuor partes dividitur. In prima per unicum titulum de proceſſibus remiſſorialibus, & compulſorialibus agitur, eoſque validos eſſe, ac valide teſtes examinatos fuiſſe oſtenditur. In ſecunda ſub unico pariter titulo de Beati nativitate, pueritia, adoleſcentia, progreſſu in virtutibus, & mirabili in Pontificem electione agitur. In tertia parte heroicæ illius virtutes expenduntur. Ac primo quidem per quatuor titulos virtutes theologales, Fides, Spes, Charitas in Deum, & Charitas in proximum examinantur, atque his omnibus in gradu heroico B. Gregorium X. floruiſſe oſtenditur, quemadmodum, & virtutibus Cardinalibus, aliiſque ad has pertinentibus, prudentia ſcilicet, Juſtitia, Fortitudine, Temperantia, Caſtitate, & Humilitate, quarum ſingulæ ſub ſuo particulari titulo ad trutinam revocantur. Alius mox ſubjicitur titulus de Sanctitate B. Pontificis in genere, quæ ſane quanta fuerit, decem gravibus argumentis demonſtratur, quorum tertium Scriptorum continet peramplum elenchum diverſarum nationum, qui de ejuſdem Beati ſanctitate teſtimonium perhibuerunt. De miraculis ſubinde agitur, Beati interceſſione poſt ejuſdem obitum patratis. Ac primo quidem tabula quædam exponitur, quæ ad illius ſepulchrum appenſa dicitur, & in quemdam hujus cauſæ proceſſum compulſata. In hac quatuordecim miracula referuntur, & in fine alia plura contigiſſe aſſeritur. Porro ex

ro ex his miraculis in dicta tabella deſcriptis undecimum, & duodecimum in hac rotali relatione omittuntur, cetera per diſtinctos titulos examinantur, & admittuntur. Poſtremo alius adnectitur titulus, ſub quo aliud miraculum exponitur, pariterque admittitur. Tandem Beatum hunc inter Sanctos referri poſſe iidem Rotæ Auditores concludunt.

CAPUT XXV.

APPENDIX IX.

Ad Librum ſecundum.

In qua exemplar ponitur Tabella Teſtium, qua Sacrorum Rituum Congregationi exhibetur, cum agitur de validitate proceſſuum auctoritate Apoſtolica, & Ordinaria confectorum, ubi Teſtium Nomen, Cognomen, Ætas, Inductio, Citatio, Juramentum, & Examen indicantur. De qua tabella lib. 2. cap. ult. in fine.

PORRO exemplar in hac Appendice poſitum eſt tabellæ exhibitæ in cauſa Ven. Servi Dei F. Gundiſalvi Diaz de Amarante Laici profeſſi Ordinis B. Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum.

APPENDICES V.

MONUMENTA COMPLECTENTES AD TERTIUM TOMUM PERTINENTIA.

CAPUT XXVI.

APPENDIX I.

Ad Librum tertium.

Epiſtolam continet Mariæ Stuartæ, Jacobi V. Regis Scotiæ filiæ, & Angliæ Reginæ, ad ſummum Pontificem Sixtum V. datam. De qua lib. 3. cap. 13. num. 10.

IN hac epiſtola ex Fodringhay ſcripta die 23. Novembris 1586., admirabili ſane Fidei Catholicæ zelo, Regina eadem prius Fidem ipſam, ac debitam Sedi Apoſtolicæ obedientiam extollit, ac profitetur; inde captivitatem, ærumnas, & viciſſitudines ſuas, ſuamque ad mortem pro vera Fide condemnationem exponit, ac nonnulla pro anima ſua implorat, & fieri commendat. Tum ardens deſiderium ſuum de Angliæ converſione manifeſtat, enixeque ſummum Pontificem rogat, ut filium ſuum ab hæreticorum cætu abducere conetur. Tandem benedictionem a Sanctitate ſua petit, eique ultimum vale dicit, & felicitatem adprecatur. Admonet ſubinde Pontificem, ut a quibuſdam Romæ degentibus diligenter caveat, quos ſibi in Fide ſuſpectos ſignificat.

CAPUT XXVII.

APPENDIX II.

Ad Librum tertium.

RELATIONEM exhibet a tribus Rotæ Auditoribus factam Urbano VIII. ſuper cauſa Canonizationis viginti ſex Martyrum Japonenſium. *Cujus ſæpe facta eſt mentio, cum de Martyrio ageretur.*

Hæc relatio in tres articulos dividitur, in quorum primo de proceſſibus remiſſorialibus, & compulſorialibus, ac de

de teſtium examine agitur, & omnia valida eſſe & *in forma probante* iidem Auditores admittunt. Nomina etiam eorumdem Martyrum referuntur, quorum ſex Ordinis S. Franciſci, tres Societatis Jeſu, alii Doxici, ſeu Scholares, alii interpretes, alii miniſtri, & familiares eorumdem Fratrum Franciſcanorum erant, inter quos duo recenſentur, qui cum Martyres ad patibulum deportatos in via aſſociaſſent, cum iiſdem crucifixi fuerunt.

In ſecundo articulo *de Martyrio, & cauſa illius*, agitur, illudque verum fuiſſe, & hos Martyres illud admirabili patientia, & fortitudine ſuſtinuiſſe oſtenditur, & inter alia ponitur mortis ſententia contra ipſos ab Imperatore Japoniæ lata.

In tertio articulo primum demonſtrare laudati Auditores conantur, miracula non eſſe neceſſaria pro Martyrum Canonizatione. Nihilominus nonnulla ſubinde ſigna, & prodigia, quæ ante, & poſt eorum Martyrium contigerunt, referunt, diſcutiunt, & admittunt. Poſtremo concludunt ex more, cauſam iſtam in tali ſtatu eſſe, ut ad horum Martyrum Canonizationem procedi poſſit.

CAPUT XXVIII.

APPENDIX III.

Ad Librum tertium.

RElationem continet trium Rotæ Auditorum factam Urbano VIII. de Martyrio Servi Dei Joſaphat Concevitii Archiepiſcopi Polocenſis. *Cujus facta eſt mentio, cum de Martyrio agebatur.*

Hæc relatio quatuor partibus componitur. In prima proceſſus recenſentur in hac cauſa conſtructi, tum eorum defectus, & ſanationes adnotantur, tandem illorum, nec non probationum validitas demonſtratur.

In ſecunda, integram ſanctitatem in Martyrio, atque adeo virtutes omnes contineri oſtenditur. Tum quodnam ſit verum Martyrium, quæ vera ejus cauſa, & requiſita, & conſequenter quis pro vero Martyre habendus ſit, diſcutitur, & inter alia aſſeruntur nonnulla, quæ miraculorum neceſſitatem pro Martyrum Canonizatione excludere videntur.

Tertia pars nativitatem primo hujus Servi Dei, profeſſionem monaſticam in Religione S. Baſilii, & vitam optime exactam oſtendit. Tum quæ ipſe egregie geſſit, cum Archimandrita Vilnenſis, & poſtea Archiepiſcopus Polocenſis creatus fuit, referuntur. quam ſtrenue Catholicam Fidem, Sedis Apoſtolicæ primatum, Eccleſiaſticum, & Epiſcopale jus adverſus Hæreticos, & Schiſmaticos, & impios defenderit, quam multos converterit, ac demum quam fortiter, & patienter Martyrium ab iiſdem Schiſmaticis ſuſtinuerit. Cujus quidem Martyrii veritas, & cauſa diſcutiuntur, & tamquam ſatis probata, & legitima admittuntur.

In quarta parte laudati Auditores initio repetunt miracula non eſſe *ſimpliciter, & abſolute* neceſſaria pro Martyrum Canonizatione. Nihilominus nonnulla referunt, expendunt, & admittunt ſigna, & mirabilia, quæ poſt Servi Dei Joſaphati mortem evenerunt. Finem relationi imponunt innuentes, quam æquum ſit, ut idem Dei Servus publice inter Sanctos referatur.

CAPUT XXIX.

APPENDIX IV.

Ad Librum tertium.

PRoceſſum habet auctoritate Apoſtolica confectum ſuper vita, & miraculis Servi Dei LAURENTII Converſi, & Eremitæ, de quo *cap.* 29. *num.* 10. *lib.* 3.

Huic proceſſui brevis præmittitur vita ejuſdem Laurentii, ex quibuſdam monu-

monumentis monaſterii Sublacenſis S. Scholaſticæ deprompta , in qua ipſe admirabili pœnitentia , & pietate erga B. V. Mariam in valle Sublacenſi floruiſſe dicitur .

Proceſſus vero a Joanne Alatrino Epiſcopo , & a Priore monaſterii S. Bartholomæi de Triſulto Alatrinæ diœceſis conſtructus eſt an. 1244. juſſu Innocentii IV. Summi Pontificis , cujus etiam literæ Apoſtolicæ ad eoſdem datæ initio proponuntur . Porro primus teſtis examinatus affirmat , ſe a dicto Fratre Laurentio audiviſſe , eumdem ex quodam Apuliæ caſtro , quod *Fatiolum* vocant , oriundum fuiſſe , & pœnitentiæ cauſa propter perpetratum homicidium prius B. Jacobi Apoſtoli limina viſitaſſe , inde apud S. Angelum *de poſt lacum* duobus annis manſiſſe , tandem ſe contuliſſe in antrum , quod *de Marebottis* dicitur prope ſpecum S. Benedicti . Addit idem teſtis, illum ibi triginta tribus annis , & amplius in ſumma auſteritate , aliarumque virtutum exercitio , ac miraculis clarum vixiſſe . Teſtes ſubinde ſex ſupra centum & amplius examinati ſuper vita , & miraculis ejuſdem F. Laurentii recenſentur , quorum plures ingentia miracula ejus meritis patrata teſtantur; multi verò miracula ſimul, & auſteriſſimam ipſius pœnitentiam , aliaſque virtutes adſtruunt .

In fine ponitur atteſtatio , & ſignum nominis Scriniarii Sacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ , qui teſtium depoſitiones in publicam formam juſſu ſupradictorum Judicum redegit . Subditur alterius Notarii atteſtatio ſub die 30. Octobr. 1742. de extractione hujus proceſſus ex originali , quod in archivo caſtri S. Angeli aſſervatur .

CAPUT XXX.

APPENDIX V.

Ad Librum tertium .

In qua extat Epiſtola B. Joannis Tauſignani Ordinis Jeſuatorum Epiſcopi Ferrarienſis , conſcripta Duci Eſtenſi. De qua lib.3. cap.40. num.7.

HIC Beatus , cum apud præfatum Ducem de nonnullis criminibus per odium,& invidiam falſo accuſaretur in hac epiſtola criminationem omnem infringere conatur . Idcirco ſe ipſum modeſte laudat , ſuaſque virtutes , & pia opera prodit , ſervata ſemper humilitate , ac tantum ut falſi accuſatoris calumnias diluat ,

Digitized by Google

APPENDIX

AD PRIMAM PARTEM LIBRI QUARTI.

CAPUT XXXI.

IN hac APPENDICE ampla, & lucnlenta continetur DISSERTATIO Academicorum Inſtituti Bononienſis *de longis jejuniis*. De his duas Academici præſtantiſſimi quæſtiones agitant: alteram, an abſtinentia ab omni cibo, & potu in plures dies, menſes, & annos produci ſolis naturæ viribus poſſit: alteram, an Auctorum opiniones, qui id affirmant, & declarant, ſatis firmæ ſint.

Primam quæſtionem duobus capitibus complectuntur: primò ſcilicet inquirentes, an id unquam contigerit: ſecundo, ſi aliquando contigit, quomodo fieri id potuerit. At quoad primum, nonnullas referunt hiſtorias hujuſmodi jejunantium, quarum aliquæ etſi fabulæ potius videantur, aut ſimulationes extiterint, quaſdam tamen tum ob Auctorum probitatem, tum ob ſolertiſſimam diligentiam eorum, qui facta obſervarunt, veras, ideoque credibiles exiſtimant, diuturnas vero ejuſmodi inedias plerumque aut inauditos quoſdam morbos fuiſſe, aut a morbis initium habuiſſe. Secundum verò ut aſſequantur, prius ſapienter inveſtigant, unde tanta nobis ſit tam frequenter ſumendi cibi neceſſitas: atque hujus præcipuam eſſe cauſam dicunt reparationem diſpendii, quod continuo fit humani corporis, quod nempe eum fluidarum, tum ſolidarum ſui partium diſſipationem patiatur perpetuam. Alteram minus præcipuam in eo conſiſtere, ut humores noſtri in temperatione ſibi debita conſerventur. Atque his opportuno alimentorum ſubſidio natura occurrit, ne animantis corporis moles in exitium ruat. Nutritione quoque inſtaurari ſpiritum, ſive ſuccum illum dicunt, qui a cerebro per nervos ad excitandas & roborandas corporis partes univerſas decurrit. His explicatis, pergunt laudati Academici, pluribuſque argumentis demonſtrare ſatagunt, non repugnare, quin aliquis exiſtat, in quem cauſæ iſtæ non tantam vim habeant, ut diu ſine omni cibo, & potu vivere nequeat. Extraordinariis ſiquidem circumſtantiis fieri poſſe, ut, externa ablata nutritione, corporis partes non adeo motu, aut alia ratione diſſipentur, & humores in debita temperie conſerventur, & conſequenter ejuſmodi corpus abſque ulla cibi, potuſque ſumptione, niſi ad ſummum aeris, aut aquæ, non tam perfecte quidem, ſalvum tamen conſiſtat.

Poſt hæc ad alteram deſcendunt quæſtionem, & Auctorum opiniones, qui ejuſmodi diuturnas inedias tamquam poſſibiles admiſerunt, & explicarunt, ipſi enucleant, benigne interpretantur, & paucis demptis, cum ſua doctrina componunt.

Longæ ſubinde, & multiplices ſubnectuntur notæ, quibus ea, quæ in diſſertatione ponderantur, magis dilucidantur, & confirmantur.

Digitized by Google

APPENDICES IV.

AD SECUNDAM PARTEM LIBRI QUARTI.

CAPUT XXXII.

APPENDIX I. nonnullas continet Summorum Pontificum literas Apoſtolicas, in quibus, exorantibus Poſtulatoribus, confirmantur ſacræ Congregationis reſponſa, per quæ indulgebatur Officium & Miſſa in honorem quorumdam Beatorum Beatificatione æquipollenti. *De quibus cap.4. num.6. part.2. ſupradicti lib.4.*

Primo igitur loco literæ Apoſtolicæ referuntur Clementis IX. ſub titulo & forma Brevis datæ die 8. Mart. 1669. in quibus Officium & Miſſa pro Eccleſia parochiali Oppidi Saxellæ in Subſilvania conceditur in honorem B. Nicolai de Flue Eremitæ Helvetii, in cujus cauſa a ſacrorum rituum Congregatione jam declaratum fuerat, conſtare de caſu excepto ex cultu immemorabili.

Secundo ponuntur literæ Apoſtolicæ Clementis X. pariter in forma Brevis die 30. Aug. 1673. datæ, in quibus conceditur, ut Officium & Miſſa in honorem B. Bernardi Ptolemæi Fundatoris Congregationis Montis Oliveti celebretur ab univerſa eadem Congregatione, & a Monialibus, ſeu Oblatis Monaſterii Turris Speculorum de Urbe, cum ſacra rituum Congregatio jam declaraverit, conſtare eumdem Beatum, per immemorabilem temporis curſum, cultum obtinuiſſe legitimum.

Tertio exponuntur ſimiles literæ ejuſdem Clementis X., quibus, cum præfata ſacrorum rituum Congregatio in cauſa B. Oldegarii, ſeu Ildegarii olim Epiſcopi Barchinonenſis, deinde Archiepiſcopi Tarraconenſis, confirmaverit ſententiam Epiſcopi Barchinonenſis ſubdelegati ſuper cultu ejuſdem Beati ex caſu excepto a decretis Urbani VIII., permittitur, ut in Civitatibus, & diœceſibus Tarraconenſi, & Barchinonenſi Officium & Miſſa de eodem Beato celebrentur.

Poſtremo referuntur literæ Apoſtolicæ Innocentii XIII. ſub die 15. Febr. 1624., quibus indulgetur, ut in univerſa Religione Minorum S. Franciſci, & in Civitate, ac diœceſi Anagnina Officium & Miſſa celebretur in honorem B. Andreæ de Comitibus Sacerdotis Profeſſi ejuſdem Religionis Minorum, in cujus cauſa Congregatio ſacrorum rituum, annuente Pontifice, confirmaverat ſententiam ab Epiſcopo Anagnino latam ſuper cultu eidem Beato ab immemorabili tempore præſtito.

APPENDIX II. integras dat antiquas Litanias Eccleſiæ Bononienſis ex membranaceo Codice Proceſſionum in Archivo Capituli Metropolitanæ aſſervato, in quibus S. Joſeph invocatur. Agit de harumce Litaniarum antiquitate: de loco & tempore, quo recitabantur: de Eccleſiis SS. Silveſtri & Theclæ, ac S. Martini de Caccianemicis: de antiquitate cultus S. Joſeph; de Eccleſia in ejus honorem antiquitus fundata.

APPENDIX III. exhibet epiſtolas duas Leonardi Sarzanenſis Jacobo Volaterrano de inventione Tituli Crucis Domini noſtri Jeſu Chriſti, & de Urbis lætitia ob reportatam victoriam Granatenſem.

APPENDIX IV. Encyclicam dat epiſtolam BENEDICTI XIV. Epiſcopis Provinciarum Maritimæ, & Campaniæ, ac aliorum locorum, ut de medio tollant impuros, ac profanos ludos, in quo diſerte agitur de ludis apud Ethnicos celebratis.

Digitized by Google

APPENDICES VI.

LIBRO VI. SUPERIUS INDICATÆ.

APPENDIX I.

De qua Cap.VII.Lib.VI.ſermo habetur.

BREVIA BEATIFICATIONIS.

1. PRO *Beatificatione Ven. Servi Dei Alexandri Saulii*. Die 25. Martii anni 1731. Clemens XII. declaraverat conſtare de virtutibus B. Alexandri Saulii in gradu heroico &c. Cum die 27. Sept. anni 1740. SS.D.N. BENEDICTUS XIV. per aliud decretum duo ejuſdem Beati Miracula in tertio genere approbavit, deinde quia 21. Martii anni ſequentis ſtatutum fuerat in Sacra Cong., tuto procedi poſſe ad Beatificationem; hujus decretum per Litteras in forma Brevis expediri mandavit die 9. Aprilis, quod & præſtitum fuit die 23. ejuſdem menſis, & anni.

2. *Pro Beatificatione Venerabilis Servi Dei Camilli de Lellis*. BENEDICTUS XIV. ſalutare eſſe exiſtimans Divinæ miſericordiæ opera in Servi Dei Camilli de Lellis virtutibus extollere, ut Fideles benignitatem Dei prædicantes uberiora habeant imitationis exempla, & Dei Servus, qui de perditionis via ad rectam ſemitam revocatus Chriſtianæ perfectionis, omniumque virtutum iter perfecte confecit, honoratus in terris certa e cœlis patrocinio ſuo impetret communis populorum tranquillitatis, & æternæ ſalutis præſidia, aptiſſimum, ac ſummopere opportunum eſſe exiſtimavit, ejuſdem Servi Dei de Chriſtiana Republica optime meriti, cultum, & venerationem promovere.

3. Cum igitur Sacra Rituum Congregatio coram laudato Pontifice conſtituta, perpenſis jam Apoſtolicis proceſſibus ſuper illius vitæ Sanctitate, virtutibus, & miraculis, auditis etiam Conſultorum ſuffragiis, concorditer cenſuerit, poſſe illum, quandocumque Sanctitati ſuæ videretur, declarari Beatum, Sanctiſſimus enixis Congregationis Clericorum Regularium a Servo Dei fundatæ precibus nuper porrectis inclinatus, quas olim alii viri Principes Eccleſiaſtici, & Sæculares apud alios Pontifices cumulaverant, de ſupradictæ Congregationis Rituum conſilio, & aſſenſu die 7. Aprilis 1742. permiſit, ut idem Dei Servus Camillus impoſterum Beati nomine nuncupetur, & alia ſimul indulta conceſſit quoad venerationem ejus Reliquiarum, quoad Imagines, quoad Officii, & Miſſæ celebrationem in tota Congregatione eorumdem Clericorum Regularium, ac diœceſi Theatina, & quoad Beatificationis ſolemnitatem.

4. *Pro Beatificatione Venerabilis Servi Dei Hieronymi Æmiliani*. In hac cauſa Summus Pontifex approbatis duobus miraculis tuto ad Beatificationem procedi poſſe, per Decretum Tomi 6. Cap.6. relatum pronunciavit, quin conſuetum dubium ſuper hoc proponeretur. Idque potiſſimum præſtitit ob eximiam Poſtulatorum obedientiam erga Urbani VIII. Decreta, qua omnem publicum cultum per centum fere annos Servo Dei præſtitum amoverunt, cauſamque per viam non cultus proſecuti ſunt.

5. Statim poſt obitum Servi Dei ejus meritorum fama longe lateque diffuſa plures tam ordinaria, quam Apoſtolica auctoritate proceſſus de virtutibus, & miraculis conſtructi, omniaque apud Rotæ Auditores, & apud ſacram Rituum Congregationem diſcuſſa fuerunt. Sed intercedentibus interim Urbani VIII. Decretis obſequentes cauſæ Poſtulatores ab

ab inceptis deſtiterunt. Subſecutis vero temporibus redintegrata de virtutibus quæſtione, Clemens XII. eas 8. Kal. Aug. 1737. in gradu heroico approbavit. Deinde BENEDICTUS XIV. duo ex diſcuſſis ſub ipſo miraculis 9. Kal. Maji anni 1747. admiſit, & alterius dubii diſcuſſione ſepoſita, cauſam abſolvit. Quapropter precibus tum nobilium Venetorum, tum Religioſæ Familiæ Somaſchæ annuens, de laudatæ Congregationis rituum conſilio, & aſſenſu die 22. Septembr. 1747. indulſit, ut idem Dei Servus Beati nomine nuncuparetur, cum conſuetis indultis quoad ejus Reliquiarum venerationem, quoad Imagines, & quoad Officii, & Miſſæ celebrationem, quam univerſæ Religioni Somaſchæ, Venetis, Oppido Somaſchæ, ac toti Bergomenſi territorio conceſſit, in quibus etiam locis ſolemnitatem Beatificationis, poſt peractam ſolemnitatem in Templo Vaticano, celebrari permiſit.

6. *Pro Beatificatione Ven. Servi Dei Joſephi a Matre Dei Ordinis Scholarum Piarum Fundatoris*. Approbatis in hac cauſa duobus miraculis, dubium erat in Congregatione diſcutiendum, an tuto procedi poſſet ad Beatificationem. Sed cum univerſa Religio Scholarum Piarum petiiſſet diſpenſationem ab hoc dubio, ut ſolemnis Beatificatio die 18. Auguſti 1748. fieret, ac ſolemne triduum inchoaretur in eorum Eccleſia S. Pantaleonis 25. ejuſdem menſis & anni, quæ erat anniverſaria centum annorum ab obitu Servi Dei, ſummus Pontifex Fidei Promotoris votum exegit.

7. *Votum* igitur ſuum Fidei Promotor exaravit, & initio quidem illud expoſuit, quod Sanctitas Sua in celeberrimis ſuis operibus in hac materia docuerat *lib.* 1. *cap.* 23. *a num.* 21. *ad* 24. ſed præcipue *cap.* 26. *num.* 6. ubi oſtenderat ſub Clemente XI. duas ſemper in ſupradictis circumſtantiis habitas fuiſſe coram Pontifice Congregationes generales, in quarum prima dubium de miraculis diſputaretur, in altera vero dubium proponeretur, an procedi poſſet ad Beatificationem, & hunc ordinem eſſe optimum & retinendum. Subdit Fidei Promotor, eumdem fuiſſe in quibuſdam Canonizationibus, & Beatificationibus ſub eodem Pontifice BENEDICTO XIV. ſervatum. Nihilominus poſſe Oratorum precibus ex ſpecialiſſima gratia ſatisfieri, primo quidem ex eo fundamento, quod Oratores iidem in ſua petitione prætexebant, nempe ſupradictam diem 25. Auguſti eſſe anniverſariam centum annorum ab obitu Servi Dei, quæ ſane circumſtantia laudato Promotori maxima viſa eſt, cum annus centeſimus tam apud Ethnicos, quam apud Chriſtianos in maxima ſemper fuerit celebritate. Etenim ex pluribus monumentis conſtat, centeſimam quoque annorum Natalis Chriſti celebritatem olim fuiſſe maximam, & in numero centeſimo myſterium aliquod inveniri, uti etiam Sacræ Scripturæ innuunt. Secundo ajebat Promotor, agi de gratificando Ordine Eccleſiæ utiliſſimo, ac de eadem, & de S. Sede optime merito. Atque ex his cauſis poſſe gratiam concedi, clauſulis tamen, & conditionibus talibus medendam, ut adduci in exemplum non poſſet.

Sanctiſſimus, hoc perpenſo voto, aliiſque adductus circumſtantiis petitioni annuit, & diſpenſationem a ſupradicti dubii propoſitione pro hac vice conceſſit die 17. Julii 1748. ac denique die 7. Auguſti, ejuſdem anni per Breve Apoſtolicum B. Joſepho Beati nomen, atque honores decrevit.

8. *Pro Beatificatione Ven. Servæ Dei Joannæ Franciſcæ Fremiot de Chantal*. Per Decretum uſque ab anno 1741. die 10. Sept. emanatum ſtatuerat Pontifex prœjactas quietiſmi oppoſitiones nihil obſtare debere, quominus in Cauſa Ven. Servæ Dei Joannæ Franciſcæ ad diſcuſſionem virtutum procederetur. His itaque diſcuſſis & per favorabile Decretum die 31. Martii 1743. approbatis, declaratum eſt tuto deve-

deveniri poſſe ad miraculorum diſcuſſionem, quæ miracula, (quia virtutes ex teſtibus de auditu fuerant probatæ) quatuor omnino eſſe debebant. Verum non quatuor ſolum approbata ſunt, ut neceſſaria ad Beatificationem, ſed unum præterea ſupra numerum, & ſimul diſpenſatum eſt, ne proponeretur dubium; An tuto procedi poſſet ad Beatificationem. Quibus peractis ad ſolemnem Beatificationem deventum eſt in Baſilica Vaticana die 21. Nov. 1751.

Appendix II.

Quæ ad Cap. IX. Lib. 6. refertur.

De Feſtis de præcepto.

CUM plures Epiſcopi apud BENEDICTUM XIV. de nimia Feſtorum multitudine conqueſti eſſent, ipſe eorum conſilium requiſiturus diſſertationem ſuper hoc exaravit, tom. 4. inſertam, & ad nonnullos Cardinales, Archiepiſcopos, & Epiſcopos miſit. Petentibus interim quibuſdam Epiſcopis Feſtorum imminutionem, ipſe conceſſit.

Prima conceſſio inſcribitur Epiſcopo Calaguritano. Cum enim ea, quæ ad diſciplinam pertinent, aliquando, urgente neceſſitate, temperari expediat, & S. Apoſtolica Sedes in his ipſis, ſi aut majus Divini cultus incrementum, aut temporum & hominum conditio exigat, conſueverit auctoritatem ſuam interponere; Philippus vero Hiſpaniarum Rex ſummo Pontifici ſignificaverit, in Provincia Ipuſcoana, cujus pars in Diœceſi Calaguritana continetur, feſtos dies, non ſine gravi, pauperum præcipue hominum, incommodo, qui victum ſibi labore manuum ſuarum comparare coguntur, nimium excreviſſe, & idcirco huic incommodo remedium afferri ſupplicaverit, Sanctitas ſua per litteras Apoſtolicas die 3. Septembr. 1742. datas dicto Epiſcopo Calaguritano commiſit, atque mandavit, ut Chriſtifidelibus prædictæ Provinciæ in ipſius Diœceſi exiſtentibus, permitteret, & præciperet, ut exceptis diebus Dominicis, Natalis Chriſti, S. Stephani, Circumciſionis, Epiphaniæ, Reſurrectionis, & ſequenti, Aſcenſionis, Pentecoſtes, & ſequenti, Corporis Chriſti, S. Joannis Baptiſtæ, SS. Petri & Pauli, S. Jacobi, Commemorationis Omnium Sanctorum, Purificationis, Annuntiationis, Aſſumptionis, Nativitatis, & Conceptionis B. M. Virginis, necnon Sancti Patroni, ſeu Tutelaris cujuslibet loci, in reliquis Feſtis quomodocumque introductis, etiamſi per votum, cujus proinde commutandi facultatem eidem Epiſcopo fecit, audita Miſſa, ſervilibus operibus libere vacare poſſent.

Eodem menſe, & anno ſimile Indultum conceſſum fuit pro quibuſdam univerſitatibus Diœceſis Pampilonenſis, & pro Diœceſi Pacenſi.

Menſe Septembr. 1743. pro Diœceſi Septenſi.

Eodem menſe 1744. pro Diœceſibus Hiſpalenſi, Mindonienſi, & Malacitana.

Menſe Majo 1745. conceſſum fuit pro Oppido de Olivares Provinciæ Giſpanienſis, & pro Diœceſi Valliſoletana.

Alia conceſſio inſcripta eſt Epiſcopo Nicienſi per litteras Apoſtolicas ſub die 12. Aprilis 1745. datas, in quibus ſummus Pontifex eidem Epiſcopo poſtulanti committit, & mandat, ut, exceptis diebus Dominicis, necnon diebus Natalis Domini, S. Stephani, S. Joannis, Circumciſionis, Epiphaniæ, Reſurrectionis, & ſequenti, Aſcenſionis Domini, Pentecoſtes & ſequenti, Corporis Chriſti, S. Joannis Baptiſtæ, SS. Petri, & Pauli, & Commemorationis Omnium Sanctorum, item quinque Feſtis B. M. Virginis nempe Purificationis, Annuntiationis, Aſſumptionis, Nativitatis, & Conceptionis, demum Patroni, aut

Tute-

Tntelaris cujuslibet loci, in reliquis feſtis diebus quomodocumque introductis, & præceptis, etiamſi per votum, quod propterea ab eodem Epiſcopo commutari voluit, omnibus utrinſque ſexus Fidelibus in ſua Diœceſi exiſtentibus permitteret liberum, audita Miſſa, ſervilium operum exercitium.

Aliæ ſuper eadem materia litteræ Apoſtolicæ ſnb die prima Septembr. 1745. datæ ſunt ad Epiſcopum Poſnanienſem, cui poſtulanti Pontifex committit, & mandat, nt Feſta quomodocumque ſtatuta, & menſibus Julio, Auguſto & Septembri extra Dominicam occurrentia, illo Aſſumptionis B. M. Virginis excepto, in Dominicam immediate ſequentem, aut in aliam pro hominibus ſuæ Diœceſis transferat, opportunioribus quoad Miſſam audiendam, & quoad opera ſervilia exercenda cautelis præſcriptis; nihil tamen innovando quoad Chori ſervitium, & Divinorum Officiorum celebrationem. Id vero conceſſum eſt, quia prædicti homines per illos menſes nimium meſſibus, aliiſque fructibus terræ colligendis, & agris excolendis occupari coguntur.

Simile Indultnm die 17. Maii 1743. conceſſum fuerat pro diœceſi Vilnenſi, aſſignatis Dominicis, in qnas Feſta menſe Julio occnrrentia transferrentur.

Super eodem argumento litteræ datæ referuntur ad Archiepiſcopos, & Epiſcopos Regni Siciliæ citra Pharum, nec non ad Archiepiſcopos Meſſanenſem, & Panormitanum. Cum enim Carolus ntriuſqne Siciliæ Rex tam per ſe, cum Romæ eſſet, quam per ſuos miniſtros à ſummo Pontifice efflagitaſſet, ut pauperum calamitatibus ſublevandis Feſtorum numerum imminueret, Sanctitas ſua nihil decernere ſe velle reſpondit, niſi ab Archiepiſcopis & Epiſcopis rogaretur. Advenerunt ſubinde graviſſimæ horum in idem argumentum litteræ, quibus acceptis eadem Sanctitas ſua per litteras die 12. Decembr. 1748. datas ſupradictis Archiepiſcopis, & Epiſcopis commiſit, atque mandavit, nt, diebus Dominicis Paſchatis Reſurrectionis, & Pentecoſtes in priſtina obſervantia relictis, & aliis Dominicis diebus, necnon Circumciſionis, Epiphaniæ, Aſcenſionis, Corporis Chriſti, & Nativitatis Domini, itemque diebus Purificationis, Annuntiationis, Aſſumptionis, Nativitatis, & Conceptionis B.M.Virginis, ac natali die SS.Petri, & Pauli, die feſto Omnium Sanctorum, & Patroni nniuſcujuſque loci, quoad reliqua feſta quomodocnmque inducta, licet per votum, quod propterea ab iiſdem Præſulibus commutari voluit, omnibns ſnarum diœceſum, ant provinciarum permitterent ſervilium operum exercitium, non tamen ab audienda Miſſa excuſarent. Ubi vero duæ diœceſes canonicè unitæ inveniantur, quarum unaquæque ſuum habeat præcipuum Patronum, hujus Feſtum ab illa tantum diœceſi obſervetnr, cujus ille Patronus eſt. Ceterum Sanctiſſimus eoſdem Præſules enixè hortatur, nt diebus feſtis obſervandis homines à commeſſationibus, & ab aliis rebus illicitis avertere ſatagant, invocato, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſæcularis.

Litteræ aliæ ſub die 12. Decembr. 1751. referuntur datæ ad Epiſcopum Lamacenſem, per quas eidem ſimiliter, & ob ſupradictas cauſas, committitur, ut Chriſtifidelibus ſuæ diœceſis permittat liberum ſervilium operum diebus feſtis exercitium, etiamſi Feſta ex voto obſervari conſneverint, quod ideo ab Epiſcopo commutari voluit. Excipiuntur tamen omnes dies Dominici, Natalis Domini, Feſtnm S. Stephani, Circumciſionis, Epiphaniæ, Paſchatis Reſurrectionis cum ſequenti, Pentecoſtes cnm ſequenti, Corporis Chriſti, Aſcenſionis, S.Joannis Baptiſtæ, SS. Petri & Pauli, Commemorationis Omnium Sanctorum, quinque Feſta B. M. Virginis, ſcilicet Purificatio, Annuntiatio, Aſſumptio.

Nati-

Digitized by Google

Nativitas, & Conceptio, item Feſtum S. Patroni, ſeu Tutelaris cujuslibet loci ejuſdem Diœceſis.

Subduntur duæ Conſtitutiones ab eodem Pontifice BENEDICTO XIV. editæ adverſus abuſus, nundinarum ac mercatuum obtentu, inductos.

Conſtitutio, qua Feſtorum de præcepto obſervantia in Civitate Senogallienſi tempore Nundinarum, & alia quoad eaſdem Nundinas ſtatuuntur.

CUM ab immemorabili tempore in Civitate Senogallienſi ſub dominio S. R. Eeeleſiæ conſtituta celebres Nundinæ per octo dies ante Feſtum S. Mariæ Magdalenæ, & per quatuor ſubſequentes magno hominum ex remotis etiam regionibus eoneurſu, peragi conſueverint, & intra illos dies Feſtum slicujus Dominicæ menſis Julii, & S. Jaeobi Apoſtuli, ac S. Annæ incidere ſoleat, auditum eſt, nonnullos pravos homines per eadem Feſta operibns ſervilibns, negociiſque temporalibus, non ſine Bonorum ſcandalo, immo Infidelium admirstione occupari. Summus igitur Pontifex deteſtabilem hunc abuſum tollere en piens 9. Kal. Septembr. 1744. conſtituit, ut Nnndinarum tempore in dicta eivitate Senogallienſi dies feſti æque ac reliquo anni eurſu in omnibns cuſtodiantur, ideoque apothecæ clsudantur, neque contractus fiant potiſſimum dum in majori Eccleſia Miſſarum ſolemnia, & Veſperarum Divina Officia celebrantur, & ſacræ conciones habentnr: mane ſeilicet ab hora decimatertia ad meridiem, poſt meridiem verò ab hora vigeſima prima ad Solis occaſum, quo tempore Chriſtifideles a ſervilibus operibus, niſi neceſſitas exigat, abſtineant, & Chriſtianis exercitiis vacent, contravenientes vero pœnis ſubiiciantur contra inobſervantes Feſta ſtatutis, quas proinde innovavit. Ne vero aliquod publico ejuſmodi eommercio, atqne adeo Status Eceleſiaſtiei populis præjudicium inde obveniret, prædictarum Nundinarum tempus ad alios quinque dies protraxit, ita ut eædem per octo dies ante Feſtum S. Mariæ Magdalenæ, & per alios ſubſequentes novem celebrentur, & omnia privilegia ac jnra, ad hoc a Summis Pontificibus eonceſſa, confirmavit, liberumque omnibus, ac tutum commeatum, acceſſum, atqne receſſum, & promiſſam ſub fide publica ſecuritatem per totum enuneiatum tempus ſtabilivit, ae demum Conſtitutionem ſuam ampliſſimis elauſulis, & circumſtantiis communivit.

Conſtitutio altera Archiepiſcopis, & Epiſcopis, & Ordinariis Ditionis Eccleſiaſticæ Inſcripta, qua diebus feſtis probibentur Mercatus, *tolerantur verò* Nundinæ *ſub certis conditionibus.*

COmplures diverſi ordinis illuſtres Viri, neenon Epiſcopi, & Archiepiſcopi intra, & extra Italiam conſtituti imminutionem dierum feſtorum a Summo Pontifice BENEDICTO XIV. juſtis de cauſis expoſtularunt. Sanctitas ſna rei gravitatem intelligena, varias ejus imminutionis perficiendæ rationea, peculiari edito ſeripto, indiesvit, tum nonnullorum Cardinalium, Epiſcoporum, aliorumque Virorum doctorum conſilium exquiſivit. Varia fuerunt reſponſa, idcireò rem in aliud tempus diſtulit, ſperans fore ut Epiſcopi tam quoad imminntionem, quàm quoad ejus modum aliqnid concorditer ſuggererent, & Pontificium aſſenſum ad hoc ipſum expoſcerent, quo pacto & eorum conſilia auctoritati Sedis Apoſtolicæ referri, qnam Urbanus VIII. integram eſſe voluit in minuendis Feſtis in ſua Conſtitntione recenſitis, & facilins Cenſorum ingenia compeſei, & inter finitimoa Popnlos ritus uniformitas in obſervandis Feſtis reſtitui potuiſſent. Sane nniverſa fere Hiſpania regulam, in poſtremo Concilio Tarraco-

Digitized by Google

raconenſi conſtitutam, & a Benedicto XIII. approbatam, ut in quibuſdam Feſtis, audita Miſſa, opera ſervilia licerent, ſecuta, hoc ipſum a laudato Pontifice BENEDICTO XIV. petiit, & obtinuit. Nonnulli Poloniæ Epiſcopi enixe rogarunt, ut Feſta per hebdomadam æſtivo tempore occurrentia, illo Aſſumptionis B. M. Virginis excepto, in dies Dominicos transferrentur, idque cum Populorum tranquillitate obtinuerunt. Quod Italiam, ad gravia tollenda incommoda Carolus utriuſque Siciliæ Rex eidem Pontifici ſignificavit prædictam imminutionem in ſubjectis ſibi regionibus expedire; & Sanctitas Sua concordi Epiſcoporum ſuffragio opus eſſe reſpoſuit. Id ipſum Epiſcopis ſtatus temporalis Eccleſiaſtici inſinuavit, cum in hac re, quæ non a voluntate, ſed a neceſſitate, Epiſcopis melius perſpecta, pendet, nihil decernere, niſi audita eorumdem ſententia vellet, quæ ſane ſi acceſſiſſet, ſublata penitus, aut ſaltem magna ex parte ſubmota fuiſſent mala, quibus remedium non ſemel expoſtularunt.

Complures enim ex præfatis Archiepiſcopis, Epiſcopis, & Ordinariis ejuſdem Status Eccleſiaſtici apud Sanctiſſimum conqueſti ſunt de abuſu Mercatuum, & Nundinarum, quæ diebus feſtis fieri ſolent, rationem poſcentes, qua huic malo occurri poſſet. Jam verò ſi juxtà conſtitutum inter dies Feſtos diſcrimen, ut nempe, reſervata diebus Dominicis, Celebritatibus Domini, ac B.M.Virginis, aliiſque ſolemnioribus conſueta obſervantia, in cæteris Feſtis de præcepto, ſed minùs ſolemnibus, opera ſervilia poſt auditam Miſſam permittantur, qui modus in Feſtorum imminutione præcipuus eſt, ſublatum magna ex parte prædictum malum fuiſſet: ex chirographis enim ſummorum Pontificum Nundinas in quibuſdam ſuæ ditionis locis permittentium compertum eſt, majorem earumdem Nundinarum numerum in dies Feſtos minùs ſolemnes incidere. His tamen omiſſis.

Ex Theologis poſt S. Thomam conſtat, in nova lege permitti die Dominico opera quædam, quæ die Sabbati in lege veteri vetita erant. His plures Canoniſtæ conſentiunt. Nonnulli tamen cenſent, non poſſe diebus feſtis de præcepto permitti *Mercatus*, ſecus verò *Nundinas*. Præterea in quibuſdam celebrioribus Synodis diœceſanis habitis ab Epiſcopis Ditionis Eccleſiaſticæ *Mercatus* iiſdem diebus vetantur, nihil de *Nundinis* conſtituitur. In aliis utraque prohibentur. Sacra quoque Congregatio Concilii Tridentini interpres ab Epiſcopis conſulta aliquando reſpondit tolerari poſſe quaſdam *Nundinas* die Feſto, dummodo in Eccleſiæ atrio non fierent. Non item *Mercatus*. Rurſum, in quibuſdam ex ſupradictis ſummorum Pontificum chirographis, Nundinæ, diebus nonnullis ſolemnioribus, permittuntur.

Sed his quoque, utpotè vel ſecùm pugnantibus, vel implexis, omiſſis, ad Eccleſiaſticas Hiſtorias, & Concilia confugit idem ſummus Paſtor, ex quibus ſupradictos Archiepiſcopos, Epiſcopos, & Ordinarios monet. Primò, Mercatus, & Nundinas Feſtis diebus non licere; uti conſtat ex Conciliis Rhemenſe, & Turonenſe anni 1583. & ex Narbonenſe an. 1609. Cathechiſmus verò Concilii Tridentini, & Nicolaus I. in reſponſis ad Conſulta Bulgarorum monent, piis operibus per eos dies vacandum eſſe: Secundò, antiquum eſſe iiſdem diebus Mercatuum, & Nundinarum abuſum, uti ex S. Baſilio in Regula Monachorum, & ex aliis monumentis apertè colligitur. Tertiò, ſemper tamen fuiſſe Eccleſiaſticis legibus vetitum, ut videre eſt in *Anecdotis*, Scriptoribus, & monumentis a Martene, & Durand. collectis, & publicatis; necnon in Labbeana Collectione Conciliorum, in Synodis S.Caroli, in Decretalibus, & Conſtitutionibus Pontificiis. Quartò, has juſtas leges ef-

fecta

fectu caruiſſe in Italia, teſte Muratorio, & in Tranſalpinia provinciia apud Theologos, & Canoniſtas ſupra indicatoa. Quinto tandem, prudentia & maturitate opua eſſe adverſus malum hoc, cum univerſale ſit, & inveteratum, ideoque admonitionibus potiua utendum eſſe, quam minia, juxta ſapientiſſimum S. Auguſtini monitum. Qua in re, ut recte procedat ſummus Pontifex, Mercatna a Nundinis diſtinguit, & Mercatna quidem nullo modo diebua feſtia permittendoa eſſe pronunciat, ſed in antecedentem, vel ſubſequentem diem transferendoa, & hoc modo facultatem Viro nobili Ferrarienſi dedit Mercatum in ſuo rure habendi. Et Sacra Congregatio Concilii in Cauſa *Ripana Mercatus*, eoſdem diebua feſtis vetuit. cujus Decretum Sanctiſſimua Apoſtolica anctoritate, comprobans, inſtar regulæ eſſe voluit, ac in toto Statu Eccleſiaſtico ſervari; Quin ulla ſuffragetur conſuetudo etiam immemorabilia, veluti eadem Congregatio in alia Cauſa *Barchinonen. Obſervationis Feſtorum* antea firmaverat.

Hoc ipſum de *Nundinis* ſtatnere Pontifex voluiſſet, ſed ne pejora contingat abſurda, præcipit quod poteſt, non qnod optat. Enim verò Alexander III. neceſſitate compulſus nonnullia Populia piſcationem diebus feſtis, ſolemnioribus exceptia, permiſit, dummodo para in pia opera erogaretur. Simile quid ad precea cujuſdam Abbatia Benedictini diœceſis Gerundenſis Sixtus V. indulſit. Jam verò gravia quoque in hoc caſu de Nundinis urget neceſſitaa.. Agitur enim de re ab Anteceſſoribus conceſſa, inter Theologos, & Canoniſtaa adhuc controverſa, quæ pluries ſublata denuò revixit, & ex qua Populorum commoda, & neceſſaria commercia pendent. De Nundinia Senogallienſibus antea conſtituerat idem BENEDICTUS XIV. ut diebus feſtis apothecæ clauderentur, neque matutinia, aut veſpertinia horia, quibua Divina Officia in Eccleſiia celèbrantur; & verbum Dei nuntiatur, contractus fierent: imminutum verò hac de cauſa negotiia ſæcularibua tempua compenſavit, Nundinarum diea multiplicana. Quare præfatia Archiepiſcopis & Epiſcopis inſinuat, ut & ipſi, ejus auctoritate, matutinas, & veſpertinas horas die feſto, quo Nundinæ habentur, conſtituant, ut rebus Divinis tunc Fidelea aſſiſtant: atque promittit, ſe per edictum Nundinas in diem ſequentem, non feſtum extenſurum. Ita ſtatuit die 5. Nov. 1745.

Conſtitutio die 14. Novembr. 1748. edita, qua prohibetur, ne opera ulla ſive typis, ſive alio quocumque modo ſuper Feſtorum imminutione edantur.

PAulo poſtquam BENEDICTUS XIV. ad Pontificatum evectus fuit, complures inſignes Viri, inter quos Carolus utriuſque Siciliæ Rex, necnon Epiſcopi citra, & ultra montea conſtituti apud ipſum inſtiterunt, ut Feſtorum numerus in nota Urbani VIII. Conſtitutione præfinitua minueretur, quo pacto & pauperea victum ſibi facilius compararent, & debita diebus feſtia reverentia conſervaretur. Sanctitas ſua amplam diſſertationem ſuper ejuſmodi imminutione, ac ſuper imminuendi modo publicavit. Præterea quadraginta inſignium Virorum conſilium requiſivit, quorum nonnulli Cardinales erant, plurea Epiſcopi, Theologi, & Canoniſtæ. Hi reſponſa ſcripto concepta exhibuerunt, ex quibus triginta tres dictam imminutionem vel neceſſariam, vel utilem fore affirmabant, & quindecim quidem hoc generali Apoſtolica Conſtitutione in univerſa Eccleſia ſtatui, octodecim vero inſtantias diœceſum expectandas eſſe ſuadebant. Quoad reductionis modum, viginti tres ex iiſdem conſulentibus Decretum Concilii Provincialia Tarraconenſia a Benedicto XIII. anno 1728. confirmatum proba-

Digitized by Google

probabant, quo cautum fuerat, nt diebus Dominicis aliiſqne ſolemnioribus ſervatis, in reliqnis feſtis poſt auditam Miſſam opera ſervilia permitterentur. Ex decem reliquis alii Feſtivitstes aliquot omnino tollendas, alii conjungendas, alii in dies Dominicos transferendas inſinuabant. Summus Pontifex, ut Apoſtolicæ Sedis anctoritati proſpiceret, & qno Epiſcopos honore proſequstur, oſtenderet, nil generaliter decernere volnit, niſi Epiſcopi ipſi, aut Metropolitani inſtarent; neque cuilibet anguſtæ diœceſeos Epiſcopo annuendum cenſuit, niſi finitimi alii Præſules id ipſum poſtularent; quo ſcilicet ritus, & diſciplinæ nniformitas conſervaretur. Nec quidqnam In urbe Roma, neqne in Bononienſi diœceſi, cujns paſtorale regimen cum ſummo Pontificatu retinebat, innovavit.

Advenerunt ſubinde mnltorum Epiſcoporum petitiones, atqne ad harum dumtaxat exhibitionem præceptum obſervandi dies feſtos in pluribus regionibus juxta ſupradictam methodum a Concilio Tarraconenſi propoſitam, grsviſſimis adductus rationibus, & cauſis benigne relaxevit. Non facile tamen lis annnit Epiſcopis, qni Sanctorum Feſtivitates in dies Dominicos transferri pro ſuis diœceſibus expoſcebant. Neque per hæc detractum ſuprsdictæ Urbani VIII. Conſtitutioni eſt, cum & Feſtivitatibus, in quibus opera ſervilia juſtis de cauſis permiſſa ſunt, peculiaris cultus audiendi Miſſam reſervatns ſit; & Eccleſiaſtica diſciplina, gravibus urgentibus cauſis tot Præſulum judicio comprobatis, ac præcipue à legitimis Superioribus immntari poſſit, ut pluribus exemplis exploratum eſt.

Ex hac tam canta agendi ratione nemo aut Pontificis acta in aliorum cenſuram incidere debere, ant Eccleſiæ pacem turbandam fore credidiſſet. Nonnulli tamen Viri docti diſceptare cœperunt, recte ne, an ſecns Epiſcopi ad ſupradictas petitiones procederent. Hinc alii docti probiqne Viri ſummo Pontifici expoſuerunt, ejuſmodi ſcribentes innocuæ diſputstionis fines præteriiſſe, ac dubitari poſſe, ne ab improbandis poſtulationibus ad conceſſionis reprehenſionem ſenſim tranſierint. In hoc rerum ſtatu Sanctitas ſua quæcumque circa ejus agendi rationem afferebantur, contempſit; quod vero ad dictæ diſputationis naturam pertinet, illius examen nonnullis inſignibus Theologis commiſit, quibns catholicum ſenſum apud illos ſcriptores, & diſceptantes ſervatum eſſe referentibus, exquiſivit, quid facto opus eſſet, nt ulteriores perturbationes præcaveret; & Cardinales aliquot, aliique Eccleſiaſticæ diſciplinæ periti conſuluerunt, nt univerſæ quæſtioni ſilentium imponeretur, præcipue cum ex ſcriptis jam editis unuſquiſqne Epiſcopus ſatis habere poſſet; quod pro ſua diœceſi magis expedire in Domino judicaverit. Huic conſilio eadem Sanctitas ſua inhærens, Decretum die 14. Novembr. 1748. edidit, quo in virtnte ſanctæ obedientiæ primo prohibuit, ne quis ullo modo quidquam publicaret, qno decretum idem directè vel indirecte oppugnaretur: Secundo, ne nllum omnino opus ederetur circa prædictam Feſtorum imminntionem, per quam audita Miſſa in quibuſdam Feſtis de præcepto ſervilia opera permittuntur: Tertiò, ne opera edita ſuper hac materia ullo modo recuderentur; aliter in Indicem librorum prohibitorum referantur. Hoc autem Decreto omnes cujuſcumque ſtatus, gradus, ordinis, conditionis, & dignitatis perſonas obligari volnit; Contravenientes verò, ſi laici ſint, in excommunicationem majorem latæ ſententiæ ſummo Pontifici, excepto mortis articulo, prorſus reſervatam incurrere: ſi Eccleſiaſtici uſque ad ſacerdotalem gradnm incluſive, in ſuſpenſionem a divinis; ſi in ſuperioribus gradibus conſtituti ſint, in ſuſpenſionem ab exercitio Pontificalium, & a perceptione

quorumcumque redituum eccleſiaſticorum, & has pœnas incipere ipſo facto debere, & a ſolo Romano Pontifice relaxari poſſe; Typographos, & Bibliopolas ejuſmodi opera recudentes, vulgantes, aut vendentes pœnis adverſus eos ſtatutis, qui libros prohibitos imprimunt, evulgant, aut vendunt, ſubjici edixit, eodemque decreto in ſolitis Urbis locis publicato, & affixo omnes perinde affici voluit, ac ſi unicuique perſonaliter intimatum eſſet.

Appendix III.

Spectans ad Caput X. Lib. 6.

De Martyrologio Romano.

CUM Joannes V. Portugalliæ Rex novam accuratioremque Martyrologii Romani editionem demandaſſet, BENEDICTUS XIV. ſuum eſſe duxit, aliquid in id conferre. Quare plurimis Sanctorum nominibus illam locupletavit, ac præſertim S. Siricii Papæ, in cujus honorem Officium etiam, & Miſſam conceſſit. Quæ omnia in ſubjectis litteris melius declarantur.

Littera Apoſtolica BENEDICTI XIV. *de nova Martyrologii Romani editione Ad Joannem V. Portugallia, & Algarbiorum Regem.*

CUM intellexiſſet ſummus Pontifex juſſiſſe præfatum Regem, ut Romanum Martyrologium diligenter in Urbe imprimeretur, vehementer gaviſus, Regiſque in rebus ſacris pietate, ac munificentia commendata, opportunum duxit aliquam operam ſuam in hoc opus perficiendum conferre. Contemptis verò controverſiis, quæ a nonnullis in hac materia excitatæ ſunt, a correctionibus ſub Gregorio XIII. & Urbano VIII. peractis minime recedere, ac ſolum ſupervacanea reſecare, & quæ deficiunt, ſuperaddere ſtatuit.

Cum Sanctorum nominibus eorum quoque Elogia in Martyrologio apponantur, quæ tamen a ſacra rituum Congregatione examinanda, & probanda, & a Summo Pontifice confirmanda ſunt: ex his nonnulla, recentiorum præſertim Sanctorum, nimis prolixa inventa fuerunt, conſultius proinde viſum eſt, ea aliquantulum coarctare. Poſt ſupradictas vero correctiones licet adhuc Sanctorum nomina in Martyrologium, ſervatis regulis a Sede Apoſtolica præſcriptis, inferre, ut de multis factum eſt, quos inter S. Stephanus Abbas, ac ducenti Monachi S. Petri de Cardegna recenſentur. Juſſit tamen Sanctitas ſua ex actis prædictæ Congregationis Decreta omnia de Sanctorum nominibus Martyrologio inſcribendis colligi, plurimaſque Martyrologii editiones afferri, quarum poſtrema Venetiis anno 1745. prodierat, & ex omnibus compertum eſt, nonnullos Sanctos in iis deſiderari. Quo circa, ut integrum ederetur Martyrologium, nomina multa addidit, nempe die 16. Febr. *B. Gregorium X.* 27. Apr. *B. Zitam*, 10. Maji *B. Nicolaum Albergatum*, 24. Maji *B. Joannem de Prado*, 1. Jun. *S. Enecconem Abbatem*, 7. Jul. *B. Benedictum XI.* 20. Decembr. *S. Dominicum de Sylos* Abbatem Benedictinum. Juxtà regulas a Congregatione rituum ſtatutas, & a ſummis Pontificibus confirmatas ii, qui ſolùm beatificati ſunt, non ſunt in Martyrologio recenſendi; ſecus tamen aliquando factum eſt, gravibus, juſtiſque cauſis ſuadentibus, quibus ſane adductus idem BENEDICTUS XIV. quoſdam BB. Martyres eidem Martyrologio addidit ita ut die 5. Febr. fiat *Commemoratio vigintiſex Martyrum Japonenſium*, quorum tres e Societ. Jeſu, ſex ex Ordine S. Franciſci, reliqui ſeculares erant, 9. Jul. *Commemoratio novemdecim Martyrum Gorcomienſium*, qui ex diverſis Ordinibus fuerunt. 17. Septembr. *Commemoratio B. Petri de Arbues.* 12. Novembr. *Commemoratio B. Joſaphat Archiepiſcopi Polocenſis.*

Pecu-

Peculiari quodam jure locum in Martyrologio illi ſibi vindicant, de quorum Canonizatione extant litteræ Apoſtolicæ. Attamen etiam in hoc anteriores Martyrologii editiones deficiunt, nempe vel quia monumenta Canonizationum ignota erant, vel quia aliæ ſubinde Canonizationes peractæ ſunt. Idcirco rebus accuratius perveſtigatis, huic ultimæ editioni adduntur die 10. Januar. *S. Willhelmus Archiepiſcopus Bituricenſis*, 19. ejuſdem menſis *S. Vulſtanus Epiſcopus Vigornienſis*, 4. Febr. *S. Joſeph a Leoniſſa*, 14. ejuſdem menſis *S. Catharina de Ricciis*, 17. April. *S. Robertus Abbas Caſæ Dei*, 4. Maji *S. Godehardus Epiſcopus Hildesheimenſis*, 13. ejuſdem menſis *S. Petrus Regalatus*, 2. Jun. *S. Nicolaus Peregrinus Tranenſis*, 8. ejuſdem menſis *S. Willhelmus Archiepiſcopus Eboracenſis*, 16. ejuſdem *S. Joannes Franciſcus Regis*, 1. Jul. *S. Theobaldus Eremita*, 14. ejuſdem *S. Camillus de Lellis*, 24. pariter Jul. *S. Franciſcus Solanus*, 15. Auguſti *S. Stanislaus Koſtka*, 26. Oct. *S. Bernwardus Hildesheimenſis Epiſcopus*, 27. Novembr. *S. Virgilius Epiſcopus Salisburgenſis*, 28. ejuſdem *S. Jacobus Picenus*, 17. Decembr. *S. Sturmius Abbas Fuldenſis*. In hac Sanctorum ſerie nonnulli omittuntur Sancti a ſummis Pontificibus canonizati. At aliquot in præcedentibus editionibus reperiebantur ſub *Beati* titulo, ideoque hoc abraſo, & alio *Sancti* ſuperinducto, in ſuo loco relicti ſunt. Alii vero, ſi qui ſunt, omittuntur, quia initio propoſitum eſt, eos ſolùm recenſere, quorum indubitata eſt Canonizatio.

Poſt hæc multi eruditi Viri plura congeſſerunt Sanctorum nomina, enixeque rogarunt, ut in novum hunc Codicem inferrentur, quamvis de illorum Canonizatione nullum eſſet authenticum monumentum. Alii porro Servorum Dei, alii Beatorum, alii Sanctorum titulum oſtentabant, & cultu immemorabili a ſacra rituum Congregatione, cum Officii & Miſſæ pro particularibus locis conceſſione, probato gaudebant. Quibus argumentis controverſia attingitur de Caſu excepto a Decretis Urbani VIII. Hæ tamen petitiones effectu caruerunt. Si enim juxta regulas ſuperius indicatas, non ſunt in Martyrologio deſcribenda eorum nomina, qui poſt virtutum, & miraculorum diſcuſſionem formaliter beatificati fuerunt, multo minus id tribuendum iis eſt, qui æquipollenter ſolum beatificati dicuntur, nondum diſcuſſis virtutibus, & miraculis. Quod ſi prædeceſſores Pontifices hoc etiam fecerunt, ſatius tamen BENEDICTUS XIV. duxit a ſupradictis regulis non diſcedere.

Alii ex Academia a laudato Pontifice inſtituta, ſtatiſque diebus coram ipſo habenda, eidem ſignificarunt, in Bibliotheca Vallicellana monumenta quædam ſervari olim ad Cardinalem Baronium tranſmiſſa, hiſque, eodem Baronio judice, probari, quoſdam Sanctos in Martyrologium eſſe inſerendos. Verum monumentis, notiſque a laudato Cardinali additis, perpenſis, nihil ad rem inventum eſt. Alii ex actis Sanctorum a diverſis Auctoribus collectis copioſum Sanctorum indicem exhibuerunt, quo Romanum Martyrologium locupletaretur, allegantes, in eo deſcribendos eſſe etiam illos, qui juxta veterem Eccleſiæ morem cooptati inter Sanctos fuerunt. Sed neque petitiones iſtæ admiſſæ ſunt. Sancti enim veteri more canonizati, & in Martyrologio deſcribendi, ii ſunt, quorum cultus ex Epiſcoporum approbatione, in quorum diœceſi obierunt, cœptus paulatim ad univerſam Eccleſiam, Romano Pontifice expreſſè vel tacitè conſentiente, diffuſus eſt, qua prærogativa carent Sancti in ſupradicto indice enumerati. Neque aliqua oppoſita exempla, quæ in Martyrologio reperiuntur, quidquam evincere potuerunt, cum, ſicuti dictum eſt, ſummus Pontifex in hac editione firmiter ſibi propoſuerit, anteactas

Martyrologii correctionea integras ſervare, regulisqne poſt illas ſtaturis inſiſtere.

Alii ſubinde acceſſerunt, & levem quamdam immutationem in Martyrologio fieri, atque adeo inter alia, Clementem Alexandrinum in diem 4. Decembris referri reverenter ſuadebant. Quæ controverſia ut rectè expenderetur, opportunum viſum eſt inquirere, quid cum veteres, rum recentiores Eccleſiaſtici ſcriptores de eodem Clemente tradiderint. Fuit ipſe Eccleſiæ Alexandrinæ Preabyter, tertio Eccleſiæ ſeculo ineunte vixit, præceptorem Pantænum, diſcipulum verò Originem habnit. S. Alexander Epiſcopus Jeroſolymitanus apud Euſebium, & apud S. Hieronymum, necnon Theodoretua, S. Maximua Monachus Conſtantinopolitanus, & Joannes Damaſcenus Clementem *Beatum*, & *Sanctum* appellant, idemque Hieronymua illiua opera mirificè laudat. Eadem ferè ſcribunt Ruinart, Honoratus a S. Maria, aliique recentiorea. Præterea in Martyrologio Uſuardi, & in quibuſdam aliis Martyrologiia memoria occurrit ejuſdem S. Clementia. Pergunt ejua fautores, & difficultatem à Gelaſii Papæ Decreto illatam, quo nempe Clementis opera apocryphis accenſentur, eludere ſtudentes, alii opera eadem ab erroribus vindicare, aut ſaltem excuſare conantur, alii probe noſcentea, eum revera erraſſe, ut reatum illius minuant, lapſum fuiſſe dicunt, antequam Chriſtianæ Religionia myſteriia ſatis inſtructua eſſet. Bollandiani cenſent, Gelaſium Papam alterius Clementia opera rejeciſſe. Alii opera eadem ita rejecta fuiſſe putant, ut ſolùm non deberent publice in Eccleſia legi, privarim vero poſſent.

Hæc ſunt, quæ ex Scriptoribus hauriri potuerunt, ſed tanta non fuerunt, ut Pontificem inducerent ad Clementia nomen Martyrologio inferendum, ob graviorea difficultates, quaa ſubjectæ rationea ingerunt.

Ac primo quidem, veteres Scriptorea de moribua, ac vita Clementia ſilent. Solua Euſebiua fragmentum Epiſtolæ Alexandri Epiſcopi Jeroſolymitani profert, nbi Clementem *virum virtute præditum*, & *probatum*, dicit, quo monumento etiam S. Hieronymua utitur, ſeò non ex una, aut altera bonorum operum ſpecie ſanctitas probatur, ſed virtutibus heroicis uſque ad obitum continuatis, quæ tamen de Clemente ignorantur. Prærerqnamquod Euſebii hominia Ariani teſtimonium à Petavio, aliiſque contemnitur, qui Arianiſmi ſemina in Clementis operibus deprehendunt.

Secundo, nullnm extat veſtigium legirimi cultus eidem Clementi præſtiti. Licet enim Confeſſorum cultus quartò dumtaxat Eccleſiæ ſæculo per eſuſdem Eccleſiæ diſciplinam inductus ſit, antea tamen Fidelea conſueverant ipſos Confeſſores, qui pie in Domino obierant, cultu publico venerari.

Tertio, Clementis Alexandrini opera vel erronea, vel ſaltem ſuſpecta ſunt, uti, quidquid nonnulli contendant, Petavius, Bellarminus, aliique oſtendunt. Et ſane Gelaſianum Decretum opera eadem inter apocrypha verius recenſer, quia erroribus aſperſa erant, ut inter alios laudatua Bellarminus probat.

Quæ cum ita ſint, nemo ſapiena affirmabit, ejuſdem Clementia nomen in Romanum Martyrologium eſſe inferendnm. Enim verò licet Conſtantinua Magnus in Græcorum Menologio inter Sanctos relatus ſit, & in Eccleſia Orientali cultnm obtinuerit, numquam tamen in Martyrologium Romanum translatua, quia Arianiſmi ſuſpectua eſt, quamquam nonnulli excuſare eum contendant. Nec quidquam faciunt exempla Hilarii Arelatenſis Epiſcopi, & Vincentii Lirinenſia, qui in Romano Martyrologio commemoranrur, licet Semipelagianiſmo infecti fuerint; horum enim error, ſi quis fuit, contigit antequam

quam

quam Catholica doctrina ſupremo Apoſtolicæ Sedis judicio definita eſſet: at Clemens in Dogmata pridem ſtatuta, & Eccleſiæ Decretis jam firmata peccavit. Neque pariter Clementis cauſam juvant nomina *Sancti*, ac *Beati* olim illi attributa, nam *Sancti* titulus omnibus Chriſtianis antiquitus tribuebatur, ac ſolùm ſubſecutis temporibus ad peculiarem denotandam ſanctimoniam translatus eſt. Quod ſi nonnulla Martyrologia toties repetitum Clementis nomen exhibent, alia tamen illo carent. Primus illud Uſuardus Martyrologio ſuo adtexuit, nam in anterioribus Hieronymi, Bedæ, Adonis, aliorumque Martyrologiis non reperitur. Et Adonis quidem Martyrologii editio accuratiſſima, quam Roſvveydus curavit, illo caret; quod ſi in quibuſdam aliis editionibus extat, hæ poſteriores ſunt, adeoque ab aliis additum creditur. Porro tanta non eſt Uſuardi auctoritas, ut nefas ſit, aliquando ab eo recedere: neque in hoc ſolo nomine Uſuardus fallitur. Quæ cum ita ſint, immerito reprehenduntur eximii illi viri, qui ſub Gregorio XIII. Romanum Martyrologium emendarunt, & Clementis Alexandrini nomen omiſerunt. Et ſane argumenta ſupra relatà ſatis ſuperque Uſuardi teſtimonium infirmant, & Romani Martyrologii emendationem ab omni obtrectatione, & cenſura vindicant.

Succedit controverſia de *Severo Sulpitio S.Martini diſcipulo*. Martyrologii Correctores ſub Gregorio XIII. ad diem 29. Januar. hoc Elogium appoſuerunt. *Apud Bituricas S. Sulpitii Severi Epiſcopi, diſcipuli S. Martini, virtutibus, & eruditione conſpicui*. Correctores verò ſub Urbano VIII. idem Elogium contraxerunt. *Apud Bituricas S. Sulpitii Severi Epiſcopi, virtutibus, & eruditione conſpicui*. Quare tota varietas verſatur circa voces, *Diſcipuli S. Martini*, de qua plura Bollandiani, Florentinius, & alii. Inſpiciendum ergo, an Sulpitius Severus S. Martini diſcipulus fuerit necne Epiſcopus Bituricenſis.

Ita plane Correctores ſub Gregorio ſenſerunt, quorum ſententiæ probabilitas innititur additionibus a Molano factis, ac teſtimonio Maurolyci in ſuo Martyrologio, qui ambo hoc ipſum de Severo ſcribunt, & juvatur Apologia a Guiberto Martino Abbate Gemblacenſi pro Severo ſcripta apud Hieronymum de Prato. Hinc qui correctioni ſub Urbano factæ adverſantur, aut Gregorianam emendationem integram conſervandam, aut ſolum Epiſcopi titulum Severo adimendum eſſe contendunt. Duplex præterea ex nupera Martyrologii correctione incommodum ſequi, nempe, alium Sulpitium Severum Epiſcopum Bituricenſem ab illo S. Martini diſcipulo perperam effingi, & eumdem diſcipulum a S. Paulino Nolano, aliiſque antiquis laudatum a Martyrologio explodi, ideoque a vetuſtiſſima tituli Sanctitatis poſſeſſione injuſtè deturbari.

Contra ſentiunt, qui Severum S. Martini diſcipulum in plures errores corruiſſe dicunt, Pelagianis enim ipſe ætate provectus adhæſit, & Millenarios ſecutus eſt in ſuis Dialogis, qui propterea a Gelaſio Papa per Decretum ſuperius memoratum apocryphis accenſentur, qua in re Scriptores tam Hæretici, quam Catholici conveniunt.

Reponunt Sulpitii ejuſdem fautores, primum, qui eumdem Sulpitium Pelagianis adhæſiſſe ferat, Gennadium fuiſſe, cujus fides præfato Abbati Gemblacenſi ſuſpecta eſt, quin immo a Gennadio ipſo ſeveriſſimam a Sulpitio pœnitentiam poſtea peractam referri. Quod attinet ad Millenariorum errores, afferunt quæ prælaudatus Hieronymus de Prato ſcripſit, ut Sulpitium ab impactis criminibus vindicent. Hinc repetunt, Correctores ſub Urbano VIII. modum exceſſiſſe; non enim prorſus delere, ſed pauliſper immutare debebant, quod correctione dignum repererant, veluti Sauſ-

ſajus

ſajus in Martyrologio Gallicano fecerat.

Hæc ſunt, quæ de Sulpitio Severo S. Martini diſcipulo colligi potuerunt, nec quidquam tamen occurrit, quod Summum Pontificem BENEDICTUM XIV. a correctione ſub Urbano VIII. facta dimovere poſſit. Nam totum oppoſitæ ſententiæ fundamentum in eo conſiſtit, quod die 29. Januar. in Martyrologio Romano inſcriptum fuerit nomen Sulpitii Severi diſcipuli S. Martini. Hinc querelæ ob non ſervatam hanc ſaltem Elogii partem, *Diſcipuli S. Martini*. Hæc autem falſo laborant ſuppoſito, ut patebit ſi ea inſpiciantur, quæ Reformatoribus ſub Urbano perſpecta erant; nempe Sulpitium Severum, de quo in Martyrologio ad dictam diem, revera Epiſcopum Bituricenſem fuiſſe, ut ex omnibus anterioribus Martyrologiis conſtat; Sulpitium vero S. Martini diſcipulum numquam Epiſcopatum illum obtinuiſſe, ut contra Guibertum oſtendit Hieronymus de Prato, & manifeſtum eſt ex ipſo Gennadio, & ex epiſtolis ejuſdem Sulpitii Severi a Balutio repertis, in quibus omnibus locis Presbyter dumtaxat idem Sulpitius dicitur.

Falluntur ergo, qui opinantur, Sulpitium, qui die 29. Januar. memoratus, eſſe diſcipulum S. Martini, cum ille Bituricenſis Epiſcopus, hic Presbyter ſolùm fuerit. Ex qua opinione abſurdum ſequitur, ut duo diverſi Sulpitii Severi in unum coaleſcant. Idque ex Apologia Abbatis Gemblacenſis originem duxit, cujus opinio alios decepit. Non tamen latuit Viros illos, qui Martyrologium ſub Urbano emendarunt, rejicere autem omiſerunt, cum occaſio eam pertractandi non occurriſſet. Ceterùm nemo ex antiquis Scriptoribus prædicto Sulpitio *Sancti* titulum tribuit.

Omnia, quæ de Martyrologii correctione ſub Urbano inſtituta referuntur, indubiæ hiſtoricæ veritati conſonant, ut ex Actis Congregationis conſtat, & agnoſci poteſt ex Actis quæ recenſentur in *Codice* 1240. *Manuſcriptorum Bibliothecæ Barberinæ* *pag.* 527. Solùm pro coronide adnotandum, duos fuiſſe Sulpitios Epiſcopos Bituricenſes a Sulpitio Severo S. Martini diſcipulo diverſos. Primus anno 591. obiit, & die 29. Januar. in Martyrologio memoratur. Alter anno 694. mortuus, die 17. ejuſdem menſis ponitur. Et ad vitandam confuſionem, primo *Severi*, ſecundo *Pii* cognomen additum eſt. De quibus conſuli poſſunt Baronius, Bollandiani, Mabillonius, & alii.

Poſt hæc mirantur Bollandiani, quod in Martyrologio Romano non adſit nomen Theodori Summi Pontificis, cum tamen in duplici Martyrologio Florentino legatur. De Theodoro I. intelligendi ſunt. Verum Correctores Romani ea ſolùm nomina Martyrologio addiderunt, quæ ex veteribus probatiſque Martyrologiis petebantur, ideoque Florentinis dictis Martyrologiis non acquieverunt.

Valde tamen mirandum, quod Siricii Pontificis nomine tamdiu Martyrologium Romanum caruerit. Vix poſt Gregorianam correctionem innotuit, idem nomen omiſſum fuiſſe, Florentinius doctam pro eo inſcribendo exercitationem ſcripſit, ſed fruſtra, cum hæc nonniſi peracta correctione Romam pervenerit. Sub Urbano VIII. nemo id curavit. Cum verò Clemens X. Officia propria SS. Romanæ Eccleſiæ Pontificum Baſilicæ Lateranenſi conceſſiſſet, Siricius tunc pariter fuit prætermiſſus; acriter enim Fidei Promotor obſtitit, quod ejus nomen in Martyrologio non occurrat, rationeſque ſimul de hoc attigit. Hinc Henricus Noris, hortante Cardinali Caſanatte, accuratam pro Siricio Apologiam edidit, ſed pariter fruſtra, cum cauſa de Officiorum conceſſione in ſacra rituum Congregatione jam finita eſſet. Tandem cum BENEDICTUS XIV. Fidei Promotorem ageret, ac Præbendam Theologalem in Baſilica

Vati-

Vaticana poſſideret, prædicta Officia Baſilicæ Lateranenſi conceſſa, ad eamdem Vaticanam extendi obtinuit, quod & pro Liberiana factum eſt. Tunc Siricii cauſam promovit, & Florentinii exercitationem protulit; illam vero Noriſii diligenter conquiſitam minime invenit; ſed ad Cardinalatum evectus inopinato habuit. Præter hæc de Siricii geſtis inter alios conſulendus uterque Pagius.

Ad ſummum itaque Pontificatum elatus idem BENEDICTUS Siricii nomen Martyrologio Romano inſcribendum cenſuit; quin anterioribus Martyrologii emendationibus apertè contradiceret, cum unius nominis additamentum parum penſandum ſit. Atque ut controverſia hæc rectè pertractetur, inquirendum primò, quæ fuerit Siricii Sanctitatis fama in vita, & poſt obitum: ſecundò, quæ Martyrologia de illo loquantur; tertiò, ob quas rationes numquam fuerit in Martyrologium Romanum illatus: tandem, quid de his rationibus ſentiendum.

Et ad primum quod attinet, Valentinianus Imperator in epiſtola ad Pinianum apud Baronium, & Couſtant, cum Siricius renunciatus ſummus Eccleſiæ Pontifex eſſet, eumdem vocat *Antiſtitem ſanctitatis*. Ipſe vero Siricius per epiſtolam ad Himerium Epiſcopum Tarraconenſem ſcriptam, Clericorum mores in variis Orbis Catholici partibus corruptos emendavit. Cœlibatus quoque legem ſub gravibus pœnis in Clero ſtabilivit, quas pœnas S. Innocentius I. Siricium laudans exequendas decrevit, & Æneas Epiſcopus Pariſienſis de cœlibatu contra Græcos ſcribens eumdem laudat, ejuſque urget auctoritatem. Pietatis quoque ſtudioſiſſimus, & Catholicæ veritatis cuſtos vigilantiſſimus Siricius Jovinianum, ejuſque ſectatores damnavit, uti eum laudat S. Ambroſius cum aliis Epiſcopis in Concilio Mediolanenſi congregatis. Alios quoque hæreticos damnavit, & exoſos habuit, ut refert Abbo Floriacenſis, & videre eſt in ejuſdem Siricii Epiſtolis apud laudatum Couſtant. Poſt ejus mortem, S. Innocentius I. ipſum, Damaſum, & Anaſtaſium pari elogio commendat. Eumdem laudant S. Leo, Concilium Toletanum I., aliique ſcriptores.

Quod ſpectat ad alterum, omiſſis Martyrologiis inferioris notæ, Siricii nomen exhibent celebriora Martyrologia Bedæ, Rabani, & Monaſterii S. Cyriaci Urbis, quo Baronius in emendatione Martyrologii Romani uſus eſt. Item Martyrologium Florentinii, necnon Antuerpienſe, & Corbejenſe, & alia apud eumdem, & apud Bollandianos, quæ tamen Baronio, & ſequentibus Martyrologii Reformatoribus, ignota fuerunt, ut fortaſſis hac de cauſa Siricii nomen prætermiſſum fuerit.

Hoc tamen ii non probant, qui gravia crimina in Siricium congerunt, quod eſt tertium controverſiæ caput expendendum ſupra indicatum. Dicunt enim primò, ipſum Damaſi exemplum non ſecutum, in litteris Apoſtolicis conſcribendis Hieronymi operam neglexiſſe, qui proinde inimicorum calumniis expoſitus ab Urbe diſcedere coactus fuit. Secundò, non æquo animo fuiſſe in S. Paulinum. Tertio, improvidum nimis, ac tardum in Origeniſtis, eorumque erroribus refellendis; ſiquidem Rufinum, & Melaniam diutius toleravit, ut propterea Deus mortem ipſi acceleraverit. Quæ quidem validis Eccleſiaſticæ hiſtoriæ monumentis confirmantur apud Baronium *ad ann. Chriſti* 385. 394. & 397.

An hæc Siricii ſanctitatem, & gubernium lædant, ex hiſtoricis monumentis penſandum eſt. S. Hieronymus cum Paulino Antiocheno, & Epiphanio Romam ad Concilium generale a Damaſo ibi indictum venit, cujus fama commotus Damaſus ipſum deſignavit, ut ab Epiſtolis eſſet, & totius Orbis Conſultationibus ad Sedem Apoſtolicam miſſis reſponderet. Triennio, quo Damaſus vixit, munus hoc obivit. Tunc autem multorum odium,

odinm, atque offenſionem incurrit, quorum vitia damnaverat. Siricio in Damaſi locum ſuffecto, inimicorum furor ſub Damaſo diſſimulatus erupit, calumniiſque, & injuriis expoſitus Hieronymus ab Urbe diſceſſit. At cur Siricins illum in priſtinum gradum non reſtituit, nec familiaritate ſua defendit? Fortaſſis, ne odia in Hieronymum ferventia in Siricium converterentur. Cæterum ipſe privato conſilio abiit Siricio neque mandante, neque impellente. Non verò retinuit, cum poſſet, quia nulla lex certe urgebat, neque Hieronymi opera uſque adeo indigebat Siricius, ut ſine illo dictia Conſultationibus expediendia impar eſſet, ſicuti ex ejuſdem Siricii Epiſtolia exploratum eſt apud laudatum Couſtant. Alii ejuſmodi diſceſſum in Divinæ providentiæ diſpenſationem piè referunt, ut ſcilicet publicis negociis expeditus S. Doctor ſacrarum ſcripturarum ſtudio impenſius vacaret.

Sunt, qui privatas ſimultates charitati, atque adeo Siricii ſanctitati adverſantes inter utrumque obtrudant, ſed perperam. Enimvero S. Hieronymus in ea fuit ſententia, ut nullam irregularitatem contrahat, qui duas ante Baptiſmum uxores, aut unam ante, alteram poſt Baptiſmum, defunctà prima, ducat. Hinc colligit validam, & licitam fuiſſe Ordinationem Carterii Epiſcopi in Hiſpania, qui altero ex dictia modis uxoratus fuerat. Putant nonnulli, hanc ſententiam a Siricio fuiſſe cum Hieronymi æſtimationis detrimento impugnatam. Sed revera Siricius ſolum quis eſſet bigamus declaravit, Hieronymi verò ſententiam non attigit, ut ex illius epiſtolis ad Himerium, & ad Epiſcopos Africæ manifeſtum eſt, Impugnata tamen a S. Innocentio I. *in epiſt. 2. ad Victricium Epiſcop. Rothomagen.* fuit, qui ad hoc ipſum quædam Siricii verba uſurpavit, ut obſervat Couſtantius.

Præterea cum S. Hieronymus Jovinianum virginitatis hoſtem vehementer inſectaretur, virginitatem adeo laudavit, ut nonnulli in Urbe perperam ſuſpicati ſint, eum legitimas nuptias damnaſſe. Quamobrem Pamachius Hieronymi amiciſſimus omnia ejus Opuſcula abſcondere ſtuduit. Sed edita a S. Doctore eximia contra Jovinianum Apologia, Siricius eumdem Jovinianum damnavit. Quando autem de illa Hieronymi contra Jovinianum doctrina ferventius in Urbe diſceptabatur, epiſtolam ad laudatum Pamachium ſcripſit, in qua de populo, ac de Pontifice conqueſtus inter alia ait: *minus eſt tenere Sacerdotium, quam mereri*. Si hæc verba de Siricio intelligenda ſint, non inde tamen Siricius ex Hieronymi teſtimonio Pontificatu indignus cenſendus eſt; privata enim unius, aut alterius auctoritas publico totius Romani Cleri, populique judicio non eſt anteponenda, & attendendum potius quod de Siricio, ejuſque electione Valentinianus Imperator teſtatus eſt, ſcilicet: *Magnum innocentiæ, & probitatis exemplum eſt, in una acclamatione, & ipſum* (Siricium) *eligi, & ceteros improbari.* Sed excuſandus etiam Hieronymus, qui falſo potius rumore, quàm infenſo animo adductus ea verba protulit, præcipue quod eas litteras ad Pamachium dederit, cum diſceptatio contra Jovinianum ferveret, & Siricius populari Urbis opinione deceptus, adverſariis Hieronymi liberius favere videretur; hinc fortaſſis ſuſpicione aliqua, novoque timore cœptus in eas voces idem Hieronymus prorupit. Neque ullo modo audiendi ſunt, qui ut Siricium excuſent, Hieronymum invidiæ, & ambitus accuſant, quaſi Pontificatum ante Siricii electionem concupitum, ſibique ab eodem præreptum doluerit, ideoque in æmulum verba illa protulerit.

Ceterum alius fuit Hieronymi ſenſus cum, omni ſuſpicione remotà, de Siricio locutus eſt. Rufinus Roma diſceſſurus Litteras Communicatorias a Siri-

Digitized by Google

Siricio impetravit, quæ quidem ſunt Catholicæ communionis indicium. Has litteras magnopere oſtentavit, præſertim mortuo Siricio, ut judicium contra ſe inſtitutum ſub Anaſtaſio Pontifice effugeret, aut infirmaret. S. Hieronymus *in epiſt. ad Principiam* Siricium alicujus ſimplicitatis ob eas litteras inſimulat; ſimplicitatis tamen non a fatuitate, ſed a charitate ortæ, ut advertit Couſtantius. Rufinus enim acris ingenii vir, litteras illas impetravit cum multæ ſcientiæ, ac integræ famæ prærogativa commendaretur, neque ejus errores detecti eſſent. Mortuo Siricio Hieronymus Rufinum litteris eiſdem abutentem objurgans, *Siricii*, inquit, *jam in Domino morientis profers epiſtolam &c.* quibus verbis Siricium Beatis, qui in Domino moriuntur accenſet, ut probat Pagius.

Sequitur nunc, quæ inter Siricium, & S. Paulinum contigerunt. Anaſtaſius Siricii ſucceſſor Paulinum tunc adhuc Presbyterum, mox Nolæ Epiſcopum ſumma benevolentia proſecutus eſt, ut ipſe Paulinus teſtatur *epiſt.* 20. *ad Delphinum*. Antea verò Siricius ipſum Romæ verſari ægrè ferebat, ut idem Paulinus conqueritur in *epiſt.* 5. *ad Sulpitium Severum*, *Indicare*, inquit, *potuerunt .... quantum nobis gratiæ Dominicæ detrimentum faciat Urbici Papæ ſuperba diſcretio*. Hujus diſſenſionis cauſas nonnullas Tillemontius, aliique excogitarunt, improbabiles tamen, & ideo nullo modo admittendas. Alias attexuerunt Florentinius, & Pagius, ſed vera cauſa fuit, quod cum Siricius legem tuliſſet, ne quis a laicali ſtatu ad Presbyteratum aſcenderet, niſi debita temporum interſtitia ſervarentur, poſtea vero Paulinus adhuc laicus a Lampio Barcbinonenſi Epiſcopo ad Ordines fuiſſet promotus, legitimis interſtitiis nequaquam ſervatis, Siricius acerrimus Eccleſiaſticæ diſciplinæ vindex id ægre paſſus eſt, & Paulini conſuetudinem reſpuit, ne leges ab ſe pridem latas enervare videretur. Neque vero hæc Siricii in Paulinum ſeveritas diuturnior fuit. Etenim Paulinus ubi Siricium ſuboffenſum cognovit, ab Urbe diſceſſit, conſuevit tamen poſtea, ut refert citatus Tillemontius, Romam quotannis accedere ad celebrandum natalem diem beatorum Apoſtolorum Petri, & Pauli, qui ſacer ritus ſub Siricio cœptus eſt, neque id feciſſet, niſi pacatum jam Siricium, ſibique benevolum probe noviſſet. Tandem advertendum eſt, non ſimultates inter egregios hos viros interceſſiſſe, quæ utique charitatem infringunt; ſed quaſdam dumtaxat controverſias, animorumque diſſenſiones, quæ neutrius ſanctitatem evertunt, ut de aliis Sanctis exploratum eſt.

Nunc expendendum ſupereſt, an ſocors, minuſque ſollicitus fuerit Siricius in damnandis Origeniſtis. Baronius aliique illum excuſari poſſe putant, exemplo Evangelici Patrisfamilias, qui zizania uſque ad meſſem creſcere ſivit, ne dum zizania evelleret, frumentum ſimul eradicaret. Sane non deſunt Sanctorum Eccleſiæ Patrum monita, quibus ad majora mala vitanda, & ad pravorum mores corrigendos, poſthabita legum ſeveritate, chriſtiana patientia, & benignior diſpenſatio ſuadentur. His tamen omiſſis, advertendum eſt, Origeniſtarum errores ſub Siricio delituiſſe, detectos autem ſub Anaſtaſio, atque damnatos, ut ex ipſo S. Hieronymo *epiſt.* 127. *ad Principiam*, & *epiſt.* 130. *ad Demetriadem* colligitur. Siquidem Rufinus, & Melania, eorumque aſſeclæ, genus hominum vaferrimum, hæreſeos dogmata fraudolenter occultabant; & Rufinus quidem verſionem libri Periarchon, Siricio vivente, abſcondit, ne virus detegeretur: immo etiam Aquilejæ commorans errores ſimulare curavit. Hinc fraude nondum detecta, Chromatii Epiſcopi familiaritate uſus eſt; idemque Chromatius apud Hieronymum, & Venerius Mediolanenſis

Epiſcopus pro ipſo apud Anaſtaſium allaborarunt. Qui ergo poterat Siricius noſſe Origeniſtas, quorum errores etiam ſub Anaſtaſio aliquandiu delituerunt? idcirco neque culpandus, quod eos non condemnaverit.

Neque enim novum eſt, inſignes ſanctitate viros, atque adeo ipſos ſummos Pontifices pravorum hominum fraudibus, Hæreticorumque verſutia circumventos, atque deceptos, nec pravos errores cognoviſſe, & innoxios aliquando exoſos habuiſſe, ut videre eſt apud Couſtant, Noriſium, & Baronium. Enimverò Chromatius pro Rufino allaboravit, S. Auguſtinus eumdem magno in pretio habuit, S. Paulinus ipſum coluit, & Melaniam Origeniſtarum Patronam commendavit. Excuſantur tamen eo quod dolos ignoraverint; cur ergo accuſandus Siricius, cum nec ipſe fraudes & errores cognoverit. Adfuit utique Romæ Rufinus; at pravam doctrinam per ſummam calliditatem continuit, & lupi mores ſub ovina pelle contexit. Addunt nonnulli eruditi, Rufinum neque ſub ipſo S. Anaſtaſio fuiſſe directe damnatum. Nullibi enim de illius excommunicatione mentio fit, nullumque proferri poteſt authenticum monumentum, ex quo de aperta in Rufinum ſententia dubitare non liceat. Præterquamquod amicitiam, quamdiu vixit, cum S. Paulino Nolano, Chromatio Aquilejenſi, Gaudentio Brixiano, ac S. Petronio Bononienſi coluit, quam ſane inſignes illi Viri non admiſiſſent, ſi illum ab Eccleſia ejectum, atque damnatum noviſſent.

Explodenda nunc eorum ſententia, qui putarunt, Siricium ob improvidum ejus conſilium a Deo celeri morte ſublatum fuiſſe, ne Origeniana hæreſis invaleſceret, ſuffectum vero Anaſtaſium, qui eamdem hæreſim proſterneret. Hanc ſententiam rejiciunt Florentinius, Pagius, aliique. Primò, quia ſi tempora metiantur, Siricius poſt quindecim, vel ſaltem quatuordecim annos in Pontificatu exactos ſeptuagenario major obiit. Secundo, quia alii Sancti Pontifices, Damaſus nempe, & Julius, licet Hæreticos, a quibus decepti fuerunt, non damnaverint, celeri tamen morte ſublati non ſunt. Tertio, quia Rufinus Origenianos libros Periarchon ſupremo dumtaxat Siricii vitæ anno in latinum vertit. Anaſtaſius vero ſucceſſor nonniſi poſt triennium Origeniſtas damnavit. Si autem Anaſtaſii ſanctitati triennalis mora non officit, cur Siricii ſanctitatem aliquot menſium intervallum inficiet? Poſtremo, quia improvidi nimis conſilii eſt, Divinæ voluntatis Decreta de variis vitæ ac mortis eventibus curioſius inveſtigare.

Obſervandum tandem, quod licet Canonizationis judicium valde ab eo differat, quod de alicujus nomine in Martyrologium inferendo inſtituitur, in hac tamen de S. Siricio controverſia eodem ferme modo proceſſum eſt. In primo enim judicio virtutes Servi Dei primùm probandæ ſunt, inde omnes diluendæ difficultates, poſtmodum, omni remoto obice, virtutes eædem Pontificio Decreto approbantur. In prædicta pariter controverſia, prius quæ Siricii ſanctitatem commendant, expenſa, mox quæ contra ipſum objici ſolent, confutata ſunt. Nil ergo prohibere, debuit, quominus, cauſa ſatis cognita, ejuſdem nomen Martyrologio Romano inſcriberetur, uti plane laudatus BENEDICTUS XIV. inſcribendum decrevit, atque mandavit.

Hæc ſummatim ſunt, quæ idem Pontifex laudato Portugalliæ Regi ſignificanda in hac materia cenſuit, die 1. Jul. 1748.

Sequitur DECRETUM conceſſionis Officii, & Miſſæ in honorem S. Siricii, pro Baſilica Vaticana.

CApitulum enim & Canonici ejuſdem baſilicæ Vaticanæ humillime ſupplicarunt pro facultate recitandi Officium ejuſdem S. Siricii ſub ritu dupli-

duplici, die a ſummo Pontifice præfinienda. Sanctiſſimus, qui, cum dictæ baſilicæ olim Canonicus eſſet, obtinuit, ut SS. Romanorum Pontificum Officia baſilicæ Lateranenſi conceſſa, ad Vaticanam extenderentur, & Siricii ſanctitatem tueri cœpit, quam tandem ad ſummum Pontificatum elatus ſtabilivit, Oratorum votis libentiſſime annuit, ac die 23. Jun. 1749. Officium & Miſſam, cum lectionibus ſecundi nocturni, & oratione propriis, conceſſit, diemque 31. Octobr. pro recolenda S. Pontificis feſtivitate aſſignavit, cum dies 29. Novembris S. Siricii emortualis in dicta baſilica impedita ſit.

Appendix IV.

Pag. 556. Libri 6. ſupra indicata.

Super cultu S. Lucæ Caſalii.

Littera Apoſtolica BENEDICTI XIV. *ad Archiepiſcopum Meſſanenſem ſub die* 28. *Februarii* 1747.

Dudum hic Archiepiſcopus ad præfatum Pontificem ſcripſerat, de ſupradicto cultu diſſenſionem eſſe Nicoſiæ, aliis nempe delendum, aliis amplificandum eſſe ſentientibus, ideoque Officium proprium ejuſdem S. Caſalii petentibus, & ut Civitatis patronus jampridem electus, auctoritate Apoſtolica confirmaretur.

Nihil ex his ſummus Pontifex in ſuis litteris admittit. Ac primo quidem notat, anno 1575. Senatum, Populumque Nicoſiæ, graſſante peſte, decreviſſe, ſacram ædem eidem S. Lucæ condere, anno 1586. facultatem a ſummo Pontifice petiiſſe celebrandi ejus feſtum de præcepto: anno 1589. locum pro dicta æde conſtruenda deſignatum: anno 1662. publica auctoritate ſtatutum ut ejus celebritas expenſis publicis recoleretur, quod uſque ad annum 1744. factum eſt. Demum cum ejus corpus in templo S. Philippi de Argyrio conſervaretur, prædictum Senatum ab Abbate Commendatario Cardinali Columna inſignes ejus Reliquias poſtulaſſe, conceſſam vero Coſtam translatam ſolemni pompa per Civitatem rite fuiſſe, cum icone ejuſdem Sancti, in cujus honorem extat etiam ara in oppido S. Michaelis. Quæ omnia cum manifeſta ſint publici cultus argumenta, infert laudatus Pontifex, injuſtam eſſe quorumdam hominum ſententiam, de publica, & jampridem exhibita veneratione huic Dei Servo deneganda.

Nec vero officit, quod aliis quibuſdam publica veneratio ſublata fuerit. Id enim factum eſt vel quoad cultum recens, & inconſultò datum, vel quoad eos, qui a Populo falſis portentis, & virtutibus decepto Sancti nomen obtinuerant; quæ de S. Caſalio non verificantur. At oppoſuerunt nonnulli, hunc cultum neque probatum, neque conceſſum eſſe auctoritate Sedis Apoſtolicæ, ſine qua non licet quempiam vel Beatum, vel Sanctum venerari. Sed verum quidem eſt, ad ſolum Romanum Pontificem pertinere, aliquem inter Beatos, aut Sanctos recenſere. De hoc autem Sancto, præter ea, quæ alii Siculi Hiſtorici tradunt, P. Octavius Cajetanus, quem magni faciunt nonnulli graves Scriptores, refert illum fuiſſe *in Sanctorum numerum a ſummo Pontifice relatum*. Id ipſum refert Pirrhus, & Ferrarius in ſuo Martyrologio, ubi etiam notat, eum fuiſſe Abbatem Ordinis S. Benedicti & cultum habuiſſe *ex Romani Pontificis auctoritate*. Videri etiam poſſunt Bollandiſtæ, & Mabillonius.

Quod ſi quis dicat, ulterius requiri certiſſimum ejuſmodi Apoſtolicæ facultatis documentum, advertendum eſt, quod cum Urbanus VIII. eos coli vetuerit, qui a Sede Apoſtolica non eſſent beatificati, aut canonizati, excepit illos, qui immemorabilem cultum obtinuiſſent. Anno autem 1634. declaravit, hujuſmodi cultum debere centum annos excedere, ut ſuſtina

idem BENEDICTUS XIV. refert in ſuo Opere *de Canoniz. Sanct. lib.* 2. *cap.*10. 11. 17. & 22. Sed ſi præterea reponatur, ex ſupradictis Scriptoribus non ſatis exploratum eſſe, S. Caſalium ante dictum annum 1634. centenariam indicatam venerationem obtinuiſſe; ex aliis documentis conſtat, aliquot etiam ſæculis ante eumdem annum fuiſſe publicum cultum ei præſtitum, & ſi anni poſteriores addantur, ac inveterata fama conſenſum ſummorum Pontificum indicans, res tota peracta videtur.

S. Lucas igitur multis ab hinc ſæculis obiit; in cujus Actis legitur, illius corpus, ob magnam ſanctitatis celebritatem, fuiſſe in Monaſterio, & arca S. Philippi Argyreorum honorifice ſepultum. Et in Breviario Gallo-Siculo in ſexta lectione ejuſdem S. Philippi legitur, ipſum Beliſario cuidam civi apparuiſſe, ac mandaſſe, ut templum ædificaret, ubi ipſius corpus collocatum fuit cum S. Euſebio: qui S. Philippi miracula ſcripſerat. Breviarium verò Gallo-Siculum ita dictum fuit, quod cum Galli Saracenos e Sicilia expuliſſent, in illius Inſulæ Eccleſiis ritus & libri Gallici adhibiti fuerunt, quibus ſubinde alii Siciliæ proprii ritus admixti, & Breviario Sancti additi fuerunt, unde confuſione orta, Officium Gallo-Siculum caſtigari oportuit, idque Matthæus Caldus præſtitit.

In ſupradictis Actis præterea legitur, S. Lucam cæcum factum, & ex Argyrio Nicoſiam profecturum, Monachis ſociis magnam adſtare Populi multitudinem affirmantibus, prædicaſſe, poſt orationem verò ſaxa reſpondiſſe, *Amen*, & in hujus prodigii memoriam templum eodem in loco ædificatum fuiſſe, quod non extat amplius, rem tamen quædam carmina teſtantur ad Sancti ſtatuam inſcripta, ex quibus etiam colligitur, ipſum fuiſſe Herbitæ civem. Præterea in vetuſto apud laudatum Cajetanum Chronico Benedictino, quod Bollandiſtæ putant anno 1483. ſcriptum, S. Lucas inter alios Sanctos recenſetur, & *admirandæ ſanctitatis vir* dicitur. Quod de S. Luca Caſalio intelligendum eſt, non autem de S. Leone Luca, qui ex eodem Monaſterio Argyrienſi profectus Calabriam, & Abbas factus ibi in pace quievit, juxta Bollandiſtas: neque de alio S. Luca qui pariter ex dicto Monaſterio in Calabriam tranſiit, & Monaſterio Carbonæ præfuit, ut refert idem Cajetanus. Demum cum temporum injuria ignotus eſſet ſitus, ubi S. Caſalius tumulatus fuerat, an.1596. non ſine Divino conſilio illius corpus inventum fuit una cum S. Philippi de Argyrio, & Euſebii corporibus, unde magis in die exarſit in ipſum pietas. Porro duo fuerunt SS. Philippi Argyrienſes. Primus ſenior, & Presbyter, de quo multa Fazellus, & Placidus Reina. Alter junior, & Diaconus, dictus etiam Philippellus, de quo plura ſæpe dictus Cajetanus, Ferrarius, & Bollandiſtæ. Uter horum ſit, quocum S. Lucas Caſalius ſepultus fuerit, præſentis inſtituti non eſt definire: legi poſſunt citati Scriptores. Hoc tamen certum eſſe videtur, S. Caſalium, ſi cum alterutro ex iis, & cum S. Euſebio, qui omnes indubitatum cultum in Sicilia obtinuerunt, & obtinent, communem habuit ſepulturam, communem quoque cum iis habuiſſe cultum, & celebritatis honorem.

Plura de his habentur apud toties laudatum Cajetanum. Hæc autem omnia monumenta luculenter oſtendunt diu, & multa quidem ſæcula ante Urbani VIII. Decretum, publicam venerationem fuiſſe S. Lucæ præſtitam, & conſequenter eſſe conſervandam.

Ad alteram petitionis partem, qua Officium ejuſdem S. Lucæ proprium poſtulabatur, atque idem in Nicoſiæ patronum auctoritate Apoſtolica confirmaretur, reponit laudatus Pontifex, pro Officii proprii conceſſione opus eſſe, ut Ordinarius proceſſum

ſuper

Digitized by Google

ſuper cultu immemorabili conficiat, in quem omnia monumenta, & requiſita ad eumdem cultum pertinentia congerantur, & ſententiam ferat a Sede Apoſtolica confirmandam; licet ſine his aliquando ex peculiaribus circumſtantiis huic petitioni non accommodabilibus conceſſum ſit.

Porro ut Officium proprium, ideſt lectiones ſecundi nocturni propriæ concedantur, magnæ debet eſſe auctoritatis Hiſtoricus, ex quo illæ deſumantur. At quæ Cajetanus de S. Luca refert non ſatis ad hoc firma ſunt. Ignorantur hujus Sancti parentes, tempus ejus nativitatis, & mortis, incerta eſt illius profeſſio, nec ſatis certum prodigium, quod illi concionanti ſaxa reſponderint, *Amen*. Simile enim de Ven. Beda narratur, attamen ob Hiſtoricorum defectum Card. Baronius id non admittit. Quamobrem ſtet S. Caſalio cultus, quem poſſidet, Officium vero proprium ei denegetur, ut in cauſa SS. Creſcii & ſociorum Martyrum pro Metropolitana Florentina Congregatio Rituum ſe geſſit.

Ad patronatum quod attinet, una Nicoſiæ pars S. Lucam Patronum urbis principem eſſe cupiebat, altera renuebat: petebatur autem, ut a ſummo Pontifice Patronus deſignaretur, una cum S. Nicolao, qui unanimi civitatis conſenſu Patronus principalis colitur. Porro regula eſt, eos tantum eligendos eſſe Patronos, *qui ab Eccleſia univerſali titulo Sanctorum coluntur*. Porrò S. Lucæ cultus ad univerſam Eccleſiam non extenſus, Beati potius, quàm Sancti proprius videtur, quamquam Sanctus dicatur, qui titulus iis non tollitur, qui eum ab immemorabili obtinent, licet ut Beati colantur, ut de duabus Luſitaniæ Reginis Tereſia & Sancia videre eſt in ejuſdem Pontificis Opere *de Canoniz. SS. lib.2.c.24. n.115.* Jam verò prædicta regula locum habet ab anno 1630. quo ſtatuta fuit. Et Sedes Apoſtolica utique ad ſedandas turbas aliquando duo ejuſdem civitatis Patronos principales eſſe conceſſit. At cum non conſtaret, quando, & quomodo S. Caſalius electus fuerit Patronus, ſummus Pontifex nihil novi in hoc decernendum eſſe cenſuit.

De publico cultu, quem in S. Mariæ Majore quidam vellent Nicolao Papæ IV. aſſerere.

Nicolaus IV. procul dubio inter Romanos Pontifices numeratur, multa litteratura ornatus, ſingulari virtute, & pietate inſignitus nedum cum Regulam S. Franciſci in Minorum Conventualium clauſtris profitebatur, ſed etiam cum ad Cardinalitiam, & ad Pontificiam dignitatem evectus fuit, uti eum præter alios laudant S. Antoninus, & du Cheſne, qui etiam teſtatur, eum non ſine magna ſanctitatis opinione deceſſiſſe. Ipſi tamen quædam crimina affinxerunt Platina auctor Catholicus, ſed præcipue Robertus Barns, aliique heterodoxi Scriptores. Quorum tamen maledicta Gretſerus, Muratorius, & alii fabulas, & calumnias eſſe diſerte oſtendunt.

Certa igitur ſit Nicolai IV. pietas, at quod ſpectat ad ejus cultum, quem nonnulli in baſilica S. Mariæ Majoris ei tamquam Beato, vel Sancto adſtruunt, licet nec Beatificationis Breve, nec Bulla Canonizationis inveniatur, id ſane valde difficile videtur. Nam de ipſo nihil actum fuit ſub Clemente X. cum is Officia Pontificum publicum cultum poſſidentium Eccleſiæ Lateranenſi conceſſit; neque ejus meminit Arturus in Martyrologio Franciſcano; neque de illius cultu indicium ullum exhibebant inſcriptiones, quæ olim in dicta baſilica S. Mariæ Majoris legebantur, quaſque refert Ciacconius, neque exhibet alia inſcriptio a Sixto V. poſita, qui illius oſſa ab humili loco transferri juſſit.

Hæc ſatis ſunt ad dictam opinionem de præfati Nicolai cultu infirmandam. Sed ut id clarius pateat, fundamenta ejuſ-

Digitized by Google

ejuſdem opinionis examinanda ſunt. Primum fundamentum in eo conſiſtit, quod hujus Pontificis Reliquiæ cum ceteris SS. Reliquiis in Armario Canonicalis Ædiculæ, ante quod binæ continuò lampades ardent, inventæ ſunt cum quibuſdam involucris ex charta inſcriptiones continentibus, in quibus idem Nicolaus appellatur *Sanctus*. Verum hæ inſcriptiones, cum ignotus ſit earum auctor, nihil evincunt. Quemadmodum certum non probaret baptiſmum ſchedula collo alicujus infantis expoſiti appenſa, & baptiſmum atteſtans, ſi ſchedulæ auctor ignoraretur, aut non omni fide dignus haberetur. Nec quidquam prodeſt locus, ubi Reliquiæ, & involucra illa inventa fuerunt, nam, inter alia, & Epiſcopi tertio quoque die ſuarum Eccleſiarum Reliquias examinare ſolent; & Alexander VII. Reliquias plurimas in Lipſanotheca S Joannis in Laterano per plura ſæcula aſſervatas, ob dictas rationes extraxit, & in loco clauſo remotas a publico cultu ſubduxit. Porro ſi Nicolai Reliquiæ fuiſſent in aliquo altari expoſitæ, aut ſtatis diebus populo inter alias Reliquias ſeparatim oſtenſæ, idque per centum annos ante Urbani VIII. Decreta, & ad hæc uſque tempora continuatum fuiſſet, aliquod pro controverſo cultu argumentum inde deſumi poſſet, ſed cum nihil ex his conſtet, neque cultus ille adſtrui poteſt.

Alterum fundamentum conſtituitur in publico Elogio, quod in ejus monumento ſculptum viſitur, nempe, quod *magnâ ſanctitatis opinione obiit*. Sed neque ex hoc quidquam conficitur, nam ex pluribus exemplis a laudato BENEDICTO XIV. in Opere *de Canoniz. SS. lib.2. cap.12. num.4.* exploratum eſt, hujuſmodi elogia ad puram opinionem, & extrinſecam denominationem referri, adeoque publicum cultum proprie non important.

Tertium fundamentum in eo verſatur, quod Jacobus Card. Columna S. Mariæ Majoris Archipresbyter, Capellam ibidem in honorem Nicolai IV. extruxit, additis Capellanis, qui Miſſas in ejuſdem Pontificis honorem celebrarent. Sed revera res diverſimode ſe habet. Siquidem Nicolaus ipſe Sacellum in ea baſilica ædificavit, & S. Joanni dedicavit, ut deſumitur ex quadam Bonifacii VIII. bulla. Laudatus vero Cardinalis poſt ejus obitum Sacellum alterum ibi ædificavit, non proprio nomine, ſed ab eodem Nicolao denominans ob ſuam erga ipſum inſignem obſervantiam, ut conſtat ex publico inſtrumento, quod ejus Teſtamentarii Curatores confecerant, his verbis: *In Capella ſanctæ memoriæ quondam Sanctiſſimi Patris Nicolai IV. ab eodem Cardinali erecta ob reverentiam, & in memoriam præfati Sanctiſſimi Patris*. Onus verò Capellanis impoſitum fuit celebrandi Miſſas in ſuffragium animæ Nicolai IV., aliorumque Fidelium defunctorum, ut ex cit. bulla Bonifacii VIII. conſtat, quod ſane cum publico cultu ſtare non poteſt. Neque verò verba illa, *ob reverentiam, & in memoriam præfati SS. Patris*, aliquid amplius, quam obſervantiam important; nam ex iis colligitur, præfatum Cardinalem ſuum obſequium erga illum Pontificem ſignificare, non cultum illi præſtari voluiſſe. Neque dicat quia, Sacellum idem fuiſſe Nicolao dicatum, eo quod non nominetur Sanctus, cui dedicabatur, nam ex quibuſdam monumentis probabiliter S. Benedicto dicatum fuerat; aliunde nulla fit mentio dedicationis in honorem Nicolai, nullaque ejus ibi umquam imago extitit. Neque dici poteſt, diverſimode ſtatutam fuiſſe Miſſæ celebrationem reſpectu ejuſdem Pontificis, & reſpectu aliorum defunctorum, nam in cit. bulla Bonifacii expreſsè habetur; *pro anima Nicolai IV.* quæ verba ſuffragium denotant. Aliter enim duo ſequerentur abſurda. Primum, quod Cardinali Columnæ graviſſimum affigere-

geretur crimen, quod nempe Sacellum ædificaſſet, Miſſamque conceſſiſſet in honorem laudati Nicolai neque beatificati, neque canonizati, idque Romæ haud multo poſtquam Alexander III. beatificandi, & canonizandi Jus Romano Pontifici reſervavit. Alterum, quod ſi per impoſſibile oſtenderetur, eumdem Nicolaum a centum annis ante Urbani VIII. Decreta ad hæc tempora cultum habuiſſe, ex facto tamen illius Cardinalis idem cultus eſſet removendus; hæc enim materia immemorabilibus æquiparatur præſcriptionibus, quæ, ſi titulus infectus ſit, extinguuntur.

Quartum fundamentum conſiſtit in denominationibus *Beatiſſimi*, & *Sanctiſſimi*, quibus in multis ſcripturis Nicolaus IV. poſt obitum condecoratur. At in ſummis Pontificibus plus ſignificant tituli *Beati*, & *Sancti*, quam dictæ denominationes; iſtæ enim ad dignitatem, illi ad virtutes referuntur. Nec quidquam prodeſt, quod in quodam Actu Capitulari de eodem Nicolao legatur, *felicis*, & *ſanctæ recordationis*; notum quippe eſt, Romanarum Baſilicarum Capitula ampliſſimum habere titulorum Vocabularium cum de Pontificibus benefactoribus loquuntur. Satis eſſet ſcrutari Tabularium Capituli Vaticani.

Concludit ergo Pontifex, nullum haberi publicum cultum ſæpedicti Nicolai, decernitque illius Reliquias claudi debere, & obſignari in aliqua capſula in armario Reliquiarum ſervanda, dummodo nec populo illæ oſtendantur, neque umquam publicæ venerationi exponantur. Capſulæ autem inſcribatur, extare in Archivo documenta ad eam ſpectantia, & in eodem collocetur piæ Canonici Strozzi Diſſertatio cum expoſitis ejuſdem BENEDICTI XIV. animadverſionibus.

Litteræ Apoſtolicæ ejuſdem BENEDICTI XIV. *datæ 4. Kalend. April.* 1751.

Per quas Presbyteris Latini ritus in Ruſſia Polonica degentibus permittitur in Ruthenorum Unitorum Eccleſiis, deficientibus lapideis tabulis de more conſecratis, & calicibus aureis, vel argenteis, Miſſam ſuper eorumdem Ruthenorum antimenſiis, & cum calicibus e ſtamno celebrare.

PResbyteri Latini ritus Apoſtolicas Miſſiones in Ruſſia Polonica exercentes ſacræ Congregationi de propaganda Fide expoſuerant, quod, cum in vaſtiſſimis illis regionibus frequentes eſſent Ruthenorum Unitorum Eccleſiæ, rariſſimæ vero ritus Latini, neque pro Miſſis celebrandis lapideas ſacratas Tabulas, & calices aureos, vel argenteos per longa, & difficilia itinera ſine gravi incommodo & periculo ſecùm deferre poſſent, plerumque a Miſſarum celebratione ipſi abſtinere, alii verò Fideles Latini ritus ſacrorum Myſteriorum participatione fraudari, graviſſimo cum animarum detrimento, cogebantur. Quamobrem enixè poſtularunt, ut facultas ſibi concederetur Miſſas, ſine lapidea ſacra Tabula, ſuper Ruthenorum Antimenſiis celebrandi, eorumque ſtamneos calices adhibendi.

Hujuſmodi Miſſionariorum preces prædicta Congregatio ad aliam Congregationem ſacræ Inquiſitionis examinandas remiſit, ac die 22. Januar. 1750. de iis actum fuit coram præfato BENEDICTO XIV. qui ut mature in hoc procederet, quidquid olim in hac materia Sedes Apoſtolica decreviſſet, colligi juſſit, & Epiſcopo Zenopolitano in Curia tunc præſenti mandavit, ut Sanctitatem ſuam ſuper his inſtrueret propriamque ſententiam exponeret. Is vero & precum veritatem comprobavit, & petitam facultatem ad unionem ſtabilien-

liendam valde expedire oſtendit, cum etiam Græci Uniti, opportunitate exigente, ſuper lapideis Latinorum Tabulis ſacra faciant. His poſitis, exhibitiſque præcedentium Decretorum monumentis, Summus Pontifex poſtulantium preces exaudivit.

Et vero quod ad calices ſtamneos pertinet, nullum extat generale Decretum, quo illi prohibeantur, præſertim ubi magna ſit Eccleſiarum, aut Sacerdotum paupertas, ut conſtat ex *Can. Ut Calix*, *de Conſecr. diſt.* 1. & ex S. Thoma, & ex aliis de hoc agentibus. Quod ſpectat ad altare, in Eccleſia Latina Miſſa ſuper altare celebranda eſt, quod totum conſecratum ſit, vel ſuperimpoſitum habeat conſecratum lapidem, qui *Tabula altaris* dicitur. Græci vero, loco ejuſmodi Tabulæ, linteum adhibent conſecratum, in cujus angulis ſunt Sanctorum Reliquiæ, & appellatur *Antimenſion*. Eccleſia Latina id ne dum in partibus Orientis, ſed etiam inter Italo-Græcos permiſit, ut colligitur ex inſtructione Clementis VIII. & ex Conſtitutione prælaudati BENEDICTI, quæ incipit *Etſi Paſtoralis*, in qua tamen cautum eſt, ne Latini inter Italo-Græcos degentes, ubi utriuſque ritus Eccleſiæ frequentes ſunt, Sacrificium ſuper dictis Antimenſiis offerant. At urgente ſuperius expoſita neceſſitate, præfata Congregatio Inquiſitionis anno 1602. Clemente VIII. approbante, ad petitionem Epiſcopi Vilnenſis conceſſit, ut in Latinorum Eccleſiis Sacerdotes Rutheni eorumdem altaribus, calicibus, & veſtibus ſacris; & viciſſim Latini a Ruthenorum Eccleſiis iiſdem Ruthenorum rebus uterentur, dummodo utrique Sacrificium proprio ritu offerrent.

Hoc Decreto adductus idem BENEDICTUS XIV. & præmiſſæ neceſſitatis intuitu, Miſſionariis, & Sacerdotibus Latinis in Ruſſia Polonica quandocumque degentibus dictam facultatem conceſſit utendi Ruthenorum Unitorum Antimenſiis, & ſtamneis Calicibus in Miſſa, Latino tamen ritu ſervato, innovando ſuper hoc S. Pii V. Conſtitutionem, quæ incipit *Providentia Romani Pontificis*, ac dummodo in eorumdem Ruthenorum Eccleſiis celebrandum ſit, non autem in aliqua Latina Eccleſia, aut in domeſticis Latinorum Oratoriis, ſi forte ibi inveniantur.

APPENDIX V.

Supra memorata Lib. 6. pag. 556.

Super Operibus Venerabilis Sororis MARIÆ A JESU DE AGREDA attributis ſub titulo *Myſtica Civitas Dei, & Miraculum Divinæ Omnipotentiæ*.

Litteræ Apoſtolicæ BENEDICTI XIV. *Fr. Raphaeli a Lugagnano Miniſtro Generali Ordinis Minorum S. Franciſci de Obſervantia inſcriptæ, die 16. Januar. 1748.*

POſtulaverat olim a præfato Summo Pontifice Trojanus Cardinalis de Aquaviva tum nomine Regum Hiſpaniarum, & utriuſque Siciliæ, quorum negotiis agendis apud Sedem Apoſtolicam præerat, tum tamquam ſupradicti Ordinis Protector, ut ſupradictorum Operum examen abſolveretur, cujus dilatio judicium de prædictæ Servæ Dei Beatificatione, & Canonizatione impediebat. Summus Pontifex memor, fuiſſe horum Operum examen a ſuis Prædeceſſoribus primo Congregationi generali S. Inquiſitionis demandatum, inde ad Congregationem rituum avocatum, iterumque ad eamdem Congregationem Inquiſitionis remiſſum; ac probe noſcens ejuſmodi examen ad hoc fuiſſe inſtitutum, ut conſtaret, an Opera illa licite a Fidelibus legi, retineri, typiſque imprimi poſſent; nuperam vero laudati Cardinalis poſtulationem eo collimaſſe, ut Beatificationis cauſa progrederetur, quo in caſu examen ipſum

ipſum ad ordinariam rituum Congregationem pertinet, nt conſtat ex cauſa Ven. Servi Dei Roberti Cardinalis Bellarmini, de qua in ejuſdem BENEDICTI Opere de Canoniz. SS. *lib.*2. *cap.*26. *num.*2. idemque examen ſtatnta peculiari methodo perficitur, nt videre eſt in *cit. lib.*2. *cap.*27. *num.*9. *&* 10. At vero landatus Pontifex, ut judicii celeritati conſuleret, particulari ſacrorum rituum Congregationi illud demandavit ex quatuor Cardinalibus conflatæ, cui quatuor Theologos diverſotum Ordinum Regularinm addidit, quorum etiam nomina patefecit, quamquam Congregatio ordinaria ſimilibus in caſibus reticere ſoleat. Secretarinm vero illi Congregationi dedit Fidei Promotorem, mandavitque, ut opus examinandnm, juxta normam in Decretis Urbani VIII. ſtatntam expenderetur, utque Congregatio hæc particularis coram ipſo Pontifice BENEDICTO XIV. cogeretur, ut habet ejus Decretum die 5. Aug. 1745. editum.

Die 5. Decembris 1747. habita fuit ſtatnta particularis Congregatio; toto autem intermedio tempore Fidei Promotor objectiones collegit, Poſtulatores reſponſiones pararunt, reliqui vero, & ipſe Pontifex ſupradictum librum Myſticæ Civitatis diligenter conſiderarunt. Quid vero in ea Congregatione animadverſum ſit, Pontifex præfato F. Raphaeli in his ipſis ſuis litteris ſignificat, nt Servæ Dei cauſa ad ſuum finem recta via dirigatur.

Monet itaque, de Operibus in Congregatione rituum revidendis, primò expendi, an is, cui opera tribuuntur, vere illa ſcripſerit, quod ſi id evidenter non conſtet, reviſio omittitnr. In Decretis enim Urbani VIII. dicitur; *ſi ſcripſiſſe conſtiterit &c.* Nec juvat opponere Opus, de quo nunc agitur, iterato impreſſum fuiſſe ſub nomine Sororis Mariæ a Jeſu; hoc enim aliquam vim haberet, ſi ipſa vivente, neque reclamante, factum fuiſſet; ſed cum poſt ejus obitum impreſſiones factæ ſint, aliis probationibus opus eſt, ut liber illi certo tribui poſſet. Nec quidquam ſuffragatur, Poſtulatores id ultro admittere, ſupradicta enim Decretorum verba non in Poſtulatorum, ſed in veritatis gratiam poſita ſunt. Sane cum in cauſa S. Jacobi de Marchia difficultas excitata fuiſſet ſuper quodam Dialogo *adverſus Fraticellos*, qui ab ipſo conſcriptus dicebatur, Peritorum vero a Clemente XI. ſuper hoc deputatorum judicia non convenirent, idem BENEDICTUS XIV. tunc Fidei Promotor ab eodem Pontifice ſententiam ſuam exponere juſſus cenſuit, reſponderi poſſe, de Auctore Dialogi *non conſtare*, atque adeo ad ulteriora in Cauſa procedi, quod & factum fuit.

Regulis hiſce conſtitutis, in re præſenti, ex actis apparet, Epiſcopum Tiraſonenſem ab anno 1668. proceſſum ordinarium conſtruxiſſe ſuper fama virtutum, & miraculorum laudatæ Servæ Dei, cumque comperiſſet, Autographum controverſi Operis in Cœnobio Monialium de Agreda aſſervari, illud afferri juſſit, eoque inſpecto, affirmavit, Scripturam, exceptis Capitulorum Titulis, eſſe ejuſdem Servæ Dei, cujus characterem notum ſibi eſſe dicebat ex aliis illius inſpectis epiſtolis. Cauſæ Procurator tres alios teſtes adduxit, inter quos ejuſdem cauſæ Notarium, qui omnes non ſingillatim, ſed ſub juramento, uno ore, idem, quod Epiſcopus, aſſeruerunt. Idem vero Epiſcopus authenticum exemplum ſumi, in proceſſum inſeri, & Autographum Monialibus reddi juſſit.

Verum, utcumque dictus proceſſus ordinaria auctoritate conſtructus ſit, tamen hujuſmodi probationes ex characteris ſimilitudine, & *per teſtes habentes notam manum*, & ex S. Athanaſio, & ex Juriſperitis inſufficientes ſunt, niſi legitimis adminiculis fulciantur, quod multo magis admittendum videtur, cum teſtes, non ſin-

gillatim, ſed turmatim, & coram Superiore idem aſſerente, teſtimonium reddiderint. Adminicula autem eſſe poſſe indicat Summus Pontifex, ſi indubia Servæ Dei ſcripta, quæ extare affirmat F. Joſeph Ximenius in ejus vita, & alia, quæ veroſimiliter inveniri poterunt in Agredano Monaſterio, ſumantur, ac vera illius characteris forma cognita, a Peritis cum controverſo Opere comparentur. Peritorum vero judicium, & omnia indubia characteris exemplaria cum eodem Opere Romam tranſmitti debent, ubi aliud ab aliis Peritis judicium inſtituatur. Hæc autem probatio, quamvis ſubſidiaria, cum alia ſuperius indicata non exigui erit momenti. Hanc methodum ſacra rituum Congregatio admittere conſuevit, ut conſtat, ex cauſa B. Joannis Cantii apud eumdem Pontificem in præcit. *lib.2. c.34. n.8. & ſeqq.* Neque timendum eſt ne autographa in his reviſionibus deperdantur; inſpecta enim fideliter redduntur.

Poſt hæc aliud ſupereſt dubium tollendum, ut certo affirmari poſſit, *conſtare*, quod myſtica Civitas Dei a Ven. Maria a Jeſu conſcripta fuerit. Fieri enim potuit, ut ipſa Opus propria manu ſcripſerit, totum autem vel partem non compoſuerit, quemadmodum ab initio, & ad hæc uſque tempora a nonnullis dubitatum fuit, ut conſtat ex *Summario præliminari hujus cauſæ, & ex Reſponſionibus* pariter *præliminaribus*. Verum cum alia inveniantur Opera, quæ procul dubio Ven. huic Servæ Dei tribuuntur, hæc cum alio Opere de myſtica Civitate Dei conferenda erunt, & juxta criticæ artis regulas, ex ſtyli uniformitate res tota elucidari poterit. Præterquamquod in ejus vita narratur, quemdam ejuſdem Confeſſarium ipſi imperaſſe, ut Opus de myſtica Civitate combureret. Paruit ipſa, antea tamen Catholicus Rex Philippus IV. exemplum dicti Operis deſcribi juſſerat, & apud ſe retinebat. Alium ſubinde Confeſſarium juſſiſſe, Opus idem ab ea recudi, quod & perfecit mira cum priori uniformitate, paucis dumtaxat additis, ac rebus nonnullis melius elucidatis: Et hunc Codicem dicunt eumdem eſſe, qui in prædicto Monaſterio pro Autographo aſſervatur. Neceſſe igitur eſt, ut indicatum exemplum perquiratur, quod fortaſſis non erit inventu difficile. Tum facta comparatione, aſſerta uniformitas dignoſci poterit, quin etiam ex indicatis additamentis, & explicationibus complures tolli obſcuritates poterunt cauſam hanc nimium implicantes.

Sed cum horum omnium ſeries nimium Beatificationis cauſam retardent, in qua conſtructus dumtaxat eſt proceſſus Ordinarius, admiſſa cauſæ introductio; approbata ſententia ſuper non cultu, & peculiaris auctoritate Apoſtolica factus proceſſus ad excipiendas depoſitiones teſtium, quorum mors imminere timebatur. Cumque ante propoſitionem dubiorum ſuper virtutibus, & ſuper miraculis, ex inconcuſſis ſacræ rituum Congregationis legibus, neceſſe ſit, ut omnia, quæ extant, Ancillæ Dei Opera examinentur, inde proceſſus Apoſtolicus ſuper fama virtutum, & miraculorum in genere conficiatur, & ſuper ejus relevantia pronuncietur, mox alter Apoſtolicus proceſſus in ſpecie ſuper virtutibus, & miraculis conſtruatur, omniumque proceſſuum, etiam Ordinarii, validitas expendatur. Nihilominus ſæpelaudatus Pontifex BENEDICTUS XIV. de Apoſtolicæ auctoritatis, & liberalitatis plenitudine, ex ſpeciali gratia in hac Cauſa indulſit, ut, quamvis judicium ſuper dicto Opere de myſtica Civitate Dei adhuc pendeat, examinari tamen alia ejuſdem Servæ Dei Opera poſſint, & reliqua omnia paulo ante recenſita perlegi, animadverſiones quoque a Fidei Promotore exponi, & reſponſiones a Poſtulatoribus comparari, dummodo tamen dubium *ſu-*

per

per virtutibus in ſpecie in Congregatione rituum non abſolvatur; antequam judicium de omnibus Ancillæ Dei Operihus abſolutum ſit.

Poſt hæc ſubdit Pontifex, quod, ſi aliquando, probatum fuerit, librum de myſtica Civitate Dei a Ven. Maria a Jeſu vere compoſitum fuiſſe, aliud inſtituetur jndicium, an liber idem *contineat errores contra Fidem, vel bonos mores, vel doctrinam aliquam novam, vel peregrinam, atque a communi ſenſu Eccleſiæ, & conſuetudine alienam*, prout in Urbani VIII. Decretia ſtatuitur. Idcirco Cardinalibus, & Theologis ſupradictam particularem Congregationem componentibns mandavit, ut ſinguli hac de re ſententiam ſuam authenticam ad ipſum tranſmitterent, cum vellet omnia bnjuſmodi judicii capita antecedenter cum judiciis plurium celehrium Academiarum per ſe ipſum penſare.

Enim vero anuu 1596. Facultas Sorbonica cenſuram protulit in primam hujus Operis partem, eaque refertnr *in Diario Sapientum Tom.* 24. Càrdinalis de Aguirre Cenſuram peculiari ſcripto impugnavit, qnin etiam epiſtolam unam sd Galliarum Regem ſcripſit, alteram ad Archiepiſcopum Pariſienſem, & in bac faſſus eſt, propoſitiones a præfata Facnltate notatas, prout jacent in verſione Gallica, qua uſi ſunt Pariſienſes Theologi, merito fuiſſe damnatas: contendit tamen verſionem banc parum fidelem eſſe. Verſio hæc non alia eſſe poteſt, quam quæ a P. Croiſet Ordinis Minorum facta fnit, eademque iu Snmmario Cauſæ ſummopere laudatur. Porro laudatus Cardinalis Croiſetum Gallum reprebendit, tanquam in Hiſpanico idiomate parum verſatum: at ſi qnis Cardinalem Hiſpanum reprehenderet tamquam Gallicæ linguæ minus peritum, judicium profecto in ancipiti hæreret. Quare ſpondet Snmmus Pontifex, ſe curaturum, ut aliquem inveniat in utroque idiomate probe verſatum, cujus diligentia veritatem in claro poſitam tuto dijndicare poſſit.

Advertit præterea, anno 1734. editum ah Euſebio Amort Canonico Regulari Lateranenſi fuiſſe Opus *de Revelationibus, & Viſionibus*, in quo prædicta Cenſura utique reprobatur, ſed aliæ objectiones adverſus myſticam Civitatem Dei excitantur. Huic reſpondit F. Didacus Gonzalez Matthæo Hiſpanus Ordinis pariter Minorum. Verum monet Summus Pontifex has quoqne objectiones, & reſponſiones examinandas eſſe.

Concludit tandem referendo Decretum de præfatæ particularis Congregationis conſilio editum, videlicet, quod non conſtat adhuc, controverſum Opua eſſe Veu. Servæ Dei Sororis Mariæ a Jeſu de Agreda, indulgetur tamen, nt in ejuſdem cauſa ad ulteriora procedatur, dummodo judicium ſuper virtutihus non abſolvatur, niſi ſub conditionibus ſuperius indicatis.

Appendix VI.

De qua Cap. XIII. Lib. 6. ſermo habetur.

De conceſſione Officii & Miſſæ.

COgitavit quidem BENEDICTUS XIV. a ſui Pontificatus initio Romanum Breviarium correctiſſimnm, plurihuſque expurgatum mendis publici juris facere, quod gravioribus curis maximiſque negotiis diſtentua ad optatum finem perducere non potuit. Id vero fixum animo habuit, nullum ad Eccleſiam univerſalem Officium extendere; facile tamen particularium locorum, Regnorum aut Provinciarum pietatem confovere, conceſſis proprio Officio ac Miſſa in honorem SS. qui ibidem ſpeciali veneratione decorantur. Ex bis ergo nonnnlla indicabimus.

Proprias Lectiones S. Braulionis in ſecnndo nocturno Archiepiſcopus Cæſarauguſtanus ad Pontificem miſe-

rat, quibus tamen ad ſeveriorem trutinam revocatis, duo ſe inveniſſe reſcripſit idem Pontifex, in quibus palam ſe diſſentire profitetur. Primum eſt, quod S. Iſidorus elegerit S. Braulionem in creditæ ſibi Eccleſiæ Archidiaconum. Id enim ex binis Epiſtolis ab Iſidoro ad Braulionem Archidiaconi munus obeuntem datis falſum eſſe conſtat; nam inter alia ex iis colligitur, Braulionem eo munere functum fuiſſe in altera Eccleſia ab Hiſpalenſi prorſus diverſa. Et Bollandiſtæ opinantur, officium illud fuiſſe S. Braulioni demandatum a fratre ſuo Joanne Cæſarauguſtano Antiſtite.

Alterum eſt, eumdem Sanctum cum S. Iſidoro plurimum in Hiſpaniis laboraſſe in revocanda Gothorum gente ab Ariana hæreſi, vel quia de hac actum fuerit in quarto Concilio Toletano, cui ambo interfuere, vel quia idem Braulio in prima ex dictis literis Iſidoro ſcriptis enixe petierit Acta Synodi ab ipſo Hiſpali coactæ, in qua Sintuarii hæreſis damnata fuit. At exploratum ſatis eſt, Gothos ab anno 589. Arianam hæreſim ejuraſſe in tertio Concilio Toletano, & incredibile prorſus eſt, hæreſim illam adeo poſthac perduraſſe, ut ſolum in quarto Concilio Toletano fuerit a S. Braulione extirpata. Oppoſitum enim evidenter conſtat ex ſolemni profeſſione a pio Rege Recaredo in eodem Concilio facta. Præterea hoc quartum Concilium, quemadmodum quintum, & ſextum Toletanum convocatum fuit, non ut aliqua hæreſis velleretur, ſed ut diſciplinæ dumtaxat conſuleretur. Nec quidquam officit, quod Fidei profeſſio eidem præmiſſa fuerit, id enim factum fuit non ad convellenda alicujus hæreſis germina, ſed ad ſervandam Conciliorum generalium conſuetudinem, cum Synodus illa eſſet Generalis omnium Eccleſiarum Hiſpaniæ. Quod ſpectat ad Sintuarium, is non fuit Arii aſſecla, ſed Eutichetis inter Acephalos connumeratus. Ex quibus omnibus manifeſtum fit, non poſſe tuto aſſeri, S. Braulionem enixe in Gothorum converſionem, & Arianæ hæreſis extinctionem incubuiſſe.

Quamobrem conſultius duxit laudatus Pontifex novas lectiones, & conſentaneam illis Collectam per ſemetipſum exarare, prout egregie præſtitit, eædemque iiſdem ipſius literis Apoſtolicis ſubiectæ conſpiciuntur.

Poſthæc idem Pontifex BENEDICTUS XIV. die 11. Septemb. 1742. ad pias preces Joannis V. Portugalliæ Regis conceſſit Officium cum omnibus lectionibus, & oratione propriis, & Miſſam pariter propriam in honorem S. Joannis Damaſceni die 11. Maji celebranda ſub ritu duplici minori ab omnibus utriuſque ſexus Chriſtifidelibus, qui ad horas Canonicas tenentur, eidem Regi, etiam extra Luſitaniam ſubiectis. Movit in primis Joannem V. pietas S. Joannis Damaſceni erga B. V. M. quæ illi abſciſſam manum reſtituit, ut ſacrarum imaginum cultum ſcriptis promovere pergeret.

Cum Moniales S. Joannis Ap. & Ev. Ordinis S. Benedicti Torcell. Diœc. proprium exoptaſſent Officium S. Barbaræ cujus ſacrum corpus ibidem colitur ab anno 1009. Pontifex cum perſpectas haberet difficultates, quibus hujus Sanctæ Acta implicantur, ex Lectionibus, quæ in aliquibus Eccleſiis recitantur, eas ſelegit, quibus baſilica Lateranenſis utitur a ſacra rituum Congregatione approbatis, hiſque juxta earumdem Monialium Inſtitutum quartam addidit, octavam nempe in ordine Divini Officii, in qua translationem ejuſdem S. Virginis deſcripſit, de qua plures Scriptores loquuntur. Propriam quoque Orationem adjecit in nonnullis locis recitari ſolitam, in qua pia explicatur traditio, eos nempe, qui S. Barbaræ cultui addicti ſunt, ſacroſancti corporis Chriſti Viatico ante mortem non fraudari. Hujuſmodi vero Officium proprium in ſuis Litteris Apoſtolicis die 7. Novemb. 1748. datis inſeruit, & ſub ritu duplici primæ Claſſis a præfatis Monialibus, &

ab

ab aliis earum Eccleſiæ addictis, in Feſto laudatæ Sanctæ in perpetuum recitari indulſit.

Die 8. *Octobr.* 1748. Conceſſa ſunt Officium proprium & Miſſa propria ſub ritu duplici primæ claſſis celebranda die 16. Januarii in honorem Sanctorum quinque Martyrum Marochienſium Berardi, Petri, Accurſii, Adjuti, atque Othonis ex Ordine Minorum S. Franciſci pro dominiis Regis Fideliſſimi. Voluit autem Sanctitas Sua per ſe ipſum Lectiones corrigere, atque examinare, & ut hoc ipſum in decreto exprimeretur.

Ad preces ejuſdem Regis Fideliſſimi Joannis V. *die* 17. *Jan.* 1750. conceſſa ſunt Miſſa propria, & Officium proprium in honorem S. Theotonii cum Antiphonis, Capitulis, Hymnis, & reliquis omnibus propriis ſub ritu duplici majori die 18. Februarii celebranda, firmo remanente altiori ritu, quo in aliquibus locis Officium ejuſdem Sancti celebrari conſuevit.

De Menſe Januarii 1751. ad preces Joſephi I. Portugalliæ, & Algarbiorum Regis Fideliſſimi facta eſt conceſſio Officii proprii, & Miſſæ propriæ in honorem Maternitatis B. Mariæ Virginis Dominica prima Maji ſub ritu duplici majori: necnon Officii proprii, & Miſſæ propriæ in honorem Puritatis ejuſdem B. Mariæ Virginis Dominica ultima Junii ſub eodem ritu. *Die vero* 18. *Februarii ejuſdem anni* facultatem eamdem quoad Officia & Miſſas in honorem Maternitatis, & Puritatis B. M. Virginis idem Pontifex, vivæ vocis oraculo, extendit ad Patres Luſitanos Societatis Jeſu Romæ commorantes.

Cum vero olim a Fideliſſimo Luſitaniæ Rege commiſſa eſſet cura obtinendi a SS. D. N. facultatem pro omnibus Sacerdotibus in Regum Hiſpaniæ & Luſitaniæ dominiis, ut die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum celebrare poſſent tres Miſſas uſque ad duas poſt meridiem horas; quæ conſuetudo in plurimis Hiſpaniæ locis jam invaluerat, ut conſtabat ex documentis a Catholica tunc Principe nunc Regina ad Patrem ſuum Joannem V. & ejuſdem juſſu Romam tranſmiſſis, omnia Sanctiſſimus Pontifex benigne conceſſit, ut fuſius dicitur in Tomo IX. ſuorum operum. Opportunum vero exiſtimavit Rex Catholicus, ut tres Miſſæ aliquantulum diverſæ fuerint, quod Nuntio Apoſtolico Majeſtatis Suæ Confeſſarius expoſuit. Diverſitas vero ea eſſe debebat, ut ad primam Miſſam omnia dicerentur prout in Miſſali Romano *in Commemoratione omnium Fidelium Defunctorum*. Ad ſecundam, omnia prout in eodem Miſſali *in Anniverſario Defunctorum*, ſine ſequentia *Dies iræ &c.* facta etiam in Orationibus aliqua mutatione indicante omnes animas Fidelium Defunctorum. Ad tertiam Miſſam, omnia pariter ut in Miſſali *in Miſſis quotidianis Defunctorum*, ſine dicta ſequentia, ſed cum ſupradicta pariter mutatione in Orationibus. Per litteras Apoſtolicas Summus Pontifex ad præfatum Nuntium die 7. Septembr. 1750. Sanctitas ſua reſpondet, ſe approbare ſupradictam diverſitatem. Gravibus tamen argumentis oſtendit, non eſſe omittendam ſequentiam ſive Proſam *Dies iræ &c.* Quam etiam gratiam eodem modo extendit ad dominium Regis Fideliſſimi.

ACTA

Digitized by Google

ACTA, ET DECRETA
IN CAUSIS
BEATIFICATIONUM
ET
CANONIZATIONUM
ALIISQUE
AD SACRORUM RITUUM MATERIAM
SPECTANTIBUS
ADDENDA AD TOMUM VI. OPERUM SS. D. N.
ROMÆ EDITUM ANNO MDCCLI.

Digitized by Google

ACTA, ET DECRETA

IN CAUSIS

BEATIFICATIONUM,

ET

CANONIZATIONUM

ALIISQUE AD SACRORUM RITUUM MATERIAM SPECTANTIBUS

Addenda ad Tomum VI. Operum SSmi Domini Noſtri Romæ editum anno 1751.

CUM nonnulla poſt annum Pontificatus ſui decimum BENEDICTUS XIV. Decreta, Epiſtolas, Conſtitutioneſque ediderit ad materiam Sacrorum Rituum ſpectantia, quæ in Tomo VI. Operum ejuſdem SS. Domini Noſtri edito anno 1751. locum habere non potuerunt, ea hic in unum collegimus, ſingula ſuis, prout indicantur, locis poſtea inſerenda, quandocunque nova horum Operum editio

Digitized by Google

fieri contigerit. Igitur ad Caput I. ubi referuntur *Decreta Generalia*, poſt IV. Decretum pag. 19. addatur V. ſcilicet:

DECRETUM GENERALE
SS. D. N. BENEDICTI PP. XIV.

Cum ex relatione eorum, quæ in Congregationibus Sac. Rituum, aut Antepræparatoriis, aut Præparatoriis proponuntur, & diſcutiuntur, facta Nobis pro ſui muneris adimplemento tum a Congregationis Secretario, tum a Fidei Promotore, innotuerit, ſæpe excitatam fuiſſe inter ejuſdem Congregationis Conſultores controverſiam, an in Cauſis Beatificationis, & Canonizationis Servorum Dei procedentibus per viam non Cultus, cum diſputandum proponitur Dubium ſuper Virtutibus aut Martyrio, Teſtes de auditu auditus, qui ſoli extant in Proceſſu Apoſtolico, in linea probationis jungi poſſint cum Teſtibus de viſu, qui extant in Proceſſu Ordinario, contendentibus nonnullis, id tantum fieri poſſe, ſi Teſtes de auditu, qui extant in Proceſſu Apoſtolico, ſint de auditu à videntibus, aliiſque aſſerentibus, id ipſum fieri debere, etiamſi Teſtes non ſint de auditu à videntibus, ſed de auditu auditus, dummodò cætera alia non deſint, quæ requiruntur pro conjunctione Proceſſus Ordinarii cum Proceſſu Apoſtolico, & alia etiam concurrant à Congregatione Rituum ſtatuta, ut ritè, & rectè admittantur Teſtes de auditu, de quibus omnibus in Noſtro Opere *de Canonizatione Sanctorum lib. 2. cap. 4. & 5.*

Nos ad amputandam quamcumque controverſiam, decernimus primò, non poſſe in linea probationis conjungi Teſtes de auditu auditus in Proceſſu Apoſtolico examinatos, cum Teſtibus de viſu, qui extant in Proceſſu Ordinario, prædictamque conjunctionem in linea probationis competere tantùm Teſtibus de auditu à videntibus, qui ſint in Proceſſu Apoſtolico examinati, dummodò cætera ſupra indicata non deſint requiſita, & ex conjunctione Teſtium de viſu examinatorum in Proceſſu ordinario cum Teſtibus de auditu à videntibus, examinatis in Proceſſu Apoſtolico, propoſitis Dubiis ſuper Virtutibus, aut Martyrio reſponderi poſſe, *Conſtare de Virtutibus &c.* aut *conſtare de Martyrio*, & in progreſſu ad ulteriora pro obtinenda formali Beatificatione ſufficere debere duo Miracula, quæ ante Beatificationem patrata ſint, & approbata, & pro obtinenda Canonizatione ſufficere debere alia duo Miracula, poſt Beatificationem ſecuta & approbata. Decer-

Digitized by Google

Decernimus ſecundo loco, quod, ſi in Proceſſu ordinario Teſtes extent de viſu, & in Proceſſu Apoſtolico non reperiantur niſi Teſtes de auditu auditus, Teſtes hi de auditu auditus, in Proceſſu Apoſtolico excepti, vim & robur adminiculi habere valeant, modò quidem levis, modò gravis, prout eorum numerus, & qualitas expoſcit, ita ut, excluſa à Poſtulatoribus quacumque fraudis, aut negligentiæ ſuſpicione, ex qua factum ſit, ut ſoli Teſtes de auditu auditus in Proceſſu Apoſtolico fuerint examinati, ſi, attentis numero, & qualitate Teſtium de viſu in Proceſſu Ordinario examinatorum, habitaque conſideratione adminiculi non levis, ſed gravis, deſumpti ex Teſtibus de auditu auditus in Proceſſu Apoſtolico examinatis, res ad eum ſtatum redacta ſit, ut faciat Fidem, & auctoritatem Viro prudenti de re gravi judicaturo, propoſitis Dubiis ſuper Virtutibus, aut Martyrio, reſponderi poſſit, *ita conſtare de Virtutibus*, aut *ita conſtare de Martyrio*, *ut procedi poſſit ad ulteriora*, *hoc eſt ad diſcuſſionem Miraculorum*, nec obtineri poſſe Decretum Beatificationis, niſi tria Miracula præceſſerint, quæ fuerint approbata, neque demum Canonizationis Decreto locum eſſe debere, niſi duo alia poſt Beatificationem Miracula ſupervenient, quæ pariter fuerint approbata.

Demum tertio loco decernimus, nihil per præſens Decretum à Nobis fuiſſe immutatum ſuper Dubio Virtutum, aut Martyrii in Cauſis, quæ procedunt per viam caſus excepti, aut in quibus, & ſi procedant per viam ordinariam non Cultus, ſoli Teſtes de auditu extant in proceſſu tùm Ordinario, tùm Apoſtolico; quoad eas enim exactè obſervari mandamus Decretum Generale à Nobis editum *die* 23. *Aprilis* 1741. & impreſſum in Noſtro Opere *de Canonizatione Sanctorum lib* 3. *cap*. 3. *num*. 25. *editionis Patavinæ*, *& editionis Romanæ*, quod etiam nunc confirmamus tùm quoad numerum Miraculorum, tùm etiam quoad cætera, quæ in dicto Decreto continentur, & in quibus ſtatuitur, Miracula ſemper eſſe comprobanda per Teſtes conteſtes de viſu, ſive agatur de Cauſis procedentibus per viam Ordinariam de non Cultu, ſive per viam extraordinariam de caſu excepto, & ſive res ſit de Miraculis pro obtinenda Beatificatione, ſive de aliis, quæ proponuntur pro Canonizatione obtinenda. Et Secretario Congregationis Sacrorum Rituum mandamus, ut præſens noſtrum Decretum inter acta Congregationis referat, & typis edi curet, ut ad omnium notitiam deveniat. Datum hac die 17. Julii 1744.

D. F. Card. Tamburinus Præf.

Loco ✠ Sigilli.

M. Mareſuſcus S. R. C. Secr.

Ad Caput II. ubi referuntur *Decreta ſuper Caſu excepto*, poſt XV. Decretum, pag. 62. addenda quæ ſequuntur, nempe:

XVI. DECRETUM.

Panormitana

CANONIZATIONIS BEATI JOANNIS LICCII

Sacerdotis Profeſſi Ordinis Prædicatorum.

Cum a Sac. Rituum Congregatione Ordinaria ſub die 29. Januarii 1752. ad relationem Eminentiſſimi & Reverendiſſimi Domini Cardinalis Cavalchini admiſſa fuerit Commiſſio introductionis Cauſæ Beati Joannis Liccii, & a Sanctiſſimo Domino Noſtro Benedicto PP. XIV. *poſtmodum ſignata juxta tenorem præfatæ Commiſſionis, ad inſtantiam Reverendiſſimi Patris Antonini Bremond Magiſtri Generalis Ordinis Prædicatorum propoſitum fuit ab eodem Eminentiſſimo Ponente, atque in dicta Sac. Congregatione abſque interventu Conſultorum ex diſpenſatione Apoſtolica diſcuſſum infraſcriptum dubium -- An ſententia lata per Judices a Reverendiſſimo Archi-Epiſcopo Panormitano deputatos ſuper Cultu ab immemorabili tempore prædicto Beato præſtito, ſive Caſu excepto a Decretis ſan. mem. Urbani VIII. ſit confirmanda in caſu, & ad effectum, de quo agitur --; & Sacra eadem Congregatio, audito R. P. D. Ludovico de Valentibus Fidei Promotore, qui voce, & ſcripto ſuam ſententiam expoſuit, reſcribendum cenſuit, affirmative, ſi Sanctiſſimo Domino Noſtro viſum fuerit. Die 14. Aprilis 1753.*

Factaque deinde per me Secretarium de prædictis Santiſſimo Domino Noſtro relatione, Sanctitas ſua benigne annuit. Die 25 ejuſdam Menſis, & anni 1753.

D. F. Card. Tamburinus Præf.

Loco ✠ Sigilli.

M. Mareſuſcus S. Rit. Cong. Secret.

Beatus Joannes Liccius Caccabi Diœceſis Panormitanæ ineunte Sæculo XV. natus, Patre orbatus Panormi in Cœnobio Fratrum Prædicatorum ſub titulo S. Zitæ, ubi regularis diſciplina tunc maxi-

maxime vigebat, religioſum induit habitum. Spontaneæ carnis macerationi aſſiduè vacans, & religioſæ perfectionis exercitiis indefeſſo ſtudio incumbens, maximam ſibi Sanctitatis famam comparavit. Senio tandem confectus in Patria feliciter obiit *anno* 1511. pluribuſque tam in vita, quam poſt mortem miraculis coruſcavit.

Tria originalia antiquiſſima manuſcripta Beati virtutes, ejuſque res geſtas referentia in Proceſſu ſuper Cultu fuerunt compulſata. Primum extat in Bibliotheca Collegii Societatis Jeſu Panormi, & ſequentem titulum præſefert. *Proceſſus, & vita Beati Joannis Liccio Ordinis Prædicatorum Terræ Caccabi notata per me Domnum Antonium de Faſio Abbatem S. Anaſtaſiæ ejuſdem Terræ, & habitatorem, qui omnia ſcripſi, præſtando prius Juramentum Accolis ejuſdem Oppidi circa narrationem, ut infra* 1558. & in fine appoſita habetur ſubſcriptio -- *Ego Antonius Faſio Sanctæ Sedis Judex delegatus* -- Alterum in Bibliotheca Cœnobii Sancti Dominici Panormi, cujus titulus -- *Vita, e Miracoli del Beato Giovanne lo Liccio di la Città di Caccamo dell' Ordine di Padri Predicatori, raccolta, e ſcritta dal P. Raimondo Gariſo di Caccamo* -- Tertium aſſervatur in Archivo ſupradicti Cœnobii Caccabenſis exaratum a P. Bernardino Faſo Ordinis Prædicatorum.

Poſt confectum *anno* 1747. a Judice, & Adjunctis per Archi-Epiſcopum Panormitanum delegatis auctoritate ordinaria Proceſſum tam ſuper fama ſanctitatis, virtutum, & miraculorum, quam ſuper cultu a tempore immemorabili ante Decreta ſan. mem. Urbani VIII. Beato Joanni præſtito, prævio voto Sacrorum Rituum Congregationis Ordinariæ habitæ *die* 29. *Januarii* 1752. ſignavimus Commiſſionem Introductionis Cauſæ. Propoſito poſtmodum per Cardinalem Cavalchini Ponentem in eadem S. Congregatione habita *die* 14. *Aprilis* dubio -- *An ſententia lata per Judices a Reverendiſſimo Archi-Epiſcopo Panormitano deputatos ſuper Cultu ab immemorabili tempore prædicto Beato præſtito, ſive caſu excepto a Decretis ſan. mem. Urbani VIII. ſit confirmanda in caſu, & ad effectum, de quo agitur* --; Sacra eadem Congregatio mature diſcuſſis pluribus Cultus ſpeciebus per Poſtulatores adductis, conſiſtentibus præſertim in Imaginibus cum Laureolis, & Splendoribus Beatum repræſentantibus, in Titulo Beati, quo Beatus Joannes fuerat condecoratus, & in Lampade detineri ſolita accenſa ante Sepulcrum Beati, *Affirmativè* reſpondendum eſſe cenſuit, & Congregationis Judicium Nos adprobavimus juxta Decretum ſupra exſcriptum.

XVII. DE-

Digitized by Google

XVII. DECRETUM.

Montis regalis, seu Cuneen.

CANONIZATIONIS BEATI ANGELI A CLAVASIO

Sacerdotis Profeſſi Ordinis Min. Obſerv. S. Franciſci.

Poſt admiſſam, ſignatamque per Sanctiſſimum Dominum Noſtrum Benedictum PP. XIV. *Commiſſionem Introductionis Cauſæ B. Angeli a Clavaſio, promota ſucceſſivè fuit ex parte Fratris Leopoldi a Roma Poſtulatoris inſtantia in Sac. Rituum Congregatione uſque ſub die* xi. *Decembris anni* 1751. *ſuper approbatione Cultus ab immemorabili tempore eidem Beato præſtito; ſed cum prodierit reſcriptum -- Dilata, & coadjuventur probationes -- conſtructi ex poſt fuerunt novi proceſſus Apoſtolici in Civitate Cunei Diœceſis Montis Regalis, & in Oppido Clavaſii Diœceſis Ipporegien. pro coadjuvatione probationum circa cultum immemorabilem prædicti Beati. His autem ad Urbem delatis, atque apertis repropoſitum fuit in Congregatione Ordinaria Sac. Rituum habita ſub infraſcripta die per Eminentiſſimum, & Reverendiſſimum D. Cardinalem Alexandrum Albanum Ponentem dubium alias propoſitum ſub enunciata die* xi. *Decembris* 1751. *videlicet -- An ſententia lata per Judicem a Reverendiſſimo Epiſcopo Montis Regalis deputatum ſuper caſu excepto a Decretis editis a ſan. mem. Urbani Papæ VIII. ſive ſuper Cultu ab immemorabili tempore prædicto Beato præſtito ſit confirmanda in caſu, & ad effectum, de quo agitur -- & Sacra eadem Congregatio mature examinatis tum veteribus, cum novis adductis in Cauſa probationibus, audito R. P. D. Ludovico de Valentibus Fidei Promotore, qui ſcripto, & voce ſuam ſententiam expoſuit, reſcribendum cenſuit, affirmative, ſi Sanctiſſimo Domino Noſtro viſum fuerit. Die* 14. *Aprilis* 1753.

Factaque deinde per me Secretarium de prædictis eidem Sanctiſſimo Domino Noſtro relatione, Sanctitas Sua benigne annuit. Die 24. *ejuſdem Menſis, & anni* 1753.

D. F. Card. Tamburinus Præf.

Loco ✠ Sigilli.

M. Mareſuſcus SS. Rit. Cong. Secret.

Bea-

Digitized by Google

Beatus Angelus in Oppido Clavaſii Diœceſis Ipporegienſis anno 1411. natus eſt. Senatoria dignitate, ad quam in Ducatu Montisferrati fuerat evectus, abdicata, in Ordine Min. Obſerv. S. Franciſci regulare inſtitutum profeſſus fuit. In excolendis Religioſi hominis virtutibus admirabilem ſe præſtitit. Ea vero pauperes caritate proſequebatur, ut non ſolum pro ipſis eſcas oſtiatim emendicare conſueverit, verum etiam effecerit, ut pluribus in locis Montes pietatis erigerentur. Cum præ cæteris ſanctitate, zelo, ac doctrina præluceret, Provinciæ primum Genuenſis Vicarius, deinde totius Familiæ Ciſmontanæ quater renunciatus fuit Vicarius Generalis. Caroli primi hujus nominis, & tertii Sabaudiæ Ducis, nec non B. Paulæ Comitiſſæ vulgo dictæ *del Bene* a Confeſſionibus fuit. *Anno* 1481. cum ſæviſſimus Turcarum Tyrannus Apuliam invaſiſſet, ac Civitatem Hydruntinam occupaſſet, ſan. mem. Sixtus IV. Legatum, & Commiſſarium Apoſtolicum Sacræ Cruciatæ Beatum Angelum delegavit, cujus opera eo inter ſe ſacro fœdere Fideles conſociati ſunt, ut, Turcarum Tyranno veneno interempto, hoſtilis exercitus in Ægyptum remeare coactus fuerit. A ſel. record. Innocentio VIII. Nuncius, & Commiſſarius Apoſtolicus contra Waldenſium hæreſim per Italiæ confinia ſerpentem deſignatus idem Beatus indefeſſum, ac ſtrenuum Fidei propugnatorem ſe geſſit. Utraſque autem dd. Pontificum Bullas Beato directas typis edidit P. Codrettus Ord. Min. Obſ. in fine Vitæ d. *Beati typis impreſſæ Cunei anno* 1664. eaſque a ſuis Originalibus a Communitate Clavaſii aſſervatis extractas Author teſtatur. Laboribus tandem, ac meritis plenus migravit ad Dominum *anno* 1495. *die* 11. *Aprilis* in Conventu S. Antonii Patavini Civitatis Cunei Diœceſis Montis Regalis, ejuſque ſacrum Corpus in Eccleſia iſtius Conventus reconditum eſt.

Complures ſacri Scriptores de virtutibus, & rebus geſtis Beati, ac miraculis ad ejus interceſſionem patratis mentionem faciunt. Arturus nimirum *in Martyrologio Franciſcano edito Pariſiis anno* 1602. P. Franciſcus Gonzaga Miniſter Generalis Ord. Seraphici in libro *de Origine Religionis Franciſcanæ edit. Romæ anno* 1587. *tom.* 1. *p.* 2. Bartholomæus Civiarelli in *Chron. Frat. Min. Impreſſ. Venet.* 1621. *p.* 4. *cap.* 45. Jacob. Carant. in ſuo Opere *Decad. Phyſic. impreſſ. Savigliani* 1623. Fr. Britius Epiſcopus Alben. in Opere -- *Seraphica Subalpinæ Divi Thomæ Provinciæ monumenta* -- impreſſ. *Taurini* 1647. Fr. Michael Angelus a Neapoli in *Chronologia Hiſtoric. Legal. Seraphici Ordin. Minor. edit. Neapoli anno* 1650. Fr. Matthias a Caballario Ord. Capuccinor. *in Rationar. Chronographico* impreſſ. *Auguſtæ Taurinorum anno* 1659. Author

Ano-

Anonymus *in Libro* edit. *Cunei anno* 1674. cui titulus -- *Novo, e vero leggendario detto Flos Sanctorum* -- Fr. Dominicus de Gubernat. *in Orbe Seraphico* impreſs. *Romæ anno* 1681. *Tom.* 1. *fol.* 302. Fr. Julius Baudini in *ſua Canonica Diſſertatione de Vita Communi Regular.* impreſs. *Coloniæ anno* 1695. Jacob. Philip. Bergomen. *Ord. Heremitar.* in Opere, cui Titulus -- *Supplementum Supplementi -- ad annum Chriſti* 1483. P. Marcus Ulyſſiponens. Epiſcopus Portuen. in Libro, cui titulus -- *Delle Cronache delli Frati Minori -- lib.* 1. *cap.* 47. Cardinalis Bellarminus *de Scriptoribus Eccleſiaſt.* Wadingus in *Annal. Ord. Min. ad annum* 1434. 1472. 1479. 1481. & 1495. aliique.

Conſtructo ab *anno* 1694. *ad* 1696. Proceſſu auctoritate Ordinaria per Epiſcopum Montis Regalis ſuper Cultu ab immemorabili tempore ante Decreta ſan. mem. Urbani VIII. Beato Angelo præſtito, confectoque ſubinde *an.* 1698. eadem Ordinaria auctoritate per eundem Epiſcopum altero Proceſſu ſuper fama Sanctitatis, virtutum, & miraculorum præfati Beati, propoſita fuit Cauſa ſuper Signatura Commiſſionis in Sacrorum Rituum Congregatione Ordinaria habita *die* 29. *Novembris* 1708. referente clar. mem. Card. Caprara. At cum in Animadverſionibus bon. mem. Joannis Baptiſtæ Bottinii adnotatum fuiſſet, quaſdam alias ſupereſſe Informationes non exhibitas, & quædam Beati opuſcula non adhuc reviſa extare; Sacra Congregatio reſcripſit -- *Dilata, & exhibeantur omnes Proceſſus, & Informationes, & revideantur Opera per deputandos ab Eminentiſſimo Ponente* -- Hoc Sacræ Congregationis reſcriptum adduximus in noſtro Opere *de Servor. Dei Beatific. lib.* 2. *cap.* 27. *num.* 5. ad oſtendendum, uſum recentiorem Sacræ Congregationis eſſe, ut Operum reviſio præcedere debeat Signaturam Commiſſionis.

Exhibitis proinde quibuſdam aliis Informationibus, nec non Opuſculo *Summæ Angelicæ* a dicto Beato conſcripto, prædictus Cardinalis Cauſæ Ponens deputavit P. Campioni Congregationis Matris Dei in Reviſorem Operis. Sed facta relatione per eumdem Ponentem in Sac. Congregatione habita *die* 17. *Auguſti* 1709. reſcriptum fuit -- *Ad Eminentiſſimum Ponentem pro altero Reviſore ſecreto Summæ Angelicæ, & interim fiant novæ diligentiæ pro inveniendis aliis Operibus* -- Ideo autem novi Reviſoris deputatio demandata fuit, quia primi deputatio facta non fuerat ſecreto, prout fieri debere ad hoc, ut Reviſores liberius ſuam exponere poſſint ſententiam, adnotavimus *dicto lib.* 2. & *cap. num.* 10. ubi in hujus praxis comprobationem exemplum iſtius Cauſæ attulimus hiſce verbis -- *Quocirca cum in Cauſa Montis Regalis, ſive Cuneen.*

Cano-

Canonizationis Beati Angeli a Clavaſio facta fuiſſet a cl. mem. Cardinali Caprara deſignatio Reviſoris Operum ab illo conſcriptorum non ſecreta , ſed cum Poſtulatoribus communicata , Sacra Congregatio die 17. *Auguſti* 1709. *mandavit , ut ab eodem Cardinali Relatore nova fieret alius Relatoris , & porro ſecreta deſignatio .*

Hinc , altero Reviſore ſecreto deputato pro examine Opuſculi *Summæ Angelicæ* , Cauſa ſiluit uſque ad *annum* 1744. in quo Poſtulatores a Sac. Congregatione litteras obtinuerunt directas Epiſcopis Montis Regalis , & Ipporegienſi pro perquirendis aliis Beati Angeli Opuſculis ; quibus adinventis , & per Secretum Reviſorem deputatum ab Eminentiſſimo Cardinali Alexandro Albani loco Cardinalis Caprara præmortui ſubrogato , reviſis , *die* 17. *Decembris* 1746. Sac. Congregatio reſcripſit -- *Poſſe ad ulteriora in Cauſa procedi* -- Quare , repropoſita Cauſa ſuper Signatura Commiſſionis, prævia favorabili reſolutione dictæ Sacræ Congregationis habitæ *die* 11. *Januarii* 1749. ſignavimus Commiſſionem Introductionis Cauſæ .

Diſcutiendum demum propoſitum fuit in Sac. Congregatione habita *die* 11. *Decembris* 1751. dubium ſuper confirmatione ſententiæ per Epiſcopum Montis Regalis ſan. mem. Urbani VIII. ſive ſuper Cultu ab immemorabili tempore Beato Angelo præſtito . Quamvis vero plures , ac nobiliſſimæ Cultus ſpecies adducerentur , conſiſtentes præſertim in Corporis Beati elevatione, ejuſdemque ſolemnibus Translationibus , & ſuper Altaria retentione , in Titulo Beati , in Imaginibus cum radiis Beatum repræſentantibus , aliiſque , cum tamen neceſſariis probationibus deſtitutæ dijudicatæ fuerint, Sac.Congr. reſcripſit -- *Dilata , & coadjuventur probationes* .

In cujus reſcripti executionem duo ſubinde a Poſtulatoribus confecti fuerunt Proceſſus alter in Oppido Clavaſii vigore Litterarum Particularium Epiſcopo Ipporegien. alter vero in Civitate Cunei vigore Litterarum Compulſorialium Epiſcopo Montis Regalis directarum. Cum autem in hiſce Proceſſibus allatæ fuerint quinque aliæ Tabellæ votivæ appenſæ ad ſepulcrum Beati , & quædam aliæ Imagines eumdem Beatum repræſentantes , quarum altera inſculpta extabat in antiquiſſimo argenteo inaurato Calice aſſervato in ſacrario Eccleſiæ Patrum Min. Obſerv. Reformat. S. Franciſci extra mœnia Cunei ; cumque haſce Tabellas , & Imagines requiſitum centenarii annorum numeri ante Conſtitutionem Urbanam habere concludenter fuerit demonſtratum , Sacra Congregatio *die* 14. *Aprilis* 1753. Ordinarii Montis Regalis ſententiam adprobavit , ut patet ex ſupra recenſito Decreto .

XVIII. DECRETUM

Anconitana

CANONIZATIONIS B. GABRIELIS FERRETTI

Religioſi Profeſſi Ordinis Min. Obſ. S. Franciſci.

Cum à SS. Rituum Congregatione Ordinaria ſub die 10. *Februarii anni proximè præteriti ad relationem Eminentiſſimi, & Reverendiſſimi Domini Cardinalis Tamburini SS. Rituum Congregationis Præfecti, & Ponentis admiſſa fuerit Commiſſio Introductionis Cauſæ Beati Gabrielis Ferretti, & Sanctiſſimo Domino Noſtro* Benedicto PP. XIV. *poſtmodum ſignata juxta tenorem præfatæ Commiſſionis, ad inſtantiam Fr. Joſephi Amadei à Taurino Sacerdotis Ordinis Min. de Obſ. S. Franciſci Poſtulatoris propoſitum fuit ab eodem Eminentiſſimo Ponente, atque in dicta S. Congregatione diſcuſſum infraſcriptum dubium -- An ſententia lata per Reverendiſſimum Epiſcopum Anconitanum ſuper Cultu ab immemorabili tempore prædicto Beato præſtito, ſive ſuper Caſu excepto a Decretis ſa. me. Urbani PP. VIII. ſit confirmanda in caſu, & ad effectum, de quo agitur -- Et ſacra eadem Congregatio audito R. P. D. Ludovico de Valentibus Fidei Promotore, qui voce, & ſcripto ſuam ſententiam expoſuit, reſcribendum cenſuit affirmativè, ſi Sanctiſſimo Domino Noſtro viſum fuerit. Die quintadecima Septembris* 1753.

Factaque deinde per me Secretarium de prædictis eidem Sanctiſſimo Domino Noſtro relatione, Sanctitas ſua benignè annuit die 19. *ejuſdem menſis, & anni.*

Beatus Gabriel ex nobili familia de Ferrettis Anconæ natus eſt. Seraphicum Sancti Franciſci inſtitutum Fratrum Minorum Obſervantiæ amplexus, zeloque Animarum affectus verbi Dei prædicationi operam navavit. Regulari vero perfectione præfulgens, Guardianus primum Anconitani Cœnobii, Vicarius deinde Picenæ Provinciæ electus, munus ſumma cum laude obivit. Maximâ tandem Sanctitatis, ac Miraculorum famâ conſpicuus in Cœlum migravit *anno* 1456.

Hæc, aliaque ad iſtius Beati Virtutes, cultumque ſpectantia ex pluribus comprobantur documentis, quæ Nos è ruderibus eduximus tunc temporis, cum Anconitanæ Eccleſiæ regimini præ-

eſſe.

eſſemus, inter cujus etiam paſtorales curas nec paucas, ǹec levis
momenti hòc noſtrum de Canonizatione Sanctorum Opus elucu-
brare non deſtitimus, ſtudio ſemper ducti, ut publici juris fie-
rent, quæ in Bibliothecis, & Archivis abdita ad amplitudinem,
ac lucem Canonizationis negotio afferendam non parum conduce-
re videbantur. Porrò licet hæc documenta in antecedenti *Capi-
te* 18. *num.*4. *Lib.*2. *de Canoniz.* relata ſint, non abs re tamen eſt
hìc etiam legenda tranſcribere „ In Eccleſia Fratrum Minorum
„ Obſervantium Sancti Franciſci ejuſdem Civitatis Anconitanæ pu-
„ blicè pariter colendum proſtat in Sepulchro ſupra terram elato
„ Cadaver adhuc integrum Beati Gabrielis Ferretti eumdem Or-
„ dinem profeſſi, quod, accenſis luminibus, iis oſtenditur, qui
„ videre cupiunt. Mortuus ipſe Gabriel eſt *anno* 1456. de cujus
„ Virtutibus, ac Miraculis plura habentur apud Gonzagam,
„ Marcum Ulyſipponenſem, Arturum in *Martyrologio*, Wadin-
„ gum *tom.*6. *Annalium*, & Julianum Saracenum *in Hiſtoriis*
„ *Civitatis Anconitanæ*. In ejus autem obitu Sanctum Jacobum
„ de Marchia honorarium ſermonem habuiſſe; tum ab excitatis
„ Miraculorum frequentia Anconitanis Civibus Legatos ad Calli-
„ ſtum III. miſſos fuiſſe, ut inquiſitionem de eo Apoſtolicam
„ mandaret; qua commiſſa prædicto Sancto Jacobo, hunc adhi-
„ bitis Notariis, probatiſque Teſtibus, proceſſum conſtruxiſſe,
„ quem ad Pontificem detulit, relicto Fratribus Anconitanis au-
„ thentico exemplari, tradunt citatus Gonzaga de *Origine Se-
„ raphicæ Religionis part.*2. *fol.*195. poſt eum Auditores Rotæ in
„ *Relatione Cauſæ Sancti Jacobi de Marchia tit. de Authoribus,
„ qui de eo ſcriptis mentionem fecerunt*, nec non Caſtellin. de
„ *certitud. glor. Sanctor. pag.*108. *num.*46. *& ſequentibus*. Etſi
„ Proceſſus iſte, ex quo etiam Wadingus miracula quædam de-
„ ſumpſit in ſuis Annalibus relata, nec Romæ, nec Anconæ, di-
„ ligentiis licet adhibitis, adhuc potuit inveniri. Fertur inſuper,
„ Sororem Beati Gabrielis à Calliſto Bullam impetraſſe, ut ad
„ nobilius ſepulchrum Fratris corpus tranſportaretur, quemad-
„ modum habet modo memoratus Wadingus, qui ex Gonzaga
„ quoque narrat, eamdem Bullam in Archivio Anconitano aſ-
„ ſervari. Sed præterquamquod nec ipſa hæc Bulla unquam eſt
„ reperta, adſunt etiam *Litteræ Apoſtolicæ* Innocentii VIII. *in-
„ ſcriptæ Fratribus Ordinis Minorum de Obſervantia S. Franci-
„ ſci de Ancona*, quas ipſe autographas inveni, & iiſdem Re-
„ ligioſis credidi, quæ ita conceptæ ſunt „ *Innocentius Papa VIII.
Dilecti Filii ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Deſidera-
tis, uti nobis exponi nuper feciſtis, Corpus Gabrielis Ordinis*

Minorum de Obſervantia in Eccleſia veſtra reconditum, cujus meritis, & interceſſione Altiſſimus nonnulla miracula ibi in dies dicitur operari, pro augenda Chriſti fidelium devotione è loco, ubi reconditum eſt, exhumari facere, & in marmoreo Sepulchro, quod ad hoc ipſum conſtrui feciſtis, condere, nobiſque humiliter ſupplicaſtis, dignaremur vobis licentiam deſuper concedere. Nos hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, ut Corpus, ſeu oſſa ejuſdem Gabrielis è loco, ubi reconditum eſt, exhumari, & in dicto Sepulchro ſine aliqua ſolemnitate recondi facere poſſitis & valeatis, licentiam, & facultatem vobis concedimus per præſentes; non obſtantibus Conſtitutionibus &c. Datæ „ ſunt hæ litteræ Apoſtolicæ *anno* 1489. & cum in eis nullum „ fiat verbum præcedentis idem Corpus transferendi aſſertæ facultatis à Calliſto III. conceſſæ, de hujus veritate maximopere „ dubitandum eſt. Utcunque tamen hæc ſint, cum aperta parva feneſtella *die* 11. *Novembris*, quo Beati ejuſdem Feſtum in „ Eccleſia Fratrum celebratur, Corpus ipſum ad omnium venerationem exponatur (quemadmodum etiam data occaſione fit „ aliis anni diebus, prout antea dictum eſt), nec non pius ſemper acceſſus ad ejus Sepulchrum ſit, ejuſque veſtis decenter in „ Sacrario conſervetur, atque ad ægrotos deferatur; & hæc omnia facta ſint, & fiant ab immemorabili tempore: hic quoque Beatus Gabriel unus eſt ex illis, qui minimè beatificati „ fuerunt, aut ab Apoſtolica Sede Canonizati, de cujus licet Cauſa Canonizationis gratia reſumenda poſt Calliſti tempora nunquam actum fuerit, conſentientibus nihilominus *Ordinariis*, abſque eo quod ulla acceſſerit de Caſu excepto ſententia, permanet in poſſeſſione Cultus, coerciti tamen, & limitati intra „ fines, quibus ei fuit exhibitus à tempore immemorabili.

Præter Scriptores modo relatos de Beato Gabriele verba quoque faciunt Lazarus Bernabei *in Mſs. Chronicis Urbis Anconitanæ anno 1491. exaratis*, & in Proceſſu ſuper Cultu immemorabili, mox indicando *fol.* 332. compulſatis, Rodulphus Toſſinianus *in Hiſt. Seraph. Relig. Venetiis anno* 1586. *edita*, & Comes Franciſcus Ferretti in Opere, cui titulus *Pietra del Paragone della vera Nobiltà* Anconæ edito *anno* 1685.

Nuperrimè verò *anno* 1752. ad preces Fratrum Ord. Min. Obſ. totiuſque Familiæ Ferretti, quibus robur, ponduſque maximum addidit, ut ſuam in Agnatum pietatem oſtenderet, cura, & vigilantia Patris Vincentii Mariæ Ferretti Prædicatorum Ordinis emeritiſſimi Procuratoris Generalis, conſtructus fuit authoritate Ordinariâ per modernum Epiſcopum Anconitanum Proceſſus tam

ſuper

ſuper Sanctitatis famâ, Virtutum, & Miraculorum ejuſdem Beati, quam ſuper Cultu ab immemorabili tempore eidem præſtito. Prævio ſubinde Sacrorum Rituum Congregationis Voto Commiſſionem Introductionis Cauſæ ſignavimus; Hinc propoſito de more dubio -- *An ſententia lata per Reverendiſſimum Epiſcopum Anconitatum ſuper Cultu ab immemorabili tempore prædicto Beato præſtito, ſive ſuper Caſu excepto a Decretis ſan. mem. Urbani PP. VIII. ſit confirmanda in caſu, & ad effectum, de quo agitur* --; præfata SS. Rituum Congregatio *affirmative* reſpondit juxta Decretum ſupra exſcriptum.

Inter præcipuas dicti Cultus ſpecies magni habita fuit *Elevatio* Corporis Beati facta vigore ſupra relati Brevis Innocentii VIII. de cujus revelantiâ, vi, pondere, & efficacia, jam tunc, cum illud invenimus, ex uſu, & experientia, quam in hiſce Cauſis tot annorum ſpatio vel Advocati, vel Promotoris Fidei munere perfungentes pertractandis aquiſiveramus, facilè Nobis fuit judicium ferre, quod ſupra *Lib.2. de Canoniz. cap.20. num.9.* expoſuimus, ubi expendentes alterum Breve ab eodem Pontifice Innocentio VIII. expeditum,quo conceſſa fuit facultas transferendi Corpus Beati Simonis de Lipnica è Choro Eccleſiæ ad alium locum decentiorem diximus „Innocentius VIII. motus fama Miraculorum Servi Dei Simonis de „ Lipnica conceſſit, ut ejus Corpus è Choro Eccleſiæ, ubi jacebat, ad alium ejuſdem Eccleſiæ locum decentiorem, & convenientiorem transferretur noctu, atque ſecretò: & cum in hujus „ indulti vim conſtructum ſubinde fuerit Sepulchrum ſupra terram „ in Eccleſiæ pariete ad latus Altaris Sancti Franciſci, bonæ memoriæ Proſper Bottinius Archi-Epiſcopus Myrenſis Fidei Promotor in ſuis Animadverſionibus ſuper caſu excepto, de quo agebatur in cauſa dicti Servi Dei, conceſſionem illam magno in pretio „ habendam, eſt faſſus. Neque verò, ut puto, aliter ratiocinandum eſſet, ſi Cauſa introduceretur Beati Gabrielis Ferretti, & „ tractaretur de caſu excepto; quandoquidem idem Pontifex Innocentius conceſſionem pariter fecit, ut antea monuimus, transferendi Corpus ipſius, quod in ſequelam ejuſdem facultatis reconditum fuit in Sepulchro ſupra terram elato in Eccleſia Fratrum „ Minorum Obſervan. Sancti Franciſci,

Huic conſpicuæ Cultus ſpeciei acceſſerunt etiam Titulus *Beati*; quo ab anno uſque 1491. condecoratum fuiſſe Beatum Gabrielem, certiſſimis documentis probatum fuit, nec non *Imago Beati*, cujus Caput radiis circumdatum eſt, ſupra ejus Sepulchrum pendens; & *Statua* ſupra quamdam Cœnobii Anconitani januam exiſtens, Beatum ſplendoribus exornatum repræſentans in ſylva orantem,

tem, & Beatiſſimæ Virginis viſione exſtatico raptu fruentem; quas per centum, & ultra annos ante Decreta Urbani VIII. confectas, Periti formiter examinati unanimiter ſenſerunt. His aliiſque ſimul perpenſis præfatum immemorabilem Cultum Sacra Congregatio adprobavit.

XIX. DECRETUM

PISAUREN.

CANONIZATIONIS BEATÆ SERAPHINÆ SFORTIÆ

Monialis Profeſſæ in Monaſterio Corporis Domini Piſauri Ordinis S. Claræ.

CUM à Sacror. Rituum Congregatione Ordinaria ſub die 15. Julii 1752. ad relationem Eminentiſſimi, & Reverendiſſimi Domini Cardinalis Columnæ de Sciarra Ponentis admiſſa fuerit Commiſſio Introductionis Cauſæ Beatæ Seraphinæ Sfortiæ, & à Sanctiſſimo Domino Noſtro BENEDICTO PP. XIV. *poſtmodum ſignata, juxta tenorem præfatæ Commiſſionis ad iſtantiam Poſtulatoris propoſitum fuit ab eodem Eminentiſſimo Ponente, atque in dicta Sac. Congregatione diſcuſſum infraſcriptum dubium -- An ſententia lata per Reverendiſſimum Epiſcopum Piſauren. ſuper Cultu publico ab immemorabili tempore prædictæ Beatæ exhibito, ſive ſuper caſu excepto à Decretis ſan. mem. Urbani PP. VIII. ſit confirmanda in caſu, & ad effectum &c. -- Et Sac. eadem Congregatio, audito R. P. D. Ludovico de Valentibus Fidei Promotore, qui voce, & ſcripto ſuam ſententiam expoſuit, reſcribenbendum cenſuit -- Affirmativè -- Si Sanctiſſimo Domino Noſtro viſum fuerit. Die 13. Julii 1754.*

Factaque deinde per me Secretarium de prædictis eidem Sanctiſſimo Domino Noſtro relatione, Sanctitas Sua benignè annuit. Die 17. ejuſdem Menſis, & anni 1754.

D. Fr. Card. Tamburinus Præf.

Loco ✠ Sigilli.

M. Mareſuſcus SS. Rit. Cong. Secr.

BEATA SERAPHINA ex Guido Antonio Comite Urbini, ac Montis Feretri, & Catharina Columna anno 1434. nata, *Suevæ* nomen in ſacro Baptiſmatis fonte ſortitur. Parentibus immaturâ morte præreptis, Romam accerſita in clariſſima Columnenſi domo piiſſimè educata fuit. Alexandro Sfortia Piſauri Domino, Comiti Cotiniolæ, Regnique Siciliæ magno Comeſtabili nuptui tradita, inter

ter Chriſtianas Virtutes, pietatem, prudentiam, ac juſtitiam maximè excoluit, præſertim in totius Dominii gubernio ſibi commiſſo. Verum, majora de ea diſponente Deo, in Monaſterium Corporis Domini Clariſſarum Piſauri ſeceſſit, ibique Comitis accedente conſenſu profeſſionem emiſit *Seraphinæ* nomine aſſumpto. Per octodecim annorum ſpatium, quibus in clauſtro vixit, aſſiduæ orationis, propriæ voluntatis abnegationis, humilitatis, aliarumque Monaſtici ſtatus Virtutum exempla reliquit. Tandem *anno* 1478. in Domino obdormivit plurimis Miraculis, ac prodigiis ipſius Sanctimoniam conteſtantibus.

Beatæ vitam conſcripſit quidam *Auctor Anonymus*, cujus hiſtoricum monumentum aſſervatur in Monaſterio Corporis Domini Clariſſarum Piſaurenſium, in quo etiam extat antiquus *Codex Mſs.* complectens vitas præfatæ Beatæ, ac Beatæ Felicis. Plura quoque de ipſius rebus geſtis, virtutibus, Miraculis, Cultuque publico eidem præſtito memoriæ tradiderunt ante Decreta ſan. mem. Urbani VIII. Fr. Marcus Ulyſipponenſis *in Chronico typis edito anno* 1556. *lib.* 6. *part.* 3. *cap.* 34. Petrus Rodulphus Toſſinianus *Hiſtor. Seraph. Religion. impreſſ. anno* 1586. *lib.* 1. *pag.* 143. Fr. Franciſcus Gonzaga Epiſcopus Mantuanus *de Origine Seraphicæ Religionis part.* 2. *pag.* 218. *edit. anno* 1587. Petrus Antonius à Venetiis *in Legendario Franciſcano impreſſ. anno* 1612. Bartholomeus Cimarelli *in Chronico Venetiis impreſſ. anno* 1621. Ferrarius *in Catalogo Generali Sanctorum edit. anno* 1625. *ad diem* 8. *Septembris*. Et poſt ejuſdem Decreta Fr. Auguſtinus Gallucius *in vita BB. Felicis, & Seraphinæ*, Arturus *in Martyrologio Franciſcano*, Lucas Wadingus *in Annalibus Minorum*, Benedictus Mazzara *in Legendario Franciſcano*, Ludovicus Jacobillus *de Sanctis Fulginatibus*, Fortunatus Hueberus *in Martyrologio Franciſcano*, Algezira *in Arbore Epilogica totius Ordinis Franciſcani*, Pater Antonius Maria Bonucci Societatis Jeſus *in vita Beatæ*; denique Bollandiani *in Actis Sanctorum tom.* 3. *Septembris ad diem* 8.

Conſtructus fuit *anno* 1749. ab Epiſcopo Piſaurenſi Informativus Proceſſus ſuper Sanctitatis fama, Virtutum, & Miraculorum beatæ Seraphinæ, nec non ſuper Cultu ab immemorabili tempore ipſi præſtito; eoque Sacrorum Rituum Congregationi exhibito, & ut moris eſt, aperto, prævio ejuſdem Congregationis conſilio, & voto, Commiſſionem Introductionis Cauſæ Nos ipſi ſignavimus *die* 5. *Julii* 1752. propoſitoque ſubinde in dicta Sacra Congregatione, ac diſcuſſo dubio -- *Ac ſententia lata per Reverendiſſimum Epiſcopum Piſauren. ſuper Cultu publico ab immemorabili tempore prædictæ Beatæ exhibito, ſive ſuper caſu excepto à Decretis ſan. mem.*

mem. Urbani Papæ VIII. ſit confirmanda in caſu, & ad effectum, de quo agitur, – affirmativa prodiit reſolutio, cui Nos robur confirmationis adjecimus juxta ſupra exſcriptum Decretum.

Plures publici Cultus ſpecies fuerunt in hac Cauſa adductæ: *Extractio* nimirum Sacri Corporis nonnullis ab obitu annis, & *Retentio* ſupra terram in Sacrario. *Repoſitio* in nova Urna in Choro Monialium collocatâ. *Expoſitiones* dictæ Urnæ cum aperitione feneſtrarum, una cum appoſitione Statuæ Beatæ: *Electio* in Patronam Piſauri: Plures *Imagines* Beatam repræſentantes cum Splendoribus circa Caput: Titulus *Beatæ* eidem tributus: *Anathemata* ad ejus ſepulchrum appenſa: Publica, & ſolemnis *Feſtivitas* in ejus honorem inſtituta; luminumque *Accenſio*, & lampadis *Detentio* ante ipſius arcam. Sacra tamen Congregatio rationem præſertim habuit tàm *de Imaginibus* cum radiis, & ſplendoribus Beatam repræſentantibus, quàm de Titulo *Beatæ* in dictis Imaginibus exſcripto, & ab Hiſtoricis eidem tributo; & præcipuè à P. Fr. Mariano à Florentia *in faſciculo Chronicorum Seraphici Ordinis Minorum*, quem alias ab hac S. Congregatione admiſſum, & receptum fuiſſe, dum agebatur de comprobando publico Cultu Beatorum *Antonii à Stronconio* Laici Profeſſi Ordinis Minorum Obſervantiæ S. Franciſci, *Humilianæ de Cerchiis*, ſive *de Circulis*, *Helenæ Enſelminæ*, *Jacobi Illyrici* vulgò cognominati de Bitecto, nec non *Liberati de Lauro* ejuſdem Ordinis Minorum, jam *Lib.2. de Canoniz. Cap.24.* §. 17. *num.* 58. §. 23. *num.* 81. & §. 24. *num.* 85. §. 28. *num.* 98. & §. 34. *num.* 129. retulimus. Hunc autem Hiſtoricum ſcripſiſſe circa *annum* 1513. oſtenderunt Poſtulatores juxta ea, quæ Nos affirmare non dubitavimus *in cit. num.* 58., quod & confirmarunt authoritate Dionyſii Apollinarii *in proemio Chronicæ* Provinciæ Tuſciæ, & Fr. Benigni Bruni in quadam *Epiſtola* relata *in Sum. edito anno 1666.* in cauſa Beatæ Margaritæ de Cortona, aſſerentium, Marianum ex hac vita migraſſe *die* 20 *Julii* 1523. Quoniam verò autographum prædictæ Hiſtoriæ in Archivo Patrum S. Iſidori de Urbe aſſervabatur, quod Nos in ſæpe citato *num.*58. indicavimus; hinc, ut in authentica forma copia dicti Manuſcripti extraheretur, ad eorundem Poſtulatorum preces Sac. Congregatio negotium commiſit R. P. Fidei Promotori, qui ad præſatum Archivum ſe contulit una cum Notario ipſius Congregationis, & propriis oculis inſpecto, ac perluſtrato Autographo, receptoque ſervatis ſervandis P. Archiviſtæ examine ſuper identitate, & fideli cuſtodia dicti Manuſcripti, duos Peritos Scriptores examini ſubjecit, qui unanimiter judicium tulerunt, memoratas Chronicas Patris Mariani eſſe autographas, & eâdem, de qua ſupra, antiquitate pollere.

XX. DE-

XX. *DECRETUM*

URBEVENTANA

CANONIZATIONIS BEATÆ JOANNÆ *vulgò* VANNÆ

De Urbeveteri Monialis tertii Ordinis S. Dominici.

Admiſſâ ad relationem Celſitudinis Regiæ Eminentiſſimi, & Reverendiſſimi Domini Cardinalis Ducis Eboracenſis Ponentis à Sac. Rit. Congregatione Ordinaria ex diſpenſatione Apoſtolica abſque interventu Conſultorum habita die 16. Februarii currentis anni, Commiſſione Introductionis Cauſæ Canonizationis prædictæ Beatæ Joannæ vulgò Vannæ Monialis tertii Ordinis S. Dominici, illâque ſubinde die 13. Martii ejuſdem anni à Sanctiſſimo Domino Noſtro Benedicto PP. XIV. *manu propria ſignatâ, cum in ejus executionem inſtante Reverendiſſimo P. Fr. Antonino Bremond Magiſtro Generali Ordinis Prædicatorum Poſtulatore propoſitum fuerit ab eadem Celſitudine Regia Eminentiſſima Ponente in Sac. Rit. Congregatione Ordinaria, atque diſcuſſum dubium -- An ſententia per Judices à Reverendiſſimo Epiſcopo Urbeventano deputatos lata ſuper Cultu ab immemorabili tempore dictæ Beatæ præſtito, ſive caſu excepto à Decretis ſan. mem. Urbani PP. VIII. ſit confirmanda in caſu, & ad effectum, de quo agitur; Sacra eadem Congregatio prævio maturo examine Proceſſus Informativi ſuper præfato caſu excepto in Civitate Urbis veteris à Reverendiſſimo Epiſcopo ejuſdem Civitatis conſtructi, ac audito R. P. D. Ludovico de Valentibus Fidei Promotore, qui ſuam ſententiam voce, & ſcripto expoſuit, reſcribendum cenſuit affirmativè, ſi Sanctiſſimo Domino Noſtro viſum fuerit. Die 7. Septembris 1754.*

Factaque deinde per me Secretarium de prædictis eidem Santiſſimo Domino Noſtro relatione, Sanctitas ſua benignè annuit die 11. ejuſdem menſis, & anni 1754.

D. F. Cardinalis Tamburinus Præf.

Loco ✠ Sigilli.

M. Mareſuſcus Sac. Rit. Cong. Secr.

Beata joanna vulgò Vanna in Pago Carnajolæ Urbeventanæ Diœceſis anno circiter 1262. in lucem edita, in ipſo vitæ exordio parentibus orbata eſt. In benedictionibus autem dulcedinis præventa, haud obſcurum futuræ ſanctitatis ſpecimen dedit. Religioſo habitu tertii Ordinis S. Dominici induta, ab hominum conſortio re-

mota, inter Tertiarias ejuſdem Ordinis ad inſtar Virginum Clauſtralium in Civitate Urbeventana degentes vitam duxit Sanctiſſimam. Ex aſſidua præſertim oratione, cui mirificè vacabat, ſupernis chariſmatibus condecorari promeruit. Quadrageſimum ſecundum ætatis annum agens feliciter obiit *die* 23. *Julii* 1306. Ejus Sanctitatem plurima poſt mortem patrata prodigia, ac miracula comprobarunt.

De hac Beata verba faciunt Jacobus Scalza Ordinis Prædicatorum ipſi coævus *in ejuſdem vita Mſs.* Anonymus *in Relatione Mſs. vitæ Sanctæ Catharinæ Senen. Beatæ Vannæ*, *ac Beatæ Catharinæ de Civitate Caſtelli*, P. Seraphinus Razzius *in lib. de Vitis Sanctorum*, *& Beatorum utriuſque Sexus Ordinis Fr. Prædicatorum impreſs. Florentiæ anno* 1577. Baptiſta Piergilii in Hiſtoria *de Vita B. Jacobi à Mevania Ordinis Prædicatorum typis cuſa Tuderti anno* 1678. *cap.* 11. *pag.* 20. §. 2. *part.* 1. & Anonymus in Compendio *de Vita Beatæ typis edito Faliſci anno* 1701. Multa quoque de ejuſdem Beatæ Vita leguntur in aliis libris Mſs. aſſervatis in Archivo Urbeventano Ordinis Prædicatorum, quorum primus, cui titulus *Chronicon Priorum* -- exorditur ab *anno* 1531. & definit *anno* 1749. Alter inſcriptus *Conſiliorum* incipiens *ab anno* 1608. definit *anno* 1671. tertius demum exordiens ab *anno* 1672. finiit ſub *anno* 1750.

Anno 1750. à Judicibus per Reverendiſſimum Epiſcopum Urbeventanum deputatis conſtructus fuit Informativus Proceſſus ſuper Sanctitatis fama, Virtutum, atque Miraculorum Beatæ Joannæ, nec non ſuper Cultu ab immemorabili tempore eidem Beatæ præſtito, eoque in Sacrorum Rituum Congregatione exhibito, &, ut moris eſt, aperto, de ejuſdem Congregationis conſilio, & voto, Commiſſionem Introductionis Cauſæ Nos ipſi ſignavimus *die* 16. *Februarii* currentis anni 1754. ſubindeque propoſito in dicta Sac. Congregatione, ac diſcuſſo dubio -- *An ſententia per Judices à Reverendiſſimo Epiſcopo Urbeventano deputatos lata ſuper Cultu ab immemorabili tempore dictæ Beatæ præſtito*, *ſive Caſu excepto à Decretis ſan. mem. Urbani Papæ VIII. ſit confirmanda in caſu*, *& ad effectum*, *de quo agitur* -- affirmativum prodiit reſponſum per Nos poſtmodum confirmatum.

In præfato Proceſſu complures deductæ fuerunt publici, & Eccleſiaſtici Cultus ſpecies, Beatæ Vannæ exhibiti, *Translatio* nimirum Corporis Beatæ anno poſt ejus obitum peracta, videlicet 1307. ejuſque collocatio in decentiori loco. *Oblatio Cerei* facta à Publico Civitatis Urbeventanæ die ejuſdem Beatæ Feſto. Titulus *Beatæ*, *& Sanctæ* ipſi tributus. Plures Imagines cum ſignis venerationis, & ſan-

& ſanctitatis Beatam repræſentantes. *Expoſitio ſacrarum exuviarum Beatæ* publicæ fidelium adorationi. *Denominatio Altaris*, in quo Corpus Beatæ requieſcit, à nomine ejuſdem. *Legatum perpetuum* Miſſarum ad prædictum Altare. *Dedicatio Altaris* in honorem Beatæ in Eccleſia Parochiali Caſtri Carnajolæ. *Retentio lampadis* accenſæ ante Altare, in quo jacet Corpus Beatæ. *Vota, & Anathemata* ante ejuſdem Corpus, & demum *Aſſervatio Reliquiarum* Beatæ cum Reliquiis aliorum Sanctorum. Verum Sacra Congregatio in approbando ſupra relatam ſententiam rationem præſertim habuit *de Translatione* Corporis Beatæ ex humili in decentiorem locum, & Titulis *Beatæ & Sanctæ* eidem tributis, quæ duo Cultus ſpecies authenticis documentis antiquiſſimis, ac per centum, & ultra annos Decreta ſan. mem. Urbani VIII. excedentibus fuerant comprobatæ; ac denique de Imaginibus, ſplendoribus, radiis, ac laureola Beatam repræſentantibus, & in Eccleſiis ad publicam Venerationem expoſitis; & per centum & ultra annos ante dicta Decreta exaratis.

XXI. DECRETUM

UTINENSIS

CANONIZATIONIS BEATI ODORICI MATTHIUSSI

Sacerdotis profeſſi Ordinis Minorum S. Franciſci.

Admiſſa ad relationem Eminentiſſimi, & Reverendiſſimi Domini Cardinalis Proſperi Columnæ de Sciarra Ponentis à Sacr. Rit. Congregatione Ordinaria, ex diſpenſatione Apoſtolica abſque interventu Conſultorum habita die 14. Aprilis 1753. Commiſſione Introductionis Cauſæ Canonizationis prædicti Beati Odorici Matthiuſſi, Sacerdotis Profeſſi Ordinis Minorum S. Franciſci, illaque ſubinde die 25 ejuſdem Menſis, & anni à Sanctiſſimo Domino Noſtro Benedicto PP. XIV. *manu propria ſignata, cum in ejus executionem, inſtante P. Fr. Laurentio Ganganelli, ejuſdem Ordinis Minorum S. Franciſci Conventualium Poſtulatore, propoſitum fuerit ab eodem Eminentiſſimo Ponente in Sacra Rituum Congregatione Ordinaria, atque diſcuſſum dubium – An ſententia lata per Eminentiſſimum, & Reverendiſſimum Ordinarium Utinenſem ſuper Cultu ab immemorabili tempore prædicto Beato præſtito, ſive caſu excepto à decretis ſan. mem. Urbani Papæ VIII. ſit confirmanda in caſu, & ad effectum, de quo agitur – Sacra eadem Congregatio prævio maturo examine Proceſſus informativi ſuper præfato caſu excepto in Civitate Utinen. ab*

Eminentiſſimo, & Reverendiſſimo Ordinario ejuſdem Civitatis conſtructi, ac audito R. P. D. Benedicto Veterani Fidei Promotore, qui ſuam ſententiam ſcripto expoſuit, reſcribendum cenſuit — Affirmative, ſi Sanctiſſimo Domino Noſtro placuerit. Die 14. Junii 1655.

Et facta deinde per me infraſcriptum Secretarium eidem Sanctiſſimo Domino Noſtro relatione, Sanctitas ſua benigne annuit. Die 2. Julii 1755.

D. F. Cardinalis Tamburinus Præf.

Loco ✠ Sigilli.

M. Mareſuſcus Sac. Rit. Cong. Secret.

Beatus Odoricus Matthiuſſi ex Oppido Portus Naoni Foro-Julii Venetorum, adoleſcens Ordini Fratrum Minorum adſcriptus, in oratione, jejuniis, paupertate, humilitate ſe exercens, duram, & aſperam vitam duxit, & martyrii deſiderio, impetrata à ſuis Præpoſitis facultate, maximam Terrarum partem peragravit; per decem enim, & ſeptem annos inter Barbaros verſatus, ingentem Infidelium multitudinem ad agnitionem veræ fidei perduxit. Tandem redux in Italiam, dum alios ſocios ſibi adjungere curat, qui ſecum Tartarorum converſioni incumberent, Utini migravit ad Dominum anno 1331.

Funus Servi Dei maxima Populorum pietate curatum eſt; ejuſque ſanctitatem multis ſignis, & miraculis Deus manifeſtavit, quæ auctoritate Pagani, tunc Patriarchæ Aquilejenſis, fuerunt collecta. Corpus ab eo tempore incorruptum ſervatur.

Variæ ſpecies cultus proponebantur, nempe ſolemnis corporis translatio, ſacellum, & altare in ejus honorem ædificatum, Beati titulus ab antiquiſſimis Scriptoribus, ei tributus; ejus memoria quot annis magno cum apparatu, & devotione ab Utinenſibus celebrata, Tabellæ votivæ, & anathemata ejus ſepulchro appenſa; antiphona denique cum oratione in ejus honorem à vetuſtis temporibus recitata.

Nec deerant antiquiſſimi Scriptores, qui de ſanctitate Servi Dei luculentum teſtimonium in ſuis ſcriptis reliquerunt; hi ſunt Marcheſinus, & Henricus Glatz, ambo Ordinis Minorum Servo Dei coævi, à Bollando relati ſub die 14. Januarii, Albertus de Utino *in Chronico Norimbergenſe typis edito anno 1493.* Barth. Piſanus *in lib.1. Conform. par.2. pag.82.* P. Rodulphus *in Hiſt. Seraph. Relig. pag.125.* Henricus Willot Theologus Pariſienſis *in Athæneo Franc. pag.286.* Franc. Gonzaga *in Orig. Ser. Rel. pag.92.* Henricus Sedulius *Comment. ad vitam S. Franciſci pag.29.* Dominicus Gravina Ordinis S. Dominici in libro, cui titulus *Vox Turturis, pag.202.* aliique. His

His cohærebant recentiores Scriptores, inter quos illuſtriores, ſunt Antonius Poſſevinus *to. 2. App. ſacr. pag.* 504. Phil. Labbe *in Supplem. ad Bellarm. de Script. Eccleſ.* Steph. Ballutius *in Vitis Paparum Avenion. to.1. pag.*1411. aliique.

Signata a Sanctiſſimo Domino Noſtro die 25. Aprilis 1753. commiſſione Introductionis Cauſæ, confectoque deinde Proceſſu per Eminentiſſimum Cardinalem Delphinum, & propoſita Cauſa ſupra relatum prodiit Decretum.

XXII. DECRETUM.

EUGUBINA

CANONIZATIONIS B. FORTIS DE GABRIELLIBUS

Monachi S. Crucis Fontis Avellanæ Ordinis S. Dominici.

CUM à Sac. Rituum Congregatione Ordinaria ſub die 7. Julii 1753. ad relationem Eminentiſſimi, & Reverendiſſimi Domini Cardinalis Tamburini ejuſdem Sac. Congregationis Præfecti, & Ponentis admiſſa fuerit Commiſſio Introductionis Cauſæ Beati Fortis de Gabriellibus, & à Sanctiſſimo Domino Noſtro BENEDICTO PP. XIV. *poſtmodum ſignata juxta tenorem præfatæ Commiſſionis ad inſtantiam Comitis Fortis de Gabriellibus Valletta Eugubini Poſtulatoris propoſitum fuit ab eodem Eminentiſſimo Ponente, atque in dicta Sacra Congregatione diſcuſſum infraſcriptum dubium: An ſententia lata à Reverendiſſimo Epiſcopo Eugubino ſuper Cultu ab immemorabili tempore eidem Servo Dei præſtito; ſive caſu excepto à Decretis juſſu ſan. mem. Urbani VIII. editis ſit confirmanda in caſu, & ad effectum &c. Et Sac. eadem Congregatio audito prius R. P. D. Benedicto Veterani Fidei Promotore, qui ſuam ſententiam expoſuit, reſcribendum cenſuit, Affirmative, ſi Sanctiſſimo Domino Noſtro placuerit. Die 13. Martii 1756.*

Factaque deinde per me Secretarium de prædictis eidem Sanctiſſimo Domino Noſtro relatione, Sanctitas ſua benignè annuit. Die 17. Martii 1756.

D. F. Cardinalis Tamburinus Præf.

Loco ✠ Sigilli.

M. Mareſuſcus S. R. C. Secret.

BEATUS FORTES Eremita Eugubinus, quem Familia Gabrielli tamquam gentilem ſuum ſibi vindicat, ab adoleſcentia ſolitariam vitam amplexus eſt, quam poſtea cum Cœnobitica commutavit in celebri Congregatione S. Crucis Fontis Avellani; ibique in vi-

in vigiliis, jejuniis, flagellationibus, orationis ſtudio continuo ſe exercens, magna cum ſanctitatis, & ſignorum fama deceſſit anno 1040.

Signata fuit Commiſſio Introductionis Cauſæ a Sanctiſſimo Domino Noſtro die 7. Julii 1713. ſuper cultu ab immemorabili Servo Dei præſtito, & propoſita deinde cauſa in Sac. Congregatione Rituum, variæ cultus ſpecies propoſitæ ſunt; nempe Oratorium in honorem B. Fortis. Deo dicatum ab antiquiſſimo tempore, Corporis elevatio, Imagines cum laureola, & titulo Beati, Feſtum Beati quotannis Eugubii celebratum, anathemata; ſeu vota ad ejus ſepulchrum appenſa, aliæque.

Varii Scriptores de B. Forte mentionem fecerunt; videlicet antiquiſſimus auctor Poematis, qui ſæculo XV. floruit, & Mſs. Eugubii aſſervatur, Ludovicus Jacobilli *in Vitis Sanctorum Umbriæ tom.1. pag.*478. Vincentius Armannus *in epiſtolis*, Bonaventura Tondi *in Exemplari gloriæ*, aliique recentiores; quibus omnibus mature expenſis à Sac. Congregatione Rituum die 13. Martii 1756. confirmata fuit ſententia ab Epiſcopo Eugubino edita ſuper caſu excepto a Decretis ſan. mem. Urbani VIII, & relatum prodiit Decretum.

Ad Caput IV. in quo referuntur *Decreta ſuper Martyrio, & cauſa Martyrii*, poſt II. Decretum pag.68. addatur III. prout ſequitur.

III. DECRETUM.

POLONA, SEU LUCEORIEN.

Beatificationis, ſeù declarationis Martyrii

VEN. SERVI DEI ANDREÆ BOBOLA

Sacerdotis Profeſſi Societatis Jeſu.

PRopoſita in Congregatione Generali Sacrorum Rituum, coram Nobis habita die 13. Maji 1749. Cauſa Beatificationis, ſeù Declarationis Martyrii Ven. Servi Dei Andreæ Bobola Sacerdotis Profeſſi Societ. Jeſu, diſputatoque dubio ſequentibus verbis concepto — *An conſtet de Martyrio, & cauſa Martyrii, nec non de Signis, ſeù Miraculis in caſu, & ad effectum &c.* —

ſequens

ſequens a Nobis editum fuit reſponſum die 22. ejuſdem menſis, & anni: *Non conſtare, videlicet de Martyrio, & cauſa Martyrii per probationes directas, per Teſtes videlicet de viſu conteſtes idoneos, & aptos, juxta Congregationis praxim, & Sedis Apoſtolicæ inſtitutum*: Sed inſimul Poſtulatoribus conceſſum eſt, ut in alia Generali Congregatione dubium ſupradictum iterum proponere poſſent, & Cauſam, in eo quod attinet ad Martyrium, & cauſam Martyrii, proſequi per viam ſubſidiariæ probationis in ſuo genere perfectæ: & in eodem ſupradicto reſponſo nonnulla alia addita fuerunt, quæ fuerant a Poſtulatoribus omiſſa, & quæ demandatum fuit, ut ab iiſdem ſupplerentur.

Ad prædicti reſponſi tramites, derelicta a Poſtulatoribus via directæ probationis, aliaque inita ſubſidiariæ probationis ſuper Martyrio, & cauſa Martyrii, cæteriſque adamuſſim adimpletis, quæ adimplenda in ſupradicto reſponſo præſcripſeramus, cum in alia Congregatione Generali Sacrorum Rituum coram Nobis habita die 26. Novembris 1754. ab ipſis fuerit iterum propoſita Cauſa Beatificationis, ſeù Declarationis Martyrii Ven. Servi Dei Andreæ Bobola Sacerdotis Profeſſi Soc. Jeſu, & iterato fuerit diſputatum dubium -- *An conſtet de Martyrio, & cauſa Martyrii, nec non de Signis, & Miraculis in caſu &c.* -- etſi ante acceſſum ad Congregationem tum Scripturæ Poſtulatorum, tum Animadverſiones Fidei Promotoris, tum etiam Conſultorum omnium ſuffragia, Nobis juxta morem ſcripto exhibita, a Nobis diligenter perlecta fuiſſent, & ſingula rationum momenta a Procuratoribus, & Advocatis viva quoque voce coram Nobis expoſita propriis auribus excepiſſemus, & Congregationi deinde dicta die intereſſentes omnia, & ſingula, quæ a Venerabilibus Fratribus noſtris Cardinalibus prædictæ Congregationi addictis deducta ſunt, audiviſſemus; a Noſtra tamen promenda ſententia tunc abſtinuimus, & intereſſentes rogavimus, ut ſuis precibus a Patre luminum humiliter peterent, ut Nobis præſto eſſe, mentemque Noſtram illuſtrare dignaretur, antequam ſuper propoſito dubio reſponſum a Nobis ederetur.

Poſt hæc, aliorum precibus noſtras quoque conjunximus; reſumptoque negotio, & omnibus iterum mature perpenſis, habitaque potiſſimum ratione tercentum fere Teſtium in Proceſſibus tum Ordinariis, tum Apoſtolicis juridice examinatorum, qui de Martyrio, cauſaque Martyrii, & perſeverantia finali, etſi uno, aut altero exceptis, qui ſunt de viſu, de auditu deponentes, moralem conſtituunt certitudinem, quæ, ſi non impoſſibile, imprudens tamen redderet judicium de oppoſito, inhærentes etiam ſuffra-

ſuffragiis Conſultorum, & Cardinalium Congregationi Sac. Rituum adſcriptorum, qui in mox exponendam in ſufficienti, juxta morem ejuſdem Congregationis, numero ſententiam devenerant, Divino iterum in Sacroſancto Miſſæ Sacrificio ſerventiſſimè implorato præſidio, Decretum edimus, quod Secretario Congregationis propriis manibus conſignamus, in quo ſtatuimus, & declaramus, Martyrium, & cauſam Martyrii Ven. Servi Dei Andreæ Bobola Sacerdotis Profeſſi Societatis Jeſu ita probari, ut tuto procedi poſſit ad ulteriora, nimirum ad diſcuſſionem, & approbationem quatuor Miraculorum, juxta formam Decreti Generalis die 23. Aprilis 1741. enunciati in ſupra memorato reſponſo noſtro edito die 22. Maji 1749.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem die 9. Februarii 1755. Pontificatus Noſtri Anno Decimoquinto.

D. F. Card. Tamburinus Præfectus.

Loco ✠ Sigilli.

M. Mareſuſcus S. R. C. Secret.

Ad Caput V. in quo habentur *Decreta ſuper Virtutibus*, poſt V. Decretum pag. 77. addatur ſequens Decretum VI. nempe:

NEAPOLITANA

Beatificationis, & Canonizationis

VEN. SERVI DEI PAULI BURALIS

S. R. E. Cardinalis de Aretio nuncupat.

Congregatio Generalis Sacrorum Rituum habita die 27. præteriti menſis Januarii, & in Cauſa Beatificationis & Canonizationis Venerabilis Servi Dei Pauli Buralis S. R. E. Cardinalis de Aretio nuncupati propoſitum fuit dubium ſequentibus verbis conceptum: *An conſtet de Virtutibus Theologalibus Fide, Spe, & Charitate, & Cardinalibus Prudentia, Juſtitia, Fortitudine, & Temperantia, earumque annexis in gradu heroico in caſu, & ad effectum de quo agitur:*

Congre-

Congregationi interfuimus, nec ad eam imparati acceſſimus; acceſſimus enim poſt perlectas Scripturas & Informationes tum Poſtulatorum, tum Fidei Promotoris, poſt lecta Conſultorum Congregationis ſuffragia Nobis præcedenter juxta morem in ſcriptis exhibita, poſt auditas Advocatorum Cauſæ verbales informationes. In ipſa Congregatione propriis auribus excepimus ſententias Dilectorum Filiorum Noſtrorum S. R. E. Cardinalium Congregationi Sacrorum Rituum adſcriptorum, quas ſuper prædicto dubio oretenus protulerunt; ſed nullum, a Nobis editum fuit reſponſum, ut, ſecundis adhibitis curis, porrectiſque Deo Optimo Maximo jugibus precibus, opportuniori tempore noſtram ederemus ſuper propoſito dubio ſententiam.

Dum in minoribus Promotoris Fidei munere fungebamur, animadvertimus, plures in Cauſa Venerabilis Servi Dei Pauli Buralis confectos fuiſſe Proceſſus auctoritate Ordinaria, & Apoſtolica, nec umquam fuiſſe examinatam, multoque minus approbatam validitatem Proceſſuum auctoritate Ordinaria confectorum, Cajetani videlicet, Placentini, & Neapolitani, ex quo non exiguum iutegritati, & valori probationum damnum derivabat; Teſtes enim in dictis Proceſſibus examinati, qui, attento eorum numero, fide ipſorum dictis debita, adminiculis, quibus eorum atteſtationes erant roboratæ, conſonantia cum Teſtibus examinatis in Proceſſibus Apoſtolicis, probationis gradum attingere potuiſſent, ſi validitas Proceſſuum, in quibus fuerunt examinati, fuiſſet diſcuſſa & approbata; Ceſſantibus diſcuſſione & approbatione validitatis, ſolius adminiculi vim & robur poterant obtinere, juxta Congregationis praxim, de qua in noſtro Opere *de Canonizatione Sanctorum lib.* 2. *cap.* 5. Sed, cum in toto Cauſæ decurſu nulla de validitate Proceſſuum promota fuiſſet indago, neceſſarium eſſe exiſtimavimus ſedulò inſpicere, an validi re vera eſſent memorati Proceſſus auctoritate Ordinaria confecti, & an omiſſio examinis involuntariæ quodammodo negligentiæ eſſet adſcribenda, vel potius derivaſſe dicenda eſſet ex metu, quod eorum validitas approbari non poſſet.

Ut id autem in aperto tandem poneretur, prædictos Proceſſus ad Nos afferri mandavimus, & quamvis longa, quinquagenaria videlicet, & ultra, in examine Cauſarum Beatificationis, & Canonizationis experientia potuiſſemus Nobis ipſis blandiri de noſtrarum virium ſufficientia in examine validitatis prædictorum Proceſſuum, advocari nihilominus fecimus Dilectum Filium Benedictum Veteranum Sacræ Conſiſtorialis Aulæ Advocatum, diligentiſſimum Fidei Promotorem a Nobis conſtitutum, cui prædictos

dictos Proceſſus conſignavimus, & ipſius ſententia tum voce, tum ſcriptis Nobis expoſita, communicato cum ipſo conſilio, Decretum edidimus die 1. currentis menſis Februarii, Secretario Congregationis Sacrorum Rituum conſignatum, in quo conſtare decrevimus de validitate Proceſſuum Cajetani, Placentini, & Neapolitani, Ordinaria auctoritate confectorum in Cauſa Venerabilis Servi Dei Pauli Buralis S. R. E. Card. de Aretio nuncupati.

Aliæ præterea poſt Congregationem habitam die 27. præteriti menſis Januarii adhibitæ ſunt ſcrupuloſæ diligentiæ, ne in re tanti momenti aliquid prætermiſſum dici poſſet, quod videri & examinari potuiſſet. Deum Optimum Maximum jugibus precibus obſecravimus, ut Nobis præſto eſſe, & mentem noſtram illuſtrare dignaretur: poſt quæ, inhærentes unanimibus ſuffragiis Cardinalium, qui Congregationi Sacrorum Rituum habitæ die 27. præteriti menſis Januarii interfuerunt, propoſito in ea dubio ſic reſpondemus, auditoque Sacro, perceptaque Euchariſtica Communione, cum præ impedimento podagræ Miſſam celebrare non potuerimus, ſic reſpondendum decernimus, *Ita conſtare de Virtutibus Theologalibus Fide, Spe, & Charitate, & Cardinalibus Prudentia, Juſtitia, Fortitudine, ac Temperantia, earumque annexis in gradu heroico, ut tutò procedi poſſit ad ulteriora, ad diſcuſſionem videlicet quatuor Miraculorum.*

Venerabilis Dei Servus Paulus Buralis vixit in ſtatu ſeculari uſque ad annum quadrageſimum ſextum ſuæ ætatis. Nomen deinde dedit Congregationi Clericorum Regularium, qui Theatini nuncupantur, & in dicta Congregatione permanſit ſpatio annorum undecim. Ad dignitatem Epiſcopalem deinde evectus, præfuit primum Eccleſiæ Placentinæ, & Collegio Cardinalium S. R. E. adſcriptus, translatus deinde fuit ad regimen Archiepiſcopalis Eccleſiæ Neapolitanæ, quæ omnia ſpatio ferè decem annorum implevit; ponderatiſque ſedulo omnibus, quæ in unoquoque prædictorum ſtatuum ab eo geſta ſunt, conſtat, ipſum in gradu heroico eas omnes Virtutes frequentibus actibus exercuiſſe; quæ unicuique prædictorum ſtatuum erant proportionatæ & propriæ, cum eximia ſemper charitate erga Deum & proximum, ſpectabili humilitate, & eximia undequaque prudentia.

At, cum ea omnia, quæ pertinent ad ſtatum ſecularem, & ſic ad longum vitæ ipſius curſum, & pleraque alia quæ ſtatum Regularem reſpiciunt, in quo non modicum ſuæ ætatis curſum perfecit, non ſint probata Teſtibus de viſu, ſed Teſtibus aut de auditu à videntibus, aut de auditu auditus, & ea tantum quæ ſtatum Epiſcopalem, & Cardinalitiam, reſpiciunt dignita-

gnitatem, ſufficienti numero Teſtium de viſu innixa ſint, locus factus eſt Decreto a Nobis edito die 23. Aprilis 1741. & impreſſo in Noſtro Opere *de Canonizatione Sanctorum lib. 3. cap. 3. num.* 25. in quo ſtatutum eſt, ut in Cauſis etiam procedentibus per viam non Cultus, ſi Virtutes probatæ ſint per Teſtes de auditu, & ſic per probationes ſubſidiarias, dilata, prout in caſu, abſque culpa & dolo Poſtulatorum, confectione Proceſſuum longe poſt obitum Dei Servi, ſi de validitate Proceſſuum poſt dictum tempus confectorum abundè conſtet, prout in caſu, ſi, Teſtium numero, & qualitate, cæteriſque attentis adminiculis, moralis, prout in caſu, conſurgat certitudo, quæ, ſi non impoſſibile, imprudens ſaltem judicium reddat de oppoſito, propoſito de Virtutibus dubio nullatenus reſpondeatur *Conſtare*, deficiente videlicet probatione directa per Teſtes de viſu, ſed reſpondeatur, *Ita conſtare, ut tuto procedi poſſit ad diſcuſſionem quatuor Miraculorum*, aucto videlicet Miraculorum numero à duobus, quæ olim ſufficiebant pro obtinenda Beatificatione, ad alia duo, & ſic ad quatuor Miracula, ut quod ex humano defuit Teſtimonio, Divino compenſetur.

Præſens Decretum manu Noſtra ſubſcriptum, Noſtroque Sigillo munitum, Secretario Congregationis Sacrorum Rituum conſignamus, inter Acta ejuſdem Congregationis aſſervandum. Datum hac die 8. Februarii 1756.

D. F. Card. Tamburinus Præf.

Loco ✠ Sigilli.

M. Mareſuſcus Sac. Rit. Congr. Secr.

Ad Caput VI. ubi habentur *Decreta ſuper Miraculis*, poſt XI. Decretum pag. 101. addatur ſequens Decretum XII. videlicet:

Neritonen.

Beatificationis, & Canonizationis

VEN. SERVI DEI JOSEPHI A CUPERTINO

Sacerdotis Ordinis Minorum Conventualium Sancti Franciſci.

POſtquam fel. record. Clemens XII. noſter Prædeceſſor, præmiſſo ſedulo, quo par erat, examine, Conſtare ritè decrevit de Virtutibus tam Theologalibus, quam Cardinalibus, earumque

rumque reſpectivè annexis in gradu heroico Ven. Servi Dei Joſephi a Cupertino Sacerdotis Profeſſi Ordinis Minorum Conventualium, quemadmodum liquet ex Decreto ab eodem Prædeceſſore edito die 15. Auguſti 1735. Alterum inſtitutum fuit de more judicium ſuper Miraculis, ex tis a Cauſæ Poſtulatoribus ex Proceſſibus Auximano, Aſſiſienſi, & Neritonenſi, non ſolum Ordinaria, ſed etiam Apoſtolica auctoritate confectis, quorum validitas ſemel ac iterum fuerat approbata.

Expenſis igitur, ut aſſolet, iiſdem Miraculis in Congregatione Antepræparatoria, habita die 2. Martii, & in Præparatoria, habita 16. Novembris ſuperioris anni 1751. ſuperni factum eſt diſpoſitione conſilii, ut tandem Congregationi Generali coram Nobis cogendæ præſtituta eſſet dies 19. mox elapſi Septembris, qua Servus Dei, relictis in Urbe noſtra Auximana anno 1663. mortalitatis exuviis, pretioſam in conſpectu Domini mortem obivit.

Ne in re admodum gravi ullæ deſiderari poſſent Apoſtolicæ Noſtræ ſollicitudinis, & vigilantiæ partes, antequam dictæ Generali Congregationi intereſſemus, Miraculorum probationes ex eiſdem Proceſſibus Apoſtolicis, & Ordinariis decerptas rimavimus, allegationes Poſtulatorum, & conſilia Medicorum ſcripto pro veritate exarata evolvimus, eoſdemque Poſtulatores Cauſam voce orantes ſuam audivimus: Conſultorum deinde ſuffragia expendimus, illaque coram univerſo Cœtu aperuimus; ac demum S. R. E. Cardinalium ſententias diſertè coram Nobis prolatas excepimus. Verum etſi compertum Nobis apprimè fuerit, duo ex propoſitis Miraculis, nempe *Secundum*, & *Tertium* in ordine, fere communi voto Conſultorum, ac prorſus unanimi Cardinalium ſuffragio approbari; deliberationem tamen Noſtram in aliud tempus rejecimus, quo conſultius rem expedire poſſemus non ſolum ſeverioris Noſtri ſtudii acceſſione, ſed implorata ex alto Cœleſti ope ab eo, qui mentes hominum lumine ſuæ claritatis illuſtrat.

Hac itaque die Divo Patriarchæ Franciſco ſacra, poſtquam provoluti ad ejus Aram in Baſilica SS. XII. Apoſtolorum Omnipotenti Deo incruentum Sacrificium, & Hoſtiam placationis obtulimus, Duo præmiſſa Miracula duximus approbanda; & hanc diem eum in finem elegimus, ut novis in diem pateat argumentis, Sanctitatem in Franciſcana Familia ab eximio Conditore ſuo invectam, uberrimo Eccleſiæ gaudio in ejus Alumnis adoleſcere.

Primum Miraculum; alias Secundum in ordine, contigit Stephano de Matthæis, puero duodenni, cujus dexteri Oculi pupilla a coætaneo puero ictu ſquammoſi, & acuti lapidis vulnerata, & tranſverſum ſciſſa fuit, ſanguine, aliiſque humoribus adeo latè manan-

manantibus, ut totius oculi orbita, ſeu bulbus exſiccari, contrahi, & introrſum deprimi viſa ſit, ablata eidem Stephano videndi facultate. Medicus, & Chirurgus, qui actum de viſione pronunciaverant, nonnulla ad paucos dies adhibuere remedia curando tantum vulneri idonea; ſed Infirmus erecto in ipſa Cæcitate, hominum judicio non removibili, animo in Ven. Joſephum, domi primum ejus opem implorat, deinde una cum Matre illius Sepulchrum adit, preces ferventius ingeminat provolutus in genua, Oculum lapidi ſepulchrali admovet, & priſtinam videndi facultatem in iſtanti recuperat, & intuentibus Oculum exhiber, rotunditati, & primævæ partium concinnitati reſtitutum.

Secundum Miraculum, alias in ordine Tertium, accidit Victorio de Matthæis. In dextero illius genu altas radices egit Tumor cyſticus, ſeu ſolliculatus, qui ſpatio ſex circiter annorum, ex diuturno humorum aggeſtu in enormem, ac duram molem concretus, Infirmum nec gradi, nec genuflectere patiebatur, illumque aſſiduis angebat doloribus, acerbius ultimo ante ſanationem menſe ſævientibus. Prægrandi huic Tumori, & jam ſeneſcenti nulla unquam adhibita fuerunt remedia, nec manus acceſſit Chirurgi, probè conſcii ſine vitæ periculo admoveri non poſſe. Æger ſpe dejectus recuperandæ ſalutis ope humana, quo die Cadaver Servi Dei, recens defuncti, in Eccleſia ſui Ordinis confluenti Populo expoſitum erat; primum eamdem Eccleſiam, deinde Sacellum adivit, in quo Ven. Dei Servus Miſsam privatim celebrare conſueverat. Dexterum genu, ac tumorem in ipſo extuberantem admovet Altaris ſuppedaneo, in quo ex diuturno orandi uſu impreſſa apparebant veſtigia genuum Servi Dei. Ex illo contactu, momento temporis, evanuit Tumor, nullo cyſtidis, nulloque runicati ſolliculi ſuperſtite ſigno in genu complanato, & ad motum prorſus expedito.

Hæc itaque duo Miracula, tanquam *tertii generis*, approbamus; ac præſens approbationis Noſtræ Decretum manu Noſtra ſubſcriptum inter acta Congregationis referri volumus, & mandamus. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem die 4. Octobris 1852. Pontificatus Noſtri Anno Decimo Tertio.

D. F. Tamburinus Præfectus.

Loco ✠ Sigilli.

M. Mareſuſcus Sac. Rit. Congr. Secr.

Ad

Ad Caput VII. in quo continentur *Bullæ Canonizationis, & Brevia Beatificationis*, addantur pag. 120. duo Brevia infraſcripta, ſcilicet:

BREVE BEATIFICATIONIS
VEN. SERVI DEI JOSEPHI A CUPERTINO

Sacerdotis Profeſſi Ordinis Fratrum Minorum Conventualium Sancti Franciſci.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Ad perpetuam rei memoriam.

ÆTernus Dei Filius, etſi ante Mundi originem, Patri coæqualis, æque ſemper regnaverit, in plenitudine tamen temporum ideo apparuit patefactus in carne, ut juxta Prophetarum vaticinia, collapſa reædificando, & diruta inſtaurando, Regnum ſuum in ultimos uſque Terræ fines contra antiqui hoſtis tyrannidem erigeret, & ſtabiliret. Quicumque igitur in hoc Regno, quod ex omnibus Linguis, & Populis colligendum erat, tamquam Cives adſcribi ſatagunt, illud violenter expugnare, & aſſequi debent; cum hoc perpetuum edictum, & in omnem vitam ipſis promulgatum voluerit Chriſtus Dominus, quod ignem venerit mittere in Terram, & quod nihil aliud peteret, niſi ut accenderetur, & arderet. Hoc ſolo Cœleſti igne mentes hominum undequaque inſtaurantur, cum ardore Spiritus Sancti afflatæ, & ſuccenſæ, terrenis cupiditatibus compreſſis, atque devictis, in Dei amorem rapiuntur, atque in ſimilitudinem, imaginemque ejus conformantur: Divinæ hujus potentiæ locupletiſſimum Teſtem habemus in Venerabili Servo Dei Joſepho a Cupertino Ordinis Fratrum Minorum S. Franciſci Conventualium nuncupatorum Sacerdote Profeſſo, qui cum in hoc Chriſti Regno ejus ſervituti ſe devoverit, veterem exuit hominem, & novum induit, & Ducem, & Anteſignanum Franciſcum, per altiſſimam paupertatem, per omnimodam ſui abnegationem, per orationis inſtantiam, per Crucis meditationem, per acta ſilentia, & per longas inedias imitari contendit. Verum cum penitus intellexiſſet, quod etiamſi tradidiſſet corpus ſuum, ita ut arderet, nihil illi prodeſſet, niſi

Chari-

Charitatem habuiſſet; hinc factum eſt, ut in hoc primo, & maximo Deum diligendi mandato, cogitationes omnes, omneſque vires enixè conferret. Ex hac intima cum Deo unione adeò cor ejus Divinæ charitatis igne corripiebatur, & incredibili internæ dulcedinis amore totum deflagrabat, ut in ecſtaſes, & raptus aliquando erumperet; & cum Incola teneretur in Terra, præ vehementiſſimo Dei ſui deſiderio, tamquam domeſticus haberetur in Cœlis. Quapropter ejus nomen omnium ſermone celebrari cœpit, quod nec inacceſſa loca, nec ſecretiora cubicula, in quibus quandoque moram obediendo traduxit, continere potuerunt; donec relictis Auximi in Piceno die decimanona Septembris anno milleſimo ſexcenteſimo ſexageſimo tertio inter ſodales ſuos mortalitatis exuviis ad æterna præmia vocatus, ad cœleſtem Patriam commigravit. Percrebreſcente itaque in dies ejus ſanctimoniæ clariſſima fama, ad Congregationem Venerabilium Fratrum Noſtrorum S. R. E. Cardinalium Sacris Ritibus præpoſitorum Cauſa deducta eſt; ubi cum de Virtutibus æſtimandis, juxta Canonicas ſanctiones quæſtio de more haberetur, fel. rec. Clemens PP. XII. Prædeceſſor Noſter decimo octavo Kalendas Septembris anni MDCCXXXV. in gradu heroico conſtitutas eas eſſe pronunciavit. Porrò coram Nobis ad univerſalis Eccleſiæ regimen Divina miſeratione vocatis, cum de Miraculis diſceptaretur, non abſque ſupremo conſilio factum eſſe cenſemus, ut ea ipſa die, videlicet die decima nona elapſi Septembris, Generalis Congregatio ſuper hac re coram Nobis cogeretur, qua Venerabilis Dei Servus ſexagenario major meritis cumulatus, mortalitatem explevit in Terris, & immortalitatem inchoavit in Cœlis. Duo ex Miraculis, quæ diſcutienda proponebantur, Conſultorum ſuffragiis, & Venerabilium Fratrum Noſtrorum S. R. E. præfatæ Cardinalium ſententiis conſentientibus, probanda eſſe cenſuimus; & Decretum ſuper eiſdem Noſtrum proferre, & promulgare voluimus die Sancto Franciſco de Aſſiſio ſacra, poſtquam ad ejus Aram provoluti in Baſilica SS. XII. Apoſtolorum de Urbe Omnipotenti Deo hoſtiam placationis obtulimus; quam diem eum in finem delegimus, ut Sanctitatem in hac Franciſcana Familia a Seraphico Parente ſuo invectam, uberrimo Eccleſiæ proventu in ejus Alumnis in dies adoleſcere, novis, atque mirificis argumentis conſtaret. Quapropter precibus tandem Regum, Epiſcoporum, aliorumque Principum, nec non dilectorum Filiorum Fratrum Minorum Conventualium Paterna clementia annuentes, de ejuſdem Cardinalium Congregationis conſilio, & aſſenſu, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium indulgemus, ut idem Dei Servus Joſephus a Cupertino

in

in poſterum Beati nomine nuncupetur; ejuſdem Corpus, & Reliquiæ venerationi Fidelium (non tamen in Proceſſionibus circumferendæ) exponantur; Imagines quoque radiis, ſeu ſplendoribus exornentur; ac de eo quotannis die decima octava Septembris, quam diem pro ejus Feſtivitate celebranda præſcribimus, ſub ritu duplici minori recitetur Officium, & Miſſa de Communi Confeſſoris non Pontificis, cum Oratione a Nobis approbata, juxta Rubricas Breviarii, & Miſſalis Romani: Recitationem autem Officii, & Miſſæ celebrationem hujuſmodi fieri concedimus tum in proprio Minorum S. Franciſci Conventualium Ordine, in quo ſolemni emiſſa Profeſſione uſque ad obitum permanſit; tum in Ordine Fratrum Minorum ejuſdem S. Franciſci Capuccinorum (inter quos per aliquot annos commoratus eſt), ac de Obſervantia, Reformatorum, Recollectorum, & Excalceatorum, ac Tertii Ordinis nuncupatorum; tum in Oppido Cupertini, in quo Vir Dei in lucem prodivit, ac in tota Diœceſi Neritonenſi: in Noſtris etiam Civitatibus Aſſiſii, illiuſque Diœceſi, Terra de Petra Rubea Diœceſis Feretranæ, Foroſempronii, & illius Diœceſi, quæ loca ſuo incolatu, ac virtutibus illuſtravit; tum denique in tota Diœceſi, & Civitate Auximana, in qua ipſe obdormivit in Domino; tum apud Archiconfraternitatem ſub invocatione S. Antonii Patavini in eadem Baſilica SS. XII. Apoſtolorum de Urbe, & Confraternitatem S. Stephani in Civitate Aſſiſienſi canonice erectas, in quas cooptatus fuit, ab univerſis Chriſtifidelibus tam Regularibus, quam Sæcularibus, qui ad Horas Canonicas tenentur, & quoad Miſſas attinet, etiam ab omnibus Sacerdotibus ad Eccleſias, in quibus Feſtum peragetur, confluentibus. Præterea primo dumtaxat anno a datis hiſce Litteris in Eccleſiis Fratrum Minorum Conventualium, cæterarumque Franciſcanarum Familiarum, Civitatum, Terrarum, Oppidorum, & Diœceſum, Archiconfraternitatis, & Confraternitatis hujuſmodi ſolemnia Beatificationis ipſius Servi Dei cum Officio ſub ritu duplici majori, & Miſſa, die ab Ordinariis reſpectivè conſtituta, poſtquam in Baſilica Noſtra S. Petri in Vaticano peracta fuerint Solemnia, nempe die vigeſima quarta currentis Menſis, celebrandi facimus poteſtatem. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac Decretis de non cultu editis, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Volumus autem, ut earumdem præſentium Litterarum tranſumptis, ſeu exemplis etiam impreſſis manu Secretarii dictæ Congregationis Cardinalium ſubſcriptis, & ſigillo Præfecti ejuſdem Congregationis munitis, eadem prorſus fides ab omnibus, & ubique locoruum, tam in judicio, quam extra illud habea-

habeatur, quæ ipſis præſentibus haberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die 20. Februarii MDCCLIII. Pontificatus Noſtri Anno Decimotertio.

D. Card. Paſſioneus.

BREVE BEATIFICATIONIS

VEN. SERVÆ DEI

JOANNÆ FRANCISCÆ FREMIOT DE CHANTAL

Ordinis Monialium a Viſitatione S. Mariæ nuncupatorum Fundatricis.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Ad perpetuam rei memoriam.

CUM ſexto decimo ſalutis noſtræ turbulentiſſimo ſeculo tot per univerſam Europam, tamque nefaria hæreſum monſtra longe, lateque omni impetu irruerent, & graſſarentur; mœrentis Eccleſiæ lacrymas, & opprobrium Populi ſui ut Pater miſericordiarum abſtergeret, fecit in bona voluntate ſua, ut, cum abundaverit delictum, ſuperabundaret & gratia. Per illa enim tempora, dum omnia maximis errorum, ſeditionum, & diſcordiarum fluctibus, & procellis jactabantur; ne contra ſummum angularem lapidem Portæ Inferi prævalerent, in brachio extento ſuſcitavit quamplurimos Electorum ſuorum, qui eximiis, clariſſimiſque virtutibus Orbi Terræ illuceſcerent, & per illuſtria veteris diſciplinæ exempla, in quibus Chriſtianæ legis partes omnes exprimerentur, nova Sanctitatis germina procrearent, quorum ope, & auctoritate, Fidelium pietate aucta, & Perduellium conatibus fractis, atque compreſſis, inclinatis Eccleſiæ rebus, opportunum adhiberetur auxilium, Sponſæque ſuæ acerbiſſimi luctus tanto in diſcrimine allevarentur. Beneficentiſſime hujus Providentiæ præcipuum ſpecimen, etiam in ſexu fragili Pater Omnipotens, qui infirma Mundi eligit, ut fortia quæque confundat, oſtendere dignatus eſt, dum in Famulam ſuam Joannam Franciſcam Fremiot de Chantal divitias bonitatis, & gratiæ ſuæ uberrimè effudit. Hæc enim nobiliſſimis orta Parentibus, ea potiſſimum tempeſtate in lucem prodiit, iiſque in locis prope verſata eſt, in quibus transfugarum finitimorum immanis rabies

bies

bies, & furens audacia in Catholicam Fidem magis efferata videbatur; nihilominus Joanna Franciſca a Deo ſibi in hæreditatem electa, benedictionibus dulcedinis præventa, & luminoſiſſima charitate efficaciter ditata, vel a primis temporibus contra Mundi, & Diaboli nequitias nomen Domini exaltavit, & per omnes ætates, variaſque vitæ viciſſitudines adeo crevit in gratia, & ſcientia Dei, ut Sanctus Franciſcus Saleſius ſpirituum probatione longe clariſſimus pronunciare non dubitaverit, eo Sanctitatis, & Virtutibus proceſſiſſe Ancillam Chriſti, ut pro ratione, & modo gratiarum, quibus a Deo erant locupletata, nemini unquam aſſurgere altius liceret. Et ſane, quæ tum in virginitate, tum Viro conjuncta egregia ſummæ perfectionis indicia præbuerat, in ſolitudine demum, ac viduitate poſita, tanta ſpiritus alacritate arctiſſimum Sanctitatis iter arripuit, & in via mandatorum cucurrit, ut præ cæteris Divinis Chariſmatibus arduum illud emiſerit Votum, ſemper faciendi, quidquid perfectius, Deoque gratius, & acceptius fore intelligeret: Hinc novas in corde ſuo aſcenſiones diſponens, eodem Sancto Franciſco Saleſio optimo duce, & Auctore, novum inſtituit Sanctimonialium Ordinem a Viſitatione Sanctæ Mariæ nuncupatarum, quas, alte jactis omnium Virtutum fundamentis, Caſtitatis, & Fidei hoſtibus impudentiſſimis, velut aciem ordinatam in conſpectu inimicorum fortiter oppoſuerit; ut, dum illi ſumma vi, impetuque contenderent, quo Religioſum Chriſtiani cœlibatus propoſitum funditus everterent, & pœnitentiæ ſaluberrimas leges penitus abrogarent, nova integritatis, & innocentiæ prole, Deo afflante, & incrementum præbente, Eccleſiam fœcundaret. Quapropter præſtantiſſimæ huic Viduæ ſatis convenire arbitrandum eſt, quod de Sanctis Olympiade, & Paulla veterum ſacrarum rerum litteris tradita monumenta teſtantur. Quemadmodum enim Chryſoſtomo, & Hieronymo, ſapientiſſimis, & ſanctiſſimis Viris nobiliſſimæ hujuſmodi Fœminæ ad Fidei præſidium, & pietatis fructum & æmulationem inſtituendæ adhæſerunt; ſic Sancto Franciſco Saleſio augendæ & confirmandæ Religionis ſtudioſiſſimo, Joanna Franciſca precibus, vigiliis, & laboribus præſto fuit. Quidquid enim ille longo ſtudio, & diuturna meditatione in Dei cultum, & Proximorum ſalutem complecti poterat, hoc illa libavit, didicit, atque perfecit. Facta igitur ſpectaculum Mundo, Angelis, & Hominibus, quæ, dum viveret, magnum ſibi nomen comparaverat, poſtquam ceſſit è vita, ſingularem Sanctitatis famam undequaque eſt conſecuta, univerſique hominum cœtus, qui ſancti Franciſci Saleſii doctrinam admirabantur, proba-

tiſſi-

tiſſimam hanc Viduam benedicentes benedicebant. Verum, cum inani quorumdam opinione diutius, quam par erat, ordinarii proceſſus dilati eſſent, hinc quamplurimæ difficultates ſubortæ ſunt, quæ Famulæ Dei Beatificationi maximè obſiſtebant, quæque ipſius cauſſam per plures annos ſunt remoratæ, ut in Noſtro Decreto, quod die XXI. Auguſti proximè elapſi emiſimus, latius apparet; nihilominus divina tandem ope, quæ contra faciebant, accuratiſſimè enodatis, Famulæ Dei Virtutes in gradu heroico, & quatuor Miracula a Deo ipſius interceſſione edita in Sacrorum Rituum Congregatione pluries propoſita, tum Cardinalium, tum Conſultorum Suffragiis approbata fuerunt. Nos itaque communibus, & peculiaribus Chriſtianorum Principum, Epiſcoporum, Capitulorum, Civitatum, ac Sanctimonialium a Viſitatione Beatæ Mariæ nuncupatarum precibus, & votis annuentes, nec non de memoratorum Cardinalium conſilio, & aſſenſu, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium indulgemus, ut eadem Serva Dei Joanna Franciſca Fremiot de Chantal in poſterum Beatæ nomine nuncupetur, ejuſque Corpus, & Reliquiæ venerationi Fidelium (non tamen in Proceſſionibus circumferendæ) exponantur; Imagines quoque radiis, ſeu ſplendoribus exornentur, ac de ea ſub ritu duplici recitetur Officium, & Miſſa celebretur nec Virginis, nec Martyris ſingulis annis, juxta Rubricas Breviarii, & Miſſalis Romani die vigeſima prima Auguſti. Porro recitationem Officii, ac Miſſæ celebrationem hujuſmodi fieri concedimus in locis tantum infraſcriptis, in Civitate Divione, in qua dicta Serva Dei ortum habuit, ac in Oppido Molinis, in quo efflavit Animam, nec non in Oppido Anecii, in quo ejus Corpus humatum remanſit, ac in ſingulis Monaſteriis Monialium dicti Ordinis; & quantum ad Miſſas attinet, etiam a Sacerdotibus confluentibus. Præterea primo dumtaxat anno a datis hiſce litteris inchoando in Eccleſiis locorum, ac Monaſteriorum prædictorum ſolennia Beatificationis ejuſdem cum Officio, & Miſſa ſub ritu duplici majori, die ab Ordinariis conſtituta, poſtquam tamen in Baſilica Principis Apoſtolorum de Urbe celebrata fuerint ejuſmodi ſolennia, pro qua re diem XXI. menſis Novembris currentis aſſignamus, pariter celebrandi facimus poteſtatem. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac Decretis de, & ſuper non cultu editis, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Volumus autem, ut ipſarum præſentium Litterarum tranſumtis, ſeu exemplis etiam impreſſis manu Secretarii ſupradictæ Congregationis Cardinalium ſubſcriptis, & ſigillo Præfecti, ſeu Pro-Præfecti ejuſdem Congregationis munitis eadem prorſus fides ab omnibus, & ubique tam in judi-

 cio,

cio, quam extra illud habeatur, quæ ipſis præſentibus haberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XIII. Novembris MDCCLI. Pontificatus Noſtri Anno Duodecimo.

D. Card. Paſſioneus.

Ad Caput XI. *de Sacris Reliquiis* poſt Breve Apoſtolicum *de identitate Corporis S. Joannis de Matha*, pag. 223. addantur ſequentes Epiſtolæ, videlicet:

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI

BENEDICTI XIV. PONT. MAX.

Ad Guardianum, & Fratres Minores S. Franciſci Conventuales Civitatis Bononiæ Epiſtola die 7. Martii 1753. data, cum ad eos inſignem Reliquiam unius integræ claviculæ B. Joſephi a Cupertino in argentea theca affabre ornata repoſitam munificentiſſime dono mitteret.

Dilectis Filiis Religioſis Viris Bonaventuræ Azzoguidi Guardiano, & Fratribus expreſſe Profeſſis Ordinis Minorum S. Franciſci Conventualium nuncupatorum Conventus ſub invocatione S. Franciſci Civitatis noſtræ Bononiæ.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Dilecti Filii ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

NOn poſſumus, dilecti Flii, ſatis aptis verbis explicare ingentem ſpiritualis lætitiæ magnitudinem, qua Pontificium animum noſtrum Miſericordiarum Pater, & totius conſolationis Deus cumulavit, cum die feſto S. Matthiæ Apoſtoli in Vaticana Principis Apoſtolorum Sancti Petri Baſilica, magna cum celebritate, & omnium hujus Almæ Urbis noſtræ Ordinum frequentia, juſſu noſtro peracta fuit ſolennis Beatificatio Venerabilis Servi Dei Joſephi a Cupertino inclyti Ordinis veſtri Alumni. Nos ſane, dum in minoribus Promotoris Fidei munere fungeremur, ſedulam, conſtantemque operam adhibuimus, ut ejuſdem Beati Joſe-

Joſephi Cauſa quoad Beatificationem, ipſius eximiis virtutibus, meritis, & prodigiis ita exigentibus, proſpere promoveretur, ac feliciter pro votis ſuccederet. Ad ſupremam vero Sacroſancti Apoſtolatus Cathedram per ineffabilem divinæ bonitatis abundantiam plane immerentes evecti nihil optabamus impenſius, quam ut omnia ſervatis de more inſtitutoque in ejuſmodi Cauſa ſervandis ita procederent, quo tandem fieret, ut idem Venerabilis Joſephus per Nos ipſos in Beatorum numerum accenſeri poſſet, quemadmodum, benedicente bonum omnium largitore Deo, non ſine incredibili cordis noſtri exultatione factum eſt. Nos itaque univerſo Ordini veſtro, ac vobiſcum præſertim, dilecti Filii, maximopere gratulantes, ut gaudium a vobis eapropter ſuſceptum amplius impleatur, Vobis noſtro nomine a Venerabili Fratre Lactantio Felice Epiſcopo Amathuntino donandam mittimus Thecam affabre ornatam, in qua ejuſdem Beati Joſephi Reliquiæ conditæ ſunt, atque legitimis documentis munitæ, ut cum cæteris Sanctorum, Beatorumque Sacris Pignoribus in Eccleſia memorati Conventus veſtri aſſervatis reponantur, & publicæ Chriſtifidelium venerationi in die eidem Beato Sacra exponantur. Fore namque confidimus, ut per aſſidua veſtrarum apud Beatum Joſephum obſecrationum ſuffragia Ille pro Sacro-Sanctæ Catholicæ Religionis exaltatione a ſupremo Paſtorum Principe Jeſu Chriſto omnem impetret proſperitatem, & tranquillitatem. Interim vobis, dilecti Filii, Apoſtolicam Benedictionem ſtudioſæ noſtræ erga vos voluntatis pignus peramanter impertimur.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die 7. Martii MDCCLIII. Pontificatus Noſtri Anno Decimotertio.

Cajetanus Amatus.

LET-

LETTERA

DELLA SANTITA' DI NOSTRO SIGNORE

BENEDETTO PAPA XIV.

All' Emo, e Rmo Signor Cardinale

VINCENZO MALVEZZI

ARCIVESCOVO DI BOLOGNA.

Foris = Dilecto Filio Noſtro Cardinali VINCENTIO MALVETIO Bononiæ Archiepiſcopo

Bononiam.

Intus = BENEDICTUS PAPA XIV.

Dilecte Fili Noſter, ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem;

LA Madre Suor Imelda Lambertini Monaca Profeſſa in codeſto Monaſtero di Santa Maria Nuova, come figlia del fu Senatore Giovanni Lambertini noſtro Fratello, è noſtra Nipote *ſecundum carnem*, uſando il linguaggio Pontificio. Avendoci eſſa fatta una divota premura per avere un Corpo Santo da collocare nella Chieſa interiore del ſuo Monaſtero, non le abbiamo riſpoſto come riſpoſero i due noſtri Predeceſſori Gregorio IV. e Clemente IV. che non avevano il modo di compiacere ſimili richieſte; imperocchè nel tempo loro non erano ſcoperti tutti i Sacri Cimiterj, o ſiano Catacombe, che dipoi ſi ſono andate ſcoprendo, come dopo il celebre Padre Mabillon, è ſtato da Noi oſſervato nella noſtra Opera *de Canonizatione Sanctorum lib.* 4. *part.* 2. *cap.* 27. *num.* 11. *e* 12. ma eſſendoſi per buona ſorte ritrovate appreſſo i Cuſtodi alcune inſigni Reliquie, ed alcuni Corpi eſtratti dai Luoghi predetti, ne abbiamo ſcelto uno, che abbiamo fatto rinchiudere in una Sacra Urna, che mandiamo ben cuſtodita a Bologna, acciò ſia decentemente collocata nella predetta Chieſa.

L' indirizziamo a Lei, acciò abbia la bontà di riceverla, e di traſmetterla colla dovuta decenza al Monaſtero, pregandola anche ad aſſiſtere alla collocazione della ſteſſa nel luogo, che ſarà preparato, eſſendo la decente collocazione delle Reliquie una parte delle Paſtorali ſollecitudini impoſta dal Sacro Concilio di Trento al Ve-

al Veſcovo. Siamo ſicuri, che adempiendo Ella con tanta eſattezza le altre cure Paſtorali, il che è di una noſtra grandiſſima conſolazione, non laſcierà di fare lo ſteſſo in quella, che ora le commettiamo. Ed acciò non le manchi veruna notizia di quanto appartiene al Corpo Santo, che traſmettiamo, aurà la ſofferenza di leggere quanto in queſto propoſito abbiamo potuto conſiderare, e radunare.

Il Corpo Santo, che traſmettiamo, è ſtato eſtratto da un Cimiterio, che è fuori di Porta Porteſe un mezzo miglio in circa, e che l' antico Cimiterio detto di Ponziano, altre volte anche chiamato Cimiterio *SS. Abdon & Sennen*, ed altre volte *ad Urſum Pileatum* per la Statua di un Orſo ivi collocata. Quanto all' antichità, e venerazione di queſto Cimiterio baſta vedere il celebre Paolo Arrighi *nella ſua Roma Sotterranea al Tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 19. ed anche il diligente Canonico Marco Antonio Boldetti *nelle Oſſervazioni ſopra i Cimiterj de' Santi Martiri, e d' altri antichi Criſtiani di Roma al Tom.* 2. *pag.* 540. Ed eſſendoſi ritrovato il Sacro Corpo, che traſmettiamo, col Vaſo tinto di ſangue, non v' è coſa più certa, anche aderendo al parere de' Critici più ſeveri, per poter ſicuramente aſſerire, che il Corpo, o ſieno le Oſſa, ſieno il Corpo, e le Oſſa di uno, che per la Fede di Criſto ha ſopportato il Martirio. Di tutto ciò ſi è da Noi diffuſamente trattato nella citata noſtra Opera *de Canonizatione Sanctorum lib.* 4. *part.* 2. *cap.* 27. *dal num.* 22. *ſino al fine*, ed anche nella noſtra Lettera dei 20. di Aprile 1745. ſtampata in Bologna, ed indirizzata al Capitolo di codeſta Metropolitana, quando traſmettemmo il Corpo di S. Proco, ritrovato in queſto Cimiterio di S. Traſone.

Il nome del Santo è *Filocalo*, che ſignifica Amante del bello, non di quello che i Latini diſſero *pulchrum*, ma piuttoſto di quello che chiamarono *decorum*, e che ſi oppone all' *indecorum*, o ſia *turpe*: e da ciò qualcheduno potrebbe eſſere indotto a ſoſpettare, che il nome di *Filocalo* non foſſe nome proprio del Santo, ma nome appellativo, eſſendo coſa praticata, che ai Corpi de' Santi, che ſi eſtraggono dalle Catacombe, s' imponga qualche volta qualche nome appellativo, come di *Giuſto*, di *Candido*, di *Vittore*. Noi ſiamo informati di queſto coſtume; Noi ne abbiamo trattato *nel noſtro ſopraddetto cap.* 27. *num.* 12. *e ſeg.* Noi abbiamo eſpoſti i fondamenti, ai quali è appoggiata queſta diſciplina; Noi abbiamo riſpoſto alle obbiezioni di chi falſamente diceva, che ciò pregiudicava al Culto de' Santi; Noi ammettiamo l' intelligenza di ſopra riferita della parola *Filocalo*:

lo : *Erat autem illis in diebus Archimedicus regionis Hollandrinorum*, *vir Philocalus*, *ac devotorum pauperum zelator magnus*, *nomine Godefridus*, *cognomine Sonder-dank* : come ſi legge nella Vita di S. Liduvina, ſtampata *nel Tom.* 2. *dell' Aprile* de' Bollandiſti *al giorno* 14. ma, tutto ciò non oſtante, poſſiamo aſſicurare, che il nome di *Filocalo* è nome proprio del Santo, e non è in veruna maniera nome appellativo; eſſendo frequenti gli eſempj di uno ſteſſo nome, che alle volte è proprio, ed altre volte è nome appellativo, dipendendo dalle circoſtanze lo ſtabilire, a quale delle dette due claſſi debba il nome riferirſi. Ciò ſi vede, per laſciare tanti altri eſempj, nei nomi di *Giuſto*, *Candido*, e *Vittore*, che ſono i nomi appellativi di ſopra indicati, che ſi mettono ai Corpi eſtratti dalle Catacombe, e che però volgarmente ſi dicono Santi Battezzati, eſſendovi nel Martirologio Romano molti Santi col nome di *Giuſto*, e di *Candido*, e di *Vittore*, che era nome proprio di loro, e non appellativo.

Ma, reſtringendo il diſcorſo al nome di *Filocalo*, non vogliamo entrare ne' monumenti profani, ne' quali ci ſarebbe facile il ritrovare il nome di *Filocalo*, come nome proprio, nel qual propoſito baſta dar mano *al Tom.* 2. *de Teſoro delle Iſcrizioni* raccolte dal celebre Muratori. Ci reſtrigneremo ai monumenti ſacri, e diremo, ritrovarſi fra i Veſcovi, che nel primo Concilio Niceno tenuto l' anno 325. ſottoſcriſsero la definizione della Fede contra Arrio, Filocalo Veſcovo di Paneade nella Provincia di Fenicia prima, come può vederſi *nel Tom.* 1. *de' Concilj* della Collezione dell' Arduino *col.* 314. *D*, e nel le Quien *Tom.* 2. *Orientis Chriſtiani pag.* 831. *B*. Diremo, ritrovarſi fra que' Veſcovi, che nell' anno 449. nel ſecondo Concilio latrocinale Efeſino ſi ſottoſcriſsero alla condanna di S. Flaviano, un certo Filocalo Veſcovo Zagilenſe nella Libia, come può vederſi negli Atti del detto Concilio nella Raccolta dell' Arduino *Tom.* 2. *col.* 86. *D. col.* 268. *C. col.* 272. *B.* e nel citato le Quien *pag.* 635. *C.* Diremo finalmente, ritrovarſi *ai* 21. *di Marzo* nel celebre Martirologio publicato, ed illuſtrato dal Fiorentini un S. Filocalo Martire in Aleſsandria: e concordano gli altri Martirologi Geronimiani *nel Tom.* 3. de' Bollandiani *nel Meſe di Marzo pag.* 529. *al giorno* 21. *del detto Meſe* : e ſopra lo ſteſso giorno 21. di Marzo può vederſi l' Arciveſcovo d' Otranto Francesco Maria d'Aſte *nella ſua Diſcettazione ſopra il Martirologio Romano ſotto la nota E.*

Coll' aver Noi oſservato ne' predetti Martirologi di S. *Filocalo*, non intendiamo di aſserire, che il Corpo di S. Filocalo, che

Digitized by Google

che ora traſmettiamo a Bologna, ſia di quel S. Filocalo, di cui ſi fa menzione ne' citati Martirologi, eſsendo morto il noſtro in Roma, eſsendo ſtato il ſuo Corpo ritrovato colle diviſe del Martirologio in uno di queſti noſtri Cimiterj, ed eſsendo ſtato l' altro, di cui parlano i citati Martirologi, martirizzato lungi da Roma, e lungi da Roma ſepolto, cioè in Aleſsandria di Egitto. Ma abbiamo commemorati i nomi de' Veſcovi ſottoſcritti al Concilio Niceno, ed al Conciliabolo Efeſino col nome di *Filocalo*, ed il Santo Martire Filocalo, di cui ſi fa menzione ne' Martirologi indicati, per far vedere, che ſe alcune volte il nome di *Filocalo* ha fatta la figura di nome appellativo, appreſso i Chriſtiani è ſtato altre volte adoprato come nome proprio; eſsendo impoſſibile, che chi ſi ſottoſcrive ad un Concilio, non ſi ſottoſcriva col nome proprio, e che ne' Martirologi volendoſi far menzione di un Santo, indicando chi era, non ſi faccia coll' eſprimere il di lui nome proprio.

Conoſciamo, che ciò non baſta per la compiuta ed adeguata prova del noſtro aſſunto, non baſtando per l'effetto, di cui ſi tratta, l'aver dimoſtrato, che il nome di *Filocalo* è ſtato più volte uſurpato come nome proprio, e non come appellativo. E' aſſolutamente neceſſario, che ſi dimoſtri eſſer nome proprio, ed eſſer tale quello, con cui vien chiamato il Santo, il di cui Corpo traſmettiamo a Bologna. Ma Noi crediamo, poterſi ciò evidentemente comprovare.

Non è ſtato ritrovato il Corpo Santo nelle Catacombe ſenza nome, nè il nome di *Filocalo* gli è ſtato dato, per non laſciarlo ſenza nome. Il nome di *Filocalo* era impreſſo nel Sepolcro, in cui giaceva il Sacro Corpo, e le parole erano le ſeguenti: ***Philocalus in pace***. E mettendoſi i nomi ne' Sepolcri per additare chi in eſſo é ſepolto, vi vuole poco a compredere, che il nome di *Filocalo* poſto nel Sepolcro del noſtro Martire, non può eſſere nome appellativo, ma che è vero nome di lui proprio, e che il Corpo, che traſmettiamo a Bologna, è il Corpo di S. Filocalo martirizzato per la Fede di Criſto; comprovandoſi il di lui Martirio non già dalle ſole parole *in pace*, che nelle antiche iſcrizioni, che ſi trovano nelle Catacombe, ſono comuni ai Martiri, ed ai Criſtiani in eſſe ſepolti, ma dal Vaſo intinto di Sangue, che è la certa diviſa del Martirio ſofferto per Criſto: il che anche da Noi è ſtato avvertito nella noſtra Opera *de Canonizatione Sanctorum lib. 4. part. 2. cap. 27. num. 26.*

Laſcieremo agl' Interpreti delle Divine Scritture, e particolarmente a Cornelio a Lapide, al Calmet, al du Hamel, ed

anche alla buona memoria del noſtro Cardinale Gotti *nel tom.* 5. *della Verità della Cattolica Religione al cap.* 3. *p.* 2. *num.* 2. l' inveſtigare, ſe quel Teofilo, di cui ſi parla *nel cap.* 1. *degli Atti degli Apoſtoli = Primum quidem ſermonem feci de omnibus, o Theophile, quæ cœpit Jeſus facere, & docere =* foſſe una particolare perſona, che aveſſe il detto nome, o pure ſe quel Teofilo foſſe nome appellativo, indicante chiunque è amico di Dio; e ci contentaremo d' aver provato, che *Filocalo* nel caſo noſtro è nome proprio. Ed abbracciandola con pienezza di cuore paterno, diamo a Lei, ed a quel Gregge, che ella con tanta edificazione governa, ed a cui per tanti anni Noi ſteſſi abbiamo preſeduto, l' Appoſtolica Benedizione.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem die 20. Maji 1755. Pontificatus Noſtri Anno Decimoquinto.

Ad Caput XII. ubi coacervantur *Nonnulla Miſcellanea ad materiam Sacrorum Rituum aliquo modo ſpectantia*, poſt Litteras Apoſtolicas *ſuper cultu S.Lucæ Caſalii* pag.252. addantur ſequentia, ſcilicet:

INDULTUM SS. DOMINI NOSTRI

BENEDICTI PAPÆ XIV.

Quo ampliatur Cultus Beato Bertrando Patriarchæ Aquilejenſi ab immemorabili tempore exhibitus.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Ad perpetuam rei memoriam.

NON eſt equidem, quod Nos in hoc ipſo potiſſimum Apoſtolicæ omnium Eccleſiarum ſollicitudinis & procurationis graviſſimo miniſterio imbecillitati noſtræ a ſupremo Paſtorum Principe Jeſu Chriſto, cujus vires in terris plane immerentes gerimus, impoſito rite ſancteque obeundo fere defeſſos magis reficere & recreare videtur, quam, cum opportunæ ſeſe Nobis offerunt occaſiones, per quas Pontificiæ auctoritatis benignitatiſque partes adhiberi a Nobis petitur in promovendo, ampliandoque eorum Chriſtifidelium

fidelium cultu, quos in Domino confidimus in charitate Dei conjunctos ex hac vita migraſſe, & in æterna Beatorum ſtatione in Cœlis poſitos gaudere; cum per totum fere vitæ noſtræ ſpatium, quoad Nobis integrum fuit, non omiſerimus immenſos labores impendere, ut præclara Venerabilium Servorum Dei, Beatorum, & Sanctorum geſta tot editis voluminibus illuſtraremus. Quoniam autem in Metropolitana Eccleſia Utinenſi, ſicut dilectus Filius Noſter Daniel tituli Sanctæ Mariæ ſupra Minervam Presbyter S. R. E. Cardinalis Patriarcha Delphinus Archiepiſcopus Utinenſis nuper Nobis humiliter expoſuit, Corpus ſive Oſſa Beati Bertrandi dum in humanis ageret, Patriarchæ Aquilejenſis viam univerſæ carnis anno MCCCL. ingreſſi reperiuntur, cui quemadmodum pariter expoſuit, publicus cultus impendi cœptus ex eo tranſitus ſui tempore ad hanc uſque diem exhiberi pergit, pro quo ſane cultu comprobando neceſſaria quoque documenta ad Nos transmittenda curavit, atque inſimul retulit, in die nimirum defunctionis ejuſdem Beati Bertrandi ſolemnem Miſſam pro gratiarum actione in Omnipotentis Dei honorem cani juxta providum, ſapienſque conſilium Venerabilis Servi Dei Cæſaris Cardinalis Baronii Eccleſiaſticorum Annalium Auctoris, de Sanctis quoque in Martyrologio Romano deſcriptis meritiſſimi, qui a ſel. rec. Clemente PP. VIII. Prædeceſſore noſtro oraculum acceperat. Præterea idem Daniel Cardinalis Patriarcha, & Archiepiſcopus ſupplices preces obtulit, ut publicum hujuſmodi cultum ampliare de Apoſtolica benignitate, & auctoritate dignaremur. Nos igitur, qui laudatum Danielem Cardinalem Patriarcham, & Archiepiſcopum ob eximias generis, animique dotes, ac Sacerdotales in regendis populis ſuæ paſtorali curæ commiſſis virtutes plurimi facimus, magnoque in honore habemus, piis votis, porrectiſque precibus benigne obſecundare cupientes, poſtquam omnia, & ſingula ad hujuſmodi graviſſimum negotium ſpectantia matura conſideratione expendimus, ac præſertim allata ſuper publico exhibito cultu documenta, & quidquid de eodem Beato Bertrando illius temporis Auctores gravis notæ ſcriptis ſuis conſignarunt, in hanc ſententiam devenimus, atque Apoſtolica auctoritate tenore præſentium ſtatuimus, ut in die quidem, in qua annua in memorata Eccleſia Metropolitana Utinenſi ſæpedicti Beati Bertrandi memoria recolitur, & in qua ipſius Beati Bertrandi Corpus, ſive Oſſa repoſita ſunt, celebratio ſolemnis Miſſæ cum cantu pro gratiarum actione in Omnipotentis Dei honorem in ſingulos annos peragatur. Hujuſmodi vero Miſſa ſit illa, quæ de Spiritu ſancto in Miſſali Romano habetur, atque in ipſa addantur Orationes ſive Collectæ, ut infra, nimirum poſt ptimam quidem Orationem, ſive Collectam

de Spiritu Sancto ſub unica concluſione dicatur -- *Deus, qui Beatum Bertrandum pro Eccleſiæ ſuæ civibus ad mortem uſque certantem invicta paſtorali fortitudine roboraſti, præſta fidelibus tuis, ut ad pietatis, & religionis conſtantiam ejuſdem informentur exemplis. Per Dominum &c.* -- Poſt alteram vero ſive Secreta -- *Sacra dona, quæ tibi, Domine, reverenter offerimus in commemoratione Beati Bertrandi Eccleſiæ tuæ libertatem tueantur & pacem, & ſanctificationis noſtræ incrementa promoveant. Per Dominum &c.* -- Poſt tertiam demum, ſive Poſtcommunio -- *Præſta quæſumus Omnipotens Deus, ut in honorem Beati Bertrandi celebrata Myſteria ejus virtutum imitatores, & tua propitiatione nos dignos efficiant. Per Dominum &c.* -- Decernentes præſentes litteras, & in eis contenta quæcumque ſemper firma, valida, & efficacia exiſtere & fore, ſuoſque plenarios & integros effectus ſortiri, & obtinere, & illis, ad quos ſpectat, & pro tempore quandocumque ſpectabit, in omnibus, & per omnia pleniſſime ſuffragari; ſicque & non aliter in præmiſſis per quoſcumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, & S. R. E. Cardinales, & eorumdem Cardinalium Congregationes, & quoſvis alios quacumque præeminentia & poteſtate fungentes, & functuros judicari, & definiri debere, ac irritum & inane quidquid ſecus ſuper his a quocumque quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Volumus autem, ut earundem præſentium litterarum tranſumtis ſeu exemplis etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eadem prorſus fides adhibeatur, quæ ipſis præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ. Datum in Arce Gandulphi Albanen. Diœceſis ſub annulo Piſcatoris die XVIII. Junii MDCCLVI. Pontificatus Noſtri Anno decimoſexto.

Cajetanus Amatus.

EPI

EPISTOLA

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI

BENEDICTI PAPÆ XIV.

Ad R. P. D. Nicolaum Lercari a Secretis Congregationis de Propaganda Fide: De Cultu S. Maronis.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Dilecte Filii ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

INter cætera ſcripta Nobis exhibita, cum nuper ad Nos acceſſiſti, illud deprehendimus, quod ad cultum Sancti Maronis Abbatis pertinet. Scripſit enim ad Congregationem de Propaganda Fide Dilectus Filius Frater Deſiderius a Caſabaſciana Min. Obſerv. quem nos Ablegatum Noſtrum miſimus ad Ven. Fratrem Patriarcham Maronitarum; ſcripſit, inquam, Imagines Sancti Maronis Romæ impreſſas, a Ven. Fratre Patriarcha Græco-Melchita Cyrillo diſciſſas fuiſſe, & palam ab ipſo declaratum Sanctum Maronem inter Sanctos minime numerari; quippe qui hæreticus vixerit, atque obierit; idque gravibus diſſidiis Maronitas inter, & Græco-Melchitas occaſionem præbuiſſe; timendum inſuper, ne hujuſmodi turbæ quotidie magis ingraveſcant; neque tumultum ſedari, & compeſci potuiſſe; tum quia poſt ſuum diſceſſum e locis, ubi ignem reſtinguere curaverat, nonnulli Preſbyteri palam dixerant, eum nullam auctoritatem habere quæſtionis definiendæ, utrum Maro Sanctus extiterit, an hæreticus; cum præſertim eorum Patriarcha aſſereret, Maronem, cum inter vivos ageret, & cum e vita deceſſit, hæreſi pollutum fuiſſe: tum quia per Moncalles, ubi reſidet Patriarcha Græco-Melchita, cum iter feciſſet, ut eum eo colloqueretur, ipſum non invenerat, & aliquibus de cauſis permiſſum ſibi non fuerat, ut ulterius ad eum aſſequendum progrederetur.

Non ſolum admiratione nos affecit, ſed maxime commovit, quod temere, atque inconſulte factum eſt a Ven. Fratre Patriarcha Cyrillo, qui ut eruditionem fortaſſe oſtentaret, ſua agendi ratione, non dicam reſtaurare, ſed auctoritate ſua controverſiam jam extinctam definire tentavit; quaſi vero ejuſdem conditio, vel meritum nobis, aut Congregationi minime innoteſcant; & quod deterius eſt, Sancti nomine, & cultu eum, quoad

quoad potuit, privare, qui a pluribus jam ſæculis cum Apoſtolicæ Sedis approbatione hujuſmodi honore decoratur.

Ut tibi compertum eſt, Sanctus Maro vixit ſub fine ſæculi quarti, & initio quinti. Theodoretus, qui auctor coævus dici poteſt, cum circa dimidium ſæculi quinti floruerit, vitam illius ſcripſit, in qua heroicæ Sancti Maronis virtutes, & inſigniter geſta enarrantur. Theodoretus Cyri Epiſcopus extitit, librum compoſuit *de vitis Patrum*, inſcriptum *Philotheos*, ſive *religioſa hiſtoria*; cujus duæ ſunt latinæ verſiones; quarum una habetur in Vitis Patrum, auctore Roſveido, altera Gentiani Herveti in *tom.* 3. Operum ejuſdem Theodoreti, editionis Sirmundi. Porrò ſex diſtinctis locis Theodoretus collaudat ſanctitatem S. Maronis, quemadmodum videre eſt in editione Roſveidi *de Vitis Patrum cap.*16. *pag.* 827. *&* 828. *& cap.* 21. *pag.* 832. *& cap.* 22. *pag.* 838. *& cap.* 24. *pag.* 840. *& cap.* 30. *pag.* 850. Legitur quoque inter epiſtolas Sancti Joannis Chryſoſtomi trigeſima ſexta inſcripta ipſi Abbati Maroni, in qua ipſius virtutes laudibus proſequitur, ejuſque orationibus ſeſe commendat. Porrò ut os occludatur quibuſdam non admodum ſanæ cognitionis, qui conati ſunt auctoritatem adimere vitis a Theodoreto conſcriptis, quorum numero adnecti poſſunt Andreas Rivetus in ſuo *lib. Criticus Sacer lib.*4. *cap.*21. Robertus Cocus *in ſua Cenſura quorundam Scriptorum veterum pag.* 390. Fridericus Spanhemius *in Hiſtoria Chriſtiana ſæculi quinti* §.10. *col.* 1030. Non defuerunt viri ſublimis doctrinæ, atque accuratæ critices, qui ad ipſius hiſtoriæ integritatem ſartam, tectam tuendam, operam ſuam, mentemque contulerint, in quorum numero recenſendi ſunt Labbæus in Diſſertatione de Theodoreto in Opere Bellarmini *de Scriptoribus Eccleſiaſticis* editionis Venetæ *anno* 1728. *pag.* 155. Garnerius *in Diſſert.* 2. *de Libris Theodoreti tom.*5. Operum ipſiuſmet Theodoreti editionis Pariſienſis *ann.*1684. *pag.*199. Tillemontius *in Vita Theodoreti art.*48. *tom.*15. *pag.*329. Natalis Alexander *in hiſtoria Eccleſiaſtica ſæculi V. cap.*4. *art.*28. §.1. *num.* 1. atque noviſſimus eruditus Ceillier *in hiſtoria Univerſali Auctorum Sacrorum, & Eccleſiaſticorum tom.* 14. *cap.* 14. *art.* 2. §. 6. *num.* 2. *in fine pag.* 94.

Et quod gravioris momenti eſſe debet, noſtri Scriptores, & Hiſtorici accuratiores, & quidem non admodum creduli, neque ingenti acumine deſtituti, fidem quam maximam præbuerunt vitæ Sancti Maronis a Theodoreto deſcriptæ, cum ipſius virtutes, factaque glorioſa ita ſingillatim referant, quemadmodum a Theodoreto enarrantur, & commendantur. Proinde S. Maronis vitæ, quæ a Theodoreto ſcripta eſt, omnimodam adhibent fidem. Adeantur

tur Bollandiſtæ *die* 14. *Februarii tom.* 2. *ejuſdem menſis*, Bailletius *in ſuis vitis Sanctorum eadem die*, Tillemontius *tom.* 12. *ſuæ hiſtoriæ Eccleſiaſticæ in vita prædicti Sancti pag.* 412. *& ſequen.* Neque illud ullo modo conticendum eſt, quod Pontificatum adminiſtrante Clemente VIII. cum Romæ typis conſignatum fuiſſet Miſſale Maronitarum, cum ejus Nationis patrocinium ſuſtineret fel. mem. Gabriel Cardinalis Palæotus, evulgandi facultas a Summo Pontifice ea conditione ſolum obtenta eſt, ut ſub ejuſdem initio poneretur Vita S. Maronis deprompta ex Theodoreti hiſtoria, ſicuti diligenter obſervatum fuit, quemadmodum Clariſſimus Cardinalis Jacobus Perronius teſtatus eſt: *Verba feci cum Sanctiſſimo Domino Noſtro de vulgando Miſſali Maronitarum, quod typis jam pridem excuſum eſt, annuitque ſua Sanctitas, ut præfixa hac Præfatione* (quæ eſt vita Sancti Maronis deſumpta ex Theodoreto) *publicaretur*.

Accedit, quod inſigne fuit Cœnobium S. Maronis, ut liquet ex epiſtola Archimandritarum Syriæ ſecundæ ad Hormiſdam Pontificem edita *anno* 517. in qua ſe in primis ſubſcribit Alexander *Archimandrita*, vel, quod idem eſt, *Abbas Sancti Maronis*, ut apparet *ex tom.* 5. Collectionis Conciliorum Labbæi editionis Venetæ *pag.* 598. ex Annalibus Cardinalis Baronii *ad annum Chriſti* 517. *num.* 53. & in Actis Concilii Conſtantinopolitani habiti *anno* 536. mentio habetur de eodem Cœnobio, ibique ſemper Sancti, vel Beati nomine Maro nuncupatur, ut legenti conſtabit *cit. tom.*5. *pag.*967. *pag.* 978. 994. 999. *pag.*1075. 1083. 1099. 1111. *& pag.*1223. Inſuper Pagius in Critica ad Annales Cardinalis Baronii *ad annum* 400. *num.*17. *& ſequen.* poſtquam commemoravit virtutes Sancti Maronis, orationem convertit ad Cœnobium ipſius Sancti Maronis, laudibuſque proſequitur Religionem Catholicam illorum Monachorum, ac veluti firmum quoddam Catholicæ Religionis univerſo in Oriente adverſus hæreſes propugnaculum prædicat, martyrium ſcilicet indicans, quod Imperante Anaſtaſio pro Concilii Chalcedonenſis defenſione tercentum quinquaginta ex illis Monachis fortiter pertulerunt, eorum quippe mentio habetur in Romano Martyrologio *die* 31. *Julii*, quo in loco extant præterea adnotationes Venerabilis Cardinalis Baronii. Neque prætereundum eſt in Eccleſia Collegii Maronitarum hujus almæ Urbis imaginem S. Maronis in tabula majoris Altaris depictam publicè coli, ejuſque diem feſtum quotannis celebrari.

Hæc omnia mirificè illuſtrant ſanctitatem S. Maronis, tum etiam oſtendunt quam rectè, atque legitimè rogatu Venerabilis Fratris

Fratris Simeonis Patriarchæ Antiocheni, & exemplo eorum, quæ peracta fuere in Litteris Apoſtolicis Prædeceſſoris Noſtri Clementis XII. oſtendunt, inquam, quam juſtè in quodam Brevi a Nobis emiſſo *die* 12. *Auguſti anno* 1744. largiti ſimus Indulgentiam plenariam utriuſque ſexus Chriſtifidelibus, qui Confeſſione, & Sacra Communione expiati *die* 9. *Februarii*, quo a Maronitis celebratur Feſtum Sancti Maronis eorum primarii Patroni, adibunt Sacras Ædes Monachorum, & Monialium Ordinis Sancti Antonii Abbatis Congregationum tam Montis Libani, quam Sancti Iſaiæ, & concordiam inter Principes Chriſtianos, hæreſis excidium, & Sanctæ Matris Eccleſiæ exaltationem a Deo enixè rogabunt: Quæ ſingula luculenter patefaciunt, quam illegitimè (ut loquamur remiſſius) Ven. Frater Patriarcha Cyrillus adverſus Sancti Maronis cultum ſe geſſerit.

Neque erit difficile rationes inveſtigare, quæ Ven. Fratrem Patriarcham Cyrillum eam in rem impulerunt. Affirmant Maronitæ a Sancto Abbate Marone ſe originem ducere, & a Catholica Religione nunquam receſſiſſe, nec ab Eccleſiæ unitate ſe unquam disjunxiſſe; addunt præterea, quod, cum ipſi unionem cum Eccleſia Romana renovaverint, id minime interpretari debere quaſi Catholicam Religionem aliquando deſeruerint; iterumque ad ipſam reverſi fuerint. At verò alii contrarium ſenſerunt; arbitrati nimirum ſunt, Maronitas de Monotelitarum Schola prodiiſſe, Maronem eorum Caput extitiſſe, eumdemque hæreſi adhæſiſſe, atque, ſolummodo *anno* 1182. ab Aimeto tertio Patriarcha Latino Antiocheno Maronitas fuiſſe ad Romanam Eccleſiam revocatos. Hæc omnia videre eſt apud Lexicum univerſale Gallicum & Latinum *tom*.5. ad verbum *Maronitæ*, & apud magnum Lexicum Morerii editionis Pariſienſis *anno* 1747. *tomo*6. ad verbum *Maronitæ*.

Willelmus Archiepiſcopus Tyri *lib.* 22. *Sacri Belli cap.*8. narrat ea, quæ paulo ante indicavimus, ab alterius opinionis Sectatoribus produci. Verum, quoniam auctoritas Willelmi ſatis minime foret ad ſententiam, quæ Maronitis opponitur, roborandam, & fortaſſe ipſe quoque Willelmus id agnovit, ea de re provocatum eſt *ad tom*.2. Annalium Eutychii Alexandrini, qui *pag*.191. ita ſcripſit: *Fuit tempore Mauritii Imperatoris Romanorum Monachus quidam nomine Maron, qui ajebat, duas eſſe Chriſti Domini noſtri naturas, & unam voluntatem, unam operationem, unamque Perſonam &c. Cumque mortuus eſſet Maron, incolæ urbis Hamath (Apameæ) Monaſterium in Hamath excitarunt, quod Dair Marum, id eſt Cœnobium Maronis appellarunt, Fidemque Maronis profeſſi ſunt.* Negli-

Negligentiam minime præſetulerunt Scriptores Maronitæ in exponendis, & palam faciendis erroribus, in quos inciderunt Eutychius Alexandrinus, Willelmus Archiepiſcopus Tyri, aliique eorum Sectatores. Id innoteſcet, ſi legatur Diſſertatio Fauſti Naironis *de origine*, *nomine*, *ac religione Maronitarum*, quæque præſtanti eruditione a Dilecto Filio Joſepho Simonio Aſſemano Prælato Noſtro Domeſtico declarata fuere in ſuo *tomo* 1. *Bibliothecæ Orientalis pag.*998. quibus accedit Pagius Gallus ſcriptor in ſua Critica ad Annales Cardinalis Baronii *ad annum Chriſti* 1182. Atque, ut verum dicamus, quando error unius in Chriſto voluntatis, atque operationis exordium habuit, ut omnibus notum eſt, regnante Heraclio; quomodo fieri potuit, ut idem error Mauritii tempore viguerit? qui dici poteſt, quod ait Eutychius, Cœnobium excitatum fuiſſe poſt mortuum illum Maronem, de quo ipſe ſermonem habet, cum ducentis antea annis ædificatum jam deprehendatur, atque dicatum Sancto Maroni Abbati? quandoquidem ſcribit Procopius Cæſarienſis *lib.* 5. de ædificiis Imperatoris Juſtiniani, ab eo reſtauratum Cœnobium Sancti Maronis; compertumque eſt e vivis deceſſiſſe Juſtinianum *anno* 565. atque Mauritium mortuum eſſe *anno* 602.

Paternam Sedis Apoſtolicæ benevolentiam erga Maroniticam Nationem deſiderari non patiemur. Nos quippe in unum congeſſimus laudes noſtrorum Prædeceſſorum, atque etiam noſtras conſociavimus in quadam Allocutione Conſiſtoriali edita in Appendice noſtri Bullarii *tom.*2. *pag.*42. At omiſſo in præſentiarum quocumque partium ſtudio erga Maroniticam Gentem; atque eruditis ejus Nationis ſcriptoribus, qui Romæ etiam verſantur, cura remiſſa ab Adverſariorum telis vindicandi perpetuam ſtabilitatem Sanctæ Catholicæ Religionis in ſuis Regionibus, ſi id neceſſitas (quod non credimus) poſtulet, atque Maronitarum originem a Sancto Abbate Marone propagatam; his, inquam, prætermiſſis, id unum reponimus, quod nempe, etiamſi veritati conſentanea videantur, quæ narrat Eutychius, aliud inde nequit inferri, niſi duos Abbates Marones extitiſſe, Sanctum unum, alterum hæreticum. Porro cum ejuſdem nominis appellatio non evincat, Sanctum fuiſſe hæreticum, aut hæreticum Sanctum, neque etiam cultum exhibitum Sancto, præſtitum etiam, aut præberi hæretico; inde manifeſte conſequitur, Ven. Fratrem Patriarcham Cyrillum auferentem Beato Abbati Maroni Cultum, non ſolum ſuæ auctoritatis limites exceſſiſſe, verum etiam ſe irreligioſum præſtitiſſe adverſus hominem, qui tot jam ſæculis inter Sanctos habitus eſt, ad cujus etiam Cultum publicum pro-

movendum non deſtiterunt Romani Pontifices populos allicere Indulgentias ſuperius commemoratas impertiendo.

Paulo ante dictum eſt, quod, etiamſi concedatur verum eſſe quod refert Eutychius, aliud exinde non ſequitur, niſi duos Abbates Marones, Sanctum unum, hæreticum alterum extitiſſe. Hæreticus ille erit, de quo ipſe loquitur, quique, ipſo teſte, vixit tempore Mauritii Imperatoris vita functi, quod indicatum jam eſt, *anno* 602. At Sanctus ille eſt, qui vixit Imperium regente Arcadio, qui ab *anno* 395. uſque ad *annum* 408. principatum obtinuit; atque ejus vitam ſcriptis complexus eſt Theodoretus Scriptor coævus non exiguæ auctoritatis. Affirmavimus ejuſdem nominis appellationem cauſam non eſſe, cur Sanctus, hæreticus exiſtat, aut hæreticus Sanctus, vel cur honor Sancto habitus, traditus hæretico intelligatur; atque hæc propoſitio adeò naturæ lumine perſpicua eſt, ut confirmationibus non egeat. Itaque ſolummodo indicabimus, exemplum confuſionis unius, & alterius Abbatis Maronis unicum, & ſingulare nequaquam eſſe, cum duo pariter Raymundi Lullii, duo Joannes Cantii extiterint, de quibus prolixius verba fecimus in noſtro Opere *de Canonizatione Sanctorum*. Ex Raymundis unus martyrii fama prædicatur; at non alter, qui infelicem vitam, ac mortem ſortitus eſt. Unus pariter Joannes Cantius Beati nomine inſignitur, & approbatione Apoſtolicæ Sedis publica gaudet veneratione; alter veluti hæreſi inquinatus execratur. Quamobrem manifeſte apparent irreligioſi conatus Ven. Fratris Patriarchæ Cyrilli, qui ſub ſpecie interdicendi Cultum Maroni hæretico, quem nominat Eutychius, revera ademit Maroni Catholico, de quo mentionem facit Theodoretus; quandoquidem Sancta Sedes in ſuis conceſſionibus unice ſemper intellexit colere Beatum illum Abbatem Maronem, de quo ſcribit Theodoretus, idemque ut ab aliis coleretur, præſcripſit. Idque liquidò conſtat ex iis, quæ ſuperius a Pontifice Clemente VIII. peracta eſſe commemoravimus. Tuum erit omnia enuntiare Congregationi, atque neceſſarias, eaſque opportunas facultates accipere, atque de ejuſdem, noſtroque etiam mandato litteras dare Ven. Fratri Patriarchæ Cyrillo, ut ea revocet, quæ patravit, neque audeat publica veneratione Beatum Abatem Maronem privare, nec diſcordias ſerere Græco-Melchitas inter, & Maronitas. Quod ſi conſentaneum judicabitur hanc Epiſtolam, quam tibi dedimus, ad ipſum mittere, ut certior fiat de noſtra voluntate, id præſtare liberum tibi erit. Nos interim Apoſtolicam Benedictionem tibi impertimur.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem die 28. Septembris 1753. Pontificatus noſtri Anno decimotertio.

LET-

LETTERA

DELLA SANTITA' DI NOSTRO SIGNORE

BENEDETTO PAPA XIV.

A MONSIGNORE

BENEDETTO VETERANI

Avvocato Conciſtoriale, e Promotore della Fede.

Dilecto Filio Benedicto Veterani Sacræ Conſiſtorialis Aulæ Advocato, & Fidei Promotori.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Dilecte Fili, ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

IL Beato Andrea del Pago, o Villaggio Rinnenſe, Dioceſi di Breſſanone, che non aveva per anche compito il terzo anno della ſua età, fu nel 1462. barbaramente trucidato dagli Ebrei in odio della Fede di Criſto. Poco dopo il martirio, incominciò il Culto pubblico; eſſendo ſtate nell'anno 1475. poſte le di lui Oſſa ſopra terra nel muro della Chieſa del detto luogo, dedicata a Dio in onore di S. Andrea Apoſtolo. Ed eſſendo unitamente colla fama de' Miracoli ſempre più creſciuta la divozione del popolo, ed in oltre eſſendoſi mai ſempre continuati verſo le di lui Reliquie gli atti non interrotti di pubblico Culto, colla ſcienza, ed approvazione degli Ordinarj, tutto ciò diede negli anni paſſati impulſo al Venerabile Fratello il Veſcovo di Breſſanone, ed al Diletto Figlio il Padre Abbate del Monaſtero Viltinenſe dell'Ordine Premonſtratenſe, e ad altri degni Eccleſiaſtici, di ſupplicare la Santa Sede per la conceſſione della Meſſa propria, e dell'Officio colle Lezioni propria, da recitarſi in di lui onore nel giorno 12. di Luglio, giorno della morte, dal Clero Secolare, e Regolare dell'uno, e l'altro ſeſſo della Città, e Dioceſi di Breſſanone: ed a queſt'iſtanza fu da Noi riſpoſto ſotto il giorno 27. di Settembre 1751. che, prima d'ogni altra coſa, ſi faceſſe dall'Ordinario il Proceſſo ſopra la fama del Martirio, e de' Miracoli, e ſopra il Culto immemorabile, dovendo queſto eſſere il preliminare alla conceſſione dell'Officio, e della Meſſa propria.

II. Non piacque queſta riſpoſta: ed eſſendoci ſtato rappreſentato, che, per eſeguire quanto in eſſa veniva preſcritto, ſarebbe ſtato

d'uopo impiegarvi molto tempo, gran fatica, e ſpeſa, dovendoſi fare in Breſſanone due Proceſſi coll'autorità Ordinaria, e che da Noi ſteſſi nella Noſtra Opera *de Canonizatione Sanctorum al lib.4. part.2. cap.5.* venivano riferiti vari eſempi di conceſſioni d'Officj, e Meſſe proprie in onore di qualche Beato, in ſequela di quanto d'eſſo avevano ſcritto Autori gravi, in ſequela del notorio publico Culto, ſenza che ſia preceduto verun Proceſſo fatto dall'Ordinario ſopra la ſama delle Virtù, o del Martirio, o de' Miracoli, o del Culto antico, ed immemorabile; richiedendoſi queſto Proceſso, quando, oltre la conceſſione dell'Officio, e della Meſsa, ſi penſa di proſeguire la Cauſa, e portarla alla formale Canonizzazione; ma non quando, ottenuto l'Officio, e la Meſsa, non penſavaſi a formale Canonizzazione, ma l'intenzione era di contentarſi dell'ottenuto: ci diſponemmo a laſciare la ſtrada da Noi preſcritta, ed a battere la nuova, che Noi ſteſſi avevamo aperta, e corroborata con molti, e molti eſempj *nell'allegato cap.5.*

III. Non ci era ignoto il nome di queſto Beato Andrea, nè ci era ignoto il di lui Martirio; avendo letto quanto ne ſcrivono i celebri Bollandiſti *nel tom.3. del meſe di Luglio al giorno 12.* ed avendone ancor Noi fatta menzione nella citata noſtra Opera *de Canonizatione Sanctorum al lib.3. cap.15. num.6.* Ma, prima d'aderire all'iſtanza propoſtaci, ci convenne il vedere la Storia manoſcritta di queſto Martire, compoſta da Ippolito Guarinonio in lingua Tedeſca, e tradotta in lingua Latina dal Padre Norberto Abbate Viltinenſe, il vedere gli atti del Martirio, e del Culto pubblico, con molta fatica ed erudizione radunati, e dati alle ſtampe l'anno 1745. dal Padre Adriano Kembter, e la Diſſertazione Apologetica ſopra il Martirio del Beato Simone da Trento, ſtampata in Trento l'anno 1747. ove *al cap.5.* ſi diſcorre a lungo del Martirio, e del Culto del Beato Andrea, Diſſertazione, che, benchè ſtampata ſenza nome per umiltà dell'erudito Autore, ſi ſa però eſſer Opera del Padre Benedetto da Cavaleſio, come atteſta il celebre Flaminio Cornaro Senator Veneto nella ſua bell'Opera *de Cultu S. Simonis Pueri Tridentini & Martyris, alla pag.4.* ove non laſcia di dare le dovute lodi al ſopraddetto degno Religioſo.

IV. Di più, eſſendoſi avuta notizia, che v'era un antico Proceſſo fatto coll'autorità Ordinaria ſopra il Culto di queſto Beato Andrea, ne facemmo venire la copia autenticata; e per avere le prove almeno eſtragiudiziali della continuazione del predetto pubblico Culto, ce ne furono traſmeſſe le atteſtazioni. E dopo aver tutto maturamente conſiderato, pel canale della Congregazione de' Riti, ad iſtanza del Venerabile Fratello il Veſcovo di Breſſanone,

ſanone, de' Diletti Figli il Procuratore Generale dell'Ordine Premonſtratenſe, e l'Abbate del Monaſtero Viltinenſe, facemmo ſotto il giorno 15. di Dicembre 1753. la conceſſione della Meſſa propria, e dell'Officio colle Lezioni proprie da recitarſi dal Clero Secolare, e Regolare dell'uno, e l'altro ſeſſo della Città, e Diocesi di Breſſanone ſotto rito doppio; non avendo mancato di far prima eſaminare la Meſſa propria, e le Lezioni proprie, e di conferir tutto col Diletto Figlio Ludovico Valenti allora Promotore della Fede, ed oggi Aſſeſsore del S. Officio: e ad iſtanza pure del ſopraddetto Veſcovo di Breſsanone, e degli altri ſopraddetti, nel giorno 14. di Gennajo 1754. concedemmo l'Indulgenza plenaria a chi confeſsato, e comunicato aveſse divotamente nel giorno 12. di Luglio di ciaſchedun anno viſitata la Chieſa Rinnenſe, in cui ſono le Reliquie del Beato Andrea.

V. Avendo avuto avanti gli occhi l'eſempio del noſtro Predeceſsore Siſto V. Fu nell' anno 1475. barbaramente trucidato dagli Ebrei in odio della Fede di Criſto il Beato Simone fanciullo di Trento, che non aveva compito il terzo anno della ſua età. Da queſto barbaro fatto derivarono tanti, e così gravi diſordini, e furono tali e tanti gli artificj uſati dagli Ebrei per ſottrarſi dalle dovute pene, e liberarſi dal giuſto odio conceputo contra di loro dai Criſtiani, che il Pontefice Siſto IV. non potè eſentarſi dal mettervi le mani, proibendo il Culto pubblico, che eſibivaſi al Beato Simone, ſintantochè ſi foſse poſto in chiaro, che eſso era ſtato trucidato dagli Ebrei per odio della Fede di Criſto. Il Breve di Siſto IV. è da Noi riferito nella noſtra Opera *de Canonizatione Sanctorum al lib.*1. *cap.*14. *num.*4. Ed eſsendoſi dipoi poſto il tutto in chiaro, ed eſsendoſi colle prove alla mano fatta vedere unitamente colla morte la cauſa della morte, e che gli uccisori erano ſtati gli Ebrei, come riſulta dal Proceſso che ancor oggi ſi conſerva nell'Archivio Secreto di Caſtel S. Angelo, come abbiamo accennato nella noſtra Opera *de Canonizatione Sanctorum al lib.*3. *cap.*15. *num.*6. fu dal Pontefice Siſto V. l'anno 1588. ſpedito un Breve di conceſſione dell' Officio, e Meſsa propria da poterſi recitare e celebrare nella Città e Dioceſi di Trento nel tal giorno determinato in onore del Beato Simone, coll' aggiunta dell' Indulgenza plenaria a quelli, che confeſsati e comunicati aveſseto nel giorno della di lui Feſta viſitata la Chieſa, in cui ſi ritrovano le ſue Reliquie. Il Breve del Pontefice Siſto V. è ſtampato nella ſopraccitata Diſsertazione Apologetica ſopra il Martirio del Beato Simone, della ſtampa di Trento del 1747. *alla pag.*207. ove non laſcia l'erudito Autore di re-

di refutare le obbiezioni fatte dal Wagenſeilio, e dal Baſnagio contra il Martirio dell' innocente Fanciullo: il che pure con eguale energia ed erudizione ſi adempie da Flaminio Cornaro Veneto Senatore nella ſua Opera *de Cultu S. Simonis Pueri Tridentini*, riſtampata in Venezia l'anno 1753. E fra le conceſſioni da Noi fatte pel Culto del Beato Andrea, e le conceſſioni fatte da' noſtri Predeceſſori pel Culto del Beato Simone, non v'è altra differenza, ſe non che per ordine del Pontefice Gregorio XIII. fu poſto il nome del Beato Simone nel Martirologio Romano, come da Noi è ſtato anche riferito *nel noſtro lib.*1. *de Canonizatione cap.*14. *num.*4. ma ciò da Noi non è ſtato fatto in ordine al Beato Andrea, per mantenere i poſteriori Decreti di non inſerire nel Martirologio Romano, che i nomi de' Canonizzati, eſcludendo i nomi de' Beatificati o con Beatificazione formale, o con Beatificazione equipollente, come può vederſi *nel noſtro lib.*4. *de Canonizatione part.*2. *cap.*18. *num.*9. *e ſeg.*

VI. Se i divoti ſi foſsero contentati, come avevano detto, della conceſſione dell'Officio e della Meſsa propria, e non ſi foſsero dipoi avanzati a paſſi ulteriori, e ad incamminare la Cauſa alla formale Canonizzazione, avreſſimo riſparmiata a Noi la fatica di dettar queſta Lettera, ed a lei il tedio di leggerla, e conſiderarla: ma avendo indirizzati i loro nuovi penſieri alla formale Canonizzazione, ed avendo impetrate da' maggiori Principi del Criſtianeſimo premuroſe iſtanze pel loro intento; ci ſiamo ritrovati nella neceſſità, acciò il tutto vada a dovere, d'eſprimere in queſta Lettera i noſtri ſentimenti ſopra la nuova iſtanza.

VII. Noi non facciamo veruna querela, che, dopo aver ottenuto da Noi nella maniera di ſopra riferita la conceſſione dell'Officio, e della Meſſa propria, coll' aver eſpreſſa la loro idea di non paſſare più oltre, ſi ſiano poi mutati d'opinione; riferendo Noi ben volentieri queſto paſſo a nuovo impulſo di divozione. Siamo in oltre perſuaſi, che, volendo eſſi proſeguire alla formale Canonizzazione, ella colla ſua ſolita diligenza non laſcierà di fare ſpedire la Commiſſione, che ſi dice *in ſtatu & terminis*, della quale ſi è da Noi parlato nella noſtra Opera *de Canonizatione al lib.*2. *cap.*38. *num.*13. non laſcierà di far pruovare il Caſo eccettuato dai Decreti d'Urbano VIII. il che per altro ſi farà dai Poſtulatori con molta facilità, eſibendo in forma autentica la noſtra conceſſione dell'Officio e della Meſſa, come pure da Noi ſteſſi è ſtato accennato nella citata noſtra Opera *al lib.*2. *cap.*21. *num.*3. non laſcierà di eſigere, che con nuovo Apoſtolico Proceſſo ſi provino il Martirio e la cauſa del Martirio del

Beato

Beato Andrea; non baſtando per la formale Canonizzazione quanto ſi è fatto e ſi è veduto per la conceſſione dell' Officio e della Meſſa, come da Noi ſteſſi è ſtato pienamente dimoſtrato *nel noſtro lib.*1. *de Canonizatione cap.*32. *dal num.*6. *fino al* 17. *ed al cap.*42. *num.*9. non laſcierà di eſaminare con ſevera critica, ſe gli Storici che raccontano il Martirio, abbiano i requiſiti neceſſarj per far prova nel giudizio della formale Canonizzazione, de' quali requiſiti ſi è da Noi diffuſamente trattato *nel noſtro lib.*3. *de Canonizatione al cap.*8. *e due ſeguenti*, procedendoſi con maggiore facilità, anche nella materia degli Storici, quando ſi tratta della pura permiſſione del Culto pubblico riſtretto ad una Dioceſi particolare, di quando ſi diſcorre del Culto pubblico precettato, ed eſteſo alla Chieſa univerſale, come anche da Noi fu avvertito *nel lib.*4. *part.*2. *cap.*10. *num.*26. non laſcierà finalmente d'eſigere, oltre il Martirio, e la cauſa del Martirio, ancora l'intervento de' Segni, e de' Miracoli ſeguiti dopo la conceſſione del pubblico Culto, che è lo ſteſſo che dire, dopo il noſtro Breve dell'Officio e della Meſſa; non baſtando due Segni, o due Miracoli; ma dovendo eſſere quattro, imperocchè la Cauſa del Beato Andrea non può appoggiarſi, quanto al Martirio, e cauſa del Martirio, a prove dirette, cioè a' Teſtimonj *de viſu*, ma a prove ſuſſidiarie, cioè a' Teſtimonj *de auditu*: nel quale ſtato di coſe non baſtano due Segni, o due Miracoli, ma debbono eſſere quattro, a tenore del noſtro Decreto Generale dei 23. d'Aprile 1741. ſtampato nella noſtra Opera *de Canonizatione al lib.*3. *cap.*3. *num.*25. che con ogni maggior eſattezza viene oggidì eſeguito nella Congregazione de' Riti.

VIII. Siamo ſicuri, che colla ſua da Noi ben conoſciuta attenzione e diligenza nulla da lei ſi tralaſcierà di quanto poc'anzi abbiamo detto. Ciò che a Noi reca ſollecitudine, ſi è, che la Cauſa del Beato Andrea fanciullo, ucciſo dagli Ebrei per odio della Fede, è la prima, che dopo la riſerva delle Cauſe di Canonizzazione alla Santa Sede, ſi pretende d'introdurre, non già per ottenere la permiſſione del pubblico Culto riſtretto ad una Dioceſi, o la Beatificazione formale, o equipollente, ma per ottenere un pubblico Culto precettato, ed eſteſo alla Chieſa univerſale, mediante un' eſpreſſa formale Canonizzazione. Noi di ciò abbiamo trattato *nel noſtro lib.*1. *cap.*14. *num.*5. e *nel lib.*3. *cap.*15. *num.*6. ed abbiamo avvertito, che, ſuccedendo il caſo, era neceſſario aprire gli occhi; trattandoſi di coſa nuova, nè mai praticata dalla Santa Sede dopo la riſerva ad eſſa fatta delle Cauſe di Canonizzazione, come di ſopra ſi è detto: e queſto per appunto

punto è quello che ci ha moſſo a ſcrivere a lei la preſente Lettera; ſembrandoci conveniente, che prima d'ogni altra coſa ſi eſamini nella Congregazione de' Riti il punto, ſe debba darſi corſo alla Cauſa del Beato Andrea, che i Poſtulatori pretendono di portare alla formale Canonizzazione: non eſſendo del dovere, che ſi laſci introdurre la Cauſa, ſi laſcino formare i Proceſſi ſopra il Martirio, e cauſa del Martirio, e ſopra i Segni e Miracoli, e forſe anche ſi approvi tutto; ed in ultimo ſi riſponda, non eſſer luogo alla formale Canonizzazione, non eſſendovi eſempio di ſimile Canonizzazione, cioè della Canonizzazione d'un Fanciullo ucciſo per odio della Fede. Ed inteſo il parere della Congregazione, non laſcieremo di raccomandarci a Dio per eſſere illuminati, prima di fare il Decreto ſopra il queſito.

IX. Ed intanto, per rendere più agevole l'eſame, crediamo opportuno il riaſſumere brevemente in queſta Lettera quanto inſegnano i Teologi in ordine ai Fanciulli, a' quali in odio di Criſto è levata la vita, di raccorre dai ſacri monumenti della Chieſa le memorie che riſguardano i predetti Fanciulli, ed il Culto conceſſo ad eſſi; parendoci, che tutto ciò poſſa influire per un'adeguata riſoluzione ſopra l'iſtanza propoſta dai Poſtulatori del Beato Fanciullo Andrea Rinnenſe, che dal Culto dell'Officio e della Meſſa, accordato, come ſi è veduto, per un luogo determinato, e che non è, che una equipollente Beatificazione, vorrebbero paſſare più avanti, ed impetrare una formale Canonizzazione.

X. Camminando con queſto metodo, diremo, che, venerando la Chieſa come Martiri gl'Infanti di Betlemme, ciò ha dato un giuſto fondamento ai Teologi di ſoſtenere, che Martiri ſono ancora tutti quegli altri Fanciulli, a' quali è data la morte in odio della Fede di Criſto. Da Noi ſono ſtate radunate le autorità nella noſtra Opera *de Canonizatione Sanctorum al lib.* 1. *cap.*14. *num.*3. *e ſeq.* non eſſendovi fondamento per ſoſtenere ciò che da alcuni ſi dice, eſſere ſtati Martiri gl'Infanti di Betlemme per uno ſpeciale privilegio dato loro da Dio, che accelerò in eſſi l'uſo della ragione, acciò, morendo, conſeguiſſero la palma del Martirio: avendo tanto negl'Infanti di Betlemme, quanto in tutti gli altri, che muojono ammazzati in odio della Fede di Criſto, luogo la ragione teologica, che il Martirio conſiſte nella morte patita per la Fede di Criſto, e che dagl'Infanti, che così muojono, ſi acquiſta la gloria del Martirio pel merito di Gesù Criſto, ancorchè con un atto libero di volontà non l'abbiano accettato. Ed alle autorità ivi da noi allegate aggiungeremo le ſeguenti; cioè il Silvio *in* 2. 2. *Divi Thomæ quæſt.*124. *art.*1.

art.1. Sunt qui dicant, acceleratum fuiſſe in iſtis Innocentibus, parla di quei di Betlemme, *uſum rationis: ſed hoc nulla vel Scripturæ, vel Patrum auctoritate probatur &c. Non eſt ergo mirandum, quod Beatus Thomas nolit admittere accelerationem uſus rationis in parvulis Innocentibus pro Chriſto occiſis, quos tamen recte dicit habere palmam Martyrii: quia, quod in aliis propria voluntas, Dei auxilio adjuta, meretur, iſti propter Chriſtum occiſi, ſunt per Dei gratiam conſecuti &c. Si quis ergo quærat, utrum pueri non baptizati eſſent Martyres, ſi modo interficerentur propter Chriſtum, vel in odium Chriſtianæ Religionis, reſpondendum eſt affirmative*. Peſanti; e gravi ſono pure le parole del Suarez *in 3. part. D. Thomæ tom.3. diſput.29. ſect.1.* ove, dopo aver provato; che gl'Infanti di Betlemme furono veri Martiri. così ſoggiugne: *Ex hoc autem ſingulari facto recte colligimus, nullum infantem, ratione infantiæ, eſſe Martyrii incapacem; ſed omnes eos, qui eodem modo pro Chriſto mortem ſuſtinuerint, vere eſſe Martyres: nam eadem eſt ratio & cauſa in cæteris infantibus, quæ fuit in illis Innocentibus; quia vel in illo facto interceſſit ſpeciale privilegium, factum illis pueris, vel non: ſi non interceſſit; ergo non eſt, cur alii cenſeantur magis incapaces Martyrii, quam illi, cum omnes æque careant uſu rationis: ſi vero interceſſit privilegium, hoc certe non eſt factum perſonis, ſed cauſæ. Quid enim in illis Pueris cogitari poteſt pertinens ad perſonalem dignitatem, vel conditionem eorum, propter quod hujuſmodi privilegium illis conceſſum ſit? Nihil ſane. Tota ergo ratio illius privilegii fuit cauſa mortis, nimirum quod propter Chriſtum occiſi ſunt &c. Quin etiam Eccleſia eodem modo inter Martyres numerat quoslibet pueros, vel infantes, qui in lege Gratiæ pro Chriſtiana Religione mortui ſunt, ut conſtat ex omnibus hiſtoriis Eccleſiaſticis, & ex modo loquendi Sanctorum &c. Neque enim gratia Chriſti minus liberaliter nunc, quam eo tempore, communicatur, neque horum mors minus eſt propter Chriſtum, quam illorum; immo quodammodo videtur expreſſius, ac formalius eſſe propter Chriſtum: nam, licet omnes interfecti ſint in odium Chriſti, tamen illi priores Innocentes ſolum mortui ſunt inter quærendum Chriſtum; hi vero interficiuntur propter Fidem Chriſti, & ad deſtruendam & evertendam Religionem ejus. Eſt ergo par omnium ratio*. E dello ſteſſo ſentimento ſono pure l'Eſtio *in 4. ſent. diſt.4. §.21. verſ. Præterea non leve*, il Cardinale di Lauria *in 3. lib. ſent. part.2. diſput.20. de Martyrio art.4. num.34.* ed anche la buona memoria del Cardinal Gotti

tom.2. in 3.part. tract. de Baptiſmo, quæſt.2. dub.2. §.2. e nel tom.4. part.1. de Veritate Religionis, cap.14. §.3. num.15.

XI. Subentra l'adunanza de' monumenti della Chieſa. Scorrendo il Martirologio Romano, ritroviamo *ai 9. di Gennajo* fatta menzione in Antiochia d'un certo Celſo fanciullo, che colla madre Marcionilla, ed altri Fratelli, fu ucciſo in odio della Fede di Criſto; *ai 12. di Febbrajo* in Aleſſandria di Modeſtio, ed Ammonio infanti; *ai 16. di Giugno* in Tarſo nella Cilicia de' SS. Martiri Quirico, e Giulitta madre, eſsendo il Figlio nell'età d'anni tre; *ai 15. di Luglio* in Aleſsandria di dieci Infanti; *ai 28. dello ſteſſa meſe* in Milano de' SS. Nazario, e Celſo fanciullo; *ai 17. di Agoſto* in Cartagine nell' Africa di Maſſimo fanciullo; *ai 21. di Agoſto* nella Sardegna di Ciſello e Camerino fanciulli; *ai 14. di Settembre* in Roma di Creſcentio fanciullo; *ai 17. dello ſteſſo meſe* in Autun di S. Flocello fanciullo; *ai 13. di Novembre* di Paolillo fanciullo, che ſopportò il Martirio nella perſecuzione Vandalica di Genſerico nell'Africa; *ai 18. dello ſteſſo meſe* in Antiochia del fanciullo Barula; *ai 6. di Dicembre* nell'Africa di S. Majorico giovanetto. Di queſto Majorico parla pure Vittore Uticenſe *nel lib.5. della Perſecuzione Vandalica*, *nel tom.8. della Biblioteca de' Padri*, ove ancora *alla pag.681.* fa menzione d'altri Fanciulli, che nella detta perſecuzione Vandalica ſopportarono coraggioſamente il Martirio: *Ibi & Infantuli fuere quamplurimi, quos genitrices materno ſequebantur affectu, aliæ gaudentes, aliæ triſtes, aliæ retrabentes: aliæ gaudebant, ſe Martyres peperiſſe; aliæ moliendo, diluvio rebaptizationis nitebantur a confeſſione Fidei revocare. Nullum tamen tunc nec blandimenta vicerunt, nec carnalis pietas aliquem inclinavit ad terram.*

XII. Ai Fanciulli, i nomi de'quali ſono deſcritti, come abbiamo veduto, nel Martirologio Romano, e che ſono poſti nel numero de' Martiri, ſuccedono gli altri, le Reliquie de' quali colle diviſe del Martirio, che è lo ſteſto che dire, col vaſo di ſangue, ſi ſono ritrovate ne' Cimiterj de' noſtri antichi Criſtiani col nome proprio, e colla notizia degli anni, ne' quali i Santi Fanciulli furono ucciſi per Criſto. Per verificare queſt'aſsunto, baſta dar mano all'Opera diligentiſſima della buona memoria del Canonico Marcantonio Boldetti *ſopra i Cimiterj de' SS. Martiri, ed antichi Criſtiani*, ove *alla pag.344.* ſi riferiſce la lapida di S. Doroteo Martire, morto nell' età di meſi ſei; *alla pag.363.* quella di S. Anaſtaſio; *alla pag.365.* quella di S. Serenilla, ambidue morti nel primo anno della loro vita; *alla pag.* pure 365. quella

quella di S. Bonifazia morta d'anni tre; *alla pag.*432. quella di S. Aurelio d'anni quattro; tre che appartengono a tre Infanti d'anni cinque, cioè di Decenzio *alla pag.*345. di Tiberia *alla pag.*363. di Candida *alla pag.*366. e finalmente di due che non avevano paſsato l'anno ſeſto, cioè quella di S. Doroteo *pag.*372. e quella di S. Diogenia *pag.*381. E lo ſteſso Canonico Boldetti *al lib.*1. *cap.*48. *pag.*261. dopo aver ſaviamente conſiderato, che non i ſoli Innocenti di Betlemme, ma che gli altri ancora, che dipoi ſono morti per la Fede di Criſto, benchè fanciulli, ſono degni del Culto dovuto ai Martiri, ſoggiugne, che nelle perſecuzioni per tutto il Mondo, e ſpecialmente in Roma, fu data dagl'Idolatri la morte anche ai Fanciulli in odio della Fede di Criſto: *In pueris quoque virtus major ætate annos ſuos confeſſionis laude tranſcendit, ut Martyrii veſtri beatum gregem & ſexus & ætas omnis ornaret:* ſono parole di S. Cipriano *nell' Epiſtola* 77. *ad Nemeſianum* dell'edizione del Baluzio. E parlando de' Criſtiani di Roma dice Minuzio Felice *in Octavio nel tom.*3. *della Biblioteca de' Padri: Pueri, & mulierculæ noſtræ cruces, tormenta, feras, & omnes ſuppliciorum terriculas inſpirata patientia doloris illudunt.*

XIII. Concordano gli Annali della Chieſa, ed altri monumenti Eccleſiaſtici. Ne' tempi di Decio, o di Valeriano, celebre fu il Martirio di S. Cirillo fanciullo, *Pueri*, gli atti del quale ſono riferiti dai Bollandiſti *nel tom.*7. *di Maggio al giorno* 29. e dal Ruinart *in Acta Martyrum dell' edizione di Amſterdam pag.*246. Negli Annali del Cardinale Baronio *all' anno di Criſto* 311. *num.*16. ſi fa menzione del Martirio di due Ragazzi fratelli, i Corpi de' quali furono ſepolti in una Chieſa vicino a Nicomedia, che dipoi chiamoſſi *Martyrium Infantium*, ed *all' anno di Criſto* 522. *num.*57. *e ſeg.* ſono regiſtrati gli Atti del Martirio di una Donna, e d'un di lei Figlio, che non aveva più d'anni cinque. Ne' Bollandiſti *al giorno* 24. *di Marzo*, oltre il Beato Simone fanciullo di Trento, di cui di ſopra ſi è parlato, ſi racconta, che nella Dioceſi di Colonia ſi preſta Culto ad un certo Joanetto fanciullo, ucciſo dagli Ebrei in odio della Fede. Il Baillet *allo ſteſſo giorno* 24. *di Marzo*, dice, che in Parigi un certo Riccardo fanciullo è venerato per Martire; e che un certo Guglielmo parimente fanciullo, che fu ucciſo dagli Ebrei in odio della Fede, ha avuto Culto nell'Inghilterra. *E nel tom.*18. *delle Opere* del Padre Teofilo Raynaudo, ed individualmente in quella intitolata *de Martyrio per peſtem*, *part.*2. *cap.*2. *num.*7. ſi legge, che nel tempo del Rè Ferdinando fu ucciſo dagli Ebrei

Digitized by Google

in odio di Criſto un certo Fanciullo di tre anni in un Caſtello vicino a Toledo, chiamato *Guardia*, che eſſo ha Culto, e che chiamaſi per antonomaſia *Innocens a Guardia:* ed atteſta lo ſteſſo di due altri Fanciulli di due anni nella Sardegna, chiamati Ceſelio, e Camerino. E nella citata Diſſertazione Apologetica ſopra il Martirio del Beato Simone da Trento *alla pag.*242. ſi fa menzione d'una certa Bambina, chiamata Orſola, d'anni tre, che circa l'anno 1442. in Lienz, piccola, ma antica Città, poſta ſu i confini del Tirolo verſo la Carintia, nella Valle di Puſteria fu barbaramente uccisa dagli Ebrei in odio di Criſto; eſſendo ſtata poſta nella Sagreſtia della Chieſa del Luogo, in vece d'un'antica lapide, una più recente del 1609. eſtratta dall'antica, in cui l'orrido infanticidio viene deſcritto: ed *alla pag.*246. *e ſeg.* ſi fa menzione del fanciullo Lorenzino, che in età d'anni cinque l'anno 1485. fu ſvenato dagli Ebrei in odio pure della Fede di Criſto; e che dal giorno del ſuo Martirio ſino al preſente in Maroſtica nel territorio Vicentino, e ne'luoghi vicini è riconoſciuto e venerato come Martire.

XIV. Noi non c'impegnano a ſoſtenere, che tutti quelli, i nomi de'quali abbiamo poc'anzi additati, foſſero veramente in quell'età, in cui non diſtinguevano il bene dal male, quando furono uccisi, ancorchè alcuni d'eſſi ſieno chiamati *Puer*, ed altri *Infans*. Con ogni ingenuità riconoſciamo, che, benchè alcuni ſiano chiamati Fanciulli, alcuni però d'eſſi erano chi in età di dodici anni, chi di nove, e chi di ſette; come Noi ſteſſi abbiamo oſſervato nel Martirio di S. Babila, e de' Compagni, nella noſtra Opera *de Canonizat. Sanctorum al lib.*1. *cap.*14. *num.* 5. e come ancora vien avvertito dagli uomini di gran merito, e profondi nella lingua Latina, alcuni de'quali miſurano la puerizia dal terzo, o quarto anno, ſino al decimo, altri dal ſettimo ſino al decimo quarto, come può vederſi nel Martinio *alla parola Puer*; altri mettono il fine della puerizia nell'anno decimo, ed anche nel decimo quinto, come può vederſi nell' inſigne Facciolati *alla parola Puer*, e fra i Giuriſti nel Gonzalez *ſopra il Cap. Referente*, *num.*7. *& ſeq. de delictis puerorum*, e come finalmente è d'uopo che foſſe quel S. Cirillo fanciullo, *Puer*, di ſopra memorato, ſe ſi conſidera la di lui condotta, le riſpoſte da eſſo date al tiranno, ed il linguaggio uſato dal tiranno: *Vidiſti, o puer (inquit), ignem; vidiſti, o juvenis, gladium:* come ſi legge ne' di lui Atti di ſopra indicati. Rifletiamo, che molti ſono chiamati infanti, e che infante è quello, che per anche non ſa, cioè non può parlare. *Infans ab infando dictus eſt:* dice

dice Nonio. E S. Iſidoro *de originib.* ſoggiunge: *Infans dicitur homo primæ ætatis: dictus autem infans, quia adhuc fari neſcit, id eſt loqui non poteſt.* Nel che concordano gli uomini più inſigni nella lingua Latina, cioè l'Hoſmanno, ed il ſopraddetto Facciolati. Ma ſappiamo, che il nome d'infante appreſſo gli Scrittori Eccleſiaſtici è ſtato dato anche a quelli, che erano in una età, in cui potevano e ſapevano parlare. Negli Atti Proconſolari di S. Saturnino, e Compagni Martiri, ſtampati dal Surio, e riportati dal Cardinale Baronio *all'anno di Criſto* 303. vien riferito, che dal magiſtrato della colonia fu preſo Saturnino Prete coi quattro ſuoi Figliuoli, fra' quali vi era Hilariano infante, e che tutti furono martirizzai: e ſopra la parola Infante così riflette il detto Cardinale *al num.*36. *Cum hic audis infantem, ne exiſtimes, puerum hunc eſſe nuper natum, qui fari neſciat; nam loquendi uſus erat apud Afros, ut quoſque pueros infantes dicerent, ut ex Victore Uticenſi alibi diximus, qui pueros Eccleſiæ cantores infantulos nominat &c.* Dopo ciò, lo ſteſſo Cardinale forma il queſito circa l'età in cui era Hilariano infante quando ſopportò il Martirio: *Porro quotennis eſſet puer hic, quem Auctor vocat infantem, ſua ipſius confeſſio, coram Proconſule facta, inferius declarabit*: ed *al num.*57. riferendo le parole dell'infante dette avanti il Proconſolo, dà a conoſcere, che l'infante poteva e ſapeva parlare, e ch'era in una età, in cui ben conoſceva, che riceveva la morte per la Fede di Criſto: *Hilarianus adhuc ſupererat*, ſono parole degli Atti, *unus de natis Presbyteri Martyris Saturnini, qui ætatem ſuam parvulam ingenti devotione vincebat &c. Subito brevi de corpore vox juvenilis auditur, & anguſtum pueri pectus ad confeſſionem Domini totum aperitur in voce reſpondentis: Chriſtianus ſum, & mea ſponte atque voluntate cum patre meo, & cum fratribus feci collectam.*

XV. S. Bernardo nel Sermone degl'Innocenti *al tomo* 1. *pag.*787. dice, che alcuni ſono Martiri *voluntate & opere*, come fu Santo Stefano: *Habemus in Beato Stephano Martyrii ſimul & opus & voluntatem:* altri ſono Martiri di ſola volontà, come fu S. Giovanni Evangeliſta, che morì in pace, eſſendo ſopravviſſuto al Martirio dell'olio bollente, che ſofferſe: *Habemus ſolam voluntatem in Beato Joanne:* e che altri ſono Martiri per l'opera ſola, cioè per aver perduta la vira per la Fede di Criſto: *Solum in beatis Innocentibus opus.* Alla claſſe de' Martiri *operis & voluntatis* debbono riferirſi tutti quelli, che, quantunque in età puerile, conobbero, che dovevano morire per

la

la Fede di Criſto, e vollero morire per eſſa, avendo il Grande Iddio cogli ajuti efficaci della ſua grazia prevenuto l'età. Allude S. Ambrogio a queſto trionfo della grazia, quando *nel ſuo lib.1. de Virginibus al cap.2.* parla del Martirio di S. Agneſe: *Hæc duodecim annorum Martyrium feciſſe traditur: Quo deteſtabilior crudelitas, quæ nec minuſculæ pepercit ætati: immo magna vis Fidei, quæ etiam ab illa teſtimonium invenit ætate:* e poco dopo: *Magiſterium virtutis implevit, quæ præjudicium vehebat ætatis.* Poc'anzi ſi è parlato del Martirio di una Madre, e d'un Figlio, riferito dal Cardinale Baronio *all' anno di Criſto* 522. *num.*57. *e ſeg.* ed ora cade in acconcio l'aggiungere, che, benchè il Fanciullo non aveſſe più di cinque anni, ſeppe reſiſtere alle luſinghe del tiranno, che, dopo aver condannata la Madre alle fiamme, era portato a ſalvare il Figlio, purchè aveſſe abbandonata la Fede di Criſto; ma, eſſendoſi eſſo, nel mezzo del contraſto, ſottratto dal ſuo custode, per iſtinto particolare celeſte gettoſſi nelle fiamme, nel mezzo delle quali era morta la Madre; come il tutto può vederſi negli Atti portati dal Cardinale Baronio, ne' quali, deſcrivendoſi le qualità del Fanciullo, ſi dice, ch'era dotato d'una prudenza ſuperiore all'età. Noi non parliamo di queſti Martiri: parliamo della terza claſſe de' Martiri, che *ſolo opere Martyres ſunt*, per ſervirci delle parole di S. Bernardo; e ben volontieri ammettiamo, che molti d'eſſi ſi ritrovino fra quelli di ſopra indicati, ritrovandoſene alcuni, ne' quali ò il numero eſpreſſo degli anni, in cui furono martirizati, o tutto il conteſto della ſtoria, levano di mezzo qualunque controverſia, che poteſſe eccitarſi ſopra l'intelligenza della parola *Puer*, e dell'altra *Infans*. Il ſacro teſto in S. Matteo *al cap.*2. eſprimendo l'età in cui erano quegl'Infanti, che per ordine d'Erode furono trucidati in Betlemme, e ne' confini -- *a bimatu & infra* -- dà pienamente a divedere, che gli uccisi furono Martiri *ſolo opere;* eſſendo improbabile, e contraria alla lettera del teſto l'opinione, confutata anche da Gianſenio *ſopra gli Evangelj al cap.*11. di quelli che hanno detto, che le parole -- *a bimatu*, *& infra* = non debbono prenderſi come riſtrette all'età degli uccisi, ma come indicanti, che prima furono uccisi quegl'Infanti, che erano d'anni due, o ſotto gli anni due, ancorchè dipoi foſſero trucidati ancor quelli che erano in età ſuperiore.

XVI. Senz'abbandonare l'ordine prefiſſo, ſubentra ora il diſcorſo del Culto, che, ſecondo la diſciplina della Chieſa, ſi è preſtato, e ſi preſta agl'Infanti, a'quali in odio di Criſto è ſtata

data

data la morte, e che *ſolo opere* ſono Martiri, avendola ſopportata in un'età, in cui non avevano il diſcernimento del bene dal male, nè era anche venuto *tempus intelligentiæ, quo Dei mandata cognoſcimus, ut perveniamus ad vitam*, come parla S. Girolamo *nell'epiſt.*121. *ad Algaſiam, alla queſt.*8. ed avendo conſeguita la vittoria, prima anche che ne aveſſero la conoſcenza, come dice S. Ambrogio, parlando degl' Infanti di Betlemme *nel lib.*1. *de officiis miniſtrorum cap.*41. *num.*213. *Quid de bimulis loquar, qui ante palmam victoriæ acceperunt, quam ſenſum naturæ?* e, per isfuggire la confuſione, ne faremo alcune claſſi.

XVII. La prima claſſe è di quelli che da' ſecoli più remoti hanno un Culto univerſale in tutta la Chieſa; potendoſi dire, che queſti ſono canonizzati con quella ſpecie di Canonizzazione, che intendevaſi fatta, allora che, eſſendo il Culto incominciato in una Dioceſi, da eſſi paſſava in un'altra, e così ſucceſſivamente in tutta la Chieſa, nel che ſempre interveniva l'autorità Eccleſiaſtica, cioè de' Veſcovi, e del Romano Pontefice: de' Veſcovi, mentre il Culto introdotto in una Dioceſi, paſſava nelle altre col loro aſſenſo: del Romano Pontefice, o perchè da' Veſcovi particolari molte volte ſi traſmettevano gli Atti, acciò eſſo gli eſaminaſſe, e gli approvaſſe, o perchè ſapendo pur eſſo, e non riprovando il Culto, che eraſi introdotto, e andavaſi dilatando, con ciò veniva ad approvarlo: come può vederſi *nel noſtro lib.*1. *de Canonizat. Sanctor. al cap.*6. e ſpecialmente *al n.*9.

XVIII. Ed in queſta prima claſſe Noi riponiamo gl'Innocenti di Betlemme, il Culto de' quali in tutta la Chieſa fu introdotto fino da' primi ſecoli, come dimoſtra il Cardinale Baronio *nelle Note al Martirologio Romano*, e come ancora è obbligato a confeſſare il ſevero critico Baillet, che *nella Storia del Culto di queſti SS. Innocenti al* §.2. ancorchè non ammetta l'univerſale oſſervanza della loro Feſta, che nel principio del ſecolo nono, confeſſa però, che il Culto verſo di loro nella Chieſa univerſale aveva avuto principio ne' primi ſecoli; ſcrivendo ancora S. Agoſtino *nel lib.*3. *de libero arbitrio al cap.*23. *num.*67. *Non fruſtra etiam Infantes illos, qui, cum Dominus noſter Jeſus Chriſtus necandus ab Herode quæreretur, occiſi ſunt, in honorem Martyrum receptos commendat Eccleſia*: il che anche ſi raccoglie *dal lib.*10. *de Geneſi ad litteram cap.*22. *num.*39. Queſta prima claſſe ſarebbe molto ferace ed abbondante, ſe foſſe ſuſſiſtente l'aſſerzione de' Greci, che *ne' loro Menei* vogliono, che gl' Infanti uccisi in Betlemme per ordine di Erode foſſero quattordici mila: *Commemoratio Sanctorum Infantum, qui ab Herode occiſi fuerunt,*

runt, *quorum numerus quatuordecim millia*: nel che anche concordano i Moſchi *nelle loro ſacre Efemeridi*, e gli Etiopi *nella loro Liturgia*. Ma Noi non crediamo di poter aderire alla predetta aſſerzione; avendo letto quanto contro da eſſa viene ſcritto dal Papebrochio *nel tom.* 1. *degli Atti de' Santi di Maggio alla pag.* 57. dal Tillemont *nelle Memorie Eccleſiaſtiche al tom.* 1. *pag.*432. *not.*13. dal Calmet *ne'Commentarj ſora il Vangelo di S. Matteo*, dal Serry *nelle ſue Eſercitazioni*, ed ulimamente dall' erudito Padre Caſto Innocente Anſaldi nella ſua bella Diſſertazione, o ſieno *Vindicie dell' Infanticidio di Erode*, ſtampate in Breſcia l'anno 1746. ove confutando chi ha oſato di dubitare della verità dell' Infanticidio, del debole motivo, che Giuſeppe Ebreo d'eſſo non parla, non ha laſciato di raccorre quanto dagli altri è ſtato dedotto contra la ſopra riferita aſſerzione de' Greci. Ci contenteremo dunque di dire, che gl'Infanti, che erano in Betlemme, e ne' confini, furono fatti uccidere da Erode, e che non ſolo furono Martiri, ma che, avendo in tutta la Chieſa il Culto, come poc'anzi ſi è eſpoſto, ſono canonizzati, e così appartengono alla prima claſſe, di cui ora parliamo; nella qual claſſe ſiamo anche preparati ad annoverare ogni altro Infante, che a Noi veniſſe additato, e che da' primi ſecoli foſſe ſtato venerato in tutta la Chieſa come Martire, conforme lo ſono ſtati, e lo ſono gl'Infanti di Betlemme.

XIX. La ſeconda claſſe è di quegl'Infanti uccìſi in odio della Fede di Criſto, che ſono da tempo immemorabile in qualche Città, o Dioceſi, in poſſeſſo d'un publico Culto, colla ſcienza, e tolleranza, ed anche alle volte colla poſitiva approvazione degli Ordinarj. A queſta ſeconda claſse poſsono riferirſi molti e molti, de' quali, come abbiamo veduto, ſi parla negli Annali, e ne' monumenti della Chieſa, ed alcuni ancora di quelli, i nomi de' quali ſono deſcritti nel Martirologio Romano; ed in queſta claſse ancora dovranno riporſi quel Beato Infante Joanetto, i due Fanciulli Riccardo e Guglielmo, ed oltre gli altri quel Beato Lorenzino, dell'antichità del di cui Culto ritrovaſi un atteſtato della Curia Veſcovile di Padova, ſtampato nella citata Diſſertazione Apologetica ſul Martirio del Beato Simone da Trento *pag.*253. che è conceputo colle ſeguenti parole: *Il Culto religioſo verſo coteſto Santo Fanciullo ſi è mantenuto ſempre invariabile nel lungo corſo d'anni dugento ſeſſanta dal ſuo Martirio ſino al preſente, così in Maroſtica, come ne' luoghi vicini, informati del di lui ſagrifizio alla rabbia Giudaica. Nelle urgenze sì private, e sì publiche di queſti popoli, ſi ricorre a Dio Signore col mezzo del*

del di lui credito, ſcoprendoſi in tal occaſione l' Arca del ſuo ſacro Depoſito, per ſempre più infervorare i ſupplicanti. Parlando di queſti, che ſono nel predetto poſseſso immemorabile di pubblico Culto, non ſi può dire, che ſiano beatificati dalla Santa Sede, ſupponendoſi, che il loro Culto abbia avuto il ſuo corſo colla ſcienza ed approvazione degli Ordinarj: nè eſsendoſi ſopra eſso formato verun Proceſso, o traſmeſso a Roma al Romano Pontefice, acciò l' approvaſse; molto meno ſi poſsono dire canonizzati; sì perchè il loro Culto non è eſteſo alla Chieſa universale; sì perchè manca il finale giudizio, che per la Canonizzazione è neceſsario che s' interponga dal Pontefice Romano. Ma quello che dee dirſi de' predetti Fanciulli, ſi è, che, eſsendoſi il Pontefice Urbano VIII. proteſtato ne' ſuoi Decreti di non voler recare verun pregiudizio a quelli, che erano in poſſeſso del pubblico Culto cento anni prima de' ſuoi Decreti; nulla di più ſi richiede, acciò ad eſſi ſia dovuto quel Culto in tutti que' luoghi, ne' quali l' hanno avuto cento anni prima del detto tempo, con ſcienza, ed approvazione degli Ordinarj, e molto più quando vi foſse ſtata ancora la ſcienza del Romano Pontefice.

XX. La terza claſse è di que' fanciulli, de' quali di ſopra ſi è fatta menzione, l' età de' quali col loro nome è eſpreſsa nelle loro lapide ſepolcrali; le Oſsa, e le Reliquie de' quali, ritrovate nelle ſacre Catacombe di Roma colle diviſe del Martirio, ſi eſpongono nelle Chieſe alla pubblica venerazione. Non vi è ſevero critico, che non ammetta, eſser ſegno certo del Martirio il vaſo col ſangue, o tinto di ſangue, che ſi ritrova ne' Sepolcri che ſono nelle Catacombe di Roma. L' Aringhi, il Mabillon, il Senatore Buonarroti, Raffaello Canonico Fabretti, l' Abate Lodovico Antonio Muratori, il Canonico Boldetti, il Canonico Marangoni, il Cavaliere Vettori, i miniſtri dell' eſtrazione de' Corpi, concordano pienamente in queſto ſentimento; come può vederſi nella noſtra Opera *de Canonizatione al lib.4. part.2. cap.27. dal num.21. ſino al fine*. Antica è la diſciplina, che le ſacre Oſsa eſtratte dai Cimiteri di Roma, e ritrovate coi ſegni indicanti il Martirio, ſi eſpongano nelle Chieſe alla pubblica religioſa venerazione, come può vederſi nel vulgato Anaſtaſio nella Vita di S. Paolo I. Pontefice nel ſecolo ottavo: ove, dopo aver riferito, che dai ſacri Cimiterj portò in Roma i Corpi ivi trovati, e che collocò le ſacre Oſsa in vare Chieſe, poco dopo proſeguendo ſoggiunge: *Infra clauſtra vero ipſius Monaſterii*, che aveva fondato nella propria Caſa paterna, *Eccleſiam*

ſiam miræ pulcbritudinis a fundamentis noviter conſtruxit &c. Illicque innumerabilium Sanctorum Corpora, quæ de præfatis demolitis abſtulit Cœmeteriis, maximo venerationis condidit affectu. Sino ai tempi del Pontefice Siſto V. erano venerate alcune piccole Oſſa nella Baſilica di S. Paolo di Roma, che piamente ſi credevano eſſer le Oſſa di alcuni Santi Innocenti di Betlemme; come atteſta il Panvinio nella ſua Opera *delle ſette Chieſe di Roma pag.96*. Il Severano poi *nello ſteſſo trattato* racconta lo traſporto fatto da Siſto V. l' anno 1586. alla Baſilica Liberiana. E l' Abate Paolo de Angelis *nella ſua Deſcrizione di queſta ſteſſa Baſilica al lib.*10. *cap.*11. porta un lungo tratto d' una Bolla del detto Pontefice, in cui parlando della Cappella di S. Lucia, che fu fabbricata con altra ſimile ſul limitare della Cappella del Preſepio, così ſi dice: *ſub Altari*, cioè di S. Lucia, *in Arca marmorea duo ſancta Beatorum Innocentium Corpuſcula, a Baſilica Sancti Pauli extra Portam Oſtienſem noſtro juſſu translata, rite recondi curavimus, ut ad Chriſti Infantis Cunabula iidem Sancti Innocentes* (*flores, ac primitiæ Martyrum, Deoque gratiſſimæ victimæ*) *quodammodo excubare videantur*. Ed a ſimiglianza ed eſempio delle Reliquie de' SS. Innocenti di Betlemme, continuamente ſi eſpongono negli Altari le Reliquie de' Fanciulli martirizzati per la Fede di Criſto, le Oſſa de' quali ſi eſtraggono dai Cimiterj di Roma colle precedenti ſicure diviſe del Martirio. Come ſi è veduto, nel Cimiterio di Gordiano furono ritrovate le Oſſa di un fanciullo Doroteo coll' iſcrizione del nome, e col vaſo di ſangue; e le Ceneri, ed Oſſa del Bambino coll' iſcrizione furono mandate alla Città d' Anagni, per eſſer collocate nella Chieſa de' SS. Coſmo e Damiano, come atteſta il Boldetti *nella ſua citata Opera alla pag.* 344. ove *alla pag.*345. riferiſce, che nello ſteſſo Cimiterio di Gordiano fu ritrovato il Corpo di Decenzio fanciullo d' anni cinque col nome proprio, e col vaſo di ſangue, e che fu collocato nella Cappella del Roſario della Chieſa di S. Sabina ſu l' Aventino. Se la coſa non foſſe notoria, e quotidiana, ſi potrebbe comodamente fare un elenco d' eſempi delle Reliquie di queſti Fanciulli collocate nelle Chieſe; ma, non eſſendovi chi non ſia informato di queſta diſciplina, ben volentieri tralaſcieremo il radunare altri eſempi, e conchiuderemo il diſcorſo appartenente a queſta terza claſſe, col dire, che hanno i Fanciulli in eſſa annoverati il Culto pubblico nelle Chieſe, ove le loro Reliquie ſono collocate, con plenario conſenſo, ed approvazione della Santa Sede, la quale ripone il fondamento della ſua conceſſione ne' ſegni indu-

indubitabili del Martirio ritrovati ne' loro ſepolcri; ma che non per queſto può dirſi, ch' eſſi ſiano ſtati formalmente canonizzati, prendendo la Canonizzazione, come ſi dee prendere, per una ſentenza del Romano Pontefice, che ingiugne per via di precetto il Culto nella Chieſa univerſale. Del Culto che ſi preſta alle predette Reliquie, benchè per lo più ſenza l' Officio e Meſſa, ſi è da Noi diſcorſo nella noſtra Opera *de Canonizat. Sanctorum lib.4. part.2. cap.* 28. ove ſono ſtati riferiti i fondamenti di queſta pratica; ed *al lib.*1. *cap.*38. *num.*3. *e ſeg.* non ſi è laſciato di riferire quanto riſguarda l'Officio, e la Meſſa da recitarſi e celebrarſi nella Chieſa univerſale, quando ſi diſcorre dei canonizzati con formale, o equipollente Canonizzazione.

XXI. L' ultima claſſe è di que' Fanciulli, che hanno perduta la vita, levata loro per odio contra Gesù Criſto, il Culto de'quali viene promoſſo per la ſtrada conſueta della Beatificazione formale, o equipollente, il termine della quale, quand'altro non oſti, può, ed anche ſuol eſſere la formale Canonizzazione. Poc'anzi ſi è detto, eſſer ſempre intervenuta l' autorità Pontificia nelle Canonizzazioni, ancor quando eſſe ſi facevano, paſſando il Culto introdotto in una Dioceſi, ſucceſſivamente in un'altra, e così dilatandoſi in tutto il Mondo: ed ora aggiungiamo, che dal Pontefice Aleſſandro III. fu introdotta e ſtabilita la diſciplina, che al ſolo Romano Pontefice appartenga la conceſſione, o ſia approvazione del Culto ne'luoghi particolari, ed in qualſivoglia Dioceſi del Mondo. Se ne poſſono vedere i fondamenti, e le ragioni *nel citato noſtro lib.* 1. *cap.* 10. *num.*3. *e ſeg.* e da quanto ivi è diffuſamente riferito ſi deduce, che al Romano Pontefice appartiene non ſolo, come è ſempre appartenuto, l'ordinare per via di precetto il Culto nella Chieſa univerſale o ſia ai Martiri, o ſia ai Confeſſori, nel che conſiſte, come piu volte ſi è detto, la Canonizzazione; ma altresì il concedere per via di poſitiva permiſſione il Culto in qualche Città, o Dioceſi, o in alcuni altri luoghi particolari, in onore di qualche Servo di Dio o Confeſſore, o Martire, nel che conſiſte la Beatificazione. Ed a queſta ultima claſse appartengono i due Beati Fanciulli uccifi in odio della Fede, Simone di Trento, che ricevè il Martirio l'anno 1475. ed Andrea del Pago, o Villaggio Rinnenſe, che ricevè il Martirio l'anno 1462. che è quello di cui oggi ſi tratta: potendoſi dire ambidue già beatificati da queſta Santa Sede con Beatificazione, ſe non formale, almeno equipollente; mentre, dopo eſſerſi veduto ciò che era neceſſario, riſpetto al Martirio, alla cauſa del Martirio, ed alla fama de' Segni e de'Miracoli, ſi è

fatta la conceſſione dell'Officio e della Meſsa in alcuni luoghi particolari. E, ſebbene, come già di ſopra ſi è detto, per ordine del Pontefice Gregorio XIII. fu poſto il nome del Beato Simone nel Martirologio Romano, non può però pretenderſi, ch'eſso perciò ſia ſtato canonizzato; eſsendo maſſima ben fondata e ricevuta, *annuntiari in Martyrologio nomina, & clariores res geſtas eorum, qui in eo deſcripti ſunt, ut excitentur fideles ad imitationem, & etiam ad Cultum, ſed intacta ſemper permanente Eccleſiaſtica diſciplina: ita ut, ſi res ſit de jam canonizatis, Cultus, ad quem excitantur fideles, ſit præceptivus, univerſalis, & publicus; ſi vero agatur de beatificatis, ſit quidem publicus, ſed tantum permiſſus perſonis, & locis Indulto Beatificationis comprehenſis, ſit autem permiſſus, ſed privatus quoad alios, qui Indulto comprehenſi non ſunt:* come da Noi con queſte ſteſse parole, dopo aver diſcuſsa la materia, ed eſaminata la praſſi della Santa Sede, fu conchiuſo nella noſtra Opera *de Canonizatione al lib. 4. part. 2. cap. 19. num. 16.*

XXII. Del Beato Simone, benchè beatificato prima del Beato Andrea, non v'è chi parli in ordine alla Canonizzazione. La petizione per la Canonizzazione è promoſsa pel Beato Andrea beatificato molto tempo dopo: ed il punto ſi riduce a vedere, ſe debba darſi corſo alla medeſima; non eſsendo coſa inſolita, che per giuſti e rilevanti motivi ſi fermi il corſo d'una Cauſa, e ſe ne impediſca il progreſſo alla Canonizzazione, ancor dopo che in eſsa ſi è ottenuta la Beatificazione: come ſi vede in tante e tante Cauſe, nelle quali dopo la conceſſione dell'Officio e della Meſsa, fatta per mezzo della Beatificazione o formale, o equipollente, nè vi è ſtato chi abbia mai penſato, nè vi ſarà chi ſia per penſare a chiedere la formale Canonizzazione.

XXIII. E però brevemente facendo paſsaggio ai motivi, non ſono eſſi riſtretti alla Cauſa del Beato Andrea, ma ſono comuni a tutte le Cauſe de' Fanciulli uccisi per odio della Fede di Criſto in quella età in cui non poſsono diſcernere il bene dal male, e che, eſsendo Martiri, lo ſono, non *voluntate & opere*, ma ſolamente *opere*, per ſervirci del linguaggio di S. Bernardo: potendo taluno credere, che ſia ben fatto il concedere, quando vi ſieno i dovuti requiſiti, ad eſſi il ſolo Culto proprio de' beatificati; ma poterſi dubitare, ſe ſia conveniente il paſſare più oltre, eſtendendo per via di precetto il Culto alla Chieſa univerſale, come ſi fa nelle Canonizzazioni, ancor quando non mancaſſero i ſoliti requiſiti per fare il paſſaggio dalla Beatificazione alla Canonizzazione.

XXIV. I fon-

XXIV. I fondamenti, che poſſono aſſiſtere a queſt'aſſunto, ſono quelli che ſieguono. Conſiſte il primo nell'oſſervare, non eſſervi forſe nell'antica praſſi delle Canonizzazioni altro eſempio di vera e ſtretta Canonizzazione di Fanciulli, che quello degl'Infanti di Betlemme, potendoſi riferire gli altri eſempj alla Beatificazione; ed in oltre eſſer coſa certa, che non v'è eſempio di formale Canonizzazione di veruno di queſti Fanciulli dopo il metodo ſtabilito, introdotto, e praticato per ordine della Santa Sede nelle Cauſe di pubblico Culto, che riſpetto a queſti Fanciulli è ſtato riſtretto alla Beatificazione. Ed il non ritrovarſi eſempio nel corſo di molti ſecoli, ancorchè non ſieno mancate occaſioni di poterlo indurre, è una circoſtanza di gran rilievo, e che ingombra la teſta a chi non è amico di novità.

XXV. Conſiſte il ſecondo nell'oſſervare, ridurſi il tutto all'eſſere queſti Fanciulli Martiri, avendo patita la morte per Criſto: nè ciò, univerſalmente parlando, ſi nega; e perciò volentieri ſi ammette, che, concorrendo i neceſſarj requiſiti, diaſi ad eſſi il Culto della Beatificazione. Ma, ſe è ſiſtema approvato, che non ſi apra una larga ſtrada alle Canonizzazioni, per non renderle diſpregevoli, come anche da Noi è ſtato oſſervato *nel noſtro lib.* 1. *cap.* 13. *num.* 16. ſembra poterſi temere, che per appunto ſi apra la ſtrada al temuto inconveniente, ogni qual volta ſi ammettano alla Canonizzazione i Fanciulli uccisi per la Fede di Chriſto, per la ragione che ſono Martiri; inſegnando i Teologi, che Martiri ſono ancora que' Fanciulli, che ſono ammazzati nelle guerre di Religione, negli aſsalti delle Città, nelle ſorpreſe delle Piazze, come eſpreſsamente inſegna il Soto *in* 4. *Sent. diſt.* 3. *quæſt. unic. art.* 11. §. *Secunda propoſitio*; eſſere in oltre Martiri anche que' Fanciulli che perdono la vita uccisi dagl'inimici di Criſto, ancorchè non ſiano uſciti dal ventre della madre, o reſti viva, o muoja con eſſi la predetta loro genitrice, come può vederſi in Teofilo Raynaudo *nel cit. tom.* 18. nell'Opera intitolara *de Martyrio per peſtem part.* 2. *cap.* 2. *num.* 8. e diffuſamente nell'Hurtado *in Reſolutionibus de vero Martyrio tract.* 2. *reſolut.* 20. *per totam*; e quanto vien detto de' Fanciulli ammazzati prima dell'uſo della ragione in odio di Criſto, ſi pretende, che debba eſtenderſi anche agli adulti, che non hanno mai avuto l'uſo della ragione, ſe a queſti vien tolta la vita dagl'inimici di Criſto, e per odio contra la ſua Fede, ſupponendoli ſimili in tutto e per tutto ai Fanciulli. Vedaſi il Cardinale Capiſucchi nelle ſue Controverſie Teologiche in quella *de Martyrio quæſt.* 2. §. 4. *in fine*: *Licet in Pueris ante uſum rationis pro Chriſto morientibus non adſit*

Digitized by Google

adſit propria ac perſonalis intentio, adeſt tamen intentio Eccleſiæ, quæ in illis mortem pro Chriſto acceptat, eoſque per Martyrium Deo conſecrat &c. Quæ autem de Infantibus ante uſum rationis pro Chriſto occiſis dicta ſunt, intelligenda ſunt etiam de amentibus, qui nunquam rationis uſum habuerunt, ſi contingat, eos in odium Chriſti occidi: maſſime e ſentenze, che ridotte in pratica, poſſono offuſcare il fulgore delle Canonizzazioni.

XXVI. Conſiſte il terzo fondamento in ciò che inſegna S. Tommaſo, e con eſſo ancora gli altri Teologi, cioè, che i Martiri in Paradiſo hanno la gloria eſſenziale, che ſi chiama *aurea*, ed hanno anche la gloria accidentale, che diceſi *aureola*, che conſiſte in una certa allegrezza, che provano, conſiderando la vittoria da eſſi riportata contra il Mondo, combattendo per Criſto, e ſopportando per eſſo volontariamente la morte, della quale aureola non partecipano adeguatamente i Fanciulli, che, eſsendo ſtati Martiri, lo ſono ſtati *ſolo opere*, non *voluntate*: *Innocentes ſicut non pertingunt ad perfectam rationem Martyrii, ſed aliquid Martyrii habent ex hoc, quod paſſi ſunt pro Chriſto, ita etiam aureolam, non quidem ſecundum perfectam rationem, ſed ſecundum aliquam participationem, in quantum ſcilicet gaudent, ſe in obſequium Chriſti occiſos eſſe; ut dictum eſt de pueris baptizatis, quod habebunt aliquod gaudium de innocentia, & carnis integritate*. Queſte ſono le parole di S. Tomaſo *in 4. ſent. diſt.49. quæſt.5. art.3. quæſt.2. Ad duodecimum*. E coerentemente a queſte parole del Santo Dottore così proſiegue il Cardinale Capiſucchi *nel luogo citato al §.26. Cum aureola ſit præmium a Deo beatis conceſſum intuitu egregiorum operum, quæ ipſi pro Deo in terris patrarunt, ac proinde ſit præmium reſpondens operibus; evidens eſt, ſanctos Innocentes, & alios Parvulos pro Chriſto ante uſum rationis occiſos, aureola non gaudere Martyrii*. E non avendo i Fanciulli, benchè Martiri, l'aureola del Martirio per la ragione poc'anzi accennata, ciò da tal uno potrà eſser adottato per ſoſtenere, che, ſe ad eſſi nella Chieſa Militante può competere il Culto della Beatificazione, non è ben fatto, che ſi ammettano all'altro della Canonizzazione; annoverandoſi fra i motivi di queſta ancor quello, che le geſta del canonizzato ſervano di eſempio ai fedeli in tutto il Mondo Cattolico, quali geſta mancano nel Fanciullo ammazzato per Criſto.

XXVII. E quantunque poſſa tal uno riſpondere, che l'argomento prova troppo, provando, che nemmeno gl'infanti di Betlemme abbiano meritato l'onore della Canonizzazione, non avendo

avendo nemmeno eſſi ottenuta l' aureola del Martirio ; ſembra però , che la riſpoſta debba perdere tutta la ſua forza , ſe ſi riflette alla circoſtanza in cui quelli di Betlemme perdettero la vita , ed all' uniforme ed anticha divozione della Chieſa , che gli ha ſempre venerati per Martiri . E ſenza inveſtire le opinioni dell' Armacano , che reſtrinſe il Martirio de' Fanciulli Betlemitici a que' ſoli che erano circonciſi , il che vien comunemente rigettato dagli altri , come può vederſi nel Valenza nel ſuo celebre Trattato *de rebus Fidei al cap.4. de Baptiſmo Parvulorum* §. *Atque hoc* , e rigettando altresì l' opinione di ſopra riferita , e confutata , d' altri che hanno creduto , eſſere ſtato accelerato ai Betlemitici l' uſo della ragione , il che vien eſpreſſamente impugnato da S. Tommaſo 2. 2. *quæſt.124. art.1. Ad primum* , ſembra poterſi replicare , eſſere Martiri i Fanciulli di Betlemme, eſſer a loro ſimiglianza Martiri anche gli altri , che avanti l'uſo di ragione muojono per Criſto ; ma che , avendo i primi in loro favore la tradizione e la dottrina de' Padri , e la continuata tradizione della Chieſa , ed avendo i ſecondi a loro favore la ſola benchè riſpettabile opinione de' Teologi , non dee recar maraviglia , ſe ai primi ſi dia qualche coſa di più , che non ſi dà ai ſecondi . Vedaſi il Vaſquez *in 3. part. D. Thomæ tom.2. diſput.158. quæſt.68. cap.7.* ove , dopo avere ſtabilito , che i Betlemitici ſono veri Martiri , e che Martiri ancora ſono gli altri Fanciulli ammazzati per Criſto , così ſoggiunge : *Porro , quamvis non tam certum ſit, quod diximus de aliis Infantibus pro Chriſto occiſis , quam de illis qui hac de cauſa ab Herode interfecti ſunt , quia pro interfectis ab Herode Eccleſiæ traditionem , & doctrinam Patrum pleniorem habemus ; nihilominus indubitatum apud nos eſſe debet* (intendendo però ciò di quella certezza , che ſe non ha per ſe la definizione della Chieſa , ha però la comune opinione de' Teologi), *eamdem rationem eſſe de omnibus , qui poſt adventum Chriſti propter ipſum occiſi ſunt* .

XXVIII. Tanto più che la preſente queſtione non è , rigoroſamente parlando , ſe i Fanciulli , che dopo la venuta di Criſto ſono ammazzati dai di lui nemici , poſſano canonizzarſi , ma ſe ſia eſpediente , che ciò ſi faccia : e , poſto il queſito in queſti termini , non vi vuol molto a comprendere la diſuguaglianza che paſſa fra gl' Infanti di Betlemme , e tutti gli altri che muojono dopo di loro , e che perdono la vita per Criſto .

XXIX. Quanto ſin' ora abbiamo eſpoſto , può anche vederſi *nel noſtro lib.1. de Canonizatione al cap.14. e nel lib.3. cap.15. num.2. e ſeg.* Reſta ora , che il tutto ſi eſamini , e ſi veda , ſe è con-

è conveniente, che ſi dia corſo alla Cauſa del Beato Andrea; o ſe è meglio, che ſi fermi nello ſtato in cui è, che è per l'appunto quello ſteſſo, in cui ſi ritrova l'altra del Beato Simone. E perchè non è impoſſibile, che ſi riſveglino altre ſimili iſtanze, ſarà proprio della di lei diligenza, e del prudente conſiglio degli altri, che da Noi ſaranno eletti, il ſuggerire il partito, che dovrà prenderſi, quando ſucceda il caſo, che per lo più ſuol eſſere di qualche Fanciullo ammazzato dagli Ebrei nella Settimana Santa in onta di Criſto, tali eſſendo gl'Infanticidj dei Beati Simone, ed Andrea, e d'una gran parte degli altri commemorati dagli Autori: potendo ſembrare a tal uno, che, quando ſi voleſſe laſciar aperta la ſtrada alle Cauſe di queſti Infanticidj, dovrebbero queſti eſſere ſtati clamoroſi, noti al popolo, maledetti da tutti, e vendicati dai Magiſtrati, e che anche foſſe bene, giacchè ſi tratta di Martiri, *non voluntate*, *& opere*, *ſed ſolo opere*, l'accreſcere il numero de' Segni, e de' Miracoli oltre il ſolito, per ottenere la formale Canonizzazione. Terminiamo col darle l'Apoſtolica Benedizione.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem die 22. Februarii 1755. Pontificatus Noſtri Anno Decimo quinto.

Ad Cap. XIII. *de Conceſſione Officii, & Miſſæ,* poſt conceſſionem trium Miſſarum &c. pag. 320. addantur ſequentia: nempe

DECRETUM.

PANORMITANA.

Sanctiſſimus Dominus Noſter Benedictus Papa XIV. ad humillimas preces Reverendiſſimi Archiepiſcopi Panormitani ſupplicantis pro elevatione Ritus Officii S. Ignatii Loyolæ Societatis Jeſu Fundatoris à duplici majori ad duplicem ſecundæ Claſſis, petitam elevationem pro Clero Civitatis Panormitanæ benigne conceſſit. Die 28. Auguſti 1756.

D. F. Card. Tamburinus Præfectus.

Loco ✠ Sigilli.

M. Mareſuſcus S. R. C. Secret.

SAN-

SANCTISSIMI IN CHRISTO PATRIS,
ET DOMINI NOSTRI DOMINI

BENEDICTI

DIVINA PROVIDENTIA PP. XIV.

LITTERÆ APOSTOLICÆ IN FORMA BREVIS,

In quibus Officium, & Miſſa propria S. Pulcheriæ Virginis Imperatricis die vii. Julii ſub Ritu duplici majori pro Canonicis Regularibus in Luſitania, extenditur ad omnes Sacerdotes Societatis Jeſu, ſimulque ad Collegiales, & Seminariorum Alumnos cum ipſis conviventes; Miſſa vero etiam ad omnes Sacerdotes in eorum Eccleſiis celebrantes.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Ad perpetuam rei memoriam.

Religioſum Sanctorum cultum, quos in triumphanti Eccleſia cum Chriſto Duce regnantes, quoties pio fidelique corde a militantis Eccleſiæ civibus invocati fuerint, opportunam ſalutaremque porrectis precibus opem accommodare credimus, Catholica Eccleſia, a Spiritu Sancto edocta, ea potiſſimum ratione promovere ac præcipere ſtuduit & contendit, ut Chriſtifideles non ſolum præclara heroicarum virtutum exempla ab aliis relicta aſſiduè imitari, verum etiam ſuis in anguſtiis præſentiſſimum eorumdem Sanctorum præſidium implorare ſatagerent & adniterentur.

Atque ad eorum præſertim Domeſticorum Dei & beatæ Patriæ Civium venerationem magis magiſque provehendam propagandamque incubuit, qui non tam eximiis chriſtianæ pietatis operibus, & aſſiduis chriſtianæ pœnitentiæ exercitationibus addicti ſeſe dignos ac participes æternæ felicitatis reddiderunt, quam incredibili ſtudio, ardenti zelo, & laboribus nunquam intermiſſis curarunt, ut divini honoris cultus adaugeretur; Catholica Fides ſarta tectaque ſervaretur, ac propagaretur; ſuprema Apoſtolicæ hujus Sanctæ Sedis auctoritas ac reverentia ubique terrarum maximi fieret, debitaque obedientia coleretur; atque filialis erga

Beatiſſimam Virginem Dei Genitricem Mariam pietas & amor in omnium Chriſtifidelium cordibus excitaretur, & exardeſceret.

Nos autem, qui in illuſtrandis Sanctorum tam recentium, quam antiquorum actibus, eorumque cultu promovendo, per omnem fere vitæ noſtræ ætatem adlaborare, ac tot volumina eapropter edere non omiſimus, ſæpe mirabamur, (quemadmodum deinceps obſervavimus ipſos quoque Bollandiſtas Societatis Jeſu Presbyteros de Beatorum Sanctorumque geſtis actibuſque in lucem emittendis, vindicandis, condignoque honore habendis meritiſſimos, & Apoſtolicæ etiam prædicationis encomiis laudandos, mirari) Romanam Eccleſiam, quæ quamplurimos Orientalis Eccleſiæ Sanctos Officio & Miſſa etiam ſolemnibus recolere conſuevit, Sanctæ Æliæ Pulcheriæ Virginis Auguſtæ Imperatricis memoriam in Martyrologio Romano dumtaxat recitandam mandaſſe.

Illa enim in Regia Conſtantinopolitana Aula educata, aſceticæ vitæ inſtitutum inter ipſos Aulæ luxus ac delicias, & continua graviſſimaque totius fere Orbis negotia, ſive vivente germano fratre Theodoſio adoleſcente Inperatore, ſive cum Marciano (a ſe in Imperatorem, ſuumque Conjugem, ſervata tamen caſtitate, adlectum) ita ſectata fuit, ut univerſis ſummæ admirationi eſſet, ſummiſque laudibus celebraretur ab omnibus bonis, ſanctiſque Patribus, atque ab ipſis in primis Apoſtolicæ hujus Sanctæ Sedis Pontificibus, qui eam veluti firmiſſimum Catholicæ Fidei adverſus hæreſes columen ac præſidium, & luculentiſſimum chriſtianarum virtutum omnibus utriuſque ſexus hominibus ac Principibus exemplar a bonorum omnium largitore Deo in aſpera illorum temporum conditione datam prædicarunt.

Eapropter Nobis in ſublimi hac Sacroſancti Apoſtolatus Cathedra conſtitutis perquam maxime gratum accidit, cum primum quidem Nobis oblatus fuit ſupplex libellus tenoris, qui ſequitur.

BEATISSIME PATER.

Sancta Imperatrix Pulcheria tam a ſanctis Patribus, quam a ſynchronis Scriptoribus maxime celebratur, tum ex privata vivendi ratione, tum maxime ob Catholicæ Fidei zelum, quam inconcuſſam ſervare, tempore quamvis difficillimo, conata eſt ſummo ſtudio. Non modo enim perpetuam vovit ipſa virginitatem, quam etiam in conjugio incontaminatam ſervavit; verum & auctrix fuit, ut ſorores ſuæ virginitatem pariter voverent: ſcilicet, ut ipſa ſanctam Religionem fortius tutaretur; ſorores vero, per conjugia, Imperium, Religionem-

gionemque in aliquod periculum adducere non poſſent. Fratrem præterea Imperatorem opere & conſilio adeo proſpere adjuvit, ut Imperii felicitas vel cum ipſa ab Aula exulare, vel cum ipſa in Aulam redire videretur. Deo autem in primis ita inſervire ſtuduit, ut noctu etiam ad laudes eidem canendas una cum Auguſtæ familiæ Principibus, ſacroſque libros legendos, alacriter ſurgeret.

Hæc ex Annalibus Ven. Cardinalis Baronii, ex Actis Sanctorum per Continuatores Bollandianos editis, atque ex luculentiſſimis aliorum plurium Scriptorum teſtimoniis delibata ſunt. Verum præclariora ſunt, quæ ſanctiſſima, ac fortiſſima mulier, zelo Dei æſtuans, pro Catholica Fide geſſit: quæ ut amplius innoteſcant, fecit Sanctitas Veſtra, dum Conciliorum ſtudia inſtituit, atque in dies promovet, fovetque amantiſſime. Percurrentibus quippe poſteriora duo ex quatuor illis prioribus Generalibus Conciliis, quæ Sanctus Gregorius Magnus Prædeceſſor Sanctitatis Veſtræ veluti quatuor Evangelia venerabatur, Epheſinum *videlicet &* Chalcedonenſe, *quid occurrit, quod in maximam Sanctæ Imperatricis laudem non vergat? Id tantum innuere ſat erit, teſte S. Leone Magno Sanctitatis Veſtræ itidem Prædeceſſore, & ab illa omnes hæreſes fuiſſe profligatas, & utrumque laudatum Concilium invicte defenſum, in quorum altero duplex in unitate Perſonæ Chriſti natura ſtatuta eſt: quare idem S. Leo eidem epiſtolam exultationis & gratulationis totius Eccleſiæ nomine plenam dedit.*

Ad augendum itaque cultum Sanctæ Pulcheriæ Virginis de Deipara *Virgine, Catholicaque Eccleſia optime meritæ,* & per omnes Mundi partes, in quibus Domini Evangelium prædicatur, celebratæ, *Canonicorum Regularium S. Auguſtini in Luſitania Reformator pro ipſis, cæteriſque qui ex conceſſione Apoſtolica Calendario eorum utuntur, necnon Patres Societatis Jeſu Panormi, & in Romano Tyrocinio Sancti Andreæ degentes, humillime Sanctitatem Veſtram exorant, ut facultatem eiſdem concedere dignetur recitandi Officium de Sancta Pulcheria ſingulis annis, ritu duplici majori, die ſeptima Julii, quo menſe probabilius videtur eadem obiiſſe, quamquam dies certo non conſtat; iiſdemque oratoribus, aliiſque Sacerdotibus ad illorum Eccleſias confluentibus, facultatem eadem die celebrandi Miſſam de prædicta Sancta Pulcheria. Officium vero, & Miſſam hic humillime exhibent Sanctitati Veſtræ. Et Deus &c.*

Officium autem, & Miſſa ſunt tenoris ſequentis.

Die vii. Julii

IN FESTO

SANCTÆ PULCHERIÆ

VIRGINIS IMPERATRICIS

Sub Ritu Duplici Majori &c. Officium & Miſſa de Communi Virginum primo loco, exceptis his, quæ hic habentur propria.

ORATIO.

DEus, qui Beatam Pulcheriam Virginem tuam ſingulari Caſtitatis prærogativa decoraſti: quique illi ad defendendendam Eccleſiam tuam ſummum Fidei amorem tribuere voluiſti; concede, ut ejus interceſſione tibi puris mentibus inhærentes, ab omnium hoſtium inſidiis miſericorditer liberemur. Per Dominum &c.

Lectiones primi Nocturni de Epiſtola S. Pauli. De virginibus præceptum Domini non habeo &c.

IN SECUNDO NOCTURNO.

Lectio iv.

ÆLia Pulcheria Auguſta, Patre, Avo, Fratre, atque Viro Romanorum Imperatoribus maximè nobilis, profligatis ſua præſertim opera hæreticorum erroribus, & Catholico dogmate circa Incarnationis Myſterium, & Divinam Maternitatem conſtituto, multo nobilior, ab ipſa pueritia, tanta ſapientia divinitus prædita fuit, ut iis, quibus poſt Arcadii patris obitum Imperii procuratio, dum Theodoſius adoleſceret, commiſſa fuerat, ejus arbitratu omnia facerent; eſſetque conſtans opinio, unius puellulæ virtute ac ſapientia, quæ inſtare atque ingruere videbantur, pericula diſcuſſa, & felicitatem Imperio conſtitutam. Domi aſſidua diſciplinæ exactrix eam vivendi formam induxit, ut illa jam non Aula Imperatorum, ſed Aſceterium vulgo diceretur. Theodoſium fratrem, Eudoxiam, quam illi matrimonio conjungendam curavit, Flaccillam, Arcadiam, Marinam ſorores ita imbuebat bonis moribus, exercebatque ad virtutem, ut, quibus ætate non multum præſtabat, eorum moderatrix, ac propemodum mater eſſe videretur. Qua inſtitutione ſorores quantum profecerint, vel ex hoc uno intelligi poteſt, quod

quod Pulcheriam imitatæ, ſe, ſuamque Virginitatem Deo devoverunt: utque Auguſta Virgo ea quæ decreverat, amplius confirmaret, omneſque voluntatis ſuæ teſtes haberet, ex auro, & pretioſis lapidibus ſacram menſam in Eccleſia Conſtantinopolitana pro Virginitate ſua, & Fratris Imperio dedicavit; & in fronte ipſius menſæ hæc eadem inſcripſit.

Lectio v.

POtior autem ejus in Theodoſio inſtituendo eluxit cura; cumque, ubi opus eſſet, mira quadam dexteritate corrigebat: qui quidem talis eſt effectus, ut abſolutiſſimum optimi vereque Chriſtiani Principis exemplar fuerit, dum Pulcheriæ conſiliis eſt obſequutus. Poſt diuturnam cum Fratre concordiam, turbis malevolorum fraude, atque obtrectatione in Aula excitatis, tempus nacta, quo ſibi jam uni, Deoque vacare poſſet, ſeceſſit in Hebdomum, locum Byzantio ſuburbanum, ibique vitam agens pene monaſticam aliquandiu ſe continuit: cum vero felicitas Imperii una cum ea exularet, a Fratre accerſita, ubi deeſſe vidit, qui prælia Domini pugnaret, Deboram imitata, fide, ac religione armata proceſſit, & miſſis in omnem partem epiſtolis, hortando, monendo, minitando, non pecuniæ, non laboribus parcens, digna effecta eſt, quam Patres Concilii Chalcedonenſis una omnium voce, atque præconio cuſtodem Fidei, pacis conciliatricem, expultricem hæreticorum, piam, orthodoxam, novam Helenam (ſicut Marcianum tunc Imperatorem, novum Conſtantinum) conſalutarent; cuique S. Leo totius Romanæ Eccleſiæ nomine plurimum gratularetur, ejuſque cauſa exultare ſe diceret, ac digna Deo vota perſolvere, quod de Neſtoriana primum impietate, mox de nefario Eutychetis errore perempto, duplicem illi & palmam contulerat, & coronam.

Lectio vi.

ATque hæc tantæ curarum moles, quas præſertim in Epheſino ac Chalcedonenſi Conciliis Romanorum Pontificum auctoritate convocatis neceſſario ſuſceperat, nihilo illam ad cætera chriſtianæ pietatis officia obeunda fecere ſegniorem. Aſſidue cœleſtium rerum contemplatione, Sacrorum Librorum lectione, corporis afflictationibus ſponte ſuſceptis ſe exercebat. Pſalmos de nocte ſurgens una cum Regiæ familiæ Principibus decantabat, Dei, ac Sanctorum (quorum & colloquio non ſemel dignata eſt) cultrix eximia, quæ etiam ſummopere ſemper contendit, ut erga eorum Reliquias cultus augeretur. Deiparam in primis coluit, cui hanc ipſam Deiparæ appellationem contra Neſtorianorum blaſphemias

phemias aſſeruit: voluit namque ſumma Sapientiæ ſuæ diſpoſitione Divina Providentia, ut per Virginem ſumma Virginis dignitas inoffenſa penitus ſervaretur: quam etiam eſt imitata ſervando perpetuam in ipſo conjugio virginitatem: cujus denique cultui amplificando complura templa regali plane magnificentia excitavit, donariis auxit, reditibus locupletavit. In placanda Divina Juſtitia mira pietate enituit. Fuit erga pauperes miſericordia plane ſingulari, quos & materna quadam charitate complexa eſt quoad vixit, & moriens eorum, quæ aſſidua effuſiſſimaque liberalitas reliqua fecerat, ſcripſit hæredes. Quod cautum ab ipſa teſtamento fuit, diligenter curavit Marcianus, quem pari religionis ſtudio, rebuſque omnibus Imperio digniſſimum ipſa evexerat ad Imperium, ſibique hanc ipſam ob cauſam, ſalva quam Deo voverat virginitate, conjugem delegerat. Obiit anno quadringenteſimo tertio, magno omnium luctu, maximiſque Sanctorum Patrum, cæterorumque ejus ævi Scriptorum laudibus celebrata.

IN TERTIO NOCTURNO.

Lectio ſancti Evangelii ſecundum Joannem.

C. XVII. 3.

IN illo tempore dixit Jeſus: Hæc eſt autem vita æterna, ut cognoſcant te ſolum Deum verum, & quem miſiſti Jeſum Chriſtum. Et reliqua.

Homilia S. Cyrilli Epiſcopi Alexandrini.

De Fide ad Pulcheriam, & Sorores Reginas.

Lectio VII.

SAne vos ſacras, caſtiſſimaſque Chriſti omnium noſtrum Salvatoris ſponſas, religioſiſſimæ ac Deo dilectiſſimæ Imperatrices, orbis terrarum ornamentum, ſanctiſſimarumque Eccleſiarum decus optimo jure quiſquis appellaverit, in quibus nimirum omne virtutum genus, omniſque ornatus Divinæ Majeſtatis oculis gratus acceptuſque mirifice ſplendet. Neque his opibus contentæ, omnem quoque curam, omneque ſtudium adhibetis, quo fide recta, nullamque in partem vacillante, excellatis. Neque Chriſti Regnum capeſſere, & ea, quæ illi grata ſunt, facere, & ſentire omittitis, partim quidem præclaris actionibus, partim rurſum cum veſtras, tum Principum quoque veſtrorum aulas Virginitatis gloria condecorantes, partim denique ſumptuoſiſſima templa Chriſto Domino excitantes; nam & hoc quoque pietatis ſtudium inter cætera ille ſanctis veſtris animis impertitus eſt.

Le-

Lectio viii.

IGitur ex ſacris litteris vobis vere ſanctis Christi Sponſis (quamquam ad quodvis opus bonum abunde instructæ videamini) aliquid depromam. Hinc etenim, & Emmanuelem verum ac naturalem Deum, & Virginem Matrem, quæ eum peperit, veram per ipſum Deiparam eſſe, planum fiet. Ait Christus, hæc eſt vita æterna, ut cognoſcant te ſolum Deum verum, & quem miſiſti Jeſum Christum. Si cum ſolius verique Dei cognitione Jeſu Christi cognitionem neceſſariam, conſociatamque eſſe oportet, & hoc ipſum æternam vitam conciliat; cui obſcurum eſſe poteſt, Christum verum eſſe Deum? Verbum ſane caro factum eſt, ſed manſit interim Verbum.

Lectio ix.

ET ego claritatem, quam dediſti mihi, dedi eis; ut ſint unum, ſicut & nos unum ſumus. Qualem itaque gloriam Filius a Patre accepiſſe ſe narrat, quam nobis deinde communem fecerit? Sane ipſe ab hac quæſtione nos liberat, dum ait: ut unum ſint, ſicut & nos unum ſumus. Nam etſi Dei Patris Verbum, ſecundum propriam hypoſtaſim, alius a Patre eſſe dignoſcatur, naturali tamen identitate unum plane & idem eſt cum illo. At quo pacto Verbum illud, unum quoque nobiſcum factum eſt? Ad eumdem omnino modum, puta ſecundum eſſentialem, & naturalem identitatem. At cum Divina natura tanto a creatura diſtet intervallo, ut ſecundum eſſentiam cum ea coire nequaquam valeat; ecquo, inquis, modo ſecundum naturam unum ille factus eſt nobiſcum, qui omnem omnino creaturam excellit? Verbum factus eſt homo: ut quemadmodum in Deitate unum & idem eſt cum Patre; ita ſecundum naturæ humanæ habitudinem ſit unum quoque nobiſcum.

Die

Die vii. Julii

IN FESTO

SANCTÆ PULCHERIÆ

VIRGINIS IMPERATRICIS

Duplex pro omnibus Sacerdotibus in hoc Templo celebrantibus.

MISSA. *Introitus. Pſ.44.*

VUltum tuum deprecabuntur omnes divites plebis: adducentur Regi virgines poſt eam: proxime ejus adducentur tibi in lætitia & exultatione. *Pſal. ibid.* Eructavit cor meum verbum bonum: dico ego opera mea Regi. ℣. Gloria Patri.

Oratio.

DEus, qui Beatam Pulcheriam Virginem tuam ſingulari caſtitatis prærogativa decoraſti, quique illi ad defendendam Eccleſiam tuam ſummum Fidei amorem tribuere voluiſti concede: ut ejus interceſſione Tibi puris mentibus inhærentes, ab omnium hoſtium inſidiis miſericorditer liberemur. Per Dominum.

Lectio Epiſtolæ beati Pauli Apoſtoli ad Corinthios.

1. *Cor. 7. d.*

FRatres, De virginibus præceptum Domini non habeo: conſilium autem do, tamquam miſericordiam conſecutus a Domino, ut ſim fidelis. Exiſtimo ergo hoc bonum eſſe propter inſtantem neceſſitatem: quoniam bonum eſt homini ſic eſſe. Alligatus es uxori? noli quærere ſolutionem. Solutus es ab uxore? noli quærere uxorem. Si autem acceperis uxorem, non peccaſti. Et ſi nupſerit virgo, non peccavit. Tribulationem tamen carnis habebunt hujuſmodi. Ego autem vobis parco. Hoc itaque dico, fratres: tempus breve eſt. Reliquum eſt, ut & qui habent uxores, tamquam non habentes ſint.

Grad. Pſ.44. Specie tua, & pulchritudine tua: intende, proſpere procede, & regna.

℣. Propter veritatem, & manſuetudinem, & juſtitiam: & deducet te mirabiliter dextera tua. Alleluja, alleluja.

℣. Filiæ regum in honore tuo, aſtitit regina a dextris tuis in veſtitu deaurato, circumdata varietate. Alleluja.

Sequen-

✠ Sequentia Sancti Evangelii ſecundum Joannem. *Cap.* XVII. 3.

IN illo tempore dixit Jeſus: Hæc eſt autem vita æterna, ut cognoſcant te ſolum Deum verum, & quem miſiſti Jeſum Chriſtum. Ego te clarificavi ſuper terram, opus conſummavi, quod dediſti mihi, ut faciam. Et nunc clarifica me tu Pater apud temetipſum claritate, quam habui, priuſquam mundus eſſet, apud te. Manifeſtavi nomen tuum hominibus, quos dediſti mihi de mundo: tui erant, & mihi eos dediſti, & ſermonem tuum ſervaverunt. Nunc cognoverunt, quia omnia, quæ dediſti mihi, abs te ſunt: quia verba, quæ dediſti mihi, dedi eis, & ipſi acceperunt, & cognoverunt vere, quia a te exivi, & crediderunt, quia tu me miſiſti.

Offertorium. *Judith* XV. 10.

Tu gloria Jeruſalem, tu lætitia Iſrael, tu honorificentia populi noſtri; quia feciſti viriliter, & confortatum eſt cor tuum, eo quod caſtitatem amaveris.

Secreta.

ACcepta tibi ſit, Domine, ſacratæ plebis oblatio pro tuorum honore Sanctorum, quorum ſe meritis de tribulatione percepiſſe cognoſcit auxilium. Per Dominum.

Communio. Sap. IV. 1. O quam pulchra eſt caſta generatio cum claritate; immortalis eſt enim memoria illius: quoniam & apud Deum nota eſt, & apud homines.

Poſtcommunio.

SAtiaſti, Domine, familiam tuam muneribus ſacris: ejus, quæſumus, ſemper interventione nos reſove, cujus ſolemnia celebramus. Per Dominum.

Poſtquam vero de Officio & Miſſa hujuſmodi ad Nos retulit dilectus Filius noſter Fortunatus Tituli S. Matthæi in Merulana Presbyter S. R. E. Cardinalis Tamburinus nuncupatus, Congregationis Sacris Ritibus præpoſitæ Præfectus, edidit Decretum, quod ſequitur.

Ordinis Canonicorum Regularium S. Auguſtini in Luſitania.

A*D humillimas preces Sanctiſſimo Domino Noſtro* BENEDICTO PAPA XIV. *porrectas per P. Gaſparem ab Incarnatione Reformatorem, & Viſitatorem Apoſtolicum Canonicorum Regularium S. Auguſtini in Luſitania, Sanctitas Sua benigne conceſſit, ut Officium S. Pulcheriæ Virginis Imperatricis de Communi Virginum ſub ritu duplicis majoris cum ſupraſcriptis Lectionibus ſecundi ac tertii Nocturni, Oratione, ac Miſſa, recitari,*

citari, ac reſpective celebrari poſſit die ſeptima Julii a Canonicis Regularibus in Luſitania, & ab aliis, qui eorum Calendario ex conceſſione Apoſtolica ibidem utuntur, necnon a Patribus Societatis Jeſu in Civitate Panormi, & in Tyrocinio Romano S. Andreæ degentibus; eamdemque Miſſam etiam a Sacerdotibus exteris ad eorum præfatas Eccleſias confluentibus celebrari poſſe conceſſit. Die 31. Januarii 1752.

D. F. Card. Tamburinus Præf.

Loco ✠ Sigilli. *M. Mareſuſcus S. R. C. Secr.*

Deinde vero haud minori lætitia affecti ſumus, cum dilectus Filius Ignatius Vicecomes ejuſdem Societatis Jeſu Præpoſitus Generalis, qui maxime profuturum confidens Religioſis ſuæ Societatis Alumnis ubique terrarum degentibus, atque iis præſertim, qui laborioſo Sacrarum Miſſionum miniſterio per Græciam, ubi Sancta Ælia Pulcheria Virgo nata continuo ſuavem ſanctarum virtutum odorem per regiones illas diffudit, addicti ad Orthodoxam Fidem a Mahumetis erroribus, ab hæreſum ſordibus, & ſchiſmatum diſſidiis vindicandam, puramque edocendam, non ſine maximo animarum profectu, & ſui nominis, ac Societatis laude adlaborant, ſi Officium, &. Miſſa hujuſmodi ad univerſos ſuæ Societatis Jeſu Alumnos extenderentur: eapropter Nobis humiliter ſupplicari fecit, ut in præmiſſis de benignitate, & auctoritate Apoſtolica indulgere dignaremur.

Nos itaque memoratum Ignatium Vicecomitem Præpoſitum Generalem, quem propter religioſas virtutes plurimi facimus, magnoque in pretio habemus, ſpecialibus gratiarum favoribus proſequi volentes, & a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis, a jure, vel ab homine quavis occaſione vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus, atque etiam deſiderio, quod laudati Bollandiſtæ hac in re oſtendunt, inclinati, Apoſtolica auctoritate tenore præſentium præinſertum Officium, & præinſertam Miſſam extendimus, atque concedimus, ut ab omnibus ejuſdem Societatis Alumnis ubique terrarum degentibus, nec non Collegialibus, & Seminariſtis in eorumdem Collegiis, ſive Seminariis, ſive Domibus conviventibus, qui ad horas Canonicas recitandas tenentur, Officium, & Miſſa ab iis omnibus Sacerdotibus in dictæ Societatis Jeſu Eccleſiis, Oratoriiſque celebrantibus juxta præinſertum decretum ſub iiſdem modo & forma quotannis die ſeptima menſis Julii recitari, & celebrari poſſit. Decer-

Decernentes, præſentes litteras & in eis contenta quæcumque ſemper firma valida & efficacia exiſtere & fore, ſuoſque plenarios & integros effectus ſortiri & obtinere debere, ſicque, & non aliter in præmiſſis per quoſcumque Judices Ordinarios & Delegatos, etiam Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, & S.R.E. Cardinales judicari & definiri debere, ac irritum & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Volumus autem, ut earumdem præſentium litterarum tranſumptis ſeu exemplis etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eadem prorſus fides adhibeatur, quæ ipſis præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub annulo Piſcatoris die 11. Februarii MDCCLII. Pontificatus Noſtri Anno Duodecimo. *Cajetanus Amatus.*

CONSTITUTIO

Qua præcipitur, ut Miſſa & Officium S. Leonis Papæ, & Confeſſoris ſub ritu Sanctorum Doctorum celebrentur.

BENEDICTUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
Ad perpetuam rei memoriam.

Militantis Eccleſiæ auctor rectorque Deus, quum eam ſuper fundamentum Apoſtolorum, & Prophetarum ædificaverit, ſummoque angulari lapide Chriſto Jeſu innixam voluerit, tum provido cavit conſilio, ut ad illius cuſtodiam atque præſidium uſque in ſæculorum finem advigilarent egregii ſanctique Doctores, qui nedum ſublimioris virtutis exemplo Fidelium mores ad Sanctitatem juſtitiamque componerent, ſed etiam doctrinæ vi & excellentia eoſdem in Fidei ſinceritate, & ſalutaris ſcientiæ veritate continerent. Horum quidem operam tanti ſe facere oſtendit communis Dominus & Magiſter, ut eos Sal Terræ, & Lucem Mundi appellaverit; utpote qui non vivæ tantum vocis officio, quemadmodum cæteri ſanctarum plebium paſtores, præſentium ſibi populorum ſaluti conſulturi erant, ſed peculiari ſapientiæ lumine Spiritus Sancti dono ditati, doctiſſimis conſcriptis Libris, univerſam Eccleſiam inſtruere, & omnium ſæculorum poſteritatem in Religione erudire debebant. Hinc Eccleſia ipſa, Sponſi

ſui Spiritu imbuta, ejuſque inſtituta ſervare ſtudens, eoſdem glorioſos Viros uberiori doctrinæ munere a Deo repletos, hoc ſingulari honore proſequi conſuevit, ut in ſolemnibus Sacris, quæ recurrentibus eorum feſtivitatibus celebrantur, tam ſcilicet in Sacrificio Miſſæ, quam in Eccleſiaſticis Officiis, ejuſmodi preces, lectiones, & laudes adhiberi jubeat, in quibus & Sancti Doctoris titulus ipſis tribuitur, & eorum ſapientia ac doctrina ſpecialius prædicantur.

Porro inter eos, quorum natales dies hoc peculiari ritu ac privilegio decorantur, merito ſemper numerandum exiſtimavimus Prædeceſſorem Noſtrum Sanctum Leonem I. Romanum Pontificem, qui (ut doctiſſimi Cardinalis Baronii verbis utamur) *ob excellentem virtutem, doctrinam, & in cura paſtorali vigilantiſſimum ſtudium, a majoribus Magni cognomento jure meruit appellari*. Cujus quidem doctrinæ excellentia, ſive in altioribus Fidei noſtræ Myſteriis explicandis, & contra inſurgentes errores vindicandis, ſive in tradendis diſciplinæ regulis, & morum præceptis, cum ſingulari Sacerdotalis eloquii gravitate & ubertate, adeo eluceſcit, ac etiam tot hominum laudibus cumulata tantoque Conciliorum, Patrum, Scriptorumque Eccleſiaſticorum ſtudio & conſenſu celebrata dignoſcitur, ut Sapientiſſimus Pontifex nulli ferme Sanctorum Doctorum, qui in Eccleſia floruerunt, aut fama, aut exiſtimatione poſtponendus eſſe videatur. Et ſane Sancta univerſalis Synodus apud Chalcedonem congregata, non illum tantummodo *vocis Beati Petri interpretem* appellavit; ſed & illius de Incarnatione Domini doctrinam venerabunda ſuſcipiens, exclamare non dubitavit: *Petrus per os Leonis locutus eſt.* Idem Sanctus Pontifex a Concilio Conſtantinopolitato ſub Menna celebrato, *illuminator & columna Eccleſiæ*; idem a ſexta Synodo, *firmamentum orthodoxæ Fidei* prædicatur; idem in pervetuſto Synodorum Libro *Apoſtolicorum dogmatum defenſor, & Apoſtolis coæquandus* dicitur. Quid autem clariſſimi Religionis noſtræ Proceres ac Patres? Sanctus Sophronius Hieroſolymorum Antiſtes *Sanctiſſimum Romanæ Eccleſiæ, immo omnium, quæ ſub Cælo ſunt, luminare* Leonem fuiſſe affirmavit. Utque aliorum innumera prætereamus teſtimonia, S. Nicolaus Papa I. ad Michaelem Imperatorem ſcribens, libere aſſeruit, quod niſi Deus Leonis virtutem atque doctrinam adverſus Latrocinium Epheſinum excitaſſet, *Religio Chriſtiana penitus corruiſſet*. Etſi autem Eccleſia inter eos, quos Doctorum titulo & appellatione diſtinguit, Sanctum Leonem Pontificem nondum peculiari Decreto recenſuit; illius tamen doctrinam tanto in honore ſe habere oſtendit; ut ipſius ſcripta, non

ſecus

ſecus ac illorum, quos præcipuos Religionis Magiſtros atque Doctores jamdudum veneratur, in Divinis Officiis frequenter locum habere juſſerit, & in iis præſertim Solemnitatibus, quibus majora Fidei noſtræ Myſteria per anni curſum recoluntur, univerſum Clerum & Populum ex illius Sermonum lectione ſolidam eruditionem, & ſpiritale pabulum haurire voluerit.

Ad hæc autem, quæ de Sancti Leonis meritis & gloria cum omnibus ſentimus, & jampridem animo Noſtro reputavimus, peculiaris quædam, Nobiſque cum paucis communis, accedit cauſa, quæ noſtram olim erga ipſum pietatem & venerationem magnopere accendit & auxit; quod ſcilicet dum in Vaticana Beati Petri Baſilica Canonicalem dignitatem in minoribus obtineremus, quum Sacrum illius Corpus, a multo jam tempore ſub Altari Sanctæ Mariæ de Columna nuncupatæ quieſcens, ad alterum ipſius Sancti Pontificis nomine in eadem Baſilica erectum, & dedicatum, ſolemni ritu, ac pompa transferendum fuit, venerabilium illius oſſium elevationi & recognitioni præſentes adſuimus, eaque noſtris oculis intueri, ac debito cultu proſequi, ſummæ felicitatis loco habuimus, cujus rei Nos alibi, nimirum in Opere *de Canonizatione Sanctorum Lib.4. Part.2. Cap.23.* mentionem fecimus.

Quod itaque ſemper, præmiſſas ob cauſas, juſtum & æquum cenſuimus, quodque Noſtra in Sanctum Pontificem ſingularis devotio Nobis ſuadet, hoc demum, auctoritate Apoſtolicæ Sedis, in qua, magno licet temporum, majore autem meritorum intervallo, eidem ſucceſſimus, nunc reipſa præſtare decrevimus; Ideoque exempla ſequentes aliorum Romanorum Pontificum Prædeceſſorum Noſtrorum, qui præter ſummos illos Eccleſiæ Doctores, alios etiam Sanctiſſimos Viros, qui eximia doctrinæ laude, in Eccleſia floruerunt, eamque Scriptis ſuis locupletarunt, proprio Doctorum titulo & cultu honorandos eſſe decreverunt, Motu proprio, & certa ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, volumus, præcipimus, & mandamus, ut in Officii Divini Breviario, in Feſto Sancti Leonis Papæ & Confeſſoris, Antiphona *ad Magnificat* in utriſque Veſperis ponatur ea, quæ incipit: *O Doctor optime;* In Miſſa autem dicatur Introitus: *In medio Eccleſiæ;* & poſt Collectam ſubſequatur, Lectio Libri Sapientiæ: *Juſtus cor ſuum tradet;* cum Graduali, ut in Communi Doctorum; Poſt Evangelium verò dicatur *Credo;* Reliqua, ut in conſueta Miſſa propria de Sancto Leone. Atque ita per omnes Eccleſias, & reſpectivè ab omnibus & ſingulis, qui ad Divini Officii recitationem tenentur, perpetuo ſervandum ſtatuimus & decernimus: Non obſtantibus contrariis Rubricis, uſibus, & conſuetu-

ſuetudinibus, etiam expreſſe per Sedem Apoſtolicam approbatis & confirmatis, aliiſque in contrarium facientibus quibuſcumque.

Nulli ergo hominum liceat paginam hanc Noſtri præcepti, mandati, ſtatuti, decreti, & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire: Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus, ſe noverit incurſurum.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo ſeptingenteſimo quinquageſimo quarto, Idibus Octobris, Pontificatus Noſtri Anno Quintodecimo.

F. Card. Pro-Datarius. D. Card. Paſſioneus.

VISA

De Curia J. C. Boſchi.

Loco ✠ Plumbi. L. Eugenius.

ADDITIONES NOVISSIMÆ.

Ad Caput IX. ubi de Feſtorum Imminutione agitur, pag. 128. addantur hæc verba:

Menſe Decembri 1748.

Simile pro Regno Siciliæ citra Pharum, necnon pro Meſſanenſi, & Panormitano Archiepiſcopatibus.

Menſe Julio 1749.

Simile pro Archiepiſcopatibus, atque Epiſcopatibus Etruriæ.

Ad Caput II. in quo referuntur *Decreta ſuper ſignatura Commiſſionis, & Remotionis Obſtativorum*, poſt VI. Decretum pag. 30. addatur ſequens Decretum VII. nempe:

VALENTINA BEATIFICATIONIS, ET CANONIZATIONIS
VEN. SERVI DEI JOANNIS DE RIBERA.
Patriarchæ Antiocheni, & Archiepiſcopi Valentini.

INſtaurato in Congregatione Præparatoria diei 28. Novembris 1752. examine Virtutum heroicarum Ven. Servi Dei Joannis de Ribera Archiepiſcopi Valentini, & Patriarchæ Autiocheni, cum a R. P. Ludovico

Digitized by Google

dovico de Valentibus tunc Fidei Promotore validius quam antè objectum fuerit conſilium irrequiſita Sede Apoſtolica datum ab eodem Servo Dei Catholico Hiſpaniarum Regi Philippo III. de ejiciendis indiſtinctè a finibus Hiſpaniarum Mauris, ſive parentibus, ſive cujuſcumque ſexus, & ætatis filiis, charitati, & prudentiæ videri oppoſitum, ſecutamque exinde cum effectu ejectionem in animarum perniciem, & Catholicæ rei diſpendium ceſſiſſe; ideoque conſilium hujuſmodi obſtare, quominus in hac Cauſa ad ulteriora procedi poſſet: Sanctiſſimus Dominus Noſter Benedictus PP.XIV. pro hujuſmodi difficultatis examine particularem deputavit Congregationem Reverendiſſimorum Cardinalium Portocarrero Cauſæ Relatoris, Tamburini Sac. Rituum Congregationis Præfecti, & Galli, nec non aliquot Theologorum è numero Conſultorum dictæ Sacræ Congregationis, R.P. Benedicti Veterani moderni Fidei Promotoris, & mei Secretarii: Habitaque eadem particulari Congregatione coram Sanctiſſimo die 28. Septembris currentis anni, Sanctitas Sua audita ſuper re hujuſmodi tam Reverendiſſimorum Cardinalium, quam aliorum Suffragantium unanimi ſententia, diligentique admodum diſcuſſione librata facti ſerie una cum omnibus, & ſingulis circumſtantiis ſedulo enucleatis, declaravit, Conſilium prædictum datum a Servo Dei de Mauris tam adultis, quam infantibus ab Hiſpania indiſtinctè ejiciendis nullum præbere obicem, quominus ad ulteriora procedatur, & rite abſolvatur Dubium ſuper Virtutibus jamdiu propoſitum, nec adhuc reſolutum; quinimo ex conſilio hujuſmodi luculenter oſtendi, quo ardenti zelo flagraverit Servus Dei pro Fide Catholicâ, & pro avertendo a credito ſibi Grege ſpirituali, & temporali quolibet detrimento; quantumque de eadem Catholica Fide egregie promeriti ſint Catholici Hiſpaniarum Reges, qui illam poſthabitis humanis quibuſcumque rationibus, perpetuo ſtudio, invictoque robore propugnarunt. Atque ita decrevit, ac ſervari mandavit: Die xxx. Septembris MDCCLVI.

D. F. Card. Tamburinus Præfectus.

Loco ✠ Sigilli.

M. Mareſuſcus S. R. C. Secretarius,

Decretum VII. ſuper Virtutibus addendum poſt Decretum VI. ſuperius relatum pag.672. & ſeqq.

FLORENTINA BEATIFICATIONIS, ET CANONIZATIONIS

VENERABILIS SERVI DEI HIPPOLYTI GALANTINI

Fundatoris Congregationis Doctrinæ Chriſtianæ in Urbe Florentina ſub titulo S. Franciſci.

Diſcuſſo de more in Congregationibus Antepræparatoria diei 16. Septembris 1749., & Præparatoria diei 2. Decembris ſuperioris anni Dubio Heroicarum Virtutum Ven.Servi Dei Hippolyti Galantini Fundatoris in Urbe Florentina Congregationis Doctrinæ Chriſtianæ,

ſtianæ, inſtitutæ ſub titulo S, Franciſci, earumdem Virtutum examen denuo inſtauratum eſt in Sac. Rituum Congregatione Generali coram Nobis habita die 28. Septembris anni nunc labentis. In hac gravi deliberatione ineunda nullas officii, nullas laboris, & diligentiæ noſtræ partes deſiderari paſſi ſumus. Siquidem prævie agnita, & luculenter perſpecta ex tribus potiſſimum Apoſtolicis Proceſſibus rite conſtructis tota ſerie Vitæ ejuſdem Ven. Servi Dei, libravimus, atque invicem conferre non prætermiſimus ea omnia, quæ oculati Teſtes numero, pietate, & dignitate præſtantes, litterarum monimentis unanimi ſenſu conſignarunt; Poſtulatorum Scripturas, aliaſque a Promotore Fidei exaratás ſedulo evolvimus; Advocatos Cauſam orantes audivimus; Conſultorum Suffragia ſcripto Nobis tradita attente perlegimus; in ipſa Congregatioue totius Cauſæ momenta uſque ab illius exordio aperuimus; & demum ſententias a Ven. Fratribus Noſtris S. R. E. Cardinalibus Cong. Sac. Rit. adſcriptis prolatas excepimus. Porro etſi omnium Suffragantium fuerit pro Virtutibus heroicis mirifica animorum conſenſio; nihilominus deliberationem noſtram in aliud tempus rejecimus, non ſolum, ut tanto negocio ſecundæ noſtræ adhiberentur curæ, ſed etiam ut in humilitate cordis opem præſtolaremur ab Omnipotenti Deo, qui mentes hominum lumine ſuæ claritatis illuſtrat, & inducit in omnem, ſicut promiſit Filius, veritatem. Interea mentis aciem dirigentes ad ferventem devotionis affectum, & ad grata obſequia, quibus Ven. Hippolytus per integrum vitæ ſuæ curſum proſecutus eſt S. Luciam Virginem, & Martyrem, atque animo revolventes, eumdem prima ſuæ Congregationis fundamenta jeciſſe in Eccleſia Sanctæ eidem Virgini dicata, atque illius peculiari tutelæ Socios primitus a ſe adlectos commiſiſſe; hunc ſolemnem diem, ad recolendam Sanctæ ejuſdem Virginis Luciæ memoriam pie inſtitutum, opportunum judicavimus, quo deliberatio tandem noſtra auſpicato prodiret. Itaque accitis coram Nobis Secretario Congregationis Sacror. Rituum, & Fidei Promotore, inhærentes tum Conſultorum, tum Cardinalium concordibus Suffragiis, propoſito Dubio *Affirmativè* reſpondemus: *Conſtare* videlicet *de Virtutibus Theologalibus Fide, Spe, & Charitate erga Deum, & Proximum; Et de Cardinalibus, Prudentia, Juſtitia, Fortitudine, & Temperantia, earumque annexis in gradu heroico in caſu, & ad effectum de quo agitur*; Et præſens Decretum manu noſtra ſignatum inter Acta Congregationis Sacror. Rituum aſſervari volumus, & mandamus. Datum apud Sanctam Mariam Majorem die XIII. Decembris MDCCLVI. Pontificatus Noſtri Anno Decimoſeptimo,

D. F. Card. Tamburinus Præf.

Loco ✠ Sigilli.

M. Mareſuſcus S.R.C. Secr.

FINIS.

INDEX

Digitized by Google

INDEX

RERUM NOTABILIORUM, ET AUCTORUM

Qui de eiſdem ſcripſerunt, prout in hac de BB. Canonizatione, Servorumque Dei Beatificatione Synopſi continentur.

A

A*aron* plura effecit prodigia. pag. 320.

Abbates ſub Gregorio XIII. amiſerunt privilegium ſuffragium ferendi in Conſiſtoriis pro cauſis Servorum Dei. 40.

Abraham in lectulo ſuo obiit. 275. A Deo juſſus filium immolare. 283. & 284.

Abſtinentia diuturna a cibo, & potu an miraculoſa? 408. & ſeqq. De ea plura examinantur. *ibid.*

Abulenſis ſcripſit de ſignis. 31.

Achab a Dæmone deceptus. 280.

Acta Martyrum qualiter ſcribenda? 8.

Acta Proconſularia quid fuerint? 3.

Actus humani undenam bonitatem, vel malitiam ſortiantur? 282.

S. Acurſius M. 645.

S. Adelardus quonam modo coli cœperit? 7.

S. Adjutus M. 645.

Ado Martyrologium edidit, de quo nonnulla diſcutiuntur. 464.

Advocati Conſiſtoriales pluribus gaudent prærogativis. 20. Eorum peroratio pro cauſis Servorum Dei explanatur. 40.

Advocati Fiſcales pro cauſis Servorum Dei qui, & quæ ipſorum munera? 18.

Affines num in proceſſibus valide ferant teſtimonium. 174.

S. Agnes de Monte Politiano cultu immemorabili decorata. 304. Ante Canonizationem in Martyrologio *Sancta* nuncupata, ſed error expunctus. 465.

S. Agnes Virgo & Martyr a Prudentio commendatur. 4.

Agnus Dei ſunt formæ cereæ, inſigni virtute exornatæ. 331. Quonam a tempore earum benedictio invaluerit. 474.

S. Agricola cultu decoratus ex conceſſione Joannis VIII. 7.

Aguirre Cardinalis ſermonem habet de virtutibus. 115. & ſeqq.

Alanus Copus ſcripſit de Hæreticis. 211. & 212.

Alapide V. Cornelius Alapide.

S. Albanus ab Hadriano I. canonizatur. 7.

Albitius Cardinalis pertractat de cauſis martyrii. 207. Et de laureolis. 88. Et de tabellis votivis. 89.

Alcides apud Ethnicos Heros exiſtimatus. 214.

Alexander de Hales diſſeruit de Gratia. 284.

Alexander Magnus an e cadavere odorem effuderit. 422.

B. Alexander Saulius Beatorum catalogo inſcribitur. 486.

Alexander ſecundus Papa quorumdam SS. cultum approbavit. 8. & 9. Virtutibus, & miraculis claruit. 36. Quare non canonizatus? 37.

Alexander ſeptimus Papa plura Decreta edidit de SS. Rituum Conſultoribus. 17. Et de Servorum Dei Beatificationibus. 26. Et de cultu eis præſtando. 48. 153. 154. 161. & 164.

Alexander Severus Imperator Chriſti Apotheoſim tentavit. 2.

Alexander tertius Papa erga nonnullos SS. cultum conceſſit. 9. Pſeudo Papas plures ſibi infenſos habuit. *ibid.* Indebitam cuidam venerationem ſuppreſſit. 10. Nonnullas habuit Canonizationes. 15. & 32. Decreta publicavit de teſtium numero ad conficiendam probationem. 172. Et ad Teſtamenta. 172. Diſſeruit de miraculorum neceſſitate ad Canonizationes. 31.

B. Alexius de Falconeriis cultu immemorabili celebratur. 119. Nonnulla de eo explanantur. *ibid.* & 120. & 121.

S. Aloyſius Gonzaga qualiter canonizatus. 106. Quamvis peſte correptus, inter SS. Confeſſores annumeratur. 183. Impuras tentationes nunquam expertus. 246. Claudum miraculoſe ſanavit. 354. Et Monialem cancro laborantem. 372. Et fœminam hectica febri vexatam. 376. Et ægrotam urinæ retentione. 383. Miraculum ſpirituale patravit. 411.

Alphonſus de Caſtro loquitur de morientibus pro B. V. Mariæ Conceptione. 209.

Servus Dei Alphonſus de Oroſco qualiter tumulatus? 91.

Alvarez de Paz egit de ſcrupulis. 248.

B. Alvarus de Corduba cultu immemorabili inſignitus. 122. De eodem alia exponuntur. *ibid.*

Amauroſis quid? 348. An naturaliter ſanabilis? *ibid.* & ſeqq.

S. Ambroſius plura habet de virtutibus. 214. Invitus Epiſcopatum ſuſcepit. 249. Calumniis ait, nihil eſſe reſpondendum. 282. Reos a pœnis liberavit. *ibid.*

B. Amadeus Dux Sabaudiæ cultu gaudet immemorabili. 118. Ejus laudes recenſentur. *ibid.* 268. & 269.

Ammonius Monachus quare cultu privatus? 59. Epiſcopatum recuſavit. 249.

Amor Dei an dari poſſit abſque mixtura proprii intereſſe? 114.

Anaſtaſius quartus Papa virtutibus inſignis. 37.

Ancaranus explicat requiſita ad SS. Canonizationes. 213.

S. Andreas Apoſtolus e ſepulchro mirum liquorem diffudit. 421. Cur die 30. Novembris celebretur? 461. Ejus Caput ſolemniter tranſlatum. 477.

S. Andreas Avellinus licet apoplexia emortuus, in SS. numerum relatus. 275. Canonizationem ſuam prædixit. 279. Ab ingruente pluvia non madefactus. 401. De ejus ſanguinis incorruptione quædam adnotantur. 420.

Aaaaa Ven. An-

Ven. Andreas Bobola, & de ejus Martyrio decretum. 470. & ſeq.

B. Andreas Cacciola commendatur. 123. Cultu immemorabili decoratur. *ibid.*

B. Andreas de Comitibus cultu gaudet immemorabili. 120. Inter Cardinales cooptatus. 254. Conceſſio pro ejus Officio, & Miſſa. 617.

S. Andreas Corſinus pie obiit. 573.

B. Andreas Rinnenſis, ejus cultus an ampliandus, & indicendus de præcepto per ſolemnem Canonizationem. 699. & ſeqq.

Aneuryſma quid ſit. 384. De eo alia. *ibid.*

B. Angela de Fulgineo revelationibus, ac viſionibus Divinis recreata. 304.

Angeli quomodo apparuiſſe, & ſermonem habuiſſe dicantur? 305. An virtute faciendi miracula præditi? 317. Aſſumpta corpora aliis manifeſtare, aliis occultare poſſunt. 425. Num cultu decorandi? 493. & 494. De eorum nominibus, & Ordinibus. 494. Invocantur in Litaniis, & in ipſorum honorem Templa Deo dicantur. *ibid.* Corporis omnino ſunt expertes. *ibid.* Alia de ipſorum cultu expenduntur. 494. & 495.

B. Angelus a Clavaſio, ejuſque cultus immemorabilis. 654. & ſeq.

S. Angelus Martyr cultu inſignitus poſt patrata miracula. 23.

Angelus Rocca differit de Apollinaris Canonizatione. 7. Et de teſtibus pro cauſis Servorum Dei. 174. Et de oblationibus in Miſſa Canonizationis. 43. Et de requiſitis ut quis in SS. numerum referatur. 128.

S. Angilramnus e Paſchali II. canonizatus. 8.

S. Anretus Martyr ubinam efferetur. 485.

Animæ mortuorum interdum dicantur apparuiſſe. 301. 413. & 424. De hujuſmodi apparitionum cauſis. 424.

Anna de Bourg quamvis hæretica, mortem impavide ſuſtinuit. 212.

Anniverſaria dies obitus dum celebratur, an ſultum arguat. 98.

Anuph Abbas ſe ipſum commendavit. 278.

S. Anſelmus Cantuar. cultum indebitum nonnullis exhibitum abrogavit. 6.

S. Anſelmus Lucenſ. an Cardinalitia fulſerit dignitate. 253. Virtutibus claruit. *ibid.*

S. Anterus Papa & Martyr Acta Martyrum in Eccleſia recondidit. 3.

Antichriſtus an vera miracula operaturus? 323.

Antimenſiorum uſus in Ruſſia. 439.

S. Antoninus plura explicat de SS. Canonizationibus. 13. & 15. Et de revelationibus. 303. Et de perſecutionibus, quibus Servi Dei affliguntur. 145. Et de cauſis Martyrii. 207. Et de virtutibus. 216.

B. Antonius Fatatus virtutibus floruit. 99. Cultu immemorabili celebratur. *ibid.*

Antonius Lampridius pertractat de Chriſti Apotheoſi. 1. Et de Conceptione B. Virginis Mariæ. 209.

S. Antonius Patavinus V. S. Antonius Ulyſſiponenſis.

Antonius Piccus ſe longum jejunium obſervaſſe ementitus eſt. 409.

B. Antonius a Stroncono virtutibus clarus, cultu gaudet immemorabili. 133.

S. Antonius Ulyſſiponenſis qualiter canonizatus? 21. & 41. A pueritia futuram demonſtravit ſanctitatem. 275. Ejus lingua miraculoſe a corruptione illæſa. 457.

Antropomorphitæ quem in errorem lapſi? 473.

Apollinaris num e Nicolao I. Canonizatus? 7.

Apollonius Thianeus an miraculoſum ſe geſſerit? 322.

Apoplexia quid? 381. De ejus ſymptomatibus, ſpeciebus, & curatione. *ibid.*

Apoſtoli ab initio Eccleſiæ coluntur. 5. Quinam hoc titulo decorandi. 451. & 452.

Apoſtolus V. S. Paulus Apoſtolus.

Apotheoſis an, & qualiter a Canonizatione differat. 1. & ſeqq. In honorem Chriſti D. tentata, minime obtenta. 1.

Apparitiones multiplicis ſunt generis. 303. & ſeqq. Divinæ recenſentur. 300. & ſeqq.

Aranno ſcripſit de revelationibus. 308. & 309. Et de miraculis. 337.

B. Archangelus Canetus cultu immemorabili fulget. 100. Virtutibus, & miraculis clarus. *ibid.*

Argumentum negativum quid apud Hiſtoricos? 179. & ſeqq.

S. Arialdus ab Alexandro II. canonizatus. 8.

Ariſtoteles ſcripſit de virtutibus. 214. Et de unguium, capillorumque in mortuis incremento. 419.

Arnaldus hæreſeos Reus, etiam poſt mortem punitus. 85.

S. Arnulphus qualiter cultum aſſecutus? 8.

Ars noteria merito proſcripta. 287.

S. Arſenius mortem horruit. 274.

S. Artemius pro Chriſti fide capite damnatus. 200.

Arthritis quid? 382. De ejus ſpeciebus, ac ſanatione. *ibid.*

Aſclepiades an mortuum ad vitam revocaverit? 392.

S. Athanaſius calumnias viriliter toleravit. 245. Scripſit de cultu erga viventes. 83. Et de Fide. 207. Ejus cadaver Venetias translatum. 483.

S. Atilanus ab Urbano II. SS. albo adſcriptus. 8.

Auditores Rotæ qualiter ſe gerere debeant in cauſis Servorum Dei. 18.

S. Auguſtinus ſermonem habet de SS. Canonizatione. 2. Et de cultu Latriæ. *ibid.* Et de gratiis a Deo conceſſis. 13. Et de neceſſitate virtutum ad Martyres canonizandos. 30. Et de Servis Dei. 47. Et de cultus exhibitione. 62. Et de Eccleſiæ ornamento. 92. Et de errore S. Cypriani circa Baptiſmi reiterationem. 133. Et de dilectione propria. 135. Plura Opera concinnavit. 138. Matrem ſuam S. Monicam rite commendavit. 175. Differit de Principum poteſtate in Paganos ſibi ſubditos. 201. Et de Pſeudo Martyribus. 210. Et de Infidelium occiſione. 205. Et de Martyrum patientia. *ibid.* Et de cauſis Martyrii. 206. & 212. & 213. Et de Virtutibus. 214. & 215. Et de non ambiendis Eccleſiaſticis dignitatibus. 250. Et de peccatorum objurgatione. 280. Pie e vita deceſſit. 272. Hæreticos leniter interdum, & acriter aliquando excipiebat. 281. Judicium ſuum profert de reorum a pœnis liberatione. *ibid.* Et de actibus humanis. 282. Et de viſionibus, ac Apparitionibus. 303. Et de miraculis. 315. & 316. Et de geſtis Chriſti Domini. 317. Et de converſione

Iphi-

Digitized by Google

Iphigenia in cervam. 319. Et de natura, ac virtute Dæmonum. 322. Et de viribus imaginationis. 427. Et de ſanctificatis in utero materno. 471. Et de S. Joſephi prærogativis. 471. Apud Hiſpanos Feſto de præcepto colitur. 460. Ejus corpus ab Infidelibus pretio redemptum. 487. Qualiter inventum? 489.

B. Auguſtinus Dalmata immemorabili cultu celebratus. 115. Ulterius laudatur. *ibid.*

Auguſtinus Lubin quodnam ediderit Martyrologium. 465.

Auguſtinus Patritius Piccolomineus agit de SS. Canonizationu. 23.

Auguſtinus Triumphus negat, ad Martyres canonizandos neceſſaria eſſe miracula. 30. Quædam habet de cultu Servorum Dei. 85. Et de requiſitis ad Canonizationem. 128.

B

B*Aillet* pertractat de cultu S. Paſchaſii. 8.

Baldellus agit de miraculorum neceſſitate ad canonizandos Martyres. 30. Et de eorum beatitudine. 31. Et de diſcrimine inter ſigna & miracula. 31. Et de luminibus accenſis ad ſepulchra Servorum Dei. 89. Et de Extaſibus. 297. & 300. Et de viſionibus. 302. & 303.

Balſamatio cadaverum quid? 415.

Bannez ſcripſit de Chriſtianorum Principum in Paganos poteſtate. 202.

Baptiſmus quonam effectus producat. 216.

S. Barbara V. M. ejus Miſſa, & Officium proprium. 644.

Baronius. V. Caſar Baronius.

B. Bartholomæus de Amideis ab immemorabili tempore celebratur? 121. De eodem alia. *ibid.*

S. Bartholomæus Apoſtolus quandonam translatus. 465.

Ven. Bartholomæus de Martyribus ſcripſit de tribulationum utilitate. 249. Et de Eccleſiaſticis dignitatibus. 250.

Bartelus non pauca edidit de ſanctitate. 219.

S. Baſilius pie mortuus eſt. 272. In Hæreticos qualem ſe geſſerit. 281.

Beati æquivalenter plures recenſentur. 35. Quinam tales dicendi? 47. Qualiter depingendi? 48. An in Martyrologio deſcribendi? 466. & 467. Et Officio cum octava celebrandi. 456. Et in Patronos locorum eligendi. 458.

Beatificandi Pœnitentiæ & SS. Euchariſtiæ Sacramenta frequentaſſe debent. 236. & ſeqq. Et corpus afflixiſſe. 241. & ſeqq. Et tribulationes pertuliſſe. 243. & ſeq.

Beatificatio a quonam tempore celebrari conſueverit? 10. & 48. De ipſius celebratione 26. Solemnitate. 26. & 27. De differentia a Canonizatione. 50. & 51. Quid ſecum involvat? 50. Quotuplex ſit, & an ſemper infallibilis? 59. & 60. An ex ſolo proceſſu Ordinario ad eam deveniri poſſit? 82. De ea quædam alia. 215. *Æquipollens*, quid ſit. 433. & ſeqq. *Formalis* expenditur. 431. & ſeqq.

Beda pluribus ex titulis commendatur. 47. Martyrologium edidit. 464. De eo plura. *ibid.*

Bellarminus Cardinalis ſcripſit de Martyrum cultu in primitiva Eccleſia. 4. Et de cultu Confeſſorum. 5. & 6. Et de Canonizatione, S. Ludgeri. 7. Et de jure beatificandi, ac canonizandi. 10. & 12. Et de virtutum neceſſitate ad canonizandos Martyres. 32. Et de *Divi* nomine. 49. Et de SS. cultu. 48. & 85. B. Alexandri Saulii ante Sedis Apoſtolicæ ſententiam cultum promovit. 105. Quid ſenſerit de Vincentio Lirinenſi. 138. Et de teſtibus de auditu pro cauſis Servorum Dei. 167. Et de requiſitis ad martyrium. 194. Et de Eccleſiaſticis dignitatibus. 250. Cardinalatum invitus ſuſcepit. 251. Commendat virtutes Cardinalium, quos imitari ſibi propoſuit. 254. Virtutibus illuſtris fuit. 254. & ſeqq. Definit meritum, vota, & virtutes heroicas. 218. Loquitur de Regibus, & Principibus canonizatis. 267. Et de pio obitu Servorum Dei. 272. Et de Chriſti operibus. 317. Deſignatus fuit ad corrigendam Martyrologium Romanum. 464.

Bellum an a Summis Pontificibus, & Principibus Chriſtianis gerendum? 269.

S. Benedictus Abbas pio obitu e vita diſceſſit. 272. An Dei Eſſentiam viderit. 302. Ipſius cadaver num è Caſſinenſi Monaſterio furto ſublatum. 484.

B. Benedictus Antellenſis immemorabili cultu gaudet. 120. De eodem alia exponuntur. *ibid.*

Benedictus XIV. Papa expedivit Bullam Canonizationis S. Eliſabethæ Luſitaniæ Reginæ. 10. Qualem ſe geſſerit in cauſis quorumdam Servorum Dei. 16. & 19. Plura decrevit de eorum cultu. 28. 30. 35. 41. & 72. Diſſerit de infallibilitate Papæ in Canonizationibus. 62. Et de rebus cultum publicum importantibus. 93. Decretum edidit de examinandis virtutibus, & miraculis Servorum Dei. 165. Sententiam profert de teſtimonio pro cauſis Servorum Dei lato a Confeſſariis. 175. Et de morte B. Camilli Gentili. 190. Et de iis, qui ſe ſponte martyrio perferendo obtulerant. 197. In locum decentiorem transferri juſſit S. Camillum de Lellis beatificandum. 476. Diſſertationem edidit de imminuendis Feſtis de præcepto. 460. & ſeqq. Martyrologium Romanum locupletius vulgavit. 466. & 468.

Benedictus XIII. Papa Conſultores SS. Rituum deſignavit. 16. 88. nonnullos ubinam canonizaverit, Servoſque Dei beatificaverit? 41. Plures ſimul in SS. numerum retulit. 42. Quid ſenſerit de Oblationibus in Miſſis Canonizationis. 46. Brevitati ſtudens Canonizationum Bullas expedivit. 46. Nonnulla decrevit de ritibus Orientalibus. 49. S. Joannem Nepomucenum occiſum, cum ſigillum Sacramentale obſervaſſet, inter Martyres recenſuit. 207. Feſta de præcepto pluribus in Diœceſibus ad pauciorem numerum reduxit. 461.

Benedictus IX. Papa an erga S. Romualdum & alios cultum conceſſerit? 7. & 8. Poſt mortem num apparuerit? 424.

Benedictus VIII. Papa S. Simeonem Monachum cultu decoravit. 7.

B. Benedictus a S. Philadelphio virtutibus floruit. 126. Cultum obtinuit immemorabilem. *ibid.*

Benedictus VI. Papa approbavit S. Burckardi cultum. 7.

B. Benedictus XI. Papa cultu celebratur immemorabili. 121. De eo plura explanantur. *ibid.* De operibus ab eo ſcriptis. 139. A quodam Scriptore inca-

incuſatus, ab aliis commendatur. 148. Qualem ſe gesſerit in Summo Pontificatu? 253.

S. Berardus M. 645.

Bernardinus de Buſtis in honorem SS. Nominis Jeſu Officium compoſuit. 496.

B. Bernardinus de Feltrio cultu decoratus immemorabili. 110. Ejus virtutes extolluntur. *ibid.*

S. Bernardinus Senenſis calumniis vexatus eſt. 146. Sanctiſſimum Jeſu Nomen ardenter coluit. 496.

S. Bernardus Abbas ab Alexandro III. canonizatus. 9. Plura habet de SS. Canonizationе. 12. Poſtremus dicitur Eccleſiæ Pater. 101. Scientia clarus fuit. 128. Ejus doctrina reverenter impugnari poteſt. 139. In aliquibus deceptus fuit. 147. Deſcribit SS. tribulationes. 248. Et Cardinalium virtutes. 255. Pie obivit. 274. Diſſerit de bello juſto. 270. Et de morte S. Malachiæ Epiſcopi. 272. Abaelardum hæreſi infectum convertit. 280. Quid de Hæreticis ſcripſerit? 281. Reum a ſupplicio liberavit. *ibid.* Loquitur de tranſitu ab uno in alium Regularem Ordinem. 281. Et de Obedientia. 282. Et de actibus humanis. 283. Cui Pſeudo-propheta apparuit. St. 293. Dominium in aquæ elementum manifeſtavit. 401. Commendat ſanctificatos in materno utero. 471.

S. Bernardus Cardinalis virtutibus inſignis fuit. 254.

B. Bernardus Ptolameus a pluribus Auctoribus laudatur. 109. Cultu immemorabili celebratus. 110. conceſſio pro ejus Officio, & Miſſa. 617.

S. Beraunerdus a Cæleſtino III. canonizatus. 9.

S. Bertinus qualiter cultum obtinuerit. 8.

B. Bertrandus Patriarcha Aquilejen. ejuſque cultus ampliatus. 690. & *ſeqq.* ibi in *Oratione de laude* ab *suis* Civibus, & *ſcribendum* juribus.

S. Bertulphi cadaver furto ſublatum. 481.

Berullius Cardinalis quid ſenſerit de purpura Cardinalitia. 255.

Beſſarion Cardinalis agit de SS. Canonizationibus. 23. A Cardinali Papienſi commendatur. 257.

S. Birgittæ qualiter canonizata? 9. & 174. Revelationem dicitur habuiſſe de clavis Chriſti D. 135. De aliis Divinis viſionibus, ac revelationibus ei factis. 306. & 307.

Bivarius ſcripſit de Sanctorum Catalogo. 48.

Blondellus pertractat de viribus imaginationis. 429.

Bollandiani ſcripſere de Canonizatione S. Trudperti. 7. Et de cultu erga nonnullos SS. conceſſo a Joanne VIII. *ibid.* Et ab aliis Summis Pontificibus. 8. & 9. Et de jure ad beatificandum, ac canonizandum. 10. & 11. Et de Beatificatione Ven. Petri de Lucemburgo. *ibid.* Et de Martyribus pueris. 14. Et de S. Stanislao Epiſcopo. 15. & 22. Et de SS. Franciſco Aſſiſienſi, ac Antonio Ulyſſiponenſi. 23. Et de cultu erga alios BB. approbato. *ibid.* Et de Conſiſtorio Pontificio pro ipſorum cauſa. 23. Et de B. Joanne Epiſcopo. 23. Et de aliis Martyribus. *ibid.* Et de Indulgentiis pro Canonizationibus concedi ſolitis. 42. Et de aliis ad Canonizationes attinentibus. 43. Et de Ven. Beda. 47. Et de Lucifero Calaritano. 51. & 52. Et de S. Norberto. 53. Et de S. Gregorio VII. 55. Et de proceſſibus ordinariis. 82. Et de B. Helena Utinenſi. 91. Et de B. Gerardo Tullenſi. 94. Et de nonnullis, antequam canonizentur, invocatis in Litaniis. 95. Et de demonſtratione cultus immemorabilis. 103. Et de B. Salvatore de Horta. 117. Et de Joachim Abbate. 137. Et de Ven. Roberto de Arbriſello. 147. Et de literis remiſſorialibus olim expeditis. 158. Et de teſtibus de auditu. 167. Et de illis, qui peſte laborantibus inſervientes occubuerunt. 183. Et de Martyribus. 186. & 187. 193. 194. 195. Et de iis, qui Tyrannos provocarunt. 200. Et de occiſis pro virtutum exercitio. 207. Et de Martyrum conſtantia, ac multitudine. 212. Et de plerium Servorum Dei tribulationibus. 244. 245. 247. & 248. Et de SS. Cardinalibus. 254. Et de SS. Peregrinis. 272. Et de pio obitu S. Benedicti Abbatis. 272. Et de SS. Reliquiis furto ſublatis. 483. Et de ſignis Martyrum in ſepulchris. 489. Et de virtutibus B. Imeldæ de Lambertinis. 275. Et de cadaverum incorruptione. 414. Et de ſanguine a nonnullis affuſo. 420. Et de nonnullis in Breviario Romano contentis. 456. Et de electione SS. in Patronos locorum. 457. Et de S. Joſaphat. 470.

Bollandiſtæ. V. *Bollandiani.*

Bollandus meminit Actorum Martyrii S. Vigilii Epiſcopi. 4. Et S. Joannis Chryſoſtomi. 6.

Bona Cardinalis diſſerit de antiquitate cultus SS. Confeſſorum. 5. Et de Oblationibus. 46. Et de juſtorum tribulationibus. 249. Et de fugiendis Eccleſiaſticis dignitatibus. 250. Et de viſionibus, ac apparitionibus. 300. & *ſeqq.* Et de miraculis ſpiritualibus. 411. Et de lectione Martyrologii Romani. 464.

S. Bonaventura Cardinalis virtutibus clarus fuit. 254. Sermonem habet de tentationibus Servorum Dei. 247. Et de virtutibus heroicis. 215. Et de Inſtituto ſuo Regulari. 282.

B. Bonfilius Monaldeus commendatur. 120. Cultu immemorabili potitur. 120.

S. Bonifacius martyrium patienter toleravit. 204.

Bonifacius Maguntinus Archiepiſcopus S. Kiliani, & Sociorum cadavera ex Summi Pontificis delegatione elevavit. 7.

Bonifacius nonus Papa qualiter S. Birgittam canonizaverit. 9. & 41.

Bonifacius VIII. Papa cur Hermanni cultum abrogaverit? 84. An ſe dentibus dilaniaverit? 415. Quaedam decrevit de Ritu Divinorum Officiorum. 456.

Bonifacius III. Papa approbavit vitam S. Mauri Abbatis. 6.

Bononienſis Eccleſiæ litaniæ. 617.

S. Bononius Abbas quomodo coli cœperit? 7. Cenſetur æquipollenter canonizatus. 100.

Bordonus agit de neceſſitate miraculorum ad canonizandos Martyres. 38. Et de teſtibus pro cauſis Servorum Dei. 175.

S. Braulio, ejuſque Officium, & Miſſa propria. 643. & *ſeqq.*

Breviaria plura diverſis in locis edita qualiter excipienda? 455. & 456.

Breviarium a quonam inſtitutum? 455.

Breviarium Romanum quid contineat? 455. Undenam nomen deſumpſerit? 455. Erroribus ſcatens correctum eſt. *ibid.* Alia præcellit. *ibid.* De fide ei præſtanda. 456. Quædam in eo inſerta examinantur. *ibid.*

B. Brie

B. Brimulphus Scatenſis qualiter culte decoratus? 11.
Browerus quid ſentiat de Canonizatione S. Ludgeri. 7.
S. Bruno a quo Papa æquipollenter canonizatus? 53.
S. Bruno Signinus a Lucio III. canonizatus. 9.
Budrialus diſputat de virtutibus heroicis. 228.
Bullæ Canonizationis quomodo efformandæ? 46.
S. Burckardus cultum obtinuit approbante Benedicto VI. 7.

C

S. CÆcilia a Peſcheli L. cultu decorata. 477.
Cæcilianus quid ſenſerit de cultu Martyribus præſtando. 2.
S. Celeſtinus V. Papa Summum recuſavit Pontificatum. 249.
Celeſtinus III. Papa BB. quoſdam canonizavit. 9. Plura expoſuit de SS. Canonizatione. 15.
Cæſar Baronius Cardinalis pertractat de Actis Martyrum. 3. Et de SS. quibuſdam Martyribus 2. Et de cultu erga nonnullos approbato. 8. Et de Ven. Bede. 47. Cultum S. Ignatii de Loyola nondum beatificati quare promoverit? 105. Judicium profert de Vincentio Lirinenſi, ac Fauſto Rejenſi. 132. Et de S. Annone. 148. Et de Martyribus Tyrannos provocantibus. 200. & ſeqq. Et de reſiſtentibus perſecutori, ac de S. Proculo. 204. Et de Pſeudo-Martyribus. 209. Et de miraculis. 213. Virtutibus clarus extitit. 255. Paupertatem coluit. 256. Et alias virtutes. *ibid.* & 257. Summum Pontificatum recuſavit. 250. Sermonem habet de Regum Francorum unctione. 267. Et de autoſibus. 297. Et de liquoribus emanantibus ex SS. Reliquiis. 422. Deſignatus ad corrigendum Martyrologium Romanum qualem ſe geſſerit. 464. & 465.
Cadavera an naturaliter flexibilia? 419. De iis, quæ ſe movent, rubeſcunt, caleſcunt, & ſanguinem effundunt. 419. De eorum incremento capillorum, dentium, & unguium. 419. De odore ab eiſdem emiſſo. 422. De ipſorum incorruptione plura. 424. & ſeqq.
Cajetanus Cardinalis ſcribit de Conſiſtoriis, quæ pro cauſis Servorum Dei olim habebantur. 22.
Calicis flammei uſus in Ruſſia. 639.
Calliſtus II. Papa plurium Servorum Dei cultum ampliavit. 8.
Calmet diſſerit de prophetiis. 292. & 293. Et de malis Angelis. 319. & 320. Et de relatis apud Breviarium Romanum. 456.
Calvinus quid exiſtimet de Hæreticorum punitione? 201. Miracula efficere minime potuit. 323.
S. Camillus de Lellis pleuriticam febrim miraculoſe ſanavit. 381. Et polypum. 386. Beatificandus in locum decentiorem translatus eſt. 476. Beatificatur. 628.
Cancer quibus ex ſignis dignoſcatur; Et an ſit naturaliter ſanabilis? 372. & 373.
Candidus Parthenotimus loquitur de B. V. M. Conceptione. 209.
Canonizandi Pœnitentiam, & Euchariſtiam frequentare debent. 236. Et corpus mortificare. 242. & ſeqq. Et tribulationes tolerare. 243. & ſeqq.
Canonizationes quomodo differant ab Apotheſi? 1. & ſeqq. A ſolo Summo Pontifice celebrandæ. 30. & ſeqq. De eiſdem plura. 41. 43. 50. & 515. Qualem ſecum cultum involvant? 48. & ſeqq. An ex ſolo proceſſu ordinario ad eas deveniendum? 82. *Æquipollentes* quæ? 52. Quatuor pro requirunt miracula. 331. De veneratione ex eis illata. 438. & ſeqq.
S. Canutus Obotritorum Rex ab Alexandro III. canonizatus. 9. & 32.
Capiſucchius indagat num inter Martyres ſint recenſendi, qui in prælio pro Fide occiduntur. 203.
Cardinales quales ſe gerere debeant, ut beatificentur, vel canonizentur. 253. & ſeqq. Eligere debent Summum Pontificem. 255. & 257. Ejus ſunt Conſiliarii. 256. & 257.
Carena quædam exponit de Conceptione B. V. Mariæ. 209.
Carmelitæ S. Joſephi cultum merito propagarunt. 470.
Carolus de Bleſio quare cultu ſpoliatus? 84.
S. Carolus Bonus qua de cauſa inter Martyres recenſeatur? 207.
S. Carolus Borromæus cultum cujuſdem quare abrogaverit? 85. Coli permiſſus a Clemente VIII. 104. Ut canonizaretur, opera ab eo ſcripta reviſa ſunt. 127. De eo alia adnotantur. 254. & 255. Pio obitu vitam finivit. 273. Decenti veſte cooperiebatur. 283. Hecticam febrim miraculoſe extinxit. 375.
Carolus Francorum Rex cur inter Martyres computatus? 207.
Carolus Magnus cultu decoratus a Paſchali II. Pſeudopapa. 9. Officia Romana SS. in Gallias advexit. 456.
Carthuſianus Ordo a quibus fundatus? 13. De eo alia. *ibid.*
S. Caſimirus caſtitate inſignis. 268.
Caſimirus Romanus plura explicat de Abbatibus. 40.
Caſſianus cur ab errore Semipelagianorum excuſetur. 132.
S. Caſſius Narnienſis qualiter e vita deceſſerit. 274.
Caſtaldus non pauca edocet de miraculis. 322.
Caſtellanus ſcripſit de teſtibus requiſitis ad probationem conficiendam. 173.
Caſtellinus V. *Lucas Caſtellinus*.
Caſus exceptus pro cauſis Servorum Dei poſt Decreta Urbani VIII. quomodo approbetur? 98. Per communem Eccleſiæ conſenſum quis ſit, & qualiter acceptandus? 101. & 102. De eo ex Indulto Pontificio. 103. & ſeqq. De quibuſdam ad ipſum attinentibus. 105. & ſeqq.
S. Cataldus linguam poſt mortem ſervavit incorruptam. 417.
Catalogus SS. quid? 48.
S. Catharina Bononienſis in Martyrologio deſcripta, cultum immemorabilem poſſediſſe demonſtrata eſt. 104. Prophetiæ dono clara fuit. 298. De ejus cadaveris incorruptione. 416. & 418.
S. Catharina de Riccis Monialem quoddam ab Aneuryſmate miraculoſe liberavit. 384.
S. Catharina Senenſis a Pio II. canonizata. 10.
Ceparius plura narrat de Servis Dei. 84. 86. 87. & 105. Et de teſtibus. 168. 175. & 176.

B₁ Ca

Digitized by Google

B. Ceslaus Odrovandus commendatur. 118. De ejus cultu immemorabili. *ibid.*

Charitas in Deum, & proximum quænam heroica? 2. 2. & 283. De ea plura. *ibid.*

S. Chæremon Episcopus martyrii palmam adeptus. 205.

Chriſtianus Lupus ſermonem attexit de quorumdam cultu abrogato. 6. Et de requiſitis ad Canonizationem. 14. Et de neceſſitate miraculorum ad Martyres canonizandos. 30.

Chriſtus Dominus apud Ethnicos Apotheoſeos cultu non decoratus, & cur? 1. Pro ſe morientibus beatitudinem promiſit. 31. Calumnias plures perpeſſus eſt. 145. Tormenta voluntarie pertulit, & quin ullo modo reſtiterit. 202. Declaravit a Fidelibus credenda. 207. Cur ſe tentari permiſerit? 246. In peccatores invectus eſt. 280. Prophetiæ dono præditus fuit. 290. Et aliis gratiis gratis datis. 295. Interdum dicitur apparuiſſe. 301. & 302. Judicandi poteſtatem obtinuit. 305. Plura fecit miracula. 317. Non tamen in infantia. *ibid.* An in Templi pinnaculum deportatus fit? 320. Meſſiam ſe eſſe ex miraculis comprobavit. 325. A mortuis reſurrexit miraculoſe. 334. Cæcos illuminavit. 347. *& ſeqq.* Mutos, & ſurdos ſanavit. 350. *& ſeqq.* Et paralyticos. 354. *& ſeqq.* Et Lunaticum. 357. Et Maniacos. 359. Et fœminam fluxu ſanguinis laborantem. 366. Et Malchum, abſciſſa auricula. 370. Et leproſos. 370. & 371. Et febricitantes plurimos. 373. Panes, & piſces multiplicavit. 399. Ejus conceptio ſimpliciter miraculoſa, ſecundum quid naturalis. 386. Cum moreretur, plures ex mortuis ſurrexerunt. 390. Ejus reſurrectio deſcribitur. 392. Et in elementa dominium. 400. Ficum verbo ſuo areſecit. 402. De ſtella in ipſius nativitate orta ſermo fit. 402. Et de tenebris, aliiſque prodigiis, quæ dum obiit evenerunt. 403. *& ſeqq.* Et de ſudore quo manavit ſanguineo. 405. Et de Transfiguratione ejuſdem in Monte Thabor. 406. Jejunium ad 40. dies protraxit. 408. Dæmones a corporibus fugavit. 412. & 413. Miraculoſa incorruptus triduo mortis permanſit. 413. Sanguinem, & aquam e latere emiſit. 419. An id acciderit naturaliter? *ibid.* Cur transfigurari voluerit? 423. Apparens corporaliter, a ſolo S. Paulo viſus eſt. 425. Ejus ſanguis Mantuæ repertus ſolemniter colitur. 447. In Patronum particularis loci non eligendus. 459. De ipſius Imagine. 473. De Lancea, qua perfoſſus fuit. 447. De S. Præputio. 478. & 484. De Clavis. 479. De Schala. 486. & 487. De pluribus aliis ejuſdem Reliquiis, cultuque ipſis conceſſo. 496. 497. & 617. De cultu erga Cor, & Plagas. 497. De adoratione in ejus Humanitatem. 498.

S. Chryſoſtomus V. S. Joannes Chryſoſtomus.

S. Chunegundes Imperatrix virtutibus floruit. 268. Illæſa ſuper ignitos carbones inceſſit. 401.

B. Chunegundes Regina Poloniæ a nonnullis Auctoribus commendatur. 113. Cultu potitur immemorabili. *ibid.*

Ciampinus diſſerit de Actis Martyrum. 3. Et de laureolis. 88.

Ciſtercienſis Ordo a quo inſtitutus? 13. De eo plura. *ibid.*

Citatio Promotoris Fidei an pro cauſa Canonizationum ſit neceſſaria? 154.

B. Clara de Monte Falco laudatur. 122. Ab immemorabili tempore cultu decorata. *ibid.*

Claudi plures miraculoſe ſanati. 352. *& ſeqq.*

Claudicatio undenam proveniat, & qualiter ſananda? 352.

Clemens Alexandrinus an Martyrologio inſerendus. 628.

Clemens X. Papa quomodo ad S. Franciſci Solani Beatificationem proceſſerit? 26. Plures ſimul BB. canonizans, in iis nominandis ſervavit ordinem Hierarchiæ Eccleſiaſticæ. 42.

Clemens XII. Papa Decreta edidit de Conſultoribus SS. Rituum. 16. 17. & 21. Et de BB. nominandis in Canonizatione juxta ordinem Hierarchicum. 42. In Baſilica Lateranenſi Beatificationes, & Canonizationes habuit. 41. Reſtituit Oblationes in Miſſa Canonizationis. 46. Nonnulla diſpoſuit de Notariis pro cauſis Servorum Dei. 166.

S. Clementis Martyris caput ad Cluniacenſem Abbatiam qualiter translatum? 483.

Clemens VIII. Papa Gregorio de Valentia apud ſe ſedere indulſit. 40. De Ritibus Orientalibus quid ſenſerit. 49. & 50. Cultum conceſſit erga S. Carolum Borromeum. 104. Quædam decrevit de cultu non præſtando ante S. Sedis approbationem. 86. Et de Litaniis recitandis. 95. Et de Hæreticis. 281. Corrigi fecit Breviarium Romanum. 455. Et Martyrologium ampliari. 464.

S. Clemens Papa Notarios deſignavit, ut Acta Martyrum conſcriberent. 3.

Clemens IV. Papa S. Hedwigem canonizavit. 22.

Clemens II. Papa cultum S. Wiboradæ approbavit. 8.

Clemens VII. Papa B. Petrum de Lucemburgo beatificavit. 11.

Clemens VI. Papa oſtendit, a ſolo Summo Pontifice celebrandas eſſe Beatificationes, & Canonizationes. 11.

Clemens III. Papa BB. quoſdam canonizavit. 9.

Clemens XI. Papa plura ſtatuit pro cauſis Servorum Dei. 25. 26. 28. 29. 30. & 39. Homilias habuit in Canonizationibus. 46. Invitus Summum Pontificatum ſuſcepit. 250. & 251.

Clericatus ſcribit de nonnullis requiſitis ad martyrium. 205.

Clerici Sæculares qualiter canonizandi? 263.

Clodovæus Francorum Rex inſigni obedientia erga Eccleſiam floruit. 269.

Cæci plures miraculoſe illuminati. 347. *& ſeqq.*

B. Coleta cultu immemorabili decorata commendatur. 123. De ejus obitu. 275.

B. Columba Reatina ab immemorabili tempore cultum fortita laudatur. 109.

Cometæ a qua materia efformentur, & an aliquid indicent? 403.

Commemoratio omnium Fidelium Defunctorum, & pro hac die conceſſio trium Miſſarum. 643.

Commiſſio Reaſſumptionis pro cauſis Servorum Dei quid ſit? 142. De ea plura traduntur. 142. & 143.

Commu-

Communio qualiter neceſſaria. 239.

Concilium Illiberitanum loquens de Martyribus Tyrannum provocantibus qualiter intelligendum? 202.

Confeſſarii quid revelare poſſint pro Servorum Dei cauſis. 175. & 176. Et qualiter pro eiſdem teſtimonium ferre poſſint. 078.

SS. Confeſſores, qui fuerint apud primitivam Eccleſiam. 5. De eorumdem cultu, ad huncque requiſitis. *ibid.* & 31. & 313.

Congregatio SS. Rituum quid pro cauſis Servorum Dei peragat? 00.

Congregationes pro cauſis Servorum Dei qualiter habeantur? 15. & *ſeqq.*

S. Conradus Epiſcopus quomodo cultum obtinuerit? 8.

Conſanguinei num validum ferant teſtimonium in proceſſibus? 174.

Conſiſtoria pro cauſis Servorum Dei qualiter olim habita? 22. & *ſeqq.* Quonam modo nunc habenda? 38. & *ſeqq.*

Conſtantinus Copronymus plures Martyres occidi fecit, & cur? 206.

Conſtantinus Magnus Imperator Templum S. Petri in Urbe ædificavit. 71. Si canonizandus proponeretur, quid ei obſteret? 141. Decretum edidit de Idolo-latria abolenda. 201. Cur inter SS. non recenſeatur? 067.

Conſultores SS. Rituum quales ſe gerere debeant in cauſis Servorum Dei. 16. & 17.

B. Contardus cur ab Eccleſia colatur? 222.

Contelorus diſputat cui competat jus beatificandi, & canonizandi. 11. Et qui in SS. numerum referendi ſint. 12. Et an ad Martyres canonizandos requirantur miracula. 30. & 35. Loquitur de proceſſibus ordinariis. 82. Et de cultu Servorum Dei. 83. & 93. Et de literis remiſſorialibus. 150. Et de fide teſtibus exhibenda. 167. Et de probatione miraculorum, ac virtutum. 168. 172. & 176.

Converſio unius rei in aliam miraculoſa deſcribitur. 399. & 400.

Cornelius Alapide ſcripſit de cultu S. Eliæ Prophetæ. 15. Et de dilectione in proximum. 135. Et de pluribus Martyribus. 208. Et de miraculis Chriſti Domini. 317.

S. Cornelius Papa Epiſcopatum renuit. 249.

S. Cubertus incorruptus poſt mortem remanſit. 416.

Cudwortus agit de poteſtate Dæmonis ad faciendo miracula. 321.

Cultus quotuplex ſit, & qualiter exhibendus? 82. 85. 86. & *ſeqq.* *Publicus* quenam dignoſcatur? 94. *Immemorabilis* quid? 431. & *ſeqq.*

Curſores pro cauſis Servorum Dei quæ peragere teneantur? 155.

S. Cyrillus Alexandrinus plura habet de SS. Canonizatione. 2. Et de S. Joanne Chryſoſtomo. 6.

Cyrola Arianus Epiſcopus miraculum efficere fruſtra tentavit. 322.

S. Cyprianus explicat quid ſit Canonizatio. 2. *Extorres* inter Martyres recenſet. 2. Loquitur de Martyribus *Vindicatis*, eiiſque. 3. Et de literis Encyclicis. 4. Et de SS. interceſſione. 11. Et de Martyrum cultu. 32. Quamvis circa Baptiſmi reiterationem erraverit, excuſari poteſt. 132.

D

DÆmones quomodo corporibus noceant? 045. Servos Dei tentent vehementius. *ibid.* Num prædicant futura? 091. An genere linguarum poſſint infundere? 295. Quomodo appareant? 300. Eorum virtus declaratur. 319. & 320. An Ægyptiorum primogenitos, ac Herodem occiderint? 321. Qualiter humana corpora obſideant? 411. De eorum expulſione. 412. & 413.

Dallæus quid ſentiet de SS. Canonizatione? 11.

B. Dalmatius virtutibus claruit, & cultu immemorabili celebretur. 020.

Danbawerus male audit in ſententia de ebullitione ſanguinis S. Januarii. 421.

Daniel Propheta e lacu leonum miraculoſe eductus. 400. Cur ſexta die a Deo cibo refectus? 409.

David Propheta & Rex virtutibus illuſtris fuit. 268. & 269.

S. Deodatus coli cœpit approbante Leone IX. 8.

Deſcriptio in Martyrologio an cultum arguat? 468.

Deus quoties in Veteri Teſtamento apparuiſſe, & locutus eſſe dicetur? 300. De hujuſmodi apparitionibus quædam adnotentur. 301. Solus eſt cauſa efficiens miraculorum. 316. Num in confirmationem falſitatis poſſit patrare miracula? 325. An, & qualiter depingi poſſit? 473.

Didacus de Corduba plura edocet de moribundis. 275.

Dignitates Eccleſiaſticæ a Servis Dei non ambiendæ. 249. & *ſeqq.* Earum quarumdam excellentia commendatur. *ibid.*

Dio diſſerit de Apotheſeos ritu apud Ethnicos. 1. & *ſeqq.*

S. Dionyſius Areopagita definit ſanctitatem. 213. Ejus ſententia de tenebris in morte Chriſti examinatur. 403.

Diſcretio ſpirituum quid? 294. & 295.

Diſpenſatio, ut teſtes pro cauſis Servorum Dei examinentur, ſignata Commiſſione, ante inchoatum, vel abſolutum proceſſum, difficulter, ſed aliquando conceſſa. 063.

Divi nomen minime SS. tribuendum, contendit Bellarminus. 48.

Doctores quinam ab Eccleſia colendi? 430. & *ſeqq.*

Doctrina erronea qualiter obſtet Beatificationi, & Canonizationi? 136.

Dodwellus quid de Martyribus ſentiat? 4.

S. Dominicus extra Urbem canonizatus. 41. Quam pie obierit? 274. An Regulare Inſtitutum a ſe ſuſceptum mutaverit? 281. Roſarii Inſtitutor fuit. 449. Magno cultu a Neapolitanis celebratur. 459. Mediolanenſibus inhibitum eum Feſto de præcepto colere. 460.

Dominicus Cappellus in Actis S. Franciſci Saleſii a ſe collectis plura explicat de Servorum Dei Beatificationibus. 26.

Dominicus a SS. Trinitate diſſerit de poteſtate canonizandi. 12.

Dominicus Sotus agit de poteſtate Principum in Paganos. 201. Et de cauſa martyrii. 207.

Dona Spiritus Sancti quid ſint? 216.

Druſilla ab Ethnicis Apotheoſeos cultu inſignita. 2.

Dulia quiſnam cultus? 2.

Dodwel-

Durantus quædam edocet de viſionibus, & apparitionibus. 304. & 305.

Dyſenteria definitur. 375. Quare *tormina* nuncupetur? *ibid.* De ejus gravitate. *ibid.*

Dyſuria quid? 363. De ea nonnulla alia. *ibid.*

E

Ccleſia Orientalis *V. Orientalis Eccleſia.*

Eclypſes num miraculoſæ? 404.

Ecſtaſes in quo conſiſtant? 299. Quæ divinæ, & quæ diabolicæ? 296. & *ſeqq.*

S.Edildrida incorrupta poſt mortem permanſit. 415.

Eduardus Corſinus ſermonem habet de obſeſſis a Dæmone. 418.

S.Eduardus Rex Angliæ ab Alexandro III. canonizatus. 9. Virtutibus illuſtris fuit. 268. & 269.

S.Elias Propheta qualiter inter SS. enumeretur. 14. & 15. De ejus miraculis ſermo fit. 314. 315 321. 324. & 400. Idololatras interemit. 305. Jejunium per 40. dies obſervavit. 408.

S.Eliſabetha Luſitaniæ Regina ab Urbano VIII. canonizata; ejuſque Canonizationis Bullam expedivit Benedictus XIV. 10. De ejus cauſa nonnulla traduntur. 23.

Serva Dei Eliſabetha Stagliu cur diuturno morbo laboraverit? 244.

S.Eliſeus Propheta qualiter Naamano permiſerit Templum Remmon adire? 207. Miraculis fulſit. 314. 315. & 399.

Elogia Servorum Dei quæ cultum arguant? 90. Qualiter Martyrologio inſcribenda? 467.

Eliſanus Monachus obedientia floruit. 282.

S.Elzearius virtutibus claruit. 268. Pio obitu vitam clauſit. 273.

Empiema quid? 363. Qualiter curandum? 364.

B.Eneco ſub Alexandro II. cultum aſſecutus. 8.

S.Ephrem a IV. ſæculo in Eccleſia celebratur. 5.

Epileptici qui? 357. An ſint naturaliter ſanabiles? 358.

S.Epiphanius judicium profert de morte B.V.Mariæ. 14. Scripſit de Hæreticis. 281.

Epiſcopi ad prædicandum Verbum Dei adigendi. 201. Venationi non indulgeant. 257. Plures ſanctitate inſignes commendentur. 258. De eorum virtutibus, ac munere quædam exponuntur. 258. & *ſeqq.*

S.Equitius calumniis vexatus. 247.

Ven.Erhardus ſub Leone IX. cultu decoratus. 8.

Eraſmus quid exiſtimet de *Arte Notoria*? 287.

Eſparza loquitur de virtutibus heroicis. 215. & 218.

Eſtius laudat virtutes Cardinales, & Theologales. 213.

Eucharistia a beatificandis, & canonizandis frequenter accipienda. 236., & *ſeqq.* Num propriis manibus ori adjungenda. 274. A Servis Dei moribundis an omnino percipienda? 274.

S.Eucherius extollit Martyrium S.Mauritii ac Sociorum, quod a teſtibus de auditu agnoverat. 167.

Eugenius IV. Papa nonnulla ſtatuit de Ritibus Orientalibus. 50. Feſta de præcepto imminuit. 460.

Eugenius III. Papa S. Henricum Imperatorem canonizavit. 9.

S. Eulogius Alexandrinus a S.Gregorio Magno petiit Acta Martyrum. 4. de reſponſione ei lata. *ibid.* Martyres agnovit independenter a miraculis. 32.

Euſebius Cæſarienſis an Acta Martyrum collegerit? 4. Sermonem attexit de Martyrum multitudine. 4. Et de S.Joanne Evangeliſta. 5.

Euſebius Emiſſenus plura exponit de Centurionis. 2.

S.Euſtachius qualiter martyrio coronatus? 205.

Excommunicati an poſt mortem incorrupti perſeverent? 415.

Exorciſmi Salomonis num ſuperſtitionem redoleant? 412.

Exorciſtæ quando initium habuerint? 412. De eiſdem alia. *ibid.*

Expenſæ pro cauſis Beatificationum, & Canonizationum jure ſubeundæ. 66. & *ſeqq.*

Ezechias Rex Iſrael veri Dei cultum reſtauravit. 269. Se ipſum laudavit. 278.

F

S. Abianus *Papa* curam omnem adhibuit, ut diligentiſſime ſcriberentur Acta Martyrum. 3.

Fagnanus oſtendit, damnato Auctore, damnari quoque libros ab eodem compoſitos. 137.

Fama qualiter probanda? 145. *Martyrii* in quo conſiſtat? 144. *Sanctitatis in genere* quid ſit? 144. Quomodo demonſtranda? *ibid.* De eidem obſtantibus. 145.

Familiares an pro cauſis Servorum Dei validum ferant teſtimonium? 174.

Farinaccius diſputat de teſtium numero ad probationem conficiendam requiſito. 171. Et de teſtimonio a fœminis lato. 174. Et de aliorum teſtium depoſitione. 176.

Faſcinatio an, & qualiter eveniat? 437.

Fauſtus Monachus vitam S.Mauri Abbatis conſcripſit. 6.

Fauſtus Rejenſis an in errorem Semipelagianorum lapſus reſipuerit? 132.

Febris a Chriſto miraculoſe ſæpius extincta. 375. Quomodo definiatur? 375. *Hectica* quæ? 375. & 376. Quæ *contagioſa*? 376. Quæ cum lethargo, & delirio? 376. Quæ *Maligna*? 377. De illa, cui bubones adjunguntur. 377. De Eryſipelacea. 378. & 379. De procedente ab Angina. 379. Et a Tetano. *ibid.* Et ab inflamatione pleuritica. 380.

Federicus Borromæus Cardinalis ſcripſit de tentationibus, quibus vexantur Servi Dei. 247. Et de ſcrupulis. 248. Et de motibus animam efflantium. 273. & 274. Et de quibuſdam aliis ad Servos Dei ſpectantibus 283. & 284.

S. Felicitas commendatur a S.Hieronymo. 4.

Felinus ſermonem habet de fide teſtibus de audito perhibenda. 167.

S. Felix de Cantalicio quando coli cœperit? 609.

S.Felix II. Papa in Martyrum catalogo adſcribendus. 483.

S.Felix de Valois inter æquipollenter canonizatos recenſetur. 54. A pueritia futuram demonſtravit ſanctitatem. 275. Primarius Fundator Ordinis B.Mariæ de Mercede in Martyrologio dictus; ſed error expunctus. 460.

B. Ferdinandus III. Caſtellæ Rex merito commenda-

mendaę

mendatur. 110. Immemorabili cultu celebratur. *ibid.* virtutibus inſignis fuit. 269. Feſto de præcepto in Hiſpaniis colitur. 460.

Ferre quid ſentiat de cenſuris in propoſitiones probabiles. 132.

Feſta Civilia in honorem alicujus habita an cultum importent? 93.

Feſta de præcepto quæ, & qualiter inſtituenda? 459. & 460. qualiter obſervanda. 621. *& ſeqq.* Cur imminuenda? 460. *& ſeqq.* & 620. *& ſeqq.* & 734.

Fides quid? 219. Undenam comprobanda? *ibid.* De ea, prout eſt *gratia gratis data*. 287.

S. Filocalus M. 686. *& ſeqq.*

S. Firminus in Patronum principalem Navarræ electus. 459.

S. Firmus Epiſcopus an rite in Martyrologio deſcriptus? 465.

Fiſcherius Cardinalis. V. *Joannes Fiſcherius.*

Fiſtula quid ſit? 374. De ea plura adnotantur. *ibid.*

S. Flavianus reum a ſupplicio liberavit. 281.

Flexibilitas corporum in quo ſtet? 409. An in cadaveribus miraculoſa? *ibid.*

Florentinius ſententiam ſuam profert de Actis Martyrum. 3.

Flores oblati in honorem Servorum Dei num cultum probent? 92.

Fœminæ an, & qualiter teſtimonium ferre valide poſſint? 174.

Fontes novi qua de cauſa e terra erumpant? 401. & 402.

Foramen ovale ad quid efformatum? 394. & 397.

B. Fortes de Gabriellibus, ejuſque cultus immemorabilis. 669. *& ſeqq.*

Fortitudo in quo conſiſtat? 227. De eadem alia. *ibid.*

Fortunatus Scacchus ſcribit de neceſſitate miraculorum ad canonizandos Martyres. 30. Et de quibuſdam aliis ad Canonizationem attinentibus. 128. Et de virtutibus heroicis. 214. *& ſeqq.* Et de probationibus pro cauſis Servorum Dei. 168.

Fortunius Licetus agit de longis jejuniis. 409. Et de cadaveribus incorruptis. 418.

S. Franciſca Romana tribulationes perpeſſa eſt. 248. Pie obiit. 273. & 274. A pluvia ingruente non madefacta. 401.

Franciſchinus ab Urbano V. cultu privatus. 84.

S. Franciſcus de Aſſiſio qualiter canonizatus? 21. Ejus cadaver diu patens, poſtea reconditum. 44. Aſperrime ſe affligebat. 283. Pio obitu e vivis deceſſit. 284. Verbo ſuo arborem arefecit. 402. Ipſius cadaver ſtans aſpiciebatur. 418. An viribus imaginationis ejus corpori infixa ſint ſtigmatum ſigna? 428. Benedictio ab eo ſcripta quali cultu decoretur? 485.

S. Franciſcus de Borgia Cardinalatum ſæpe recuſavit. 249.

Servus Dei Franciſcus Hieronymus cur non cultum habuiſſe exiſtimatus ſit? 93.

Franciſcus Hieronymus Sanà quare cultu privatus? 85.

B. Franciſcus Patritius virtutibus inſignis cultu immemorabili decoratus eſt. 126.

S. Franciſcus de Paula cultu inſignitus a Leone X. 103. Canonizationem ſuam prædixit. 279. An Regulam a ſe inſtitutam mutaverit? 281. Illæſus ab igne exivit. 401.

Franciſcus Penia plura edidit de cauſis Servorum Dei. 18. 21. & 23. Et de cultu S. Philippi Nerii. 84.

S. Franciſcus Saleſius in Vaticana Baſilica beatificatus. 27. Vitam finire non formidavit. 274. Cur moribundus S. Euchariſtia non refectus? 274. Qualiter ſepultus? 91. Hæreticum Theodorum Bezam quomodo exceperit? 281.

S. Franciſcus Solanus a Clemente X. beatificatus. 26. Canceroſo tumore fœminam laborantem incolumem reddidit. 372. & 373.

Franciſcus Tauruſius Cardinalis virtutibus claruit. 255.

S. Franciſcus Xaverius merito Idola Cocinenſium demoliri juſſit. 202. Peccatores qualiter objurgaverit? 280. Gratia generum linguarum præditus fuit. 295. Claudum miraculoſe ſanavit. 354. E cadavere ſanguinem effudit. 420. In Patronum principalem Regni Navarræ electus eſt. 459.

Servus Dei Franciſcus Ximenius Cardinalis Mauros adegit ad Chriſtianam Fidem recipiendam. 201. Virtutibus clarus fuit. 255. An exceſſerit de Summo Pontifice loquens? 258. Veſtibus quibus uſus ſit? 283.

Futura an a Dæmone, vel hominibus cognoſci poſſint? 290. & 291.

G

B. Gabriel Ferretus jure commendatur. 99. Cultu potitur immemorabili. *ibid.* & 638. *& ſeqq.*

Gabriel Palæotus Cardinalis diſſerit de Cardinalium muneribus. 257.

Gabriel Philippuccius Cardinalitiam recuſavit dignitatem. 252.

S. Galdinus Cardinalis virtutibus floruit. 254.

Galerus rubeus quandonam Cardinalibus conceſſus? 255.

Galeſinius propugnat, veros Martyres interdum *Confeſſores* dictos eſſe. 3. Laudat SS. Stanislaum Epiſcopum, & Didacum. 22. Qualiter ediderit Martyrologium? 464.

Gallonius pertractat de ſepulchris Servorum Dei. 91.

Gangræna quid? 374.

Garnefelt alloquitur de Ordine Carthuſiano. 13.

Gaſpar a Reyes agit de judicio Medicorum ab ægroto abſentium. 176. Et de linguarum ſcientia. 295. Et de animarum reditu ad corpora. 296. Et de ſomniis. 303. *& ſeqq.* Et de Chriſti ſudore ſanguineo. 405. Et de ignibus lambentibus. 407. Et de longis jejuniis. 409. Et de cadaverum incorruptione. 415. Et de odoribus. 423. Et de ſanguine e cadavere occiſorum profluente. 427.

Gavantus deſignatus fuit ad Breviarium Romanum corrigendum. 455. Exponit difficultatem ad veritatem revocandi omnia contenta in ſecundis lectionibus Breviarii Romani. 456. Romani Martyrologii correctionem aggreſſus eſt. 464.

S. Gaucherius a Cæleſtino III. canonizatus. 9.

Gaufridus ſermonem habet de SS. Canonizatione. 23.

Gelaſius II. Papa nonnulla ſtatuit de Actis Proconſularibus. 3.

Gelaſius II. Papa in Patriarchio Lateranenſi depictus, cultu dignus creditur, & cur? 57. Non computatur inter SS. 57. Eccleſiaſticas fugit dignitates. 249.

Gennadius Patriarcha Palamæ, & Marci cultum delevit. 84.

S.Georgius pro Chriſti Fide capite cæſus. 200. & 201.

S.Geraldus a Cœleſtino III. in SS.numerum relatus. 9.

B.Gerardinus Soſtenus a tempore immemorabili cultu gaudet. 121. De eo quædam alia. 121.

S.Gerardus Epiſcopus & Martyr ſub Gregorio VII. coli cœpit. 8.

B.Gerardus Tullenſis a Leone IX. canonizatus eſt. 8. & 21.

B.Gerius cultu gaudet immemorabili. 125. Ulterius de eo ſermo fit. *ibid.*

S.Gertrudes æquipollenter canonizata fuit. 58.

S.Gervaſius ſolemniter translatus. 477.

Gibbæ triplicis ſunt ſpeciei. 354.

Gibboſus a S. Joanne de S.Facundo miraculoſe ſanatus. 354.

S.Gilbertus a quo canonizatus? 9.

Girbaldus Epiſcopus quondam teſtatus eſt de cultu SS.Agricolæ & aliorum. 7.

S.Godehardus Epiſcopus ab Innocentio II. SS.catalogo adſcriptus. 8.

S. Godoleva ab Urbano II. canonizata. 8.

Gonzalez ſcribit de Beatificatione, & Canonizatione. 30. Et de Canone Concilii Illiberitani circa Martyres Tyrannum provocantes. 202.

Gosbertus Franconiæ Dux S. Kilianum, ac Socios impie occidit. 6.

Gotti Cardinalis confutat Hæreticos, qui ſibi Martyres affingunt. 210. Plura narrat de Martyribus. *ibid.*

Granadus quid ſentiat de morientibus pro B.V.Conceptione. 209.

Grancolas agit de excellentia Breviarii Romani. 455. Non bene audit de ejuſdem Breviarii extenſione loquens. 456. Quid de ejus lectionibus ſentiat. *ibid.*

S.Grata cur tamquam Virgo celebretur? 454.

Gratarola diſſerit de proceſſibus ordinariis. 82.

Gratiæ a miraculis differunt. 315. *Gratis datæ* in quo conſiſtant? 285. *Generum Linguarum* deſcribuntur. 295. Et *Sanitatum*. 287.

Gratianus diſputat de numero teſtium pro probatione conficienda. 172. Ejus Decretum an in poſterum corrigendum? 465.

Gravina ſermonem errexit de viſionibus, & apparitionibus. 303. & 304. & 306. Et de revelationibus. 307. 308. & 309.

Ven.Gregorius Barbadicus virtutibus claruit. 255. Summum Pontificatum refugit. 258.

B Gregorius X.Papa colitur a tempore immemorabili. 118. De eo plura traduntur. *ibid.* Calumniis impetitus fuit. 147. Supremum Eccleſiæ clavum regere recuſaverit. 249. Virtutibus fulſit. 253.

Gregorius XV. Papa plures ſimul Sanctos canonizavit 40. Judicium profert de teſtibus ſingularibus. 168.

Gregorius XIII. Papa Romanum Martyrologium corrigi curavit. 464.

S.Gregorius Magnus Papa loquitur de converſione Fanorum in Templa Martyrum. 2. Quid reſponderit Eulogio Alexandrino Acta Martyrum a ſe petenti? 4. Decretum edidit de Summi Pontificis pheretro. 5. Loquutus eſt de cultu Confeſſorum. 5. Et de cauſis majoribus. 31. Et de Beatorum Canonizatione. 10. Et de Paſchaſio. 14. Et de Sanctorum Dei miraculis. 34. Commendatur. 57. Plura explicat de calumniis a Viris Sanctis toleratis. 145. Et de teſtibus de auditu. 167. Et de cauſa martyrii. 206. Epiſcopatum renuit. 249. Sententiam ſuam profert de peccatorum objurgatione. 280.

S Gregorius Nazianzenus plura habet de miraculis. 317. ſub Gregorio XIII. Papa translatus eſt. 477.

Gregorius IX.Papa quidnam peregerit in cauſis quorumdam Servorum Dei. 11. Agit de Beatorum ſanctitate demonſtranda. 31. Confirmaſſe dicitur correctionem Breviarii ab Haymone confectam. 455.

S.Gregorius Nyſſenus ſcripſit de antiquitate cultus SS.Confeſſorum. 5.

S.Gregorius VII. Papa cultum erga nonnullos BB. approbavit. 8. Canonizatus fuit æquipollenter. 55. Commendatur. *ibid.* 56. & 58. Summum Pontificatum qualiter acceptaverit? 249.

S.Gregorius Turonenſis agit de literis Encyclicis Martyrum. 5. Et de cultu S.Juliani Martyris. 90.

S.Guarinus Cardinalis colitur approbatione Alexandri III. 9. Virtutibus illuſtris fuit. 254.

Guido a Lacha cultu privatus, & cur? 85.

S.Guillelmus Aquitaniæ Dux a Clemente VIII. cultu decoratus. 483.

Guillelmus de Bellai an recte ſenſerit de Canonizatione? 23.

Guillelmus Beſſin agit de Canonizatione S.Laurentii Dublinenſis. 15.

S.Guillelmus Eremita ab Alexandro III. cultu decoratus. 9.

S.Gualgoſius an ſub Urbano II. cultum obtinuerit? 8.

Gayetus diſſerit de puerorum Canonizatione. 14. Et de calumniis, quibus Sancti, ac Servi Dei impetiti fuerunt. 143.

H

Hæmophobiſis quid ſit, & quibus ſymptomatibus indicetur? 366.

Hæmorrhagia plures miraculoſe ſanati. 366. De diverſis earum ſpeciebus. *ibid.* & 367.

Hæretici quid ſentiant de Sanctorum Canonizationibus? 12. & 13. Etiam poſt mortem plectendi ſunt. 85. Quinam tales proprie dicendi ſint? 136. & 137. An Fide careant? 210. Non ſunt inter Martyres recenſendi? *ibid.* De eiſdem alia. *ibid.* Qualiter a Servis Dei accipiendi? 280. & 282. Num poſſint efficere miracula? 300.

Hadrianus Imperator Chriſti D.Apotheoſim tentavit. 1. Falſo dicitur miracula patraſſe. 303.

Hadrianus Papa quid ſentiat de Actibus Proconſularibus Martyrum. 3.

Hadrianus I. Papa S. Albanum dictus canonizaſſe. 7.

Hadrianus II. Papa an cultum conceſſerit erga S. Walburgem, & Nicolaum I. Papam Sacris Diptychis inſcribi fecerit? 7.

Hadrianus Wallenburgh ſcripſit de cultu SS.exhibendo. 2.

Hannibaldus Hannibaldenſis Cardinalis virtutibus fulſit. 254.

Haymo Breviarium dicitur correxiſſe. 455.

Hector ab Etharcis Harold nomine inſignitus. 214.

S. Hedwiges qualiter a Clemente IV. canonizata? 22.

B.Helena Enſelmina a tempore immemorabili colitur. 125. De eadem alia. *ibid.*

B.Hele-

B. Helena ab Oleo cultu gaudet immemorabili. 100.

S. Helena Suecana ab Alexandro III. Papa in SS. numerum relata. 9.

Heli a Deo punitus ob pravam filiorum educationem. 471.

Henoch cur vivus ad finem uſque mundi aſſervandus? 14.

S. Henricus Imperator ab Eugenio III. canonizatus. 9. Virtutibus claruit. 268. & 469.

Hercules Maria Zanottus quidnam ſentiat de S. Proculi martyrio? 205.

S. Heribertus a quo canonizatus? 8.

S. Herlembaldus ab Urbano II. Sanctorum numero adſcriptus. 8.

Hermannus a Bonifacio VIII. cultu ſpoliatus. 84.

Hernia quid? 364. Ejus ſpecies. ibid. Ab ea curatio. ibid. & 365.

Herodes prodigioſe vita privatus. 321.

Herodianus ſcripſit de Apotheoſeos ritu. 2.

Heroes quinam dicendi ſint? 214. & 218.

Heva quonam modo cum ſerpente allocuta? 321.

S. Hieronymus in Martyrologio ſuo commendat S. Felicitatem. 4. Agit de cultu viventibus exhibendo. 83. Et de floribus. 92. Et de ſanctitate demonſtranda. 146. Et de illis, qui inter veros Martyres recenſendi ſunt. 202. Et de Schiſmaticis, ac Hereticis. 210. An Cardinalitia fulſerit dignitate? 252. Scripſit de cuſtodienda virginitate. 270. Et de Viduis. 271. Et de Conjugibus. ibid. Et de hæreſi. 282. Et de Chriſti Dom. Transfiguratione. 406. Et de jejunio. 410. Et de Publicani ad Dominum converſione. 411. Et de obſeſſis a Dæmone. 412. Num Eccleſiæ Occidentalis vetuſtius Martyrologium compoſuerit? 464.

B. Hieronymus Æmilianus pluribus tribulationibus vexatus eſt. 245. Beatificatur. 618.

Hieronymus Olginatus occidendus imperterritus perſeveravit. 232.

Hieronymus de Praga quamvis hæreticus, impavide mortem tulit. 212.

S. Hilarion a quarto ſæculo in Eccleſia colitur. 5. Non paucas perpeſſus eſt tentationes. 246. Quam pie e vita deceſſerit? 278. Ejus cadaver furto ſublatum eſt, & in Palæſtinam deductum. 483.

S. Hilarius Arelatenſis quare ab errore Semipelagianorum excuſandus? 132. Qualem ſe geſſerit cum S. Leone Papa? 146.

S. Hilarius Piſtavienſis a quarto ſæculo in Eccleſia celebratur. 5.

Hippocrates ſcripſit de neceſſitate cibi ad ſervandam vitam. 409.

S. Hippolytus Martyr a Prudentio commendatur. 4. Quotuplex fuerit? ibid.

Ven. Hippolytus Galantinus, Decretum de ejus virtutibus in gradu heroico. 236.

Hiſtoriæ pro cauſa Servorum Dei quamnam conſtiant probationem? 176. & ſeqq.

Hiſtorici quadrupliciter accipiuntur. 177. De eis plura. ibid. & ſeqq.

Honoratus de S. Maria plura exponit de Martyribus. 32.

Honorius Imperator curavit ut Telemachus canonizaretur. 21. Leges condidit adverſus Gentiles, & Donatiſtas. 201.

Honorius III. Papa S. Robertum Ciſtercienſem canonizavit. 9. Primus pro Canonizationibus Indulgentias conceſſit. 42.

B. Hoſanna de Andreaſiis cultu immemorabili potitur. 114. De ea plura. ibid.

S. Hugo Cluniacenſis a Calliſto II. canonizatus. 8.

S. Hugo Gratianopolitanus SS. numero adſcriptus ab Innocentio II. 8.

Hugo Grotius diſſerit de jure belli gerendi. 269.

Hugo de S. Victore ſcripſit de ſanctitate. 214.

S. Humbelina S. Bernardi Soror cur inter Virgines recenſeatur? 454.

S. Humbertus Epiſcopus novendialibus precibus rite colatur, & cur? 457.

B. Humiliana de Cerchiis cultu gaudet immemorabili. 115. De ea alia. ibid.

B. Humilitas Faventina immemorabili veneratione celebratur. 119. De ea alia. ibid.

Hurtadus agit de miraculorum neceſſitate ad Sanctorum Canonizationem. 31. Et de revelationibus. 208. Et de requiſitis ad martyrium. 206.

B. Hyacintha de Mareſcottis qualiter ſepulta ſit? 61. Empiemeticam fœminam miraculoſe ſanavit. 364. De ejus translatione. 475.

S. Hyacinthus quonam cultu decoratus? 22. Canonizatus eſt, exhibita fide teſtibus de auditu. 167. In Patronum principalem Poloniæ electus fuit. 459.

Hydrocephali qui ſint? 362. De eorum miraculoſa ſanatione. 363.

Hydrophobia quid? 360. A quo oriatur; quibuſnam accidat, & in quo gradu exiſtat? 360. & 361. Quædam ab ea miraculoſæ curationes recenſentur. 361.

Hydrops a Chriſto miraculoſe extinctus. 362. De ejus ſpeciebus, & viribus naturæ curatione. 362. & 363.

Hyperdulia quid importet. 2.

I

Jacobus juſſu Urbani V. cultu ſpoliatus. 84.

Jacobus Boſſuet ſcripſit de dilectione propria, & proximi. 135.

B. Jacobus Illyricus cultu potitur immemorabili. 124. De eo plura. ibid.

S. Jacobus Major quo die obierit. 463. Alia de eodem. ibid.

S. Jacobus de Marchia tractatus nutu Sixti IV. 101. Quid ſenſerit de Chriſti Sanguine in Paſſione effuſo? 133. Qualiter in ejus cauſa factus ſit progreſſus ad ulteriora? 133. & 139. De eo alia. 133. & 134. A Benedicto XIII. canonizatus eſt. 138. Calumniis vexatus fuit. 147.

B. Jacobus de Mevania cultu immemorabili decoratur. 121. De ipſo plura. ibid.

Jacobus Sevtes loquitur de poteſtate Dæmonis ad patranda miracula. 321. Male audit de ebullitione ſanguinis S. Januarii. 421.

Jacobus Velletrenſis examinavit virtutes, & miracula S. Stanislai Cracovienſis Epiſcopi. 22.

S. Januarius Epiſcopus ſub Diocletiano Imperatore martyrio coronatus. 420. De ejus ſanguinis miraculoſa ebullitione plura diſcutiuntur. 420. & 421. Qualiter a Neapolitano Regno colatur? 459.

Jejunium in vigilia anniverſarii diei an cultum arguat? 92.

Jehu Idololatras capite damnavit. 205.

S. Jeremias Propheta in materno utero ſanctificatus dicitur. 471.

Jeroboam ab ariditate manus miraculoſe ſanatus. 156.

Jeſu Sanctiſſimum Nomen quali cultu decorandum? 492. De Officio, quod in ipſius venerationem conceſſum eſt. 494.

Servus Dei Ignatius de Azevedo qualiter in martyrii deſiderio perſeveraſſe demonſtratus ſit? 206.

S.Ignatius de Loyola pluribus calumniis impetitus. 147. & 246. Scrupulis laboravit. 248. Se acriter afflixit. 283. ejus Officium ad Ritum dupl. 2. cl. elevatum. 720.

Ignes lambentes quid ſint? 407. De eis plura adnotantur. *ibid.*

Ignis miraculoſe creatus ad animas torquendas deſcribitur. 408.

S.Ildephonſus Archiepiſcopus Officio proprio colitur. 450. De eo quædam. *ibid.* & 453. Ipſius cadaver Eccleſiæ Toletanæ reſtitutum. 487.

Imaginatio quid ſit? 426. De ejus effectibus mirabilibus. *ibid.* & *ſeqq.*

Imagines Imperatorum, & aliorum multoties ad Eccleſias ornandas appoſitæ. 94. De hoc quid ſentiendum? *ibid.*

Imagines Sacræ in Templis collocandæ, & colendæ. 472. Qualiter depingendæ? *ibid.*

Imagines Servorum Dei quomodo efformandæ? 93. & 94.

B.Imelda de Lambertinis merito commendatur. 275.

Incluſi Monachi quinam olim appellati? 239. De eis quædam. *ibid.*

Incorruptio continuata an novum indicet miraculum? 417. & 418.

Indulgentiæ conceduntur in celebratione Canonizationum. 42. Ex earum conceſſione cultus demonſtratur. 104. An omnino quærendæ ſint, vel interdum omittendæ? 135.

Infideles num poſſint miracula efficere? 322.

B.Ingridis Monialis qualiter cultu inſignita? 31.

SS.Innocentes qua de cauſa canonizati? 14.

Innocentius differit de Beatificationibus, & Canonizationibus. 30. Teſtes de viſu pro cauſis Servorum Dei teſtibus de auditu anteponit. 167.

Innocentius XII. Papa proſcripſit propoſitionem aſſerentem, dari amorem Dei abſque intereſſe proprio. 134.

Innocentius VIII. Papa transferri juſſit in locum decentiorem cadaver Servi Dei Simonis de Lipnica. 103. An conceſſerit, Miſſam ſine vino celebrari? 134. Syncope correptus 22. horis mortuo ſimilis jacuit. 391.

Innocentius I. Papa approbavit cultum S.Joannis Chryſoſtomi. 6. Cauſas majores Sedi Apoſtolicæ devolvit. 71.

Innocentius IV. Papa qualiter canonizaverit S.Stanislaum Epiſcopum? 22. Et S.Telmum beatificaverit? *ibid.*

Innocentius V. Papa ubinam canonizaverit SS. Senislaum, & Petrum Martyrem? 41.

Innocentius II. Papa nonnullos SS. canonizavit. 8.

Innocentius III. Papa agit de origine cultus Confeſſorum. 5. Et de canonizandis. 12. Quoſnam Beatos Sanctorum catalogo adſcripſerit? 9. Plura explicat de Canonizationibus. 15. Poſt mortem qualiter apparuerit? 424.

Ven. Innocentius XI. Papa plura decrevit pro cauſis Servorum Dei. 19. 20. & 21. Quonam modo conceſſerit celebrari Beatificationem S. Thuribii? 27. Ratam habuit abrogationem cultus Joannis Calà. 85. Qualiter ſepultus? 91. De Officio quotannis fieri ſolito. 93. Decreta edidit de conficiendis proceſſibus pro cauſis Servorum Dei. 149. & 150. Non ambivit Eccleſiaſticas Dignitates. 251. Virtutibus illuſtris fuit. 253.

Inſtitutum Regulare à Papa approbatum cur ſit infallibile? 60.

Interpretatio ſermonum in quo conſiſtat? 396.

Interpretes pro cauſis Servorum Dei quid peragere debeant? 20.

Interrogatoria pro cauſis Servorum Dei ad quem finem inventa? 150. De eis plura. *ibid.*

Invocatio Sanctorum Deo accepta. 12. Pia, utilis, & neceſſaria. *ibid.*

Joachimus Abbas ſub Innocentio III. proſcriptus. 137. De eo plura habentur. *ibid.*

Joanna Darcia cur prophetiæ dono decorata exiſtimetur. 290.

B.Joanna Franciſca Fremiot de Chantal qualiter tumulata? 92. Beatificatur. 619. & 681. & *ſeqq.*

B.Joanna Luſitana Principiſſa cultu immemorabili potitur. 114. Commendatur. *ibid.*

B.Joanna Valeſia Regina Franciæ gaudet cultu immemorabili. 125. De ea alia traduntur. *ibid.*

B.Joanna de Urbeveteri, ejuſque cultus immemorabilis. 665. & *ſeqq.*

Joannes Abbas Reomenſis à quo tempore cultum obtinuerit? 5.

Joannes Andreas loquitur de fide adhibenda teſtibus de auditu. 167. Oſtendit, heroicas virtutes omnino requiri ad SS. Confeſſores canonizandos. 213.

Ven.Joannes Angelus Porrus immemorabili cultu celebratur. 123. Plura de eodem exponuntur. *ibid.*

S.Joannes Baptiſta cur inter Martyres annumeretur. 207. Quonam modo peccatores objurgaverit? 280. Nulla dum viveret miracula patravit. 318. Ejus ſanguis miraculoſe liqueſcit. 421. In utero matris ſanctificatus eſt. 471. De eo plura exponuntur. *ibid.* & 472.

Joannes Baptiſta Mantuanus commendat res geſtas B. Ludovici Morbioli. 100.

Joannes Bodinus non bene audit de Sanctorum Canonizationibus. 23.

Servus Dei Joannes de Britto quonam modo tumulatus fuerit? 91.

Joannes Calà quare cultu privatus? 85.

B.Joannes Couſius cultum poſſidet immemorabilem. 112. De eo plura traduntur. *ibid.* Quare reputatus fuerit quædam Opuſcula non ſcripſiſſe? 139.

S.Joannes de Capiſtrano calumniis oppreſſus fuit. 147. Quid ſenſerit de militibus in prælio adverſus Infideles occiſis? 204. Et de cauſa martyrii? 207.

S.Joannes Chryſoſtomus qualiter cultum obtinuerit? 6. Scribit de Sanctorum Canonizationibus. 13. Et de pueris canonizatis. 14. Et de cultu, qui viventibus exhibetur. 83. Ludos ad Eudoxiæ Imperatricis ſtatuam celebrari ſolitos amovit. 93. Differit de dilectione proximi. 134. & 135. Et de cauſa martyrii. 206. Et de Martyribus falſis. 210. Et de Eccleſiaſticis dignitatibus recuſandis. 250. Et de Hæreticis obſtinatis.

tis. 280. Et de Chriſti D. miraculis. 317. Et de aliis miraculis. 325. De ejus Tranſlatione quædam. 477.

S. Joannes de Cruce plura miracula effeciſſe qualiter demonſtratur? 106. Vexationes non paucas perpeſſus eſt. 246. Quam pie obierit. 274. Quomodo in Litaniis invocetur? 469. Ejus cadaver furto ſublatum, poſtea reſtitutum eſt. 487.

S. Joannes Damaſcenus agit de cultu Sanctis perhibendo. 1. Amputatam manum miraculoſe recuperavit. 370. Ejus Miſſa, & Officium proprium. 644.

Joannes XV. Papa plurium Beatorum cultum confirmavit? 6. 7. & 21.

Joannes XIII. Papa cultum SS. Landoaldi, ac Sociorum approbavit. 7.

S. Joannes de Deo pluribus tribulationibus vexatus. 245. Qualiter e vita deceſſerit? 274. Ab incendio incolumis miraculoſe exivit. 402. In Romano Martyrologio nuper deſcriptus. 466.

B. Joannes de Dukla immemorabili potitur cultu. 122. De ipſo alia exponuntur. *ibid.*

Joannes Duns Scotus an vivus tumulatus fuerit? 392. Diſcutit de poteſtate Principum Chriſtianorum in infideles ſibi ſubditos. 201.

B. Joannes Epiſcopus qualiter coli cœperit? 32.

S. Joannes Evangeliſta & Apoſtolus quonam modo ab Eccleſia celebretur? 5. Inter SS. canonizatos recenſetur. 14. Num cælebs fuerit? 270. Claudum miraculoſe ſanavit. 358. Mirabilem e tumulo liquorem diffudit. 428.

S. Joannes a S. Facundo gibboſo ſanitatem miraculoſe obtinuit. 354. Et fœminæ duobus cancris vexatæ. 378.

Joannes Fiſcherius Cardinalis virtutibus claruit. 254. Ejus mors, & facta commendantur. 244. & 255.

Joannes Gerſon ſermonem inſtituit de revelationibus 136.

S. Joannes Gualbertus a Cœleſtino III. in SS. numerum relatus eſt. 9. Regulare inſtitutum a ſe ſuſceptum mutavit. 281.

Joannes Hus ab Hæreticis tamquam Martyr colitur. 210.

Joannes Jejunator cur non eſſet canonizandus, ſi nunc velut Sanctus proponeretur? 141.

B. Joannes Liccius, ejuſque cultus immemorabilis. 658. & *ſeqq.*

Joannes Longinus plura habet de canonizatione S. Stanislai Epiſcopi, & S. Hedavigis. 22.

B. Joannes Marinus immemorabili cultu celebratur. 120. De ipſo plura recenſentur. *ibid.*

S. Joannes de Matha inter SS. *æquipollenter* canonizatos annumeratur. 54. In Martyrologio dictus primarius Fundator Ordinis B. Mariæ de Mercede, error tamen expunctus fuit. 466. De ipſius cadavere furto ſublato ſcitu digna traduntur. 481. & *ſeqq.*

B. Joannes Minorum Ordinis colitur a tempore immemorabili. 116. Plura de eodem. *ibid.*

Joannes Molanus differit de neceſſitate Miraculorum ad Martyres canonizandos. 30. Et de nonnullis, antequam canonizarentur, in Litaniis invocatis. 95. Et de cultu immemorabili. 105. Et de operibus Fauſti Rejenſis. 132. Martyrologium qualiter evulgaverit? 4. 4.

S. Joannes Nepomucenus quomodo SS. numero adſcriptus? 106. Ejus martyrium laudatur. 305. & 307. Puellam ſub aquis demerſam ſoſpitem effecit miraculoſe. 397. Ipſius præmortui lingua incorrupta perſiſtit. 417. Ejuſdem cadaver ubinam repoſitum ſit? 485.

Joannes VIII. Papa cultum erga nonnullos Sanctos approbavit. 7. Inter Martyres non agnovit Milites ab Infidelibus in prælio occiſos. 204.

Joannes de Poliaco num Hæreticus reputandus? 137.

B. Joannes de Prado ægrotum ab hemorrhagia miraculoſe liberavit. 368. Aliumque arthritide laborantem. 429.

Joannes V. Luſitaniæ Rex Litteras accepit a BENEDICTO XIV. Papa de noviſſima Martyrologii Romani editione. 486.

Ven. Joannes de Ribera, in ejus Cauſa Obſtativum removetur. 735.

Joannes Verges de Haurane qualem in pluribus ſe geſſerit? 148.

Joannes XX. Papa quibuſnam Beatis cultum indulſerit? 7.

Joannes XXII. Papa S. Thomam de Aquino canonizavit? 11. Quorumdam Servorum Dei martyrium examinari fecit. 203.

Joannes XXIII. Papa S. Diepholdum? faſtis adſcripſit. 9.

Job ſe ipſum laudavit. 9.

B. Jordanus qualiter e vivis deceſſerit? 275.

Joſaphat Rex Dei cultum reſtauravit. 269.

Joſeph Patriarcha virtutibus inſignis fuit. 268. Nullum peccatum unquam commiſit. 276.

S. Joſephus in Litaniis invocandus. 468. & *ſeqq.* & 617. De ejus cultu plura elucidantur. 469. An SS. Veteris Teſtamenti aggregandus ſit? 469. Num in Limbum deſcenderit? 470. A Carmelitanis, & aliis ipſius cultus propagatus eſt. 470. De ejus Feſti inſtitutione. *ibid.* An in matris utero ſanctificatus? 471. Utrum corpore & anima glorioſus ad cælos aſcenderit? *ibid.* Pluribus excelluit prærogativis, & excellentiis. 471. & *ſeqq.*

B. Joſephus a Cupertino, ejuſque miracula approbantur. 673. & *ſeqq.* Beatificatur. 678. & *ſeqq.* ejus inſignis Reliquia dono datur Fratribus Conventualibus Bonon. 684. & *ſeqq.*

Joſephus Hebræus meminit miraculorum Chriſti Domini. 1. & 317.

B. Joſephus a Matre Dei pluribus vexatus eſt tribulationibus, & ærumnis. 246. Beatificatur. 519.

Joſephus Scaliger explicat quid ſit Martyrium. 40.

Ven. Joſephus Thomaſius Cardinalis Cardinalitiam dignitatem invitus accepit. 251. Ejus virtutes extolluntur. 255. & 256.

Joſias Rex Iſrael Dei cultum pro viribus amplificavit. 269.

Joſue a S. Hieronymo commendatur. 268. Virtutibus præſtans fuit. 268. & 269.

Iphigenia an in cervam converſa fuerit? 319.

S. Irenæus pertractat de Sanctorum interceſſione. 11.

Iſaac Pontanus ſcripſit de Canonizatione S. Canuti. 9.

Iſchuria quomodo efformetur? 383. De ſanatione ab ea. *ibid.*

S. Iſidorus Agricola ex oblatione flori ferti exiſtimatus eſt cultu publico decoratus. 98. In locum honorificum juſſu Leonis X. tranſlatus fuit. 103.

S. Iſidorus Hiſpalenſis laudat Confeſſores Chriſti. 3.

Iſidor

Iſidorus Pelusiota agit de ardentiſſima proximi dilectione, qua Moyſes excelluit. 135.
Judices delegati pro cauſis Servorum Dei quenam gaudeant poteſtate? 153.
Judices remiſſoriales quæ vi munatis ſui poſſint efficere? 154.
B. Juliana Cornelienſis cultu publico inſignita demonſtrata eſt. 92.
S. Juliana de Falconeriis qualiter vitam finierit? 275.
Julianus Apoſtata quidnam ſenſerit de miraculis Chriſti Domini? 217.
S. Julianus Martyr quommodo cultu decoratus? 92. De ejus martyrio quædam exponuntur. 205.
S. Julitta liquorem e ſepulchro miraculosè diffundit. 421.
Juramentum emittandum dum agitur de cauſis Servorum Dei, qualiter præſtandum? 155. & ſeqq.
Juſtificatio impiorum an ſit miraculis annumeranda? 411.
B. Juſtina cur longa ac diuturna ægritudine vexata? 244.
S. Juſtinus Martyr commendatur a Tatiano Aſſyrio. 4.
Juſtitia quid ſit? 225. De ea plura. 226.

K

Kalendaria unde orta? 4. Alia de eiſdem. *ibid.*
S. Kilianus injuſtè occiſus cultum obtinuit approbante Zacharia Summo Pontifice. 6.
Krantzius ſcripſit de Canonizatione S. Canuti. 9.

L

Lactantius diſſerit de Tyranni provocatione. 200.
Lampridius. V. *Antonius Lampridius.*
S. Landoaldus auctoritate Joannis XIII. coli cœpit. 7.
Latriæ cultus quid involvat? 2.
S. Latro quo cultu, & Officio decorandus? 454. Ad Chriſtum miraculoſe converſus eſt. 411.
Lauræ quid fuerint? 438.
Lauræa Cardinalis plura habet de SS. Canonizatione. 30. Et de Martyribus Tyrannum provocantibus. 202. Et de virtute proceſſus ordinarii. 82. Et de probationibus pro cauſis Servorum Dei. 173. Et de Martyrio. 203. & 205. Et de extaſibus. 300. Et de viſionibus. 303.
S. Laurentius Dublinenſis qualiter canonizatus? 15.
S. Laurentius Juſtinianus cancro laborantem miraculoſe ſanavit? 372.
Laurentius de Magalotis ſcripſit de viribus imaginationis. 429.
S. Laurentius Martyr a Prudentio commendatur. 4. Quo die martyrium perpeſſus ſit. 463.
Laurentius Salviati diu poſt mortem incorruptus quare permanſerit? 414.
Lazareda diſſerit de nonnullis requiſitis ad Martyrium. 203.
Lazarus ad vitam a Chriſto revocatus quo tempore ſupervixerit? 395.
Leæna Athenienſis fœmina mortem imperterrite toleravit. 212.
Leo X. Papa ſuffragia Pœnitentiariorum requiſivit ad canonizandum S. Franciſcum de Paula. 40. Diem pro Canonizationibus celebrandis deſignavit? 40. Ex cultu ab eo conceſſo demonſtratus eſt caſus exceptus. 103. Plura ſtatuit de Cardinalium vivendi norma. 655. Cum Martino Luthero leniter pertractavit. 281.
S. Leo Magnus Papa cauſarum majorum definitionem Sedi Apoſtolicæ reſervavit. 1. Laude dignus reputandus eſt. 37. De ejus translatione. 477. & 478. ejus Officium & Miſſa ſub titu Sanctorum doctorum. 731. & ſeqq.
S. Leo IX. Papa Beatorum quorumdam cultum approbavit. 8. & 11. Milites in prælio occiſos a Catalogo Martyrum relegavit. 204. Nam juſtum bellum aggreſſus ſit. 269. De eo judicium latum a B. Petro Damiani. 282.
Leo I. V. *S. Leo Magnus.*
S. Leo IV. Papa milites occiſos dum in Infideles pugnant, Martyribus non annumeravit. 204.
Leo VII. Papa cultum S. Willibaldi approbavit. 7.
S. Leo III. Papa S. Ludgerum canonizavit. 7. An in Canonizatione Sancti Suviberti indulgentias conceſſerit? 42. Oculorum, & linguæ uſum miraculoſe recuperavit. 321. Qualiter in Martyrologio deſcriptus? 466.
Ven. Leonardus de Fuſco quonam elogio decoratus. 89.
S. Leopoldus Auſtriæ Princeps virtutibus inſignis fuit? 268. & 169.
Lepra quid ſit, & ex quibus ſymptomatibus dignoſcatur? 371.
Leproſi plures miraculoſe ſanati ſunt. 371.
Leſſius edocet quænam ad martyrium requirantur. 208.
Lezana ſententiam promit de ſcientia Servorum Dei ad comprobandam ſanctitatem. 128.
B. Liberatus de Lauro cultu immemorabili celebratur. 128. De eo plura declarantur. *ibid.*
B. Liberius ſatis laudatur. 99. & ſeqq.
Libri a Servis Dei conſcripti, & non reperti, qualiter examinandi? 138. & 139.
Licetus. V. *Fortunius Licetus.*
B. Lidwina quare diuturnam perpeſſa ſit infirmitatem? 244.
Liquores e Sanctorum oſſibus, aut ſepulchris manantes quonam modo examinandi? 422.
Litaniæ quid ſecum involvant? 459. De ipſarum antiquitate, ac Sanctis in eis invocandis. 469. & ſeqq. Litaniæ Eccleſiæ Bononienſis. 617.
Litteræ Encyclicæ a primitiva Eccleſia enarratæ demonſtrantur pluribus ab Exemplis. 4. *Remiſſoriales*, & *Compulſoriales* pro cauſis Servorum Dei quibus inſcribendæ? 151. De eiſdem plura. 152. & ſeqq.
Livius. V. *Titus Livius.*
Longinus. V. *Joannes Longinus.*
Luca Cardinalis ſententiam ſalit de ordine nominandi SS. dum plures ſimul canonizarentur. 42.
S. Lucas Caſalius, ejuſque cultus. 635.
Lucas Caſtellinus agit de miraculorum neceſſitate ad Martyres canonizandos. 30. Et de cultu Servis Dei minime exhibendo ante Sedis Apoſtolicæ judicium. 85. Et de nonnullis invocatis in Litaniis, qui non canonizati eſſent. 95. Et de cultu erga S. Pium V. a Paulo V. approbato. 104. Et de Servorum Dei operibus inſolitis. 284.
S. Lucas Evangeliſta Apoſtolis ab univerſa Eccleſia annumeratur. 5. Qualiter tranſlatus ſit, & ubinam colatur. 484.
B. Lucia Bononienſis virtutibus, & miraculis inſignis

ſignis fuit. 200. De ejus immemorabili cultu ſermo fit. *ibid.*

B.Lucia Narnienſis colitur a tempore immemorabili. 217. Plura de ea explanantur. *ibid.* Cur tamquam Virgo Officio & Miſſa celebretur. 435.

Lucifer Calaritanus quis fuerit? 51. De eodem alia. *ibid.* & 52.

Lucius III. Papa S.Brunonem Signinum canonizavit. 9.

S.Ludgerus Epiſcopus qualiter canonizatus fuit? 7.

Ludi apud Ethnicos celebrati. 417.

B.Ludovica Albertonia immemorabili cultu potitur. 111. Alia de ipſa enarrantur. *ibid.*

B.Ludovicus Alamandus quare beatificatus, licet adverſus fuerit Eugenio Papæ? 211.

S.Ludovicus Galliarum Rex a B.Gregorio X.cultu decoratus fuit. 62. Pluribus ſubjacuit tribulationibus. 245. Virtutibus ſatis enituit? 268. & 269. Quid de fratre ſuo in prælio occiſo ſenſerit? 203. & 204. Et de bello in Chriſtianos? 270.

B.Ludovicus Morbiolus quanam de cauſa cultu gaudeat immemorabili? 100. A Joanne Baptiſta Mantuano, & Sigonio commendatus. *ibid.*

Ludovicus Pius Imperator inſigni præcelluit obedientia erga S.Sedem. 269.

Ven. Ludovicus de Ponte qualiter ſepultus fuerit? 91. Plura edocet de operibus inſolitis Servorum Dei. 284. Et de eorum viſionibus. 306.

S.Ludovicus Toloſanus ob doctrinam ſuam laudatur. 128. In Civitatem Valentinam tranſlatus eſt. 484.

Lupus. V. *Chriſtianus Lupus*.

Lutherus miracula efficere fruſtra tentavit. 323.

Lux a Deo primum creata an fuerit accidens, vel ſubſtantia; ſpiritualis; aut corporea? 407.

M

M*Abillonius* ſcripſit de cultu S.Kiliani, & Sociorum. 7. Et S.Simeonis Padolironenſis, ac aliorum BB. 7. 8. & 21. Et de oblationibus. 46. Et de ſcriptorum examine. 128. Et de Martyribus in prælio occiſis. 204. Et de aliis, qui olim nuncupati ſunt Martyres. 207.

Macrus pertractat de oblationibus. 46.

Magdalena de la Cruz quibuſnam præſtigiis uſa ſit? 295.

Magi Ægyptii prava opera, non vero bona effecerunt. 321.

S.Malachias a Clemente III. canonizatus eſt. 9. Pie e vivis deceſſit. 272. Vili veſte cooperiebatur. 283.

Mallebranchius quare in ſententia de Angelorum virtute proſcribendus. 318.

Malvetius. V. *Troilus Malvetius*.

Mahometes rogatus ut miracula patraret, quid reſponderit? 323.

Maniaci a Chriſto miraculoſe ſanati. 359. De eorum curatione, ac ſymptomatibus. *ibid.* & 360.

S.Marcellinus Anconitanus Epiſcopus quare cenſeatur æquipollenter canonizatus? 101.

S.Marcellinus Papa an vere à Fide defecerit? 456.

S.Marcus Evangeliſta qualiter Venetias tranſlatus fuerit? 483. De eodem plura alia. *ibid.*

Ven. Margarita Alacoque revelationem dicitur habuiſſe de cultu SS.Cordis Jeſu. 498.

Margarita Comitiſſa 364. infantes partu uno edidit. 388.

S. Margarita de Cortona licet incorrupta poſt mortem viſa fuerit, ejuſmodi tamen incorruptio minime inter miracula reputata eſt. 415.

B.Margarita de Sabaudia colitur a tempore immemorabili. 110. Plura de eadem exponuntur. *ibid.*

S.Margarita Scotiæ Regina qualiter æquipollenter canonizata dicenda ſit? 55.

Ven. Maria de Agreda, & decretum ſuper ejus Operibus. 640.

B. Maria de Capite cultu immemorabili potitur. 115. Alia de ipſa deſcribuntur. *ibid.* & 270.

S.Maria Magdalena num inter Viduas recenſenda ſit? 27.

S.Maria Magdalena de Pazzis quamnam habuerit revelationem de Clavis Chriſti Domini? 135. Tribulationes, & ſcrupulos perpeſſa eſt. 247. & 248. Ab hac vita piè deceſſit. 273. Miraculoſe incorrupta poſt mortem remanſit. 416.

B Maria de Socos cultu gaudet immemorabili. 114. Aliæ de ipſa laudes referuntur. *ibid.*

Beatiſſima Maria Virgo a quonam tempore apud Eccleſiam colatur? 5. De ejuſdem cultu alia referuntur. [illegible] mortem perpeſſa ſit? *ibid.* Ipſius Conceptio prædicatur. 209. Qualiter Martyr dicenda ſit? 182. Nullum unquam peccatum commiſit. 277. Sub titulo *de Pilar* Officio, & Miſſa propria celebratur. 448. Pariformiter etiam ſub titulo *Roſarii*. 449. Et ſub titulo *Novendii* apud Matritenſes. 457. In orbe autem univerſo Feſto de præcepto ejus Conceptio recolitur. 460. & 471. In utero matris ſanctificata eſt. 471. Quonam Sacramenta ſuſceperit? 475. De ejus imaginibus plura elucidantur. 450. An ad Meſſanenſes, & alios literas miſerit? 498. De earum cultu ſermo fit. *ibid.* Deque veneratione ipſi præſtita ſub titulo *del Remedio*. 499. Et in Sacramento Altaris. *ibid.* Et ſub titulo *del lume*. 500. ejuſdem Puritatis, & Maternitatis Miſſa, & Officium. 643.

Ven. Mariana de Jeſu qualiter tumulata fuerit? 92.

S.Maro, ejuſque cultus vindicatus. 693. & *ſeqq.*

Maroshienſes Martyres, eorumque Miſſæ, & Officii conceſſio. 643.

Martinus Cardinalis legationes Apoſtolicas rite adimplevit. 157.

Martinus Mayer dignitatis Cardinalitiæ faſtui obſtreſtans, confutatur. 255.

Martinus V.Papa qualiter S.Birgittam canonizaverit? 10. Et alios Beatos cultu donaverit? 12.

Martinus del Rio ſermonem inſtituit de apparitionibus. 302. & *ſeqq.* Et de revelationibus. 307. & *ſeqq.* Et de poteſtate Dæmonum. 319. Et de Dæmonibus incubis, & ſuccubis. 320. Et de miraculis. 325. Et de animarum apparitione. 426. Et de imaginationis effectibus. 427. Et de puerorum faſcinatione. *ibid.*

S. Martinus Turonenſis a quarto ſeculo in Eccleſia colitur. 5. Cujuſdem Latronis cultum abrogavit. *ibid.* Qua de cauſa id egerit? 59. A Dæmone in ſupremo agone tentatus eſt. 274. Vitam ſibi protrahi non recuſavit. *ibid.* Cur ſe maximo in honore haberi permiſerit? 282. Vili veſte utebatur. 283. Qualiter poſt mortem apparuerit? 243.

Martyres a primitiva Eccleſia coluntur. 2. De eorum diverſitate ſermo habetur. *ibid.* & 3. Et de requiſitis ad eorum cultum. 6. Quibuſnam præcedentibus canonizari debeant? 29. & *ſeqq.* An ad

ad eorum Canonizationem prærequirantur miracula? 30. & ſeqq. Quinam ut tales ab Eccleſia dignoſcantur? 454. Quibus in locis quondam tumulari? 488. Quibus etiam ex ſignis cognita olim ipſorum cadavera? 488. & ſeqq.

Martyres falſi undenam cogniti fuerint? 209. & ſeqq.

Martyrium quid a primis Eccleſiæ temporibus dictum fuerit? 4. In cauſis Servorum Dei non eſt examinandum, niſi lapſis ab eorum obitu quinquaginta annis. 164. De ejus natura, cauſa, requiſitis, & aliis plura edocentur. 182. & ſeqq. An ſit deſiderandum, fugiendum, aut quærendum? 195. & ſeqq. An cum provocatione Tyranni admittendum ſit? 199. & ſeqq. Num validum, cenſeatur, dum quis perſecutori reſiſtit? 203. & ſeqq. De ejus ex parte Martyris cauſa. 206. & ſeqq. Et de ſignis. 211. & ſeqq.

Martyrologia a quonam ortum duxerint? 4. In quo etiam a Kalendariis differant? 4. Plura commendantur? 464. De eiſdem alia adnotantur. 464. & ſeqq.

Martyrologium Romanum quid ſit, qualiter, & quando legendum? 404. Juſſu Gregorii XIII. correctum fuit. *ibid.* De ejus editione, ac erroribus quædam declarantur. *ibid.* & ſeqq. An in poſterum corrigendum? 465. De BB. ac SS. in eo deſcribendis, de elogiis, aliiſque pluribus in eo contentis. 466. uſque ad 474. & 626. & ſeqq.

Maſtrovius diſſerit de probatione famæ. 246.

Mathatias Idololatras interemit. 205.

Matta oſtendit, ſolius eſſe Papæ beatificare, & canonizare. 11. Quid ſentiat de Indulgentiis pro demonſtrando caſu excepto? 104. Et de probationibus pro cauſis Servorum Dei. 168. & 175.

Matthaeuccius exponit, in quo conſiſtat Beatificatio, & Canonizatio. 50. Plura edocet de probatione martyrii. 171. Et de Servorum Dei invocatione. *ibid.* Et de teſte paupere. 174. Et de aliis teſtibus. 175. Et de revelationibus. 308. & 309.

S. Matthæus Apoſtolus ad Chriſtum miraculoſe converſus eſt. 411.

B. Matthæus Carrera colitur a tempore immemorabili. 109. Plura alia de ipſo deſcribuntur *ibid.*

B. Matthæus Cluniacenſis Cardinalis virtutibus clarus fuit. 254.

Matthæus Magnanus ſcripſit de miraculis. 316.

Matthæus Paris ius agit de Canonizatione S. Albani. 2.

Maucleros plura diſcutit de bello. 269. & 270.

S. Mauritius una cum Sociis Martyrium patienter toleravit. 203.

Maurolicus qualiter ediderit Martyrologium? 464.

Maurus ſermonem habet de requiſitis ad martyrium. 209.

S. Maurus Abbas a Fauſto Monacho commendatur, quod approbavit Bonifacius III. 6. De eo alia. 281. & 284.

S. Maximus a Leone IX. canonizatus eſt. 8.

Medicamenta an obſtent ſanationi miraculoſæ. 348.

Medici an ſanationes miraculoſas debeant examinare? 176.

Medina plura explicat de viſionibus. 304.

Mommius ſcripſit de beatificationibus, & Canonizationibus. 50.

Menologia in quo a Menæis differant? 468.

Menologium Baſilianum quænam continet. 467. & 468.

Mercatus, & nundinæ. 522.

Meteora in Sole, & Luna aliquoties viſa. 404. Alia de diverſis Meteoris elucidantur. 404.

Michael Angelus Lapius ſcripſit de prodigioſo jejunio Beati Nicolai de Flue. 408.

Michael Bajus omnia Infidelium opera peccata eſſe dicens, meritò proſcriptus eſt. 224.

Ven. Michael a Sanctis quare dictus ſit non tranſiiſſe in alium Ordinem Regularem? 281.

B. Michelina cultu gaudet immemorabili. 122. Alia de ipſa exponuntur. 122.

Mirabilia in quo conſiſtant? 315. Differunt a miraculis. 316.

Miracula quid ſint? 31. & 313. Quædam de ipſis. 31. 38. & 191. & 313. uſque ad 316. Martyrii, & Fidei Catholicæ veritatem adſtruunt. 233. De ipſorum cauſa efficiente. 316. & ſeqq. A quibus fieri poſſint? 319. & ſeqq. De eorum fine. 324. Qualiter vero a falſis differant? 326. & ſeqq. An ad Beatificationes, & Canonizationes requirantur? 328. & ſeqq. Quomodo probanda? 330. & 342. Quot ad Beatificationem, & Canonizationem requirantur? 335. 630. Et qualia? 335. Num in inſtanti fieri debeant? 343. & 344.

Miracula negativa quomodo definiantur? 395. Utrum ad Beatificationes, vel Canonizationes admittenda ſint? *ibid.* & 396. & ſeqq. De miraculis ex dominio in elementa, & alias creaturas ſermo fit. 400. & ſeqq.

Miracula ſpiritualia qualiANAM dici debeant? 410. Alia de ipſis recenſentur. *ibid.* & 412.

Miſſa an celebrari debeat in Canonizationibus. 44. Et qualiter? 45. Miſſarum quarumdam conceſſiones. 643. & ſeqq. Num etiam, & qualiter in Beatificationibus? 105. Quonam modo in obitu Servorum Dei cultum arguat? 92. Et in honorem SS. celebretur? 431. & ſeqq.

Molanus. V. *Joannes Molanus*.

Molinæus. V. *Petrus Molinæus*.

Molphetius diſſerit de proceſſibus ordinariis. 82. Et de cultu erga non beatificatos. 65.

S. Montanus qualiter admiſſus in Patronum minus principalem Caietæ? 459.

Mors quibus ex ſignis dignoſcatur? 392. & ſeqq.

Mors ſubitanea non obſtat Canonizationi. 275.

Mortificatio carnis ad Servorum Dei Beatificationem, & Canonizationem requiritur. 241. & ſeqq.

Moshemius agit de virtute Dæmonis ad patranda miracula. 322.

Moyſes proximum ardentiſſime dilexit. 235. Manſuetudine, ac aliis virtutibus floruit. 268. & 269. Num in hac vita Deum viderit? 301. Cum a fratre, & ſorore objurgaretur, Deus miraculum effecit. 325. Quare a Deo poteſtate faciendi miraculis decoratus ſit? 325. E petra percuſſa aquas miraculoſe eduxit. 400. Facie ſimiliter ſplendebat. 466. Quomodo ad quadraginta dies jejunium protraxerit? 408.

Multiplicatio rerum miraculoſe ſæpe viſa eſt? 399. Quomodo eveniat? *ibid.* & 400.

Mumia Ægyptiaca quid ſint? 415.

Muratorius demonſtrat Martyrum in primæva Eccleſia multitudinem. 4. Quid ſentiat de furtis Reliquiarum SS. 485.

Mazi

Muti loquelam ſæpe miraculoſe recuperarunt. 350. *& ſeqq.*

N

NAaman Syrus qualiter ad veram fidem converſus ſit? 28. Et Templum Remmon ingredi permiſſus fuerit ab Eliſeo Propheta? 207.

Nabuchodonoſor an in beſtiam converſus ſit? 302.

Natalis Alexander ſcripſit de Vincentio Lirinenſi. 130. Et de Principum in hæreticos poteſtate. 201. Et de nonnullis, qui mortem impavide ſuſtinuerunt. 212. Et de miraculis quibuſdam. 315. Et de cæco illuminato a Chriſto Domino. 350. Et de muto ac ſurdo ab ipſo ſanato. *ibid.* Et de tenebris in ejus morte factis. 403.

Neumannus qualinam artificio uſus ſit ad oſtendendam ſanguinis a corpore ſeparati ebullitionem? 423.

Nicetas Pectoratus falſo exiſtimavit, Euchariſtiæ ſumptione jejunium infringi. 409.

B. Nicolaus Albergatus virtutibus illuſtris cultu potitus immemorabili. 100. & 126. 254. & 257.

B. Nicolaus de Flue a tempore immemorabili cultum obtinens commendatur. 110. Per totos viginti duos annos a cibo, & potu omnino abſtinuit. 408. conceſſio facta pro ejus Officio, & Miſſa. 617.

B. Nicolaus Lincopenſis qualiter cultum obtinuerit? 11.

S. Nicolaus Myrenſis Epiſcopus dexteram poſt mortem aſſervavit incorruptam. 417. Mirum liquorem e cadavere ſuo diffundit. 421. Furto ſublatus Barium translatus eſt, & publico cultu decoratus. 483.

Nicolaus Papa quid ſenſerit de Hæreticis? 281.

B. Nicolaus Peregrinus an ſub Urbano II. cultum obtinuerit? 8.

Nicolaus I. Papa num Apollionem canonizaverit; & ſacris diptychis inſcriptus ſit? 7.

Nicolaus IV. Papa ejuſque cultus an legitimus. 637.

S. Nicolaus de Tolentino qualiter canonizatus? 83. A pueritia ſanctitatem indicavit. 275. Ab uno in alium Ordinem Regularem tranſiit. 281.

Nilammon Monachus qua de cauſa e vita deceſſerit? 249.

Noctambuli quinam dicantur? 408.

S. Norbertus quare cenſeatur æquipollenter canonizatus? 53. Plures perpeſſus eſt calumnias. 147.

Notarii pro cauſis Servorum Dei quid peragere teneantur? 155. De iiſdem plura recenſentur. 19. 20. & 166.

B. Notkerus qualiter Martyrologium compoſuerit? 464. Cultum obtinuit. 22.

Novendiales preces in honorem SS. examinantur. 437.

Nundinæ, & Mercatus. 482.

Nyſſenus. V. *S. Gregorius Nyſſenus*.

O

OBedientia a Servis Dei Regularibus quomodo exercenda? 281. & 282.

Oblationes in Miſſa Canonizationum faciendæ deſcribuntur. 45. De iis alia declarantur. 46.

Obſeſſi quinam dicendi. 410. Alia de ipſis adnectantur. *ibid.*

Octavæ in Officiis SS. unde ortæ, & quibus concedendæ. 456.

Octavianus Imperator quomodo inter Cælites adnumeratus? 2.

Odores quanam a cauſa producantur. 422. An a cadaveribus efflati miraculoſi ſint? 423.

B. Odericus Matthiuſſi, ejuſque cultus immemorabilis. 627. *& ſeqq.*

Offa Rex ſupplices preces effudit pro Canonizatione S. Albani. 7.

Officia Defunctorum in obitu Servorum Dei an ſint perſolvenda? 91.

Officia Sanctorum qualiter recitanda. 49.

Officium Divinum quid? 431. Quomodo adimplendum? *ibid. & ſeqq.* Qualis ejus ritus. 456. Officiorum quorumdam conceſſiones. 643. *& ſeqq.*

Officium proprium quid ſit? 446.

B. Oldegarius Archiepiſcopus a tempore immemorabili colitur. 112. De ejus laudibus ſermo ſit. *ibid.* conceſſio pro ejus Officio, & Miſſa. 617.

Operatio virtutum in quo conſiſtat? 288.

Ophtalmia quid ſit. 349. An ab ea ſanatio miraculis ſit adſcribenda? *ibid.*

Oracula in Chriſti adventu obmutuerunt. 292.

Oratio quid? 323. De ea plura notantur. 232. *& ſeqq.*

Ordinarii quanam gaudeant facultate in conficiendis proceſſibus pro cauſis Beatificationis, & Canonizationis? 75. An Servorum Dei miracula approbare poſſint? 75. & 76. Quiſnam pro cauſis Beatificationis, & Canonizationis dicendus ſit Ordinarius? 76. *& ſeqq.* De proceſſibus, qui ab eo conficiuntur. 78. *& ſeqq.* De proceſſibus, ac ipſo conficiendis ſuper non cultu. 82. 95. & 96.

Oriens S. Vincentii Ferrerii opera cultu privatus. 85.

Orientalis Eccleſia in quo diſcriminetur ab Occidentali? 49.

Ornatus Eccleſiæ jure merito propugnatur. 71.

Oſeas qualenam a Deo preceptum acceperit? 284.

Oſtienſis Cardinalis plura diſcutit de SS. Canonizatione. 15. Et de miraculorum neceſſitate ad Martyres canonizandos. 32. Et de Beatificatione, ac Canonizatione. 50.

B. Ochmarus a quonam tempore cultum obtinuerit. 7.

S. Otho Bambergenſis a Clemente III. canonizatus eſt. 9.

S. Otho M. 645.

P

B. PAcificus a Ceredano cultu ab immemorabili potitur, qui a BENEDICTO XIV. PP. pro rato habitus eſt. 45. De ejus cultu immemorabili ſermo inſtituitur. 127.

Pagani num poſſint efficere miracula? 320.

Pagius ſermonem attexit de antiquo cultu SS. 98.

Palæotus Cardinalis. V. *Gabriel*.

Pallavicinus Cardinalis nonnulla exponit de ſuffragiorum pluralitate. 25. Et de dignitatibus Eccleſiaſticis minime appetendis. 250.

Pambo Abbas ſe ipſum commendavit. 278. & 279. Peccatores quomodo reprehenderit. 280.

Panegyrica oratio pro cultu Servorum Dei an venerationem importet? 92.

Papa a quonam tempore Canonizationes celebraverit? 6. *& ſeqq.* Hæreſes damnavit. *ibid.* Beatificare, & Canonizare ſolus poteſt. *ibid.* Quomodo ad Canonizationes procedat. 21. *& ſeqq.*

Quibus fulgeat dignitatibus? 252. Qualem ſe gerere debeat? ibid. Num e Cardinalium cœtu eligendus? 255. An dignior eligendus? 257. An in beatificationibus errare poſſit? 58. & ſeqq. Num in canonizando ſit infallibilis? 61. & ſeqq. Utrum poſſit committere definitionem Canonizationis? 63. & ſeqq. De ejus in Canonizatione infallibilitate. 64. & ſeqq. De ipſius oratio. 66. De cultu Sanctis conceſſo. 84.

Papebrochius differit de origine geſtandi vexillum in Canonizationibus. 43. Et de antiquo SS. cultu. 92. Et de cultu S. Pudentis, ac ejus filiarum. 5.

Papienſis Cardinalis quidnam Paulo II. propoſuerit de recto Summi Pontificatus regimine? 253. Sententiam profert de Cardinalium vivendi norma. 255. Et de munere Conſultorum. 257.

Paralyſis quomodo efformetur? 355. Ejus ſymptomata explanantur. ibid.

Paralytici plures a Chriſto miraculoſe ſanati. 354. & ſeqq.

Pariſius Diaconus an vera miracula patraverit? 340.

Partus quo tempore naturaliter eveniat? 386. Plures miraculoſi partus recenſentur. ibid. Partus ſpecies explicantur. ibid. & ſeqq.

Paſchalis II. Papa nonnullos Sanctos canonizavit. 8. Cur ab aliquibus improbetur? 57. In Patriarchio Lateranenſi depictus eſt. ibid. Non numeratur inter SS. ibid.

Paſchalis III. Pſeudopapa ſanctum dixit Carolum Magnum. 9.

Paſchaſius quid poſt mortem expertus eſt? 14.

S. Paſchaſius Radbertus cultum obtinuit ſub Gregorio VII. 8. Licet Symmacho Papæ adverſum ſe geſſiſſet, canonizatus eſt. 211.

Paſſio Domini moribundis quondam legebatur. 273.

Paſſio hyſterica quid ſit? 358. De ejus cauſis, & ſanatione ſermo habetur. 359.

Paſſionalia qualiter inſtitui cœperint? 4.

Pater Æternus an particulari Officio colendus ſit ab Eccleſia? 495.

Patientia a Sanctis multoties in tribulationibus demonſtrata. 246.

S. Paulinus flores exiſtimat ornamentum eſſe Eccleſiarum. 98. Commendat martyrium S. Geneſii, quod a teſtibus de auditu agnoverat. 167.

S. Paulus Apoſtolus doctrina inſignis fuit. 128. Et charitate erga proximum. 135. Calumniæ ſuſtinuit. 145. Quædam explicat de Chriſti lege. 210. Quare S. Petrum objurgaverit? 247. Se ipſum commendavit, & qualiter? 278. & 279. Peccatores, quomodo reprehenderit? 280. De ejus raptu, & converſione ſermo inſtituitur. 284. & 312. An in hac vita Deum viderit? 301. Apoſtolatum ſuum ex miraculis comprobat. 335. Claudum miraculoſe ſanavit. 352. Ad Chriſtum miraculoſe converſus eſt. 313. & 411. Qualiter Dæmones fugaverit? 412. Apparentem Chriſtum corporaliter ſolus vidit. 425.

S. Paulus Eremita piiſſime ab hac luce migravit. 272.

Ven. Paulus de Buralis, ejuſque virtutes heroicæ approbantur. 672. & ſeq.

Ven. Paulus Juſtinianus quonam cultu privatus? 88.

Paulus IV. Papa correctionem Breviarii Romani tentavit. 455.

Paulus V. Papa nonnulla decrevit de cauſis Servorum Dei. 28. Et de eorum cultu. 87. Cultum indulſit S. Pio V. 104.

Pauperes an pro cauſis Servorum Dei validum ferant teſtimonium? 174.

Paupertas quomodo a Regularibus obſervanda? 282.

Peccata a Servis Dei commiſſa examinanda, & pro eiſdem pœnitentia, antequam ipſi beatificentur, vel canonizentur. 276. & ſeqq.

Peccatores an miracula poſſint efficere? 324.

Penia. V. *Franciſcus Penia*.

Peregrinationes num laudabiliter ſuſcipiantur? 672.

Peregrini an ab Eccleſia cultu donandi? 272.

Peſtis quid ſit? 396. Ab epidemia, & contagio quomodo diſtinguatur. ibid. Quoſnam effectus producat? 396. Quædam de ejus miraculoſa extinctione. 397.

Petra Cardinalis differit de Martyrum perſeverantia. 203.

Petrus Abailardus an ſit Hæreticis annumerandus? 137.

S. Petrus de Alcantara quam pie vitam clauſit. 273. illæſus ab igne miraculoſe perſtitit. 401.

S. Petrus Alexandrinus quid ſentiat de Libellaticis? 2.

S. Petrus Anagninus a Paſchali II. canonizatus eſt. 8.

S. Petrus Apoſtolus promiſit interceſſionem ſuam apud Deum. 31. Quare a S. Paulo fuerit objurgatus? 247. Claudum miraculoſe ſanavit. 352. Et paralyticum. 355.

B. Petrus de Arbues martyrii deſiderium qualiter manifeſtaverit? 206.

B. Petrus de Armengol merito commendatur. 113. Ab immemorabili tempore colitur. ibid. In Martyrologio qualiter deſcriptus? 466.

B. Petrus de Caſtro novo quomodo cultu inſignitus? 32. Et martyrii deſiderium patefecerit? 206.

B. Petrus Damiani ſcripſit de cultu S. Romualdi. 7. Et S. Severini. 14. In iis, quæ edidit de B. Petro Urſeolo, deceptus eſt. 148. Pertractat de virtutibus ad ſanctitatem neceſſariis. 213. Et de norma vitæ Cardinalium. 255. Calumniis impeditus fuit. 247. Virtutibus, ac dignitatibus claruit. 254.

B. Petrus Ferrerius duos præmortuos pueros ad vitam revocavit. 393.

Petrus Franciſcus de Rubeis quid ſentiat de virtutibus purgati animi? 217.

Petrus Galatinus agit de miraculis. 314.

B. Petrus Gonzales commendatur. 120. Cultu gaudet immemorabili. ibid.

S. Petrus Igneus ſuper ardentem ignem illæſus deambulavit. 401.

B. Petrus de Lucemburgo qualiter beatificatus? 11. & 211. A quonam creatus Cardinalis? 211.

S. Petrus Martyr pro Chriſto occidi ſemmopere optavit. 206.

S. Petrus M. Marochienſis. 645.

Petrus Molinæus non bene audit de ebullitione ſanguinis S. Januarii. 428.

S. Petrus Nolaſcus quare æquipollenter canonizatus cenſeatur? 34. Qualiter in Romano Martyrologio deſcriptus? 466. Et in Litaniis invocandus? 469.

B.Pe-

Digitized by Google

B. Petrus Ordinis Minorum cultu immemorabili celebratur. 226. De eo plura deſcribuntur. *ibid.*

B. Petrus Paſchaſius colitur a tempore immemorabili. 111. Ejus laudes recenſentur. *ibid.*

B. Petrus de Piſis cultu immemorabili potitur. 114. Plura de eo elucidantur. *ibid.*

S. Petrus Regalatus e cadavere ſuo ſanguinem effudit. 420.

B. Petrus Urſeolus an recte incuſatus fuerit a B. Petro Damiani. 148.

Petrus de Walemburgh pertractat de cultu SS. exhibendo. 2.

Philippus Alegambe edidit Catalogum Scriptorum Societatis Jeſu. 89.

S. Philippus Benitius Summum Pontificatum recuſavit. 249.

Philippus Ferrarius SS. Catalogum qualiter ediderit? 464.

S. Philippus Nerius quonam donatus cultu? 84. Cardinalitiam reſpuit dignitatem. 249. Vitam finire non formidavit. 274. Canonizationem ſuam prædixit. 279. Mortificationibus pluſimis afflixit ſemetipſum. 283. An miraculoſe diſruptas coſtas, aliaque habuerit ſymptomata? 384. Miracula ſpiritualia patravit. 411.

S. Philocalus M. 486. & *ſeqq.*

Phileſtratus multiplici ex capite proſcribendus. 422.

Phlegon loquitur de tenebris in morte Chriſti. 403. Ejus ſententia examinatur. *ibid.*

Phænomena plura deſcribuntur. 404. & 405.

Pignorellus oſtendit, laureolam ſignificare beatitudinem. 88. Scribit de imaginibus Servorum Dei. 93. Et de eorum ſepulchris. 91. Et de viſionibus Dæmoniacis. 302.

Pileus Rubeus a quo tempore Cardinalibus conceſſus? 255.

Pipinus Rex Galliorum in ditionem ſuam Officia SS. invexit. 456.

Pius IV. Papa plura edocet de Fide. 307. Correctionem Breviarii Romani incepit. 455.

S. Pius V. Papa quali cultu decoratus a Paulo V. 104. Quid decreverit de ſepulchris Fidelium. 91. Et de teſtibus ſingularibus? 168. Dignitates Eccleſiaſticas minime ambiebat. 249. Virtutibus pluribus fulſit. 253. Prophetiæ dono claruit. 292. Breviarium Romanum corrigi fecit. 455. Quid de eo decreverit. *ibid.* & 456. Et de Litaniis. 469. Qualiter in Romano Martyrologio deſcriptus fuerit? 466.

Pius II. Papa S. Catharinam Senenſem quomodo canonizaverit? 10. Litem de primatu inter Epiſcopos, & Protonotarios, pro primis adjudicavit. 40. Plura a ſe ſcripta contra Eugenium IV. retractavit. 257. Quædam decrevit de teſtium qualitate. 274. Quid ſenſerit de militibus in prælio occiſis ab infidelibus? 304. Et de dignitate Cardinalitia? 255.

S. Placidus una cum Sociis inventus, ampliori cultu decoratus eſt. 479.

Plinius an vera dixerit de pluviis lapideis? 405.

Plutarchus ſcribit de Ethnicis Apotheoſis cultu decoratis. 6.

Pluviæ lapideæ an vere acciderint? 405.

Pœnitentia a beatificandis, & canonizandis frequentanda. 236. & *ſeqq.* Quonam in Servis Dei prærequiratur ad Beatificationem? 273. & *ſeqq.*

Pœnitentiarii in Urbe ſuffragium tulerunt pro canonizando S. Franciſco de Paula. 40.

Polychronius miraculum efficere fruſtra tentavit. 323.

Popylus quid ſit, & quomodo curandus? 385.

Poetas refellendus circa ſententiam de reformatione Breviarii. 456.

Pontifices Summi canonizati quibus præfulſerint virtutibus. 252.

Poppo Epiſcopus obtinuit cultum pro S. Simeone Syracuſano. 8.

Portitores pro cauſis Servorum Dei a quo eligendi? 155. Quid peragere teneantur. *ibid.*

Poſitiones cauſarum Servorum Dei in quo conſiſtant? 150.

Poſtulatores pro cauſis Servorum Dei quomodo eligendi? 21. Quales ſe gerere debeant? 28. & 166. Qualiter ſupplicent ut ante quinquaginta annos eorum Martyrium, vel virtutes examinentur? 164.

S. Praxedes a quarto ſæculo cultum in Eccleſia obtinuit. 5.

Principes Chriſtiani an Paganos compellere poſſint ad legem naturalem obſervandam? 201. Quid poſſint erga Hæreticos, & Schiſmaticos? 202.

Proceſſiones in Canonizationibus quomodo cogendæ? 43.

Proceſſus in cauſis Servorum Dei qualiter compilandi? 34. 95. & 96. Tripliciter fiunt. 148. Alia de eiſdem. 148. & *ſeqq.* & 160. & *ſeqq.* & 24. & *ſeqq.* Ab Ordinario confecti poſt appoſitionem manus Sedis Apoſtolicæ nullitatis vitio laborant. 163. *Apoſtolici* in quo conveniant cum Ordinariis? 80. & *ſeqq.* Quales ad Beatificationem, & Canonizationem requirantur? 82. *Compulſoriales* quomodo conſtituendi? 162. Horum validitas examinatur. *ibid.*

S. Procopius Abbas a quo canonizatus? 9.

S. Proculus qualiter martyrium perpeſſus ſit? 204.

Procuratores pro cauſis Servorum Dei quinam deſignandi? 22. De iis alia explicantur. *ibid.*

Promotor Fidei quid agere debeat pro cauſis Servorum Dei? 18. & *ſeqq.*

Prophetia quid ſit? 288. & *ſeqq.*

S. Protaſius ſolemniter translatus eſt. 477.

Prudentia quomodo definiatur? 224. Quotuplex ſit? *ibid.* Alia de ipſa adnotantur. *ibid.*

Prudentius Martyres plures commendat. 2. Diſſerit de antiquo eorum cultu in Eccleſia. *ibid.*

Pſora quis morbus? 371.

S. Publia Abbatiſſa quam ob cauſam martyrium ſubierit? 200.

Publicanus ad Chriſtum miraculoſe converſus eſt. 411.

S. Pudens cum filiabus a quo tempore colatur? 5.

S. Pudentiana quandonam cultum obtinuerit? 5.

Pueri an, & qualm canonizati? 14. Num validum ferre poſſint teſtimonium? 174.

S. Pulcheria Auguſta, ejuſque Officium, & Miſſa. 721. & *ſeqq.*

Putredo a cadaveribus quomodo amovenda? 415.

Q

S. *Quirinus* ſub Innocentio II. translatus fuit. 477.

R

Rabanus Martyrologium concinnavit. 464.

Radulphus de Diceto commendat miracula S. Thomæ Cantuarienſis. 30.

Raptus in quo conſiſtat? 397.

Ravennates Præſules prodigioſo columbæ indicio eligebantur. 251.

B. Raymundus de Capua loquitur de miraculis ſpiritualibus. 415.

Raymundus Lullus quiſnam fuerit, & an cultu decorandus? 52.

S. Raymundus Nonnatus quare inter æquipollenter canonizatos numeretur? 54. Virtutibus clarus fuit. 254. Cardinalitiam obtinuit dignitatem. *ibid.*

S. Raymundus de Pennafort ut canonizaretur, prohibitum fuit examen operum ipſius. 127. Alia de ejus Canonizatione. 167. Miracula ſpiritualia patravit. 417.

Raymundus de Tarrèga quis fuerit? 52.

Raynaldus nonnulla edocet de cauſa Sanctorum. 21. Et de Canonizatione S. Stanislai Epiſcopi. 22. & S. Ludovici Galliarum Regis, ac aliorum BB. 22. & 23. Et de litteris remiſſorialibus. 152. Et de militibus in prœlio adverſus infideles occiſis. 204.

Raynaudus. V. *Theophilus Raynaudus*.

Recidivæ quid ſint? 346.

Reges qui Sacro Oleo inungantur? 167. De quorumdam Canonizationibus, & virtutibus. 287. *& ſeqq.* An bellum gerere interdum debeant? 269.

Reges Angliæ an ſtrumas expellendi virtute polleant? 324.

Reges Galliæ an a ſtrumis curent, & quo tempore hoc privilegium eis collatum ſit? 324.

Reginaldus Cardinalis ſuffragium tulit pro Canonizatione S. Stanislai Epiſcopi. 22.

Regulares quibuſnam prævii canonizandi? 164.

Religioſi qualiter in proceſſibus pro cauſis Servorum Dei validum ferant teſtimonium? 195.

Reliquiæ Servorum Dei an, & qualiter cultum obtineant? 93. Earum identitas antiquis temporibus quomodo probata? 478. Nunc vero qualiter demonſtratur. 478. *& ſeqq.* Publico cultui quomodo exponendæ? 485. In proceſſionibus etiam qualiter deferendæ? *ibid.* Quid earum nomine intelligendum ſit? 485. *& ſeqq.*

S. Remigius ſub Leone IX. translatus eſt. 477.

Remiſſoriales pro cauſis Servorum Dei a Poſtulatoribus ſupplicatæ, ne teſtes perirent. 163.

Reſpiratio ad vitam omnino neceſſaria eſt; ejuſque exiſtentiam probat. 393. 394. & 397.

Reſurrectio in quo conſiſtat, & differat a reſuſcitatione. 390. Quotuplex ſit? *ibid.* Nequit evenire naturaliter. 391. Reſuſcitatio qualiter contingat? 395. In brutis impropria tantum dicitur. 393. *& ſeqq.*

Revelationes quomodo examinandæ, & approbandæ? 102. 135. & 136. Earum natura explanatur. 307. Plura de ipſis. 307. *& ſeqq.* Apocryphæ quædam recenſentur. 310. An ex iis ſanctitas inferatur? 311.

Reviſores operum Servorum Dei qualiter deſignandi? 130. Eorum munus declaratur. *ibid. & ſeqq.* Revelationes, viſiones, & prophetias quomodo debeant examinare? 135. *& ſeqq.*

Reyes. V. *Gaſpar de Reyes*.

Richardus Armachanus quid ſenſerit de ſatisfactione pœnitentiæ tempore Paſchali? 133. Alia de ipſo referantur. *ibid.*

B. Rieſverus Lippius commendatur. 222. Immemorabili cultu potitur. *ibid.*

Del Rio. V. *Martinus Del Rio*.

B. Riſo ſeu *Margarita de Caſſia* immemorabili cultu decorata laudatur. 222.

S. Robertus ab Honorio III. canonizatus eſt. 9.

Rocca. V. *Angelus Rocca*

B. Rochus qualiter cultum obtinuerit? 55. & 483. Ejus cadaver Venetias translatum. 483.

S. Rodeſindus a Caleſtino III. SS. catalogo adſcriptus. 9. & 22.

Ven. Rodulphus Aquaviva quare martyrium perpeſſus ſit? 202.

S. Romanus cultu decoratus eſt ſub Leone IX. 8. Ejus reliquiæ furto ſublatæ, ubinam cuſtodiantur? 483.

S. Remaricus tempore Leonis IX. coli cœpit. 8.

S. Romualdus a quo tempore cultu potiatur? 7. Et qua de cauſa inter canonizatos numeretur? 53.

Romulus Apotheoſeos cultu decoratus. 2.

S. Roſa Limana a pueritia futuram indicavit ſanctitatem. 175.

Roſarium B. Mariæ V. quando inſtitutum? 449. De ejus laudibus ſermo habetur. *ibid.* Novum quoddam proſcriptum eſt. 499.

Roſignolius ſcripſit de virtutibus. 217. Et de tentationibus, quibus affliguntur Servi Dei. 247. Diſcutit an calumniæ ſint repellendæ? 281.

Roſweydus Martyrologium edidit, de quo judicium profertur. 464.

Ruerus loquitur de cultu S. Romarico conceſſo. 8.

Ruinart agit de Kalendario Bucheriano. 4. Et de SS. Canonizatione. 51. Et de pluribus Martyribus, qui patienter pro Chriſto mortem pertulerunt. 204. Et de aliorum finali perſeverantia. 205.

Ruthenis Presbyteris latini ritus nonnulla privilegia conceſſa. 439.

S

S. Abbatius quare martyrium perpeſſus ſit? 200.

Sacrificium Miſſæ Deo ſoli offertur. 411.

Salmanticenſes nonnulla exponunt de requiſitis ad Martyrium. 203. Et de impiorum juſtificatione. 411.

B. Salomea Regina Aliciæ jure commendatur. 115. Cultu gaudet immemorabili. *ibid.*

B. Salvator ab Horta virtutibus floruit. 117. A tempore immemorabili colitur. *ibid.*

Samſon a maxilla aſini aquam miraculoſe eduxit. 400.

Samuel Clarkius diſſerit de virtute Dæmonum ad patranda miracula. 331.

Samuelis Prophetæ ſpiritus an vere apparuerit Sauli? 301.

Sanatio miraculoſa quænam dicenda ſit? 341. *& ſeqq.*

B. Sancia Luſitana virtutibus claruit. 116. Cultu immemorabili celebratur. *ibid.*

Sancti quinam ſint appellandi? 47. Quibus actibus poſt Canonizationem colendi? 48. & 49. Plures in hac vita calumnias tulerunt. 143. *& ſeqq.* Quo tempore poſt obitum nonnulli fuerint canonizati? 165. Perſecutionibus ſubjacuerunt. 246. De eorum miraculis. 318. In locorum Patronos eligendi. 457. & 456. Cultu ſunt celebrandi. 459. Plures ſimul coli poſſunt. 462. *& ſeqq.* Qualiter in Martyrologio deſcribendi? 466. Eorum nomina Chriſtianis imponenda ſunt. 468. Iidem in Litaniis invocandi. 469. *& ſeqq.* Ab Eccleſia non pueri celebrantur, quamvis in limbum deſcenderint. 470. Quomodo depingendi? 473. *& ſeqq.* De eorum translationibus plura adnotantur. 477. *& ſeqq.* Et de

Digitized by Google

de locis, in quibus reponendæ ſunt eorum cadavera, vel reliquiæ. 485. Et de eiſdem exhumandis, ac publico cultui exponendis. 492. Et de illis, quibus nomen imponitur. 490. *& ſeqq.* Et de Officiis in eorum venerationem concedendis. 490. *& ſeqq.* Et de eorum Reliquiarum in proceſſionibus delatione. 49c. Nonnulli ad Vetus Teſtamentum pertinentes laudentur. 490. Iſtorumque cultus examinatur. 491. & 493.

Sanctitas ut demonſtretur, miracula a Deo efficiuntur. 325. Num probari poſſit independenter a miraculis? 328. *& ſeqq.*

S. Satyrus Martyr qualiter martyrii palmam adeptus? 200.

Sauſſajus ſcripſit de cultu nonnullis SS. conceſſo a Joanne VIII. 7. Et de jure beatificandi, atque canonizandi. 11. Et de BB. canonizatione. 12.

Scabies quid ſit? 371.

Scaechus. V. *Fortunatus Scaechus*.

Schiara oſtendit, ſolum Papam beatificare, & canonizare poſſe. 21.

Schiſmatici an inter Martyres numerandi? 210. Num poſſint efficere miracula? 300.

S. Scholaſtica an in Monaſterio Caſſinenſi aſſervetur? 484.

Scientia infuſa quid ſecum importet? 286.

Scirrhus quomodo efformetur? 373. An ſanari poſſit? 374.

Scorbutum quid ſit? 371.

Scotus. V. *Joannes Duns Scotus*.

Scriptura pro cauſis Servorum Dei quomodo cudendæ ſ...n. Compulſandæ in eiſdem cauſis undenam extrahendæ? 163. Qualiter probationem conſtituant? *ibid.* Authenticæ num in prædictis cauſis probent? 181.

Scrupuli quid ſint? 247.

Secretarii pro cauſis Canonizationum quæ peragere debeant? 17. & 18.

Seneca ratum habet puerorum teſtimonium. 174.

Senogallienſes nundinæ. 621.

Sepulchra Servorum Dei qualia eſſe poſſint? 91.

B. Seraphina Sfortia, ejuſque cultus immemorabilis. 66c. *& ſeqq.*

B. Seraphinus de Aſculo virtutibus inſignis fuit. 119. A tempore immemorabili cultum obtinuit. 119.

Ven. Seraphinus de Porrecta qualiter ſepultus fuerit? 81.

B. Serapion commendatur. 101. Cultu potitur immemorabili. *ibid.*

Severius quædam explicat de requiſitis ad martyrium. 203.

Serenus Abbas a carnalibus illæſus tentationibus. 245.

Sermo Hebraicus an ſit homini naturalis? 351.

Sermo ſapientiæ quid ſit? 285. & 286.

Sermo ſcientiæ in quo conſiſtat? 285. & 286.

Servetus vivus combuſtus eſt, & quare? 201.

Servi Dei quinam appellandi ſint? 47. Qualiter colendi? 89. *& ſeqq.* Vexationibus, & tribulationibus ſæpe afflictari ſunt. 246. *& ſeqq.* Dignitates Eccleſiaſticas nec curare, nec optare debent. 249. Plurium in Domino pia dormitio commendatur. 272. *& ſeqq.* Qualiter vanagloria non comprehenſi judicandi? 278. *& ſeqq.* Quomodo increpare debeant peccatores? 180. Et calumnias repellere? 281. Num eorum cultui obſtet tranſitus ab una in aliam Religionem? 281. Vel non obſervaſſe dum Regulares eſſent, vitam communem? 282. Alia de ipſis elucidantur. 282. *& ſeqq.* An beatificari, & canonizari poſſint, licet eis defuerint gratiæ gratis datæ? 285. & 291. De aliis gratiis eiſdem datis ſermo ſit. 285. 294. *& ſeqq.*

S. Severinus Epiſcopus an cum in Purgatorio detentus canonizatus ſit? 14.

Signa quid ſint? 31.

Signatura commiſſionis in quo conſiſtat? 139. De ea plura explanantur. 139. uſque ad 142.

Sigonius extollit virtutes, & miracula B. Ludovici Morbioli. 100.

S. Silveſter Papa ſanctitate floruit. 57.

Silveſter Petraſancta ſcripſit de miraculis. 31.

Silvius quid ſentiat de militibus in prælio adverſus infideles occiſis? 203. Et de SS. tribulationibus? 249.

Silvius Antonianus delectus eſt ad corrigendum Martyrologium Romanum? 464.

S. Simeon Padolirenenſis qualiter cultum obtinuerit. 7.

B. Simeon puer quomodo beatificatus. 14.

S. Simeon Syracuſanus a quonam tempore cultum obtinuerit. 8.

Simon Cantuarienſis Archiepiſcopus quid ſenſerit de imminutione Feſtorum de præcepto. 460.

Simon de Cramando Epiſcopus nonnullorum cultum abrogavit. 84.

B. Simon de Lipnica juſſu Innocentii VIII. in locum nobiliorem tranſlatus eſt. 109. Colitur a tempore immemorabili, ejuſque virtutes commendantur. 112.

Simon Magus an volaverit. 297.

S. Siricius Papa Martyrologio inſeritur. 631. conceſſis pro ejus Officio, & Miſſa. 634.

Sirmondus ſcripſit de oblationibus. 46. Et de Fauſto Rejenſi. 130.

Sixtus IV. Papa quem cultum indulſerit erga S. Jacobum de Marchia. 123.

Sixtus V. Papa B. Simeonis pueri cultum approbavit. 14. S. Didacum canonizavit. 15. Plures in Urbe Cardinalium Congregationes inſtituit. *ibid.* Conſtitutionem edidit de cooptandis in Cardinales. 256. Et de eorum munere. 256. *& ſeqq.*

Sixtus III. Papa an cenſendus ſit Auctor operum quorumdam Pelagianis faventium? 138.

Somnia divina ſunt, & naturalia. 303. Plura de utriſque declarantur. 303. *& ſeqq.*

Sotus. V. *Dominicus Sotus*.

Souze diſſerit de teſtibus ſingularibus. 168.

Segamenus ſcribit de origine cultus Confeſſorum Chriſti. 3.

Species Sacramentales nutriunt. 409.

Speculator ſcribit de numero teſtium pro quibuſdam cauſis requiſito. 172.

Spes heroica in quo conſiſtat? 220. Alia de ipſa explicantur. 220. & 221.

Sphacelus quid ſit, & quoſnam effectus producat. 374.

Spina Coronæ Chriſti quare non inſignita Patrocinio Caſtri Terregæ. 438.

Spinoſa non bene audit de miraculis alloquens. 315.

Splendores in Servis Dei an eorum ſanctitatem demonſtrent. 406 *& ſeqq.*

S. Staniſlaus Cracovienſis qualiter canonizatus. 15. & 20. & 167.

Sta-

Digitized by Google

Stanislaus Koſtka quomodo tumulatus fuerit. 91. Ad eiuſque Canonizationem deventum fuerit. 106. In Patronum principalem Poloniæ electus fuit. 459.

Stellæ novæ pluries viſæ. 401.

B. Stephana de Quinzanis virtutibus inſignis fuit. 124. Cultu gaudet immemorabili. *ibid.*

S. Stephanus Grandimontenſis a Clemente III. in SS. numerum relatus eſt. 9.

S. Stephanus Levita quomodo peccatores objurgaverit. 280. Quo die obierit. 463.

S. Stephanus Rex Hungariæ approbante Gregorio VII. cultum obtinuit. 8. Eius canonizatio fuit æquipollens. 55. Virtutibus claruit. 268. & 269. Dexteram poſt mortem ſervavit incorruptam. 417.

Stephanus III. Papa num S. Trudpertum canonizaverit; & examinari fecerit virtutes, ac miracula S. Ludgeri. 7.

Stranguria quis morbus. 383. Alia de ipſa diſcutiuntur. *ibid.*

Struma qualiter afformentur, & extloguantur. 383.

S. Sturmius ab Innocentio II. cultu decoratus. 8.

Suarez ſcripſit de poteſtate Principum in Paganos & Infideles ſibi ſubditos. 201. Et de Martyribus Tyrannum provocantibus. 200. Et de cauſa Martyrii. 207. Et de obedientia, 282. & *ſeqq.* Et de gratiis gratis datis. 285. uſque ad 290. Et de prophetiis, ac diſcretione ſpirituum. 294. Et de gratia generum linguarum. 295. Et interpretationis ſermonum. 296. Et de extaſibus. 296. & 297. Et de revelationibus. 307. Et de Angelis malis. 320. Et de fictis miraculis Antichriſti, ac aliorum peccatorum. 323. & 324. Et de miraculis variis. 329. Et de impiorum juſtificatione. 413. Et de ſanguine, & aqua a Chriſti latere diffuſis. 419. Et de Feſtis de præcepto. 461. Et de Chriſti apparitionibus. 302.

Subpromotor Fidei qualem ſe gerere debeat pro cauſis Servorum Dei. 19.

Sudor ſanguineus an naturaliter Chriſto Domino ſupervenerit. 405.

Suetonius meminit cultus Apotheſeos quibuſdam exhibiti. 2.

Sulpicius Severus plura edocet de falſis Martyribus. 209. Sub Urbano VIII. a Martyrologio expunctus eſt. 465. & 629.

Surdi plures miraculoſe ſanati. 350. & *ſeqq.*

Surius commendat S. Procopium Abbatem. 9. Et Et SS. Franciſcum Aſſiſienſem ac Antonium Ulyſſiponenſem. 22.

Sybillæ cur prophetiæ gratia decoratæ fuerint. 289. Earum oracula deſcribuntur. *ibid.*

Syneſius qualiter Epiſcopatum recuſaverit. 249.

Synodus Sinueſſana an vere extiterit. 170. Alia de ea exponuntur. *ibid.*

T

Tabellæ votivæ quid indicent. 89. Alia de ipſis. *ibid.*

Tamajus agit de canonizatione S. Rodeſindi. 9.

Tatianus Aſſyrius commendat S. Juſtinum Martyrem. 4.

Telemachus a quo canonizatus. 11.

Temperantia in quo ſtet. 228. Alia ad eam pertinentia explicantur. *ibid.*

Templum S. Petri in Urbe a quonam conſtructum, & reſtauratum. 72.

Tempus immemorabile pro probando caſu excepto in cauſis Servorum Dei requiſitum quale ſit. 107. Quomodo demonſtrandum. 108.

S. Tereſia votum emiſit de perfectiori ſemper agendo. 218. Pluribus ſubjacuit tribulationibus. 245. & 246. A carnis tentationibus liberata fuit. 246. Scripſit de ſcrupulis. 248. Et de extaſibus. 299. De viſionibus, ac apparitionibus et ſacti a ſermo attexitur. 306. Et de ejus revelationibus. 307. & 309. Claudum miraculoſe ſanavit. 353. Incorrupta poſt mortem permanſit. 416.

B. Tereſia Luſitana Princeps commendatur. 116. Cultu immemorabili celebratur. *ibid.*

Tertullianus meminit Chriſti Apotheoſeos a Senatu Romano impugnatæ. 1. Et libellaticorum. 3. Et Martyrum vindicatorum, ac aliorum. *ibid.* Et obitus B. Virginis Mariæ. 14. Martyres inquit, minime teſtituros morti inferendo. 203. Diſſerit de Servis Dei, qui Idolorum Templa adibant. 208.

Teſtamenta quot teſtibus probanda. 172.

Teſtes pro cauſis Servorum Dei quomodo examinandi. 157. & *ſeqq.* Quales accipiendi, & præferendi. 167. An ſingulares, & de auditu ſint admittendi. 168. De ipſorum numero pro præfatis cauſis. 172. De eorum qualitate, contradictione, & concordia in depoſitione. 173. uſque ad 176.

Tetanus quis morbus. 379. De ipſo nonnulla explanantur. *ibid.* & 380.

S. Theobaldus ab Alexandro II. canonizatus eſt. 8. & 9.

S. Theodora obedientia inſignis fuit. 282.

Theodoretus agit de cultu SS. 2. Et de canonizatione Telemachi. 21. Et de ardenti proximi dilectione, qua Moyſes enituit. 135.

Theodoſius Imperator virtutibus claruit. 268. & 269.

S. Theodotus Epiſcopus an rite in Martyrologio deſcriptus fuerit. 465.

Theophylus Raynaudus loquitur de calamnilis a SS. toleratis. 145. Et de Tyranni provocatione. 201. Et de nonnullis ad Martyrium requiſitis. 203. uſque ad 209. Et de viris Heroicis. 214. Et de virginibus. 270. Et de repulſione calumniarum. 281. Et de apparitionibus, ac viſionibus. 304.

Thiers plura adnotat de celebratione Feſtorum de præcepto. 460. uſque ad 462.

S. Theotonius, ejuſque Miſſa, & Officium. 643.

S. Thomas de Aquino ſcripſit de Martyribus. 3. Et de gaudio Beatorum. 11. Et de Sanctorum invocatione. 13. Et de animabus in Purgatorio detentis. 14. A Joanne XXII. canonizatus eſt. 23. Diſſerit de miraculis, & ſignis. 31. & 34. Et de infallibilitate Papæ in Canonizationibus. 81. & *ſeqq.* Et de ſuperſtitione. 97. Et de præcepto Matrimonium contrahendi. 134. Et de dilectione propria. 135. Doctrina inſigni præditus fuit. 128. Puerorum teſtimonium tamquam inutile rejicit. 194. Sententiam profert de teſtium concordia in omnibus. 176. Et de martyrio. 181. & *ſeqq.* Et de iis, qui ſe ipſos interficiunt. 184. Et de Martyribus parvulis. 192. Et de requiſitis ad Martyrium. 193. ut de ejus deſiderio. 195. Et de ſpontanea ad id oblatione. 197. Et de fugam arripientibus tempore perſecutionis. 198. Et de Tyrannum provocantibus. 199. Et de Chriſtianorum Principum poteſtate in Infideles ſibi ſubditos. 201. Et de contemptu mortis ob defenſionem, vel exercitium virtutum. 203. Et de militibus

litibus in prælio ab Infidelibus occiſis. 203. Et de martyrio, ac ejus cauſis. 207. 208. & 213. Et de Hæreticis. 210. Et de Schiſmaticis. 211. Et de ſanctitate. 213. Et de virtute. 214. & 213. Et de charitate. 215. Et de donis Spiritus Sancti. 216. & 217. Et de virtutibus heroicis. 217. Et de perfectione. *ibid.* Et de merito. 218. Et de prudentia. 224. Et de juſtitia. 223. Et de fortitudine. 227. Et de oratione. 232. *& ſeqq.* Et de S. Communione. 239. Et de vitio ſingularitatis. 243. Et de tentationibus, quibus anguntur Servi Dei. 246. Et de Eccleſiaſticis dignitatibus. 231. Et de requiſitis ad bellum juſtum. 270. Et de pœnitentia. 277. Et de peccatis. *ibid.* Et de vana gloria. 278. Et de calumniis. 281. Et de tranſitu ab uno in alium Regularem Ordinem. *ibid.* An hujuſmodi tranſitum ipſe fecerit? *ibid.* Sermonem habet de obedientia. 282. Et de actibus humanis. 282. & 283. Et de Oſea, ac Abrahamo. 284. Et de gratia. 284. & 287. Et de gratiis gratis datis. 285. *& ſeqq.* Et de arte notoria nuncupata. 287. Et de prophetia. 288. uſque ad 290. Et de cognitione cogitationum. 291. Et de Prophetis poſt Chriſti Domini adventum. 292. *& ſeqq.* Et de diſcretione ſpirituum. 294. Et de gratia generum linguarum. 295. Et de ecſtaſibus. 296. Et de raptu. 297. Et de apparitionibus. 301. Et de viſione Dei in hac vita. 301. & 302. Et de Chriſti Domini apparitionibus. 302. & 305. Et de aliis viſionibus. 303. & 304. Et de ſomniis. 303. Et de revelationibus, quibus fides innititur. 307. Et de aliis revelationibus. 309. Et de miraculis. 313. uſque ad 316. Et de mirabilibus. 315. Et de Chriſti Domini miraculis. 317. & 318. Et de virtute Angelorum ad illa efficienda. 317. Et de cauſa miraculorum. 318. Et de impotentia Dæmonum ad illa patranda. 319. & 320. Et de allocutione ſerpentis cum Heva. 322. Et de miraculis, quæ Infidelibus tribuuntur. 322. Et de fine, ob quem miracula efficiuntur. 325. Et de S. Miſſæ Sacrificio. 331. Et de Chriſti Domini divinitate. 336. Et de ſanationibus miraculoſis. 341. Et de partu Beatiſſimæ V. Mariæ. 386. Et de Chriſti D. Conceptione. *ibid.* Et de doloribus parturientium. 390. Et de Salvatoris Reſurrectione. 392. Et de rerum quarumlibet prodigioſa multiplicatione. 399. Et de ſtella, quæ in nativitate Chriſti viſa fuit. 403. Et de tenebris in ejus morte factis. *ibid.* Et de ipſius transfiguratione. 406. Et de ſplendore faciei Moyſis. *ibid.* Et de ſenſuum perturbatione. 407. Et de nutritione ab ſpeciebus ſacramentalibus proveniente. 409. Et de impiorum juſtificatione. 411. Et de Dæmonum expulſione. 413. Et de cadaverum incorruptione. 414. Et de ligno vitæ. 418. Et de cauſis transfigurationis Chriſti D. 423. Et de animarum apparitione, poſtquam corporibus exuuntur. 424. & 423. Et de ſanguine e cadaveribus occiſorum effluente, ac puerorum faſcinatione. 427. Et de effectibus imaginationis. 428. & 429. Et de SS. Apoſtolis. 451. Et de Virginum aureola. 455. Et de ſanctificatis in utero matris. 471. Et de cultu Angelorum. 493. Et de cultu erga humanitatem Chriſti. 498. Ejus cadaver Apoſtolica auctoritate translatum eſt. 476.

S. Thomas Cantuarienſis ab Alexandro III. canonizatus eſt. 9. Miraculis fulſit. 32. Calumnias plures ſuſtinuit. 146. Et martyrium, quia alio modo reſiſteret. 204.

Thomas a Jeſu loquitur de tentationibus, quibus exercentur, & affliguntur Servi Dei. 247. Et de raptibus. 299.

S. Thomas de Villanova piiſſime vitam finivit. 273. Vitam protrahere non dubitavit. 274. Decenti veſte cooperiebatur. 283. Mortuos duos ad vitam revocavit. 393.

Thomas Waldenſis diſſerit de auctoritate cultum indulgendi. 10.

Thomas Walſinghamus quid ſenſerit de Chriſti miraculis? 317. Ejus opera merito proſcripta ſunt. *ibid.*

Thomaſius Cardinalis. V. *Joſephus*.

Thomaſſinus pertractat de antiquitate cultus SS. Confeſſorum. 5. Et de acceptatione dignitatum Eccleſiaſticarum. 251.

Thyræus plura edidit de obſeſſis a Dæmone. 412. & 413. Et de apparitionibus. 301. uſque ad 305. Et de ſomniis. 305.

Tiberius Alpharanus ſcripſit de Baſilica Vaticana. 41.

Tiberius Cæſar quare Chriſti Apotheoſim tentaverit, & non obtinuerit? 1. Miſericordia erga pauperes floruit. 268. Et aliis virtutibus. 269.

S. Tiburtius ſuper ardentes carbones illæſus inceſſit. 401.

Tillemontius ſermonem texuit de Fauſto Regienſi. 132.

Titus Livius pertractat de Apotheoſeos cultu nonnullis conceſſo. 2.

Tobias miſericordem ſe oſtendit, etiam cum vitæ diſcrimine. 302. An miraculoſe a cæcitate ſanatus fuerit? 348.

Toſtatus agit de apparitionibus divinis. 301. Et de revelationibus. 309.

Trajanus Imperator an a pœnis Inferni liberatus ſit? 280. An etiam a mortuis reſurrexerit? 391.

Translatio Lauretanæ Domus Officio proprio celebratur. 447.

Tribulationes a Servis Dei tolerandæ ſunt. 243. *& ſeqq.*

S. Triphyllius Epiſcopus diu poſt mortem incorruptus, ſanguinem effudit. 420.

Trithemius commendat Ven. Bedam. 47.

Troilus Malvetius diſſerit de Canonizatione Apollonis. 7. Et de cultu SS. Puerorum. 14. Et de probatione miraculorum. 168.

S. Trophimus Tyrannum ad martyrium provocaverit. 200.

S. Trudpertus num a Stephano III. canonizatus ſit? 7. Qua de cauſa inter Martyres recenſeatur? 207.

Tulliola Ciceronis filia poſt mortem diu incorrupta, qualiter computruerit. 413.

Tullius loquitur de virtutum connexione. 216.

Turrecremata Cardinalis diſputat de revelationibus. 307. & 310.

S. Turibius Archiepiſcopus ab Innocentio XI. beatificatus fuit. 27.

Typographus Cameralis in Urbe quid pro cauſis Servorum Dei ex vi officii ſui peragere debeat? 22.

Vamvi-

V

VAmpiri qui dicti fuerint, & an naturaliter reſurrexerint? 391.
Vanagloria undenam dignoſcatur? 278. *& ſeqq.*
B. Vanno de Urbeveteri, ejuſque cultus immemorabilis. 663. *& ſeqq.*
Varices quomodo efformentur? 384. Alia de ipſis exponuntur. *ibid.*
Vaſques quid ſenſerit de Ven. Rodolpho Aquaviva, dum idola confregit. 202. Et de requiſitis ad martyrium? 209.
S. Ubaldus a quo canonizatus? 9.
S. Udalricus qualiter cultu inſignitus? 7. & 21.
Venerabiles Servi Dei quinam appellandi ſint. 47.
Verricellus explicat ob quam veritatem mori debeant Martyres. 208.
Veſpaſianus Imperator an miracula effecerit. 322.
Veſtes Sanctorum an mutandæ interdum ſint, & colendæ. 486.
Victor III. Papa a pluribus merito laudatur. 36. Sed non recenſetur inter SS. 37. Pontificatum recuſavit. 249.
Victor Victorius diſputat de requiſitis ad martyrium. 209.
Viduæ an, & quomodo ab Eccleſia colantur. 270. *& ſeqq.* Qualiter virtutibus incumbere debeant. 271. *& ſeqq.*
S. Vigilius Epiſcopus cum martyrium paſſus eſſet, ejus Acta ad Summum Pontificem tranſmiſſa, approbata ſunt. 4. Nonnullos Martyres cultu donavit. 6.
S. Vincentius Ferrerius Orientis cujuſdam Sancti nuncupati cultum abrogavit. 85. Pluribus calumniis impetitus eſt. 147. Quamvis Petro de Luna Pſeudopapæ adhæſerit, hoc ejus cultui minime offecit. 211. Canonizationem ſuam prædixit. 279. Qualiter finem mundi, & Antichriſti adventum prænuntiaverit. 294. Gratia generum linguarum præditus fuit. 295.
Vincentius Lirinenſis an Semipelagianis adhæſerit, & cur ab errore excuſatur. 132.
S. Vincentius a Paulo an incuſandus, quod cum hæretico amicitiam habuerit. 148. Quare SS. Euchariſtiam per modum Viatici non perceperit. 274.
Violatores Decretorum Urbani VIII. quibuſnam pœnis coercendi. 97.
Virgines a Raynaudo commendantur. 270. Quali cultu ab Eccleſia donentur? 271. & 454. & 435.
Virginitas quomodo cuſtodienda. 270. *& ſeqq.*
Virtus quomodo definiatur. 214.
Virtutes inter ſe connectuntur. 216. *Cardinales*, & *Theologales* Servorum Dei quomodo examinandæ. 164. & 163. Et approbandæ. 171. *Heroica* ad SS. Confeſſores canonizandos omnino requiruntur. 213. Quænam hoc nomine appellandæ. 214. *& ſeqq.* Quæ etiam dicendæ *purgati animi*. 217.
Viſio Dei in hac vita num alicui conceſſa ſit. 301.
Viſiones Divinæ in quo conſiſtant. 300. *& ſeqq.* Alia de ipſis explanantur. *ibid.* Et de ceteris viſionibus. 302. *& ſeqq.*
Viſitatio Sepulchrorum Servorum Dei quonam modo peragenda. 161.
Ulcus qualiter efformetur. 374. De eo alia. *ibid.*
Volvulus qui morbus. 283. Quomodo curandus. *ibid.*
Vomarus Abbas ſupplicavit pro cultu SS. Landoaldi, ac Sociorum. 7.
Urbanus VIII. Papa canonizavit S. Eliſabetham Reginam Luſitaniæ. 10. Jus beatificandi, & canonizandi Sedi Apoſtolicæ reſervavit. *ibid.* De cauſis Servorum Dei plura decreta edidit. 16. 17. 18. *& ſeqq.* & 34. & 40. & 87. *& ſeqq.* & 97. Et de tempore requiſito ad probandum cultum immemorabilem. 107. Et de ſcriptis Servorum Dei examinandis. 127. Et de examine virtutum, & martyrii Servorum Dei poſt quinquaginta annos ab obitu. 164. & 165. Et de Feſtis de præcepto. 460. Breviarium Romanum corrigi fecit. 433.
Urbanus V. Papa quorumdam cultum abrogari fecit. 84. Redarguit colentes nondum beatificatos, vel canonizatos. 94.
Urbanus II. Papa BB. quorumdam cultum approbavit. 8. In nonnullis Martyrologiis Beatus appellatur. 36. De ejus laudibus ſermo fit. 56. & 57.
Uſuardus qualiter Martyrologium compoſuerit. 464.
Wadingus nonnulla adnotat de SS. Canonizationibus. 21. Et de militibus in prælio contra Infideles occiſis. 204. Et de Martyribus ob ſigilli confeſſionis obſervantiam. 207.
Wandelbertus Martyrologium edidit. 464.
S. Wenceſlaus æquipollenter canonizatus eſt. 35. Virtutibus excelluit. 268.
S. Wiberada qualiter cultum obtinuerit. 8. & 92.
Wicleffus proſcribitur, cum reprobos dixerit nonnullos Sanctos. 63.
S. Willelmus Eboracenſis plures calumnias, & probra ſuſtinuit. 147. Ejus virtutes laudantur. *ibid.*
S. Willibaldus cultum obtinuit ex conceſſione Leonis VII. 7.
S. Wolfangus ſub Leone IX. coli cœpit. 8.
Vulnera lethalia quæ ſint? 369. & 370.
Uxor Lot an in ſalem converſa ſit. 320.

X

XImenes Cardinalis. V. *Franciſcus Ximenes Cardinalis.*

Z

S. ZAcharias quare mutus effectus ſit. 350.
Zacharias Papa qualiter S. Kilianum, & Socios coli approbaverit. 6.
Zachias ſcripſit de extaſibus. 298. Et de ſomniis. 304. Et de ſymptomatibus. 342. Et de cæcis a Chriſto illuminatis. 347. Et de viſus recuperatione. 348. Et de mutis, ac ſurdis. 331. & 332. Et de atrophia. 357. Et de epilepſia. *ibid.* Et de paſſione hyſterica. 358. Et de hydrocephalis. 363. Et de hæmorrhoiſſa a Chriſto ſanata. 368. Et de cancro. 372. Et de tetano. 379. Et de apoplexia. 382. Et de partu. 386. & 387. & 388. Et de ſuffocatione ex utero. 392. Et de mortis ſignis. *ibid.* & 393. Et de reſpirationis ad vivendum neceſſitate. *ibid.* Et de peſte. 396. Et de jejuniis in longum tempus protractis. 409. & 410. Et de incorruptione cadaverum. 413. & 418. Et de cadaverum motu. 419. Et de ipſorum odore. 421. Et de effectibus imaginationis. 429.
B. Zita Lucenſis jure merito laudatur. 115. A tempore immemorabili cultum poſſidet. *ibid.*

Digitized by Google

Digitized by Google